Wm Kingsley Gosling
Reading 1894

Humphrey Williams
Merton College
October 1854.

JO. GOTTLIEB HEINECCII

POTENT. REGI BORUSS. QUONDAM A CONSIL. SANCTIOR. JURIS ET PHILOS.
IN ACAD. HALENSI PROF. P. O. REL.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

JURISPRUDENTIAM ILLUSTRANTIUM

SYNTAGMA

SECUNDUM

ORDINEM INSTITUTIONUM JUSTINIANI DIGESTUM

IN QUO MULTA JURIS ROMANI ATQUE AUCTORUM VETERUM LOCA EXPLICANTUR
ATQUE ILLUSTRANTUR.

CONTEXTUM AUCTORIS ET ALLATA AB EO ANTIQUORUM SCRIPTORUM TESTIMONIA
DILIGENTISSIME CASTIGAVIT, ACCESSIONES EDITIONUM ALIQUOT RECENTIORUM,
ANIMADVERSIONES HERM. CANNEGIETERI, PRAEFATIONEM, DENIQUE
NOTULAS OPERI ADJECIT

CHRIST. GOTTL. HAUBOLD

EQU. ORD. SAX. VIRT. CIVIC. JURIS PROF. LIPS.

DENUO OPUS RETRACTAVIT SUISQUE IPSIUS OBSERVATIONIBUS AUXIT

CHR. FRID. MÜHLENBRUCH

EQUES GUELPH. ET AQUILAE RUBRAE TERT. CLASSIS. JUR. PROF. GOETTING.

FRANCOFURTI AD MOENUM
SUMTIBUS HENRICI LUDOVICI BROENNERI.
MDCCCXLI.

EDITORIS PRAEFATIO.

Quum satis multa Hauboldus de Heineccia ni operis indole et virtutibus praefatus sit, mihi quidem in eo acquiescendum esse putavi, ut, qua ratione editoris officio perfunctus sim, paucis exponerem.

Postulaverat a me vir honestissimus, hujus libri redemtor, ut copiis Heineccianis novum velut opus superstruerem, quale nostra aetate maxime desideratur. Ego vero tantum mihi in alieno opere eoque desideratissimo arrogare nolui. Heineccium et populares et exteri quaerebant, imo efflagitabant; illum ipsum librum, cujus amplius seculo virtutes spectatae erant, adeoque omnium usu et eruditorum et tironum comprobatae, ut etiam post instauratam ab Hugone jurisprudentiam historicam, et postquam nova civili prudentiae lux affulsit e Gaji commentariis, aliisque hac nostra aetate repertis juris antiqui monumentis, fructum inde uberrimum literarum studiosi percipere posse viderentur. Cum Hauboldo igitur sensi ac putavi, munus editori demandatum ita esse explendum, ut ne frustra Heineccius in Heineccio quaereretur. At, ni omnia me fallunt, arctioribus se Hauboldus circumdederat cancellis, quam aut ratio illa postulabat, aut temporum necessitas ferebat. Is enim has sibi leges praecipue sequendas imposuerat, ut, sedulo comparatis inter se prioribus editionibus, textum Heineccianum expurgaret a mendis, quae aut operarum aut editorum vitiis in eum irrepserant, omninoque curaret, ut liber quam emendatissime fieri posset typis describeretur; deinde, ut errores in laudandis testimoniorum locis scriptoribusque admissos corrigeret, praeterea ad Gaji commentarios aliaque antiquitatis monumenta, nondum visa Heineccio, lectores delegaret, tum vero apparatum adjiceret scriptorum, aut ab Auctore neglectorum, aut Heinecciana aetate recentiorum. Rarius

res ipsas animadversionibus suis amplexus est, satius plerumque habens, fontium scriptorumque locos significare, unde peterent legentes, quae in libro essent emendanda vel supplenda. Neque illud dubium, quin maxima libro commendatio ab Hauboldi opera accesserit. Verum enimvero ultra hos fines egredi meum esse putavi. Tironibus potissimum hic liber scriptus est. His nimirum erat prospiciendum, ut praesidium ipsis ad manus esset, quo uterentur, ad ea cognoscenda antiquitatum Romanarum capita, quae non ignorare juris studiosum utique oportet. Igitur gratum me illis facturum esse existimavi, si non modo copiarum petendarum fontes eis aperirem, verum etiam in eo elaborarem, ut ex ipso libro cognosci possent atque edisci, quae tempora postulare, quaeque scitu maxime digna atque juvenum captui accommodata esse viderentur.

Delectum autem habendum esse censui rerum in primis utilium et non admodum necessariarum. Nam licet tota antiquitas fructuosa sit juris civilis studioso, nec ulla ejus pars prorsus negligenda, tamen juris privati reique judiciariae historia plurimum valet ad illustrandum jus civile illud, cujus perdiscendi causa adpeti solent antiquitates Romanae. Huic itaque historiae juris parti prolixiores adhibendas esse censui animadversiones, nec quidquam eorum, quae huc spectant, prorsus praeteriri silentio passus sum. At parcius egi in exponendis notandisque locis, quae in jure Romanorum publico explicando potissimum versantur, in quem quidem vastissimum campum crebrius longiusque Heineccius semper mihi visus fuit excurrere, quam esset operis fini satis.

Mea tamen spe et opinione plura fuere corrigenda atque addenda; unde etiam factum est, ut multo serius, quam exspectaveram, nova haec libri editio prodiret. Et vero plerumque, quae supplenda emendandaque mihi visa sunt, notis, ad imum paginarum marginem appositis, commendavi; nonnumquam aut integras libro intexui §§phos *), aut Heineccianas vel transformavi **), vel additamentis

*) Ut Pr. §. 24. Lib. I. Tit. II. §. 1. et post Tit. XII. locum: *de his, qui in mancipio sunt* (p. 159. sqq.). Lib. II. Tit. VI. §. 11. Lib. IV. Tit. VI. §. 23—27. Tit. XIII. XIV. §. 3. et 7. Tit. XV. §. 6. Tit. XVI. §. 5. et 7.

**) Vid. Pr. §. 5. Lib. I. Tit. II. §. 10. §. 15. §. 25. Lib. III. Tit. XXI. (XX.) §. 4.

dilatavi *). Praeterea quae a me ipso sunt observata et notata cum reliquis, quae aut ipsi debentur Heineccio, aut Cannegietero, aut ex epicrisi Hauboldiana (ad calcem libri antea rejecta) sunt excerpta, serie continua, ut uno in conspectu omnia viderentur, textui subjeci, singulis tamen ita distinctis, ut, quem quaevis auctorem habeant, facile internosceretur. In Hauboldi vero notis indicandis, iis quidem, quas ipsi §§ phorum contextui adleverat, Auctoris signum [*] retinui; itemque meas ipsius *insititias* notulas non nisi parenthesis signo ( ) inclusas exhibui. Aliquoties tamen notas quoque textui suppositas, aut eadem, aut certe non ea, qua oportebat, insignitas esse forma, in singulis perlustrandis plagulis typis exscriptis animadverti. Quod, sive mea ipsius sive typothetae acciderit culpa, neminem facile, ut spero, in errorem inducet.

Quaedam ex his, quae in superioribus editionibus leguntur, tacite aut litura sustuli, aut leviter mutavi, aut prorsus praetermisi; talia quidem, quae vel ex manifesto scribentium errore orta, vel ejus farinae sunt, ut jam neminem fore, qui ea desideraturus sit, certe mihi persuasum habere possem. Nec titulorum et materiarum, quae in illis tractantur, indicem denuo recudi passus sum, ne praeter necessitatem libri in juventutis usum potissimum destinati pretium augeretur. Investigandis etenim rebus, quarum non statim ex titulorum inscriptione, ubi quaerendae sint, locus appareat, melius inserviet index rerum et verborum, qui literarum ad ordinem dispositus libro adjectus est; cui et augendo et emendando multum operis impendi. Nec consilii hujus mutandi causa mihi esse poterat, quod Hauboldus, tum fontium, quibus usus non erat Heineccius, et vel maxime commentariorum Gaji testimoniis, tum vero congruis locis Historiae juris ab Hugone enarratae, argumentum operis distinxerat. Nam fontibus illis ipse usus sum in supplementis, quae me habent auctorem; ad Hugonis vere opus immortale nemini sane commodior dabitur aditus allegationibus istis perpetuis. Septima Hauboldus usus fuerat Hugoniani libri editione. Vix autem peracto labore se admodum nihil profecisse probe sentiens, siquidem nova

*) Velut Lib. I. Tit. X. §. 12. Tit. XXII. §. 6.

interea libri illius editio in publicum prodierat, „synopsin succinctam §§. edit. VII. et paginarum edit. VIII. operis Hugoniani" argumento illi titulorum et materiarum adnecti curavit. At vero hujus quoque synopsis omnem utilitatem tempus mox absorbuit. Nec profecto melius consultum foret publicae utilitati, si istius in locum alium ex undecima, qua nunc utimur, editione exarare voluissem indicem. Etenim Hugoniani operis, quod assidue, dum honos erit his literis, legendum est juris studiosis, deinceps etiam novas prodituras esse editiones, certo sperare licet. Denique consilium meum his certe probatum iri confido, qui usu edocti perspectum habent, ipsum optime Hugonem indice rerum et verborum locupletissimo operi adjiciendo commodis eorum consuluisse, qui cum ejus libro Heineccianum velint conferre.

Jam harum partium non necessariarum omissione, tum vero maxime typorum forma magis contracta effectum est, ut, licet vetus editio sui amplius quadrante novâ superetur, tamen paginarum numerus ne aequet quidem eum, qui explet editionem proxime superiorem. Quod reliquum est, ut opera mea, qualiscunque, fructus adlatura sit salutares iis, quorum potissimum causa laborem hunc suscepi, vehementer cupio atque opto.

Scripsi Goettingae die X. m. Octobr. MDCCCXL.

PRAEFATIO HAUBOLDI.

Antiquitatum Romanarum jurisprudentiam illustrantium Syntagma, cujus novam editionem rogatus a Viro Honestissimo, Henr. Lud. Broennero, bibliopola Francofurtensi primario, paravi, tanta ultra seculi decursum gratiae atque auctoritatis constantia floruit, ut hac sortis perpetuitate geminum ingenii Heinecciani foetum, non minus omnium olim manibus tractatum, Elementa, puta, juris civilis secundum Institutionum ordinem concinnata, nunc quidem superaverit. Quod eo magis mirandum videtur, quo minus dici potest, quanta cum negligentia versati sint, quotquot repetendo identidem operi Antiquitatum Romanarum vel vivo auctore, vel post ejus obitum praefuerunt *). Hinc a novi editoris persona minime alienum duxi nonnulla praefari de superiorum editionum serie, dotibus atque vitiis, antequam, qualem ipse in hoc negotio gerendo sequutus sim consilii rationem, enarrarem. Innotuerunt autem mihi, in numerum et varietatem harum editionum diligenter inquirenti, omnino *duodeviginti*, quarum *quinque priores* vivo et superstite auctore in lucem prodierunt, reliquae *tredecim* postumis sunt adcensendae. En singularum indicem, quarum eas, quas ipse tractavi, stellulis placuit distinguere. *1) *Halae sumtu novi bibliopolii* 1719. 8. *P. I. pagg.* 548. *P. II. pagg.* 410. cum epistola nuncupatoria ad *Christ.*

---

*) Arguit hanc socordiam jam frons ipsa editionum a quarta, quotquot oculis usurpavi, omnium, si ab iis, quae Operum Heineccianorum corpori insertae sunt, discesseris. Quae enim in titulo tertiae editionis, anno 1730. vulgatae, auctori tributa fuerat dignitas Consiliarii Aulae regiae Borussicae et in Viadrina Academia Pandectarum et Philosophiae rat. et mor. Professoris P. O., (quippe quod *Heineccius* eam tum temporis usque ad annum 1733. quo e Viadrina in Halensem Academiam evocatus est, vere tuebatur), eamdem sequiores editiones omnes immutatam retinuerunt, quamvis auctor illa munera post discessum in Halensem litterarum Universitatem cum aliis commutasset, et in hac supremum diem obiisset.

Thomasium scripta. *2) *Editio secunda auctior et emendatior. Argentorati sumtibus Jo. Reinoldi Dulseckeri* 1724. 8. *P. I. pagg.* 492. *P. II. pagg.* 370. (cum eadem epistola, in ceteris omnibus edd. omissa.) Hanc editionem usu edoctus cognovi minime mentitam, quum se non solum auctiorem prima, sed in primis etiam emendatiorem professa esset. Certe multum mihi profuit ad *Heineccium* a plurimis iisque passim foedissimis erroribus, qui in posteriores editiones, quotquot adhibui, omnes irrepserant, purgandum. *3) *Editio tertia auctior et emendatior. Argentorati sumtibus Jo. Rein. Dulseckeri* 1730. 8. *P. I. pagg.* 562. *P. II. pagg.* 386. (quam tamen, quod ex additamento Praefationis recens adjecto colligere fas est, oportet jam anno 1726., dum *Heineccius* adhuc Franequerae commorabatur, esse absolutam). Etiam haec editio *) ab ipso auctore revisa et variis adcessionibus, maxime *Lib. I. tit. VI.* capitibus legis Aeliae Sentiae hic primum restitutis **), est locupletata, nec caret locis, in quibus auctor sententiam in prioribus edd. propositam retractavit, veluti *IV.* 7. §. 8. Unde factum, ut ab hac inde editione nonnullae notae Heineccianae asteriscis praefixis a ceteris distinguerentur, nempe, ne ordo numerorum priscorum turbaretur ***). *4) *Editio quarta auctior et emendatior. Argentor. etc.* (ut 3.) 1734. 8. *P. I. pagg.* 562. *P. II. pagg.* 386. *5) *Editio quinta auctior et emendatior. Argentor. etc.* (ut 3.) 1741. 8. *P. I. pagg.* 562. *P. II. pagg.* 386. Neutra harum edd.

---

*) Duo ejusdem exempla notis MSS. virorum doctissimorum instructa, alterum *Georgii d'Arnaud,* alterum *Franc. Caroli Conradii,* forsitan hodieque alicubi exstant. Illud exemplum cum bibliotheca *Pet. Burmanni minoris* divenditum fuit Lugd. Bat. anno 1779. (teste *Catalogo MSS. Burmann. p.* 60. *num.* 4168.) hoc cum reliqua supellectile litteraria *Conradii* Helmstadii anno 1767. cujus index *(Bibliotheca a Franc. Car. Conradio collecta) T. II. (Helmst.* 1767. 8.*) p.* 101. *num.* 8033 — 35. ipsum exemplum describit. Atque utinam mihi in novissima editione adornanda licuisset ei gratiam ab utriusque vel certe alterutrius exempli copiis conciliare!

**) Hinc emendanda, quae olim in *Institutionibus* meis *litterariis juris Romani* §. 113. *T. I. p.* 317. de secunda editione scripsi.

***) Inveni has: ad *I.* 2. §. 1. „*Alioquin non negatur*" *etc.* ad *I.* 11. §. 1. „*Aliquando tamen id agebant*" *etc.* ad *IV.* 18. §. 40. „*Abjectus ille solebat*" *etc.* (quae tamen jam in ed. II. eadem littera *u,* qua antecedens *ad* §. 35. „*Attamen etiam de capite*" *etc.* insignita, legitur; manifesto indicio, *Heineccium* ipsum in proxima editione mutasse signum, ne notae confunderentur) et *ibid.* §. 56. „*Nec magis poena*" *etc.* Asteriscos servaverunt edd. Argentoratenses (praeter novissimam) et Basileenses; reliquae alia plerumque signa substituerunt; quod et a nobis factum, quippe qui paulo tardius progressum illum notarum animadvertissemus.

quidquam differt a tertia, quamquam quinta postrema fuit earum, quae, dum auctor hoc ipso anno exstinctus rebus humanis superesset, in lucem prodierunt. *6) *Editio nova, ab auctore ipso paulo ante obitum revisa, emendata, multisque locis locupletata ac ejus permissu impressa. Basileae, excudebat Joannes Christ*, 1742. 8. *P. I. pagg.* 574. *P. II. pagg.* 408. Elegans utique editio, et re vera ab ipso auctore passim limata atque aucta, velut in loco de argumento legis Juliae de adulteriis *IV.* 18. §. 51. ad quem illustrandum aureo *Jo. Guil. Hoffmanni* de hac lege Commentario nunc primum usus est. Quas ultimae recognitionis dotes ipse auctor litteris ad typographum Hal. d. XXIV. Nov. 1740. datis et Praefationi ejusdem typographi insertis celebravit, non dissimulata spe, fore, ut Basileensia exempla Argentoratensibus praestare intelligantur. 7) *Ultrajecti impensis Broedeleti* 1745. 8. *P. I. II.* *) Si vera sunt, quae editor Genevensis (num. 9.) de hac editione adfirmat, fundus ei non Basileensis, sed Argentoratensis recognitio fuit, praefatio autem, redemtoris nomine praemissa, auctorem habuit *Cotium* quemdam, juris utriusque Doctorem. Hinc ad irritum redacta spes novarum adcessionum ex ipsius *Heineccii* calamo in hanc editionem redundaturarum, quam fecerant *die Hamburgischen Berichte von gelehrten Sachen* 1741. *num.* 99. *p.* 818. 8) in *Operum omnium* editione *Veneta*, cujus Tomi XVIII prodierunt apud Balcionios 1746. 12. **) *9) *Editio nona prioribus auctior multo et emendatior;* in *Operum ad universam jurisprudentiam etc. pertinentium Tomo IV. Genevae impensis hered. Cramer et fratr. Philibert* 1747. 4. *pagg.* 634. Non temere haec editio prioribus auctior multo in fronte dicitur: an et emendatior? contendere vix ausim; nam ut nonnullas labes in ea sublatas animadverti, tamen satis multas superesse idem intellexi. De adcessionibus audiamus editorem ipsum (quem vulgo putant esse *Jo. Lud. Uhlium*) in Praefatione ita scribentem: „*Non solum divus auctor multa in editione Basileensi addiderat, quam anxie sumus sequuti; verum adjectae quoque sunt adnotationes ineditae hacte-*

*) Fide *Catalogorum* tum *Sam.* et *Jo. Luchtmans p.* 134. tum *B. Wild* et *J. Altheer p.* 195. *sq.* in primis vero Praefationis praemissae editioni Genevensi anni 1747. hanc editionem retuli.

**) Sequutus sum *Frid. Adph. Ebertum im Allgem. Bibliographischen Lexicon T. I. p.* 747. cujus auctoritas potior esse debet *Jo. Christ. Glieb. Heineccii,* filii, testimonio, in *Indice scriptorum paternorum sub fin.* annum 1743. exhibente.

nus, ab auctore in lectionibus palatinis cum auditorium corona splendida communicatae. Earum copiam gratiosissime fecit paternarum virtutum ac doctrinae heres dignissimus, vir illustris, Jo. Christ. Gottl. Heineccius, Potentiss. Boruss. Regis a consil. aul. et in Academia equestri Lignicensi Antecessor primarius, qui exemplum quoque, in quo falsae adlegationes maximam partem erant emendatae, usibus nostris concessit. Novas adcessiones uncinulis [ ] inclusimus, quas adeo singulis paginis facili invenire poteris opera; si de fide nostra dubites." Nonnulla tamen ex his, quae huic editioni adcesserunt, non possunt esse ab *Heineccii* manu profecta, aut ex ejus praelectionibus excepta, sed editorem, sive *Uhlius* ille fuerit, sive *Heineccius* filius, auctorem habuerint, necesse est*); ut, quae ad *I.* 25. §. 19. e nova Brissoniani operis de V. S. editione, aut ad *Adpend. Lib. I.* §. 23. de *Franc. Car. Conradii* Dissertatione adferuntur. *10) *Editio nova, ab auctore ipso paulo ante obitum revisa etc.* (ut num. 6.) *Basileae, excudebat Emanuel Thurneisen*, 1752. 8. *P. I. pagg.* 574. *P. II. pagg.* 408. Editio ei, quam num. 6. descripsimus, prorsus gemina, servato adeo Erratorum indice, ad calcem prioris Basileensis obvio. *11) *Editio nova prioribus emendatior et locupletatior. Argentorati sumtibus Jo. Danielis Dulseckeri* 1755. 8. *P. I. pagg.* 576. *P. II. pagg.* 408. In fine libri haec leguntur: *Lipsiae impressit Frid. Gotth. Jacobaeer.* Editio memoratu digna propter notulas nonnullas primum adspersas**), quae deinde in edd. aliquot recentiores (num. 15. et 16.) transierunt. Cujus sint, expiscari nondum potui. Videntur tamen esse ex aliquo eorum exemplorum depromtae, quae *Heineccius* ipse futurae editioni recognitae paraverat. Ceterum fundamento fuit ed. Basileensis, cujus etiam errores, velut *IV.* 18. §. 17. ineptissimum illum hiatum post verba: *„absente reo fieri poterat,"* fideliter retinuit. 12) in *Operum omnium* editione *Neapolitana*, cujus Tomi XII a. 1759. 4. typis sunt descripti. 13) in *eorumdem Operum* repetita editione *Veneta*, Tomis XVIII comprehensa, quae lucem vidit 1761. 12. (Cf. num. 8.) 14) in *Operum ad universam jurisprudentiam etc. pertinentium* iterata, vel potius, si gravissimum rei litterariae

---

*) Quod ipsum confirmare videtur *Dav. Ruhnkenius* in *litteris ad Jo. Dan. Ritterum datis*; in *Gust. Hugonis Civil. Magaz. Tom. V. num.* 13. *p.* 356.

**) En indicem earum: ad *Adp. Libri I.* §. 45. *not. r.* §. 60. *not. u.* §. 68. *not d.* §. 70. *not. e.* §. 124. *not. e.* §. 139. *not. m. n.* ad *IV.* 6. §. 11. *not. g. sub fin.* a verbis: *„Generatim tamen etc."* §. 12. *not. i.* denique ad *IV.* 18. §. 52. *not. o.*

arbitrum, *Chph. Saxium* *), audimus, posterioris temporis indicem mentita **) editione Genevensi, cujus *Tomus IV.* nostrum librum continens, (ut num. 9.) prodiit 1768. 4. * 15) *Editio nova prioribus emendatior et locupletatior. Francofurti ad Moenum sumtibus Henr. Ludov. Broenner* 1771. 8. *P. I. pagg.* 576. *P. II. pagg.* 408. Plane expressa ad Argentoratensem novissimam (num. 11.) cujus adeo paginis singulae Francofurtensis editionis paginae respondent, sicut omnis forma externa. * 16) *Editio quinta prioribus auctior multo atque emendatior, notis in primis et animadversionibus, quas Cl. in Belgica Antecessor addidit. Leovardiae et Franequerae apud H. A. de Chalmot et D. Romar.* 1777. 8. *pagg.* 712. quae per indicem rerum et verborum adjectum continuatae sunt usque ad numerum 750. Descripta esse videtur non tam ad alterutrum Basileensium exemplorum, quam ad novissimum Argentoratense (num. 11.), cujus etiam additamenta habet, sed et naevos omnes. Cur igitur *quinta* in titulo numeretur, fateor me nescire. Abest propria praefatio; repetita tantum utraque Heineccianа. Quae nova adcesserunt, subsistunt partim in imagine Heineccii aeri insculpta satis nitida, cum elogio ab *Abr. Wielingio* adfabre concinnato, quod, quoniam haec editio non in omnium manibus versatur, adscribere placet:

Ora vides facunda viri, cui tota vetustas
Ausoniidumque patet Cecropidumque Themis!
Halae quem reducem sistens dea: suscipe, dixit,
Et cedet meritis Berytos alta tuis;

partim in notis plerumque tumultuariis *Herm. Cannegieteri*, Antecessoris Franequerani, quem sub nomine *Cl. in Belgica Antecessoris* latere, collatis hujus Jurisconsulti *Observationibus juris Romani*, quarum frequens est in notis Batavae editionis mentio, nemo dubitabit ***). Intermixtae sunt hae notae Heineccianis adeo, ut cum his continuo numerentur, quo factum, ut plane alia notarum in hac, quam in prioribus editionibus, series exstiterit, sola sigla *H.* iis notis, quae *Heineccium* ipsum auctorem habent, adscripta, sed interdum temere, ut ad *I.* 6. §. 13. ubi notae *y.* quae incipit: „*De manumissione, quae testamento fiebat*" *etc.* perperam adjecta est littera

*) *Onomastici litterarii P. VI. p.* 270.

**) Quod mendacii genus procul dubio convenit etiam in Venetam editionem Operum, quam num. 13. recensui.

***) Idem aliunde probavit *Saxius Onomast. litter. P. VIII. p.* 66.

H. quum tamen sit *Cannegieteri.* Neque novis mendis caret haec editio, velut in *Adpend. Lib. I.* §. 54. in cujus initio post: „*populus jubebatur,*" exciderunt plura verba: „*armatus adesse in campo Martio, ubi lustrabatur.*" Ceterum, quod mirum videri possit, serius editionis Batavae fama propagata est ad Germanos, quamquam ejus notitiam sibi comparare poterant e *Saxii* opere paulo ante laudato. 17) Seorsim *T. I. II. Venet.* 1796. 12. nec non 18) *totidem Tomis ibid.* 1797. 12. cujus tamen rei fides sit penes *Terresios,* librarios Neapolitanos *). Atque haec de superioribus libri Heineciani editionibus dicta sufficiant.

Jam, quid in hac novissima praestare intenderim, paucis est exponendum. Quum igitur ab opere tantae auctoritatis et vero etiam utilitatis plane reformando jam ea de caussa abhorruerim, quod lectio libri Heinecciani optima merito habetur summatim cognoscendae jurisprudentiae historicae, qualem heroes aetatis praeteritae, Noodtii, Schultingii, Bynkershoekii, edolaverant, disciplina, hac vero carere nequeunt, qui progressuum, quos eadem ars postmodum fecit, fructum idoneum capere cupiunt; ne de ceteris impedimentis nunc dicam, quae tali consilio sese fuissent objectura: prima *Heineccii* denuo edendi lex haec esse debuit, ut sollicite circumspicerem atque conquirerem ea, quae melioris notae editionibus reapse jam inessent, sive ab ipso *Heineccio,* sive ab aliis viris doctis essent collata. Quare praeter editionem Basileensem anni 1742. (num. 6.), cui tamquam fundamento nostrum aedificium fuit imponendum, adhibendas curavi tres alias editiones primarias, quarum quaeque aliquid in se contineret, quod ad ornandum Heineccium valeret: Genevensem anni 1747. (num. 9.), cujus singulas adcessiones, aut eodem, quo in prototypo obveniunt, signo [ ] inclusas, aut, quoad integris animadversionibus constant, duplicata littera insignitas, recepi; Argentoratensem anni 1755. (num. 11.) cujus notulas addititias retinui; Batavam denique anni 1777. (num. 16.) e qua, quae *Herm. Cannegieterus* adnotavit, in imam cujusque paginae oram, dimidiatis columnis et praemissis numeris, rejeci. Proxima cura fuit, ut et contextus et notae quam emendatissime fieri posset exhiberentur, summaque cum diligentia typis describerentur.

---

*) *Catalogo I. di libri vendibili presso i Fratelli Terres* (*Napoli* 1802. 8.) *p.* 222.

In utriusque negotii societatem vocavi Virum Clarissimum deque litteris et academica non minus quam scholastica institutione egregie meritum, *Jo. Gotth. Car. Rosium*, Philosophiae Doctorem et Scholae Nicolaitanae, quae Lipsiae floret, Collegam, cujus incredibilem in hoc genere sollertiam atque summam industriam jam per aliam opportunitatem, quum Manuali Basilicorum a me vulgato praefandum esset, memini a me publice celebrari. Quumque operae scriptori nostro hactenus impendendae duplex esset ratio: altera, quae in ipsius contextus et notarum eumdem respicientium dispunctione adcurata versaretur; altera eaque longe molestior, quae, si non omnia, pleraque tamen auctorum in primis veterum et aliorum antiquitatis monumentorum testimonia ab *Heineccio* adlata denuo sub incudem vocaret, et tralatitios errores in iis laudandis commissos emendare studeret: neutram quidem defugit Viri Clarissimi propensus ad juvandas litteras animus, sed paene totus in eo adlaboravit, ut singula loca in suis sedibus quaereret, vitia innumera, quibus adlegationes in libro nostro obviae, sive ut primum e calamo auctoris prodierunt, corruptae, sive, quoties repeterentur, deformatae fuerant, tolleret, meliores lectiones scriptoribus veteribus a nostro in auxilium vocatis, praestantiorum, quibus hodierna aetas abundat, editionum ope restitueret, et, quantum fieri posset, capitum cujusque libri mentionem e recentioribus exemplis suppleret. Quo sane nomine me Viro Optimo tanto magis devinctum esse profiteor, quo minus dici potest, quantum taedii atque incommodi ipsi fuerit in hac re utcumque perficienda devorandum, quoque certius confido, fore, ut, si quid boni huic novae editioni inesse statuerint ii, quibus est judicandi de ea facultas, id praecipue acceptum ferant inexhaustae diligentiae Viri Clarissimi, quem etsi in ea negotii parte administranda non prorsus deserui, tamen non possum quin ejus sequestrem, sine cujus auxilio parum aut nihil profecisset opera a me ipso in *Heineccium* impensa, grata mente adgnoscam. Nec minor *Rosii* fuit in singulis plagulis, dum typis exscriberentur, emendandis cura et vigilantia, quae et ipsa plus attulit molestiae eo, quod opus non Lipsiae, sed Francofurti in officina redemtoris nobilissima prelo est subjectum; magno libri, quod habitum externum attinet, commodo, minori, quantum ad errores typographicos, a quibus ob locorum distantiam, omni quamvis circumspectione adhibita, non semper caveri potuit. Sed ut etiam de ipsius contextus ac no-

tarum ei additarum formula aliquid adjiciam, fateor, nobis in ea castiganda plurimum profuisse variarum editionum, in primis duarum priorum, institutam comparationem, qua quid effectum sit, lubet exemplis aliquot declarare. Sic omnes, quotquot inspeximus, editiones, si a duabus prioribus, quae fere semper eximendae sunt, discesseris, in *Adpend. Libri I.* §. 109. habent *auditores* pro *adjutores*, quod recte legitur in ed. I. et II. *Ibid.* §. 131. ab omnibus abest particula *quod* post *Hadrianus Imperator;* secus in I. et II. *Lib. II. tit.* III. §. 4. *fin.* ante locum *Obss.* laudatum desideratur *Cujacii* nomen in omnibus, nisi in ed. I. II. et Genevensi. *Lib. IV. tit. VI.* §. 7. post *Triumviris* ex ed. II. addidimus *Quaestoribus. Lib. IV. tit. XV.* §. 2. post *interdictum dabat* in omnibus, exceptis duabus prioribus, exsulat testimonium *Sigonii de judic. I.* 16. quo tanto minus h. l. carere possumus, quum alioquin otiosa foret ejusdem testimonii repetitio *sub fin.* §. 4. *ejusd. tit.* obvia. *Ibid.* §. 5. edd. I. et II. rectius habent *recuperatores* numero plurali, quod et recepimus. In primis vero *Lib. IV. tit. XVIII.* §. 17. per supinam omnium editorum sequiorum negligentiam exciderunt verba plane necessaria: „*Erant vero, qui adcusare non poterant*," expressa in edd. I. II. et Genevensi. Denique *ibid.* §. 18. nescio quo pacto edd. a Basileensi omnes, ne Genevensi quidem excepta, *Q. Caecilio*, contra quem *Cicero* in *Divin. in Verr.* disputavit, adgnomen adfinxerint *Judaei*, quod cum *Nigri* adpellatione commutavimus.

Potuisset opera nostra citra reprehensionis metum in his negotiis satis laboriosis subsistere. Sed non recusavimus e nostra penu adjicere nonnulla, a quibus speravimus libro majorem commendationem esse adcessuram. Intelligo insititia, quae modo contextui adspersa sunt, his signis [*] inclusa, modo singularum notarum, numeratarum quidem exemplo earum, quae sunt *Cannegieteri*, sed praefixa stellula ab his segregatarum, speciem prae se ferunt, et passim ab auctore editoribusve anterioribus dicta vel emendant, vel magis illustrant aut confirmant: in quo quidem genere non inferiores fuerunt Clarissimi *Rosii* curae mea industria. Reliqua, quae in calcem rejeci, nempe *Argumentum singulorum titulorum ablegationibus ad Gajum etc. distinctum*, idemque in locum vagi *Indicis titulorum et materiarum, quae in illis tractantur*, qualem exhibebant superiores edd., subrogatum, nec non *Epicrisis operis universi Heinecciani*, me solum auctorem habent. Atque *illo* quidem adsequi volui

hoc, ut pateret, tum, quae antiquitatis monumenta *Heineccio* non visa, aut certe ab eo minus adcurate inspecta hodie in promtu sint ad varios juris Romani articulos vel investigandos, vel rectius interpretandos, quo in numero me sane oportuit *Gaji Commentarios*, gloriam seculi nostri, ad singulas fere §§. laudare; tum, quid pro hac clariori jurisprudentiae historicae luce de singulis locis nunc sit statuendum; qua quidem negotii parte, quum et brevitati esset consulendum, et, ne quid deesset, providendum, optime me defuncturum existimavi, si ubique ad ejus libri auctoritatem provocarem, qui procul dubio facem huic litterarum generi nostris diebus praetulit, puta, ad *Hugonis*, Viri de his studiis immortaliter meriti, de juris Romani historia opus incomparabile. Quid autem *Epicrisi* adjicienda intenderim, in ipso ejus exordio satis puto me indigitasse.

Superest, ut de notarum forma externa nonnulla praemoneam. Quae *litteris* sunt insignitae singulisque §§. subditae, omnes sunt *Heineccii*, eaeque vel vivo Nostro publici juris factae, vel postumae, quod posterius genus duplicatarum litterarum indicio a reliquis separavi. Quae *numeris* distinctae sunt, vel *Cannegietero*, ut dixi, debentur, vel nunc primum *Heineccium* oneraverunt. An vero tum hae, tum reliquae adcessiones simul ornaverint librum, penes lectores esto arbitrium, quorum commodis ut nova editione reapse sit prospectum, enixe opto.

Scripsi Nundinis vernalibus Lipsiensibus A. C. CIↃIↃCCCXXII.

EPICRISIS,

QUAM OPERI HEINECCIANO ADDIDERAT HAUBOLDUS, EXORDIUM.

Quod ablegationibus ad *Gajum* aliaque antiquitatis monumenta, tum vero etiam ad *Gust. Hugonis*, Viri laude mea majoris, Historiam juris Romani, quibus *Argumentum operis* distinxi, pro parte efficere conatus sum, ut novissima haec libri utilissimi editio ei luci respondeat, in qua jus Romanum nostra aetate quum maxime versatur, id nunc paulo plenius praestabo adjiciendo corollaria nonnulla, quae tirones potissimum (nam fateor me horum unice gratia suscepisse, quidquid laboris in negotio minime grato fuit devorandum) admoneant, quibus in locis vel Heineccius humani quid passus sit, vel recentiorum scriptorum doctrina ac diligentia seculum Heineccianum superaverit, vel ipsa temporum felicitas nova et inexspectata praesidia attulerit. In qua re id mearum partium esse intellexi, ut de libri Heinecciani consilio et formula quaedam universe praemonerem, ante quam ad singulorum capitum censuram progrederer.

Ipse *Heineccius* quid Antiquitatibus Romanis jurisprudentiam illustrantibus divulgandis intenderit, quibusque praesidiis adhibitis hoc opus pulcherrimum perfecerit, in Praefatione principis editionis luculenter exposuit. Natum enim opus e praelectionibus ab Antecessore celeberrimo ad singulos Institutionum titulos habitis, quibus Auctor, quae ex antiquitatibus ad cujusque loci intellectum conducere videbantur, adnotavit, mediam semper viam tenuit inter justum antiquitatum Romanarum corpus et commentarium ad Institutiones Justinianeas scriptum, quarum seriem non tam deseruit, quam supplevit subjuncta Libro I. Adpendice, ad eas personarum divisiones spectante, quas Justinianus sicco pede praeteriit, et, ut nunc compertum habemus, ipse adeo Gajus tantum obiter attigit. Hinc factum est, ut multae res in Nostri opere frustra quaerantur,

quae totae pendent ex adcurata antiquitatis cognitione, neque omnino a Jurisconsultis debent ignorari, veluti loci de ingenio et moribus populi, de magistratibus et sacerdotibus singulis, de disciplina publica, de pecuniae, mensurarum et ponderum ratione, de re agraria et rustica, de reliqua re quaestuaria, de variis artificum atque opificum collegiis, de nominum consuetudine, de rei domesticae administratione, et quae sunt alia ejusdem generis infinita. Neque tamen in eo adquievit Auctoris diligentia, ut ex antiquitatibus solis, quasi ex adventitio instrumento, illustraret singulos juris articulos, sed etiam eorumdem originem ipsam et vicissitudines, quoties pro argumenti natura et monumentorum superstitum conditione, tum vero etiam pro Institutionum Justinianearum methodo, a qua neque hic divelli se passus est *), licuit, investigavit: unde, ex quo hoc studiorum genus optimo successu coepit cum externa, quam vocant, juris Romani historia conjungi, a praestantissimis quibusque recentioris hujus formulae auctoribus, et *Hugone* maxime **), ejusdem antesignano, liber Heineccianus ut in primis fructuosus ad internam juris civilis historiam uberius cognoscendam suevit commendari ***).

Fontibus Heineccius usus est iis, qui suo tempore exstarent, satis diligenter, sed ita, ut quum pro more aevi sui antiquiora et

*) Hinc v. c. de adpellationibus ad IV. 7, 13. nihil dicere voluit, quod Institutiones nullam earum mentionem fecissent. Magna hactenus *Heinecciano* libro intercedit similitudo cum *Ev. Ottonis Commentario ad Institutiones*, qui vivo *Heineccio* primum lucem adspexit *Traj. ad Rh.* 1729. 4. repetitus postea *Frf. et Lips.* 1743. 4. nec non *Basil.* 1760. 4. quique et ipse juris Romani origines et progressus ad seriem Institutionum diligenter enotat. Neuter tamen scriptor, quod sciam, operis alterius in suo rationem habuit.

**) *Lehrbuch der Geschichte des Römischen Rechts bis auf Justinian p.* 34. *sq.* (*ed. XI.*)

***) Alia virorum doctorum de libro nostro judicia, ut commentarios litterarios nunc taceam, reperias in *Jo. Aug. Ernesti Prol. qua demonstratur, majus utiliusque esse latinos auctores intelligere, quam probabiliter latine scribere* (*Lips.* 1738. 4.); *Opuscc. varii argumenti* (*Lips.* 1794. 8.) *p.* 321. in *Jo. Henr. Christ. de Selchow Praef. praem. Elementis Antiquitatum juris Romani publici et privati* (*Gott.* 1757. 8.) et repetita in ed. altera, quae prodiit ib. 1778. 8. sub titulo *Elementorum juris Antejustinianei;* in *Car. Ferd. Hommelii Litteratura juris Lib. I. c.* 2. *p.* 49. *sq. ed. I.* (*Lips.* 1761. 8.) et *Lib. I. c.* 3. *p.* 44. *sq. ed. II.* (*ib.* 1779. 8.) in *Millelot Reflexions sur l'enseignement du droit;* (*Thémis, ou Bibliothèque du Jurisconsulte T. III.* (*Paris* 1821. 8.) *p.* 82.) et in *N. Falck Juristische Encyclopädie* (*Kiel* 1821. 8.) §. 141. *nota* 9. *p.* 283. in quibus tamen

obsoleta magis sectaretur, quam rei Romanae per ultima secula conditionem, Codicisque Theodosiani et Novellarum Antejustinianearum rationem minus haberet, quam vetustiorum monumentorum. In interpretandis his quantivis pretii reliquiis rarius suo genio indulsit Noster; plerumque aliorum, quos duces elegerat, sententiam sequutus. Interdum minus idoneis singulorum testimoniorum lectionibus in varios errores abductus est bonus Heineccius, cujus quippe aetas adhuc careret praestantiorum, quibus hodie gaudemus, editionum adfluentia. Quid? quod identidem non ipse oculis usurpasse videtur haec testimonia *), sed aliorum fide ea retulisse. Praeterea meminisse oportet, et quam ingens post *Heineccii* tempora litterarum, quae ab humanitate nomen ducunt, quum universarum, tum earum, quae in veteribus scriptoribus probabiliter tractandis atque interpretandis versantur, contigerit emendatio, et quam laetus supervenerit fontium praestantissimorum, qui majores nostros plane latuerant, proventus, e quo jam unus *Gajus* tot nobis reclusit antiqui juris thesauros, quot vix cetera, quae superiori quoque aevo patuerunt, monumenta capere videntur.

In rebus ipsis describendis atque explicandis usus est Noster passim integris virorum doctorum, quorum se auctoritati mancipasset, verbis, Sigonii maxime; Spanhemii atque Schultingii; praeter quos hausit ut plurimum e lautis Budaei, Alciati, P. Manutii, Panvinii, Balduini, Augustini, F. Hotomani, Charondae, Cujacii, Contii, Brissonii, Lipsii, P. Pithoei, P. Fabri, Raevardi, Panciroli, Rittershusii, Siccamae, Breti, Heraldi, Salmasii, Merillii, Grotii, J. Gothofredi, Menagii, Galvani, Brummeri, Huberorum, Noodtii, Perizonii, Bynkershoekii, Reinoldi, Averanii, Gundlingii, aliorum opibus: in quo numero aegre requirimus Merulae, N. Antonii et Ferratii nomina, quamvis omnia Heineccii aetate superiora. Substitit tamen Auctoris diligentia fere in iis scriptis, quae usque ad

---

Selchovii et *Hommelii* censuras justo iniquiores esse nemo non concedet, qui meminerit, primam librorum ejus generis, ex quo est Heineccianus noster, virtutem requiri perspicuitatem et concinnitatem, in quibus necdum quisquam *Heineccium* superavit.

*) Sic. v. c. *Plutarchi Praecepta reipublicae gerendae* in omnibus edd. IV. 6, 7. adferuntur, ut inde probetur, minores magistratus usos esse subselliis. In quo toto opusculo quum nihil inveniatur, quod huc revocari possit, ego (*pag.* 662.) substitui verum testem, *Asconium Pedianum ad Cic. Divin. c.* 15.

annum 1732. lumen vidissent; certe ego recentiorem Jo. Guil. Hoffmanno interpretem, ab eo commemoratum *), indagare nondum potui.

Quae quum ita sint, larga sane messis superfuerit necesse est novo operis Heinecciani editori, in qua tamen colligenda visum est hunc modum tenere, ut absoluto contextui Heinecciano brevia quaedam et tantum non tumultuaria subnecteremus parerga, eos, qui plura aut rectiora discere cupiunt, vel summatim edoctura, vel ad alia scripta plerumque aevo Heineccianò recentiora ablegatura; ne vel *Heineccius* (qui utique genuinus plurimum prodest ad cognoscendum disciplinae nostrae statum, quem optimi quique superioris aevi interpretes respexerunt) in Heineccio frustra quaereretur, vel liber notis frequentioribus aut prolixioribus novissimi Editoris oneratus in nimiam molem, quae vix emtores inventura esset, excresceret. Quae tamen finium, quibus meam qualemcumque opellam circumscripsi, angustia non obfuit, quo minus caverem, ne lectores carerent indice paulo pleniori observationum plane egregiarum, quibus ante Nostrum *M. Ant. Ferratius* **) rem maxime judiciariam, post illum *Car. Andr. Dukerus* in notis editioni Livii Drakenborchianae additis varia alia antiquitatis capita illustraverunt.

---

*) Sed vel hujus praeclara *Commentatio ad Legem Juliam de adulteriis* non statim in proximis, quae post annum 1732. prodierunt, editionibus Argentoratensibus annorum 1734. et 1741. sed primum in Basileensi postuma anni 1742. quaeque hanc sunt subsequutae, in auxilium est vocata.

**) Utinam ad manus esse potuissent etiam *Notae MSS. Dukeri in Ferratii Epistolarum Libros III. priores, Patavii* 1699. 8. primum editos, quae olim Dorvillianam Bibliothecam ornaverunt, nunc in Bodleiana Oxonii adservantur, teste *Catalogo codicum MSS. et impressorum cum notis manuscriptis olim Dorvillianorum, nunc Bibliothecae Bodleianae* (*Oxonii e typographeo Clarendoniano* 1806. 4.) *pag.* 81. *num.* 13.

PRAEFATIO

PRIORI EDITIONI PRAEMISSA.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JO. GOTTL. HEINECCIUS

JC.

Quantum utilitatis in jurisprudentia nostra antiquitatum Romanarum adferat notitia, nemo, nisi qui numquam est hisce sacris initiatus, ignorat. Equidem jam eo tempore, quo adhuc florebant res Romanae, vix quisquam praeclarum Jureconsulti nomen tueri videbatur, qui erat ab hoc insigni praestantissimoque praesidio destitutus. *Plurima erat, teste* CICERONE [a]), *in omni jure civili antiquitatis effigies, et prisca verborum vetustas, et actionum genera quaedam, quae majorum consuetudinem vitamque declarabant.* Haec vero omnia quis quaeso intelligat, nisi qui interiorem sibi antiquitatis scientiam comparaverit? Hinc in maxima plerumque ac praecipua veterum Jureconsultorum laude ponebatur accuratior antiquitatum notitia; PLINIUS [b]), ARISTONEM Jureconsultum laudaturus, nihil in eo magis, quam illam prisci moris peritiam admiratur. *Quam peritus,* inquit, *ille et privati juris et publici? Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum* ANTIQUITATIS *tenet? Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, instar thesauri est.* Idem reconditarum litterarum praesidium etiam

---

a) CIC. *de Orat. I.* 43.
b) PLIN. *Epist. I.* 22.

in ANTISTIO LABEONE celebrat GELLIUS c), ex quo discimus, *nihil eum ratum pensumque habuisse, nisi quod justum sanctumque esse, in Romanis* ANTIQUITATIBUS *legisset.* Quum ergo jam ii Jureconsulti, qui florentem viderant rempublicam, hoc praesidio carere haud posse viderentur: quid de nostris dicamus temporibus, quibus ita exstincta est Romana respublica, nullum ut exstet, nisi in hominum memoria, veteris illius formae vestigium? Aliae hodie sunt consuetudines, alia religio, alii magistratus, alia judicia, alia denique imperiorum et rerumpublicarum facies. Et tamen peregrinis adstricti legibus vivimus, easque interpretari et obvenientibus hodie negotiis adplicare jubemur. Quis hoc praestiterit, nisi qui impressam animo circumferat veteris illius Romanae reipublicae effigiem, et, ut JUSTINIANUS d) alicubi monet, *nihil* ANTIQUITATIS *penitus ignoret?*

Equidem si cui hoc dubium videbitur, eum ego ad Glossatores remittam, ad illud, inquam, hominum genus, cui, exstincto litterarum lumine, tantum statuebatur pretii, ut quasi Atlantis humeris coelum, ita eorum auctoritate jurisprudentiae dignitas videretur sustineri. Quid enim aliud eminentissima illa ingenia in tot ridiculos ac paene pueriles errores abripuit, quam antiquitatum Romanarum omnisque politioris litteraturae ignorantia? Fieri enim profecto haud poterat, *quin homines, ejus reipublicae ignari, cujus leges et jura tractabant, tamquam illuni nocte sine lumine oberrantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quovis potius, quam quo instituerant, pervenirent,* ut eleganter ait M. ANTONIUS MURETUS e). Non pudebat ergo tum legi *Fusiae Caniniae* a *canina* invidia f); legi *Hortensiae* a nescio quo *Rege Hortensio* g); *calatis Comitiis* a Graeco καλὸς h); quartae *Falci-*

c) GELL. *Noct. Att. XIII.* 12.

d) §. 1. *Inst. de Testam. ordin.*

e) MURET. *Part. I. Orat. XVII.*

f) Glossa *ad princ. Inst. de Lege Fus. Can. toll. edit. antiquiss. ex seculo XV.* „*Quam legem Fusiam Caniniam forte a quodam, qui Caninius nominabatur, inductam; ut in Publiciana dicitur infr. de Actionibus* §. *Aliae. Nam canis servabat naturam, qui stat in palea, qui nec sibi potest habere paleam, nec alii permittit accipere. Sic nec sibi poterat tenere servos, quod moriebatur; nec libertatem patiebatur iis dari. Unde merito caninia dicitur, ut sit consequens nomen rei.*"

g) Glossa *ad* §. 4. *Inst. de Jure nat. gent. et civ.* „*Sed hoc sublatum est per legem, latam ab Hortensio Rege.*"

h) Glossa *ad* §. 1. *Inst. de Testam. ord.* „*Calatis, id est, bonis initiis vel conventibus,* καλὸς *enim bonum interpretatur.*"

diae a *defalcando* i), et libertis *orcinis* a nescio quo Graeco *orcos*, quod *rectum* significet k), nomina arcessere. Neque religio tum erat, ea quae de antiqua in jus vocatione in jure Romano repererant, ad hodiernam citationem; et quae de albis Praetorum legerant, ad edicta judicum nostrorum referre. Quin, ne quid deesset ineptiarum, ex veteribus istis Praesidibus et Praefectis Praetorio Imperii nostri Principes atque Electores derivare haud dubitabant. Quas ridiculas interpretationes ex crassa antiquitatum Romanarum interiorisque litteraturae ignorantia subnatas quum posteri, nugis istis tamquam glebae adscripti, tantum non consecrarent; tantus sensim succrevit errorum gravissimorum proventus, ut exstirpando huic luxurianti lolio ne eminentissimorum quidem Jureconsultorum sufficeret diligentia.

Enimvero, condonandum id forsan fuerit magis illis, qui tam infelici seculo adoleverant, ingeniis. Illud vix ferendum, quod in felici illa temporum reparatione, quum ubique ferverent elegantiorum litterarum studia, non deessent, qui in illa glossatorum barbarie quaererent delicias, frugeque reperta, glande tamen vesci mallent. Nemo ignorat, quantum in jurisprudentia repurganda illustrandaque desudaverint praestantissima superiorum temporum ingenia, ALCIATI, BUDAEI, CUJACII, BALDUINI, HOTOMANI, CHARONDAE, CONTII, BRISSONII, FABRI, AUGUSTINI, GIPHANII, PITHOEI, RAEVARDI, RITTERSHUSII, qui omnes cum juris peritia admirabilem quamdam atque inusitatam antiquitatis notitiam conjunxerant: sed eorum tamen labores adeo sorduerunt plerisque, ut vir quidam doctissimus, qui Balduini opera conjunctim edere instituerat, non reperiret, qui sumtus facere sustineret. Si qui etiam, eorum excitati exemplo, eamdem docendi rationem sequerentur in academiis, iis publico expositis odio, barbaroque *Humanistarum* nomine traductis, tantum non aqua et igni interdicebatur l). Certatim ergo tum juvenes in Italiam, tamquam ad jurisprudentiae mercatum quemdam conflue-

---

i) Glossa *ad princ. Inst. de Lege Falcid. „Falcidia sic dicta, quod ut falx foenum, sic et lex legata resecat.“*

k) Glossa *ad* §. 2. *Inst. de Sing. reb. per fideicomm. rel. „Orcinus sic dictus ab orco, quod est rectum, unde orcinus, id est, directe manumissus, vel ab orco, id est, capio.“*

l) Exemplum est in MELCH. VON OSSEN Testamento *Part. II. cap.* 8. §. 2. *p.* 385. et §. 14. *p.* 403.

bant, audituri ibi Jureconsultos *magistraliter*, si Deo placet, docentes [m]), et redituri inde rabulae haud postremi, confidentes, aeres, contentiosi, et quod palmarium tum videbatur, multarum legum sibi non intellectarum principia uno spiritu citare gnarissimi.

Verum suppuduit demum Jureconsultos tantae barbariei, Deusque hanc eis mentem dedit, ut cum illo legum studio praeter accuratiorem ratiocinandi artem aliaque praesidia, etiam antiquitatum in primis Romanarum peritiam conjungerent. Viderunt postrema haec secula Jureconsultos humanissimos, MERILLIOS, GROTIOS, GOTHOFREDOS, AVERANIOS, VINNIOS, FREHEROS, HERALDOS, OISELIOS, BRUMMEROS, MENAGIOS, HUBEROS, SPANHEMIOS, BYNKERSHOEKIOS, NOODTIOS, SCHULTINGIOS, qui nihil fecerunt reliqui, ut legibus ex ipsa status Romani veterumque rituum contemplatione lucem suffunderent. Sed plerique tamen dumtaxat singularia quaedam juris nostri capita illustranda susceperunt, nemoque adhuc, quantum memini, exstitit, qui per omnes juris partes eundo hoc antiquitatis iter, ut CICERO [n]) vocat, confecerit. Equidem JACOBUM GOTHOFREDUM justum antiquitatum juridicarum corpus meditatum esse, auctor est MORHOFIUS [o]), id quod, si vidisset lucem, tamquam Phidiae aliquod signum omnium procul dubio cordatiorum admirationem meruisset. Verum inviderunt nobis fata tam luculentum opus, neque quisquam adhuc in tanti viri labores successit.

Quum vero et ego, quantum utilitatis haec antiquitatum notitia juris Romani cultoribus adferat, experiundo didicissem, et olim ita ferente studiorum meorum ratione, in pervolvendis melioris aetatis auctoribus indagandisque antiquitatibus haud parum insumsissem operae: facile a me impetravi, ut hac re cupidae legum juventutis studia pro virili mea parte juvare adniterer. Eo consilio superiore aestate in publicis, quas indixeram, praelectionibus ad singulos Institutionum titulos ea explicavi, quae ex antiquitatibus ad intelligendam illam juris materiam observanda videbantur. Quum vero, auditorum memoriae consulturus, brevissimis, quantum licebat, positionibus omnia conclusissem: dignae illae quibusdam visae sunt, quas revocarem sub limam, et publicae luci exponerem. Et inde

m) Magistralem hanc docendi methodum luculenter ex *Panciroli de clar. leg. interprr. II. 6. exponit* THOMAS. *ad Melch. de Ossen Testam. p.* 398.

n) CIC. *de Orat. I.* 60.

o) MORHOF. *Polyhist. Tom. III. Lib. VI. Sect. III.* §. 11. *p.* 83.

subnatum mihi est hoc antiquitatum Romanarum, quod nunc publici juris facio, syntagma, interioris jurisprudentiae studiosis non ingratum, ut spero, futurum. Equidem et in antiquitatum studio suavis nonnumquam latet insania. Non desunt hodienum Damasippi illius similes, de quo HORATIUS [p]):

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.

Non desunt, qui Protei baculum, aut Epicteti fictilem lucernam talentis coemerent, dummodo essent qui decipere vellent. Sed hos ego homines suaviter rideo, et si recte ab HENR. STEPHANO [q]) observatum, Graecos olim simplices homines ἀρχαίους et ἀρχαϊκοὺς; stultos vero κρόνους, κρονίους, κρονολήρους, et βεκκεσελήνους vocasse: nulli mihi magis hoc nomen mereri videntur, quam qui antiquitatis quisquilias auro mercantur. Numquam mihi placuit antiquitatis studium, nisi quod sublimioribus scientiis lumen praeferret. Non ergo vulgaria ac trita hic quaeres, non λεπτολογίας illas, quas plerumque in antiquitatum scriptoribus rident, quotquot sunt cordatiores eruditi. Non hic de veterum calceis, non de eorumdem tricliniis, epulis, januis, ludis, hastis, tibiis, coronis, larvis, thermis, torquibus, lucernis agitur: (cui enim non dictus Hylas?) sed de iis, quae ad statum reipublicae Romanae, ad legum origines et rationes, ad ritus, formulas, et sollemnia populi Romani verba, ipsumque veterum judiciorum ordinem pertinent, sine quibus intelligi haud possunt leges Romanorum. In consilium ubique adhibui auctores praestantissimos, quos omnes ipse evolvi, et, quantum licuit, bona fide citavi. In prioribus titulis multum me fateor profecisse ex illustris THOMASII dissertationibus, quibus Institutiones illustrare coepit [r]), quae si omnes vidissent lucem, supersedere potuissem hisce lucubrationibus. Multum quoque adjumenti mihi attulerunt aeterna CUJACII, HOTOMANORUM, BRISSONII, BALDUINI, PET. FABRI, BRUMMERI, M. VERTRANII MAURI, SIGONII, SALMASII, JO. FRID. GRONOVII, EZECH. SPANHEMII, MENAGII, NOODTII, BYNKERSHOEKII, PERIZONII, HUBERORUM, BURMANNI, SCHULTINGII, aliorumque doctissimorum virorum opera, quae diurna nocturnaque versavi manu. Legem tamen hanc ego mihimet

---

p) HORAT. *Sermon. II.* 3. *v.* 64.

q) HENR. STEPH. *Apolog. Herodot.*

r) *De usu practico Institutionum*, in quibus tamen adhuc non longius, quam ad *Lib. I. Tit. XII.* progressus est.

ipse dixi, ut semper ad fontes recurrerem: eaque re factum est, ut haud pauca observarem, quae aliis in mentem haud venisse arbitror. Quum vero in praelectionibus, quarum memini, publicis, ordinem Institutionum sequutus essem: nolui postea ab eodem recedere, sed eumdem in toto opusculo servandum existimavi, ea tamen lege, ut potiores, quae in Pandectis occurrunt, materias justo loco atque ordine insererem, multaque, quae in utrisque desiderantur, hinc inde supplerem. Sic quum verbi caussa distinctiones personarum omnes neque in Institutionibus, neque in latiore Digestorum opere explicatae sint: de illis adcuratissime egi in Adpendice Libri primi, ubi simul dedi operam, ut, quae a CAR. SIGONIO in libris *de antiquo jure civium Rom. Italiae et provinciarum*, ut et EZECH. SPANHEMIO in *Orbe Romano* paulo prolixius traduntur, tamquam in nucleo exhiberem. Eadem cura et divisionem illam *rerum mancipi* et *nec mancipi*, de qua altum est in jure nostro silentium, exposui *Libro II. Tit. I.* Multa quoque dicta invenies de jurisdictione et imperio, de ordine judiciorum, de feriis et dilationibus, de edendo, postulando, procuratoribus, de jure dotium, divortiis, aliisque juris capitibus, quae sicco pede in Institutionibus praetereunda putavit TRIBONIANUS. Ut paucis dicam, ita in hoc opere versatus sum, ut liceat mihi fructum uberrimum ad conscientiam meam referre. Illud unum doleo, inter concatenatos labores non licuisse mihi esse tam felici, ut paulo severiore lima menda omnia tollerem. Ea TU, LECTOR BENEVOLE, tantisper aequo animo feras, rogo, dum in calce posterioris partis indicem eorum, in quibus operae aberrarunt, confecero. Interim fruere his, et ANTIQUITATES GERMANICAS, quae ad illustrandum jus Germanicum hodiernum faciunt, et quas ego jam a plurimis annis perpolivi, eadem methodo expositas, brevi, si Deo visum fuerit, exspecta. VALE. Ex Academia Fridericiana ipsis KAL. SEPT. CIↃIↃCCXVIII.

Jo. Gottl. Heineccii JC.

PRAEFATIO NOVA.

LECTORI BENEVOLO

S. P.

Praeter ea, quae olim huic libello verbosius praefatus sum, jam quoque sunt, LECTOR, quae paucis te volo. Qua occasione ille mihi olim subitanea veluti opera natus sit, ex vetere praefatione, si memineris, didicisti. Fata tunc illi longe alia, quam quae expertus est, ominabar. Non dubitabam enim, quin, quum plerique alieno ab his studiis animo esse soleant, libellus non nisi meis, quibus illum destinaveram, auditoribus utilitatem aliquam adlaturus, adeoque extra academiae, in qua tunc publice docendi munere fungebar, Halensis pomoeria non multum consequuturus esset celebritatis. Enimvero aliter accidit, ac quidem existimaveram. Vix enim prelo exierat opusculum, quum et exteri in ephemeridibus publicis institutum meum probarent, et ipsum libellum commendarent unice. Fuerunt etiam, qui se eo non parum adjutos esse, litteris ad me datis, significarent. Fuerunt, qui illum in hac ac exteris academiis publice enarrarent, suisque illustrarent interpretationibus. Fuerunt denique, ut fit, qui in libellis et schedis suis, mea, vel suppresso auctoris nomine, exscriberent, vel cum honoris praefatione citarent, vel naevos quosdam, sive veros, sive sibi ita visos, candide indicarent; quibus ego me magis obstrictum fateor, quam illis, qui mihi laudes, quas non adgnosco, admetiri non dubitarunt. Inter haec omnia libelli exemplaria paucos intra annos distracta sunt, meque jam monet bibliopola, in quem, dissipato bibliopolio

novo, jus vendendi opusculum translatum est, ut, si quid in scriniis esset, quod addendum putem, id secum communicare non dubitem, ast ita tamen componam rationes, ut forma libri non multum immutetur. Statim ergo sub incudem illum revocavi, et nihil feci reliqui, ut multo concinnior emendatiorque prodiret in lucem. Quid praestiterim, paucis accipe. Naevos, qui vel operarum incuria vel culpa mea, quamvis levissima, priori editioni haeserunt, severissima cura sustuli; auctorum loca adcuratissime citavi: quaedam non satis firmata novis nunc testimoniis stabilivi: adjeci hinc inde observationes, quae deesse videbantur: quibusdam, de quibus amplius deliberandum censui, induxi lituram. Mutavi etiam nonnumquam sententiam, a nemine monitus, et solo veritatis studio, quod rebus omnibus anteferre soleo, adductus. Quaedam amicorum, doctorumque virorum monitu correxi, si quando eos rem acu tetigisse deprehendi. Numquam enim mihi adeo placui, ut humani quidquam a me alienum ducerem. Denique quum a quibusdam non ex merito vellicari me animadverterem, operam etiam dedi, ut mea vindicarem modeste. Exemplo esse poterunt, quae contra Virum Clarissimum, B. BRANCHU, Jureconsultum Lugdunensem, disputavi. Bis me vir doctus erroris postulavit in elaboratissimis, quas evulgat, Observationibus juris. Sed utroque loco eum non errorem deprehendisse, sed conjecturam conjecturae opposuisse animadverti, et quidem parum verisimilem verisimillimae. Unde quum non liceret mihi esse tam beato, ut ab eo proficerem, committendum mihi haud putavi, ut errasse me faterer, ubi ipse errori propior videbatur. Denique, ne id ignores, indicem auxi quam maxime, insertis iis, quae in nova hac editione adcesserunt. Ita vere adfirmare possum, auctiorem emendatioremque prodituram esse libellum, si is, qui emendationi pagularum impressarum praefuerit, tantum industriae attulerit, quantum ego ad illius recognitionem attuli. Diligentiam enim operarum, quamvis exactissimam a bibliopola, viro integerrimo, stipulatus sim, ipse praestare nequeo, plus quam centum milliaribus Argentorato remotus. Haec sunt, quae scire te volui, LECTOR, antequam te ipsius libri lectioni dares. Tu lucubratione, quam in tui gratiam sustinui, utere, fruere, et mihi, tua caussa omnia volenti, et antiquitates Germanici juris multo majore studio adornanti, et brevi eidem prelo commissuro, fave. Halae Kal. Sextil. CIƆIƆCCXXIII. Haec ante biennium. Jam scito, iterum

distractis exemplaribus, me denuo libellum recognovisse, emendasse, nihilque fecisse reliqui, ut prodiret et auctior et emaculatior. Est hoc studium hujusmodi, ut quotidie aliquid observes: nec quisquam tam bene subducta ad scribendum ratione est, quin res, aetas, usus semper aliquid adportet novi, aliquid moneat, ut illa, quae te scire credideras, nescias, et quae tibi putaras prima, in experiundo repudies. Quod et mihi, quoties mea relego, evenit, evenietque fortassis et in posterum, si me vivo libellus quartum prela exercuerit. Sed haec Deo curae erunt, cui TE, LECTOR, aeque ac me ipsum meaque omnia commendo. Franequerae Frisiorum X. Kal. Febr. CIↃIↃCCXXVI.

JO. GOTTL. HEINECCII JC.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

JURISPRUDENTIAM ILLUSTRANTIUM

SYNTAGMA

SECUNDUM ORDINEM INSTITUTIONUM JUSTINIANI.

PARS I.

PROOEMIUM.

Quum Justinianus Imperator in Institutionum prooemio suae potissimum collectionis texat historiam: facturi videbimur operae pretium, si et nos illius exemplo JURIS ROMANI COLLECTIONES, tum ante Justinianum, tum postea confectas, veluti per indicem recensuerimus.

§. 1.

Legum regiarum collectio, seu jus Papirianum.

Urbem Romam principio reges habuere, qui manu initio omnia regere, postea vero et leges quasdam curiatas ad populum ferre coeperunt. Tacit. *Annal. III.* 26. *L.* 2. §. 2. *D. de Orig. jur.* Has leges regias [a]), maxime sacras, primus collegit C. Papisius [b]), s. Papi-

a) *H. E. Dirksen* Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Ueberbleibsel von den Gesetzen der römischen Könige; in eius Vers. zur Kritik und Auslegung der Quellen des röm. Rechts (Leip. 1823) num. 6 p. 234 sqq. *Mühl.*

b) Pomponius *L.* 2. §. 2. *et* 36. *D. de O. J.* modo *Sextum,* modo *Publium;* Dionysius vero Halicarnasseus, cui plurimum ea in re credendum, *Cajum* adpellat. [Meminit Dionys. Halic. *V.* 1. et *Manii Papirii,* qui eodem fere tempore floruit. Verum is non fuit pontifex, sed rex sacrorum. Nec adsentimur Perizonio *Animadv. hist. c.* 2. *p.* 89. qui *Spurium* vocatum esse existimat, non ob aliam rationem, quam quod hoc frequens Papiriorum praenomen fuerit.] Quum autem Cujacius observet, in codicibus MSS. legi *VI.* pro *Sextum:* non dubito, quin ex nota numerali *Sexti* praenomen sibi finxerint scribae. Significare vero videtur numerus iste, Papirium, quem Dionysius Halicarnasseus praecipue sacras Numae leges collegisse refert, sexto demum libro reliquas leges regias, veluti adpendicem, adjecisse: unde ita forsan legenda verba Pomponii: *quae omnes conscriptae exstant in libro sexto C. Papirii Hein.* (vid. Auctoris praefat. Uhlii opusculis ad hist. jur. et maxime ad Pomponii Enchirid. illustr. praem. p. LVII. Bynkershoeckii Praetermissa ad L. 2. D. de O. J. (opp. T. p. et ap. Uhl. p. 234.). F. C.

rius c), non multo post exactos reges pontifex maximus, ut patet ex Dionys. Halicarn. *Antiq. Rom. III.* 36. ex quo etiam discimus, C. Papirium illum leges Numae, dudum abolitas, in lucem revocasse. Et haec quidem collectio JUS CIVILE PAPIRIANUM vocatur a Pomponio, *L.* 2. §. 2. *D. de O. J.* de eoque tempore Caesaris (ut eleganter observavit V. C. Car. Andr. Dukerus *de Latinit. vett. Jurisconss.* p. 156.) librum integrum composuit Granius Flaccus, laudatum in *L.* 144. *D. de Verb. signif.* [Add. *Dissert. nostr. de jure Papiriano.*] [* in Auctoris *Opuscc. minorib. n.* 1. *p.* 1—14. et in *Syll. III. Opuscc. Miscell. n.* 1. *p.* 1—8.*]

§ 2.

Ejus interitus et restitutio.

Dudum vero, praeter paucissima fragmenta d), Papiriana illa collectio periit. Et hinc renatis litteris de colligendis legibus regiis cogitarunt Valentinus Forsterus in *Historia juris Romani I.* 6. *sq.* [in

---

Conradi in praef. ad praeterm. (ap. Uhl. p. 220). Vid. tamen quae e Glückii commentat. de jure Papiriano aliisque scriptorib. notavit *Zimmern* Gesch. des röm. Privatr. bis auf Justinian. §. 27. not. 7. *Mühl.*) Confundit auctor duos Papirios, quorum ille Pomponio, hic Dionysio memoratur: diversos illos esse intelligimus 1. ex diversis nominibus; 2. ex diverso opere; 3. ex diverso operis instituto; 4. diversa utriusque aetate. Dionysii Papirius Cajus est dictus, Pomponii, ut legendum puto, Spurius. Pomponii ille regum omnium leges conquisivit, Dionysianus solius Numae non leges tantum, sed et commentarios sacrorum. Pomponianus leges regias privato consilio in usum privatum in libros retulit, Dionysianus consilio publico, et in populi usum. Pomponianus floruit aut Tarquinio Prisco aut Superbo regnante, Dionysianus post exactos reges. Haec alias [* *Lib. I. Obss. c.* 15. *] latius docui. *Cann.* Quae contra disputari possint, in promtu sunt. Non tamen expedit, latius prosequi rem tanta vetustate obscuram, nisi ad augendas conjecturas, quibus hic locus nimium quantum abundat. Vid. v. c. Cujacii comment. ad L. 2. §. 2. D. de O. J. (Uhl. p. 4. not. *). Christ. Ad. Ruperti animadv. in eund. loc. (ibid. p. 57). Dirksen l. l. p. 236—239. *Mühl.*

c) *Papisii* olim dicti, qui postea *Papirii*, Cicero *ad Div. IX.* 21. Primus Appius Claudius, (sive Coecus, sive Centummanus, sive Crassus,) circa annum V. C. CCCCV. litteram R. reperit, ex eoque tempore dici coepit *Papirius*, *Furius*, *Valerius* pro *Papisio*, *Fusio*, *Valesio*: *L.* 2. §. 36. *D. de O. J.* et ibi Bynkershoek in *Praetermissis.* Petr. Faber *Semestr. I.* 11. *p.* 52. *Hein.* Non tamen ante Appii Claudii aetatem ignota fuit haec littera; in frequenti usu fuit; fecit illud Appius Cl., ut quibusdam in vocibus R locum litterae S obtineret. *Cann.*

d) Fragmentum bene longum e jure Papiriano exstat apud Macrob. *Saturn. III.* 11. Quamvis, quum illud non tam legum, quam commentarii, faciem prae se ferat, magis Granio Flacco, quam Papirio, videatur tribuendum. Forsan etiam huc pertinet *L.* 2. *D. de Mort. infer. Hein.* De loco Macrobii egit Wesselingius [* *Obss. I.* 4. *] et d'Arnaud [* *Var. Conj. II.* 20. *], de *L.* 2. *c.* Zacharias Hu-

cujus temeritatem graviter animadvertit Christ. Ad. Rupertus *ad Pomponii Enchirid. III.* 1.] Fulvius Ursinus, Ant. Augustinus et Justus Lipsius *de legibus regiis et decemviralibus;* Pardulphus Pratejus *in Jurisprudentia vetere Draconis et Solonis, cum Romano jure legum regiarum et decemviralium collata. Lugd.* 1559. 8. itemque Franc. Modius, Steph. Vin. Pighius, Ant. Sylvius, et, qui reliquis omnibus palmam praeripuit [e]), Paulus Merula *de legibus Romanorum, c.* 2. *sqq.* Romuli leges singulari opusculo collegit exposuitque Franc. Balduinus [f]), quod in *Jurispr. Rom. et Attic. Tom. I. p.* 15. cum aliis Balduini operibus relatum est.

§. 3.

Leges XII Tabularum.

Ejectis regibus, leges quoque eorundem exolevisse [g]), et jus maxime incertum esse coepisse, novimus ex *L.* 2. §. 3. *D. de Orig. jur.* Post diuturnas patriciorum plebisque simultates, A. V. C. CCCI. tres

berus [* *Dissertatt. juridd. et philologic. P.* 1. *p.* 235—262. *ed. I.* vel *Lib. III. c.* 7. *ed. II.* *]. *Cann.* De utroque loco Dirksen l. l. p. 280. sq. et p. 327. sq. *Mühl.*

e) Id potius dixerim de Henr. Ed. Dirksenio, cujus de Merula judicium vid. in comment. laud. p. 257. *Mühl.*

f) Sequutus est Balduinus tabulam Capitolinam, cujus apographum a Jo. Barth. Marliano acceperat. Sed eam genuinam haud esse, vel primo adspectu adparet. Vid. Eric. Maurit. *Dissert. de libris jur. comm. p.* 92. Ge. Schubart. *de Fatis Jurisprud. Rom. Exerc. J.* 38. *p.* 64. (Dirksen l. l. p. 239—241.) *Hein.* Latius de eo disputavit d'Arnaud in *Conjecturis I. C. I.* 3. *Cann.*

g) Leges omnes regias semel simulque lege tribunicia abrogatas esse, vulgo colligunt ex *L.* 2. §. 3. *D. de O. J. Exactis regibus lege tribunicia, omnes leges hae exoleverunt.* Ex hoc enim loco palam esse putant, lege quadam, vel a Junio Bruto, Tribuno adhuc Celerum, lata, vel tributim a populo scita, leges regias omnes fuisse proscriptas. Vid. Ge. Eberlin. *de O. J. IV.* 11. *p.* 22. Ge. Schubart. *de Fat. jurispr. Rom. Exerc. II.* 4. 118. At leges lege non exolescunt, sed abrogantur: neque Pomponius ait, leges regias lege illa tribunicia exolevisse, sed reges ipsos proscriptos esse lege tribunicia. Rittershus. *ad Leg. XII. Tab. p.* 9. Bynkersh. praeterm. ad L. 2. §. 3. *D. de O. J.* (ap. Uhl. p. 235 sq.). Tribunicia vero illa lex non alia est, quam Junia *de imperio consulari,* quippe quam Brutus, adhuc Tribunus Celerum, ad populum tulit. Exoleverunt vero regiae leges desuetudine, et quidem omnes. Nam si quae in usu manserant, eae non tamquam leges regiae, sed tamquam mores patrii, postliminio in usum revocati, observabantur, ut discimus ex Dionys. Halic. *Antiq. Rom. X.* 1. *Hein.* Leges regiae ejectis regibus neque abrogatae fuerunt, neque exoleverunt. Nulla eas abrogandi ratio fuit, quas populus jussisset, reges rogassent. Quum Tarquinius Superbus priorum regum leges sprevisset, easdem in usum revocare voluerunt primi Consules, teste Dionysio Halic. et Pomponii locus forte intelligendus de legibus, quae regiam potestatem spectabant; ita certe opinantur Muretus, Eberlinus et Otto. *Cann.*

legati in Graeciam missi, qui variarum civitatum leges describerent. Postea decemviri, legum ferendarum caussa creati, e moribus antiquis h), et jure, quod legati attulerant, peregrino, et praecipue Attico i), decem initio, ac paullo post duas alias tabulas k) compilarunt, quas deinde populus in comitiis centuriatis probavit. *Liv. Hist. III.* 31. 34. 37. 57. Dionys. Halicarn. *Antiqu. Rom. X.* 57. Et hae sunt illae tabulae, quas omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponendas l) putabat Crassus apud Ciceron. *de Orat. I.* 44. Hae sunt illae tabulae, *fons universi publici privatique juris.* Liv. III. 34.

---

h) Multas leges regias in XII Tabulas migrasse, prolixe demonstrant Jac. Cujac. *Observatt.* 36. Guil. Maran. ad *L.* 2. *D. de O. J. p.* 107. 120. Et satis id constat exemplo patriae potestatis, de qua legem Romuli in quarta tabula exstitisse, testatur Dionys. Halic. *Ant. Rom. II.* 27. qui etiam *Lib. X.* 57. observat, XII Tabulas ἔκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, *tum ex Graecorum legibus, tum ex suis moribus non scriptis*, esse compilatas. Sed et Livius *VI.* 1. post incensam a Gallis urbem quasdam etiam leges regias cum XII Tabulis conquisitas fuisse, refert. *Hein.* Locum Dionysii corruptum censet d'Arnaud. *Var. Conj. II.* 21. nec illud diffiteor, sed aliam medelam, credo, desiderat. *Cann.*

i) Solonis leges adeo primas tulerunt, ut eas solas commemorent auctores quamplurimi. At Liv. *III.* 31. legatos illos *jussos esse* ait, *inclutas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores, juraque noscere.* Et Gell. *Noctt. Attic. XX.* 1. duodecim tabulas *inquisitis exploratisque multarum urbium legibus*, eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas testatur. Tacitus denique *Annal. III.* 27. a decemviris, *quae usquam egregia*, adcita esse docet. De Lacedaemonum legibus vulgo hoc negant, ob testimonium Augustini *de Civit. Dei II.* 16. Sed illi opponi possent Symmachus *Epist. III.* 11. Ammian Marcellin. *Hist. XVI.* 5. et Athenaeus *Deipnos. VI. c.* 106. qui Romanos τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν elegisse, sanctiusque ipsis Lacedaemoniis custodivisse, scripsit. Fortasse tutelam agnatorum legitimam Laconum moribus debent Romani. Sane enim Spartae eam tutelam usitatam fuisse, patet ex Herodot. *I.* 65. Nec dubitandum, quin ex Charondae quoque legibus nonnulla adoptarint decemviri, in primis legem de supplicio falsi testis, ut ex Arist. *Polit. II.* 10. docet Rittershusius. Ab Aequis Faliscis quoque decemviros jura fetialia et nonnulla XII Tabularum supplementa accepisse, putat Servius *ad Virgil. Aen. VII. v.* 695. Sed errasse Servium, palam est ex Liv. *I.* 32. ubi jura fetialia jam Ancum Marcium, desumta a Faliscis, Romanis tradidisse, legimus. *Hein.* An Lacedaemonem profecti fuerint legati, dubitabunt plures. Praeter Symmachi locum nullus est, unde illud colligas. *Cann.* Caet. cf. *Aug. Maji* not. ad Cic. de republ. II. 36 v. *conscripsissent* et *F. Walter* Gesch. d. röm. Rechts bis auf Justinian p. 427. sq. ibid. not. 16. *Mühl.*

k) Cic. de rep. II. 36. 37 — — — „qui *duabus tabulis iniquarum legum additis*, quibus — — conubia — ut ne plebi cum patribus essent, *in humanissima lege sanxerunt. Mühl.*

l) At temporibus barbaris scriptae sunt. Sed adhibitus est vir insignis Her-

Naevis tamen eas non caruisse, ostendere conati sunt Favorinus philosophus apud Gell. *Noctt. Att. XX.* 1. et Thomas. *de naevis jurisprud. Rom. Antejustin. I.* 2. et *Dissertat. adnexa p.* 158. *sq.*

§. 4.

Earum interitus et restauratio.

Quamvis vero hae leges decemvirales tabulis aeneis [m]) inscriberentur a Romanis, Dionys. Halicarn. *Ant. Rom. X.* 57. et loco urbis celeberrimo, id est, pro rostris, adfigerentur in perpetuam rei memoriam: (Liv. *III.* 57. Diodor. Sicul. *Biblioth. XII.* 26.) anno tamen V. C. CCCLXIV. Gallicano incendio una cum ipsa urbe perierunt, restitutae paullatim, conquisitis undique fragmentis et apographis. Liv. *VI.* 1. Postea, ut eo minus esset eas amittendi periculum, non solum aeri incidebantur, in quo tertio seculo Christiano adhuc publice exstabant teste Cypriano *Epist. II.* 2. verum etiam pueris ipsis ab incunabulis ediscendae proponebantur. [n]) Cicero *de Legg. II.* 4 et 21. Verumtamen ne sic quidem aetatem tulit nobilissimum illud legum decemviralium corpus, quod jam inde a seculo VI. periisse, non sine ratione existimamus [o]).

---

modorus, qui Epheso pulsus in Italia exsulabat, vir rerum civilium longe peritissimus: *L.* 2. §. 4. *D. de O. J. Strabo XIV.* 1, 25. *Histor. nostra jur. civ. I.* 25. *Hein.*

m) Pomponius *L.* 2. §. 4. *D. de Orig. jur.* meminit tabularum *eborearum*, vel, ut alii legere malunt, *roborearum*, quod sane convenientius videtur priscae Romanorum paupertati. Sed forsan hae leges in tabulis *roboreis* primum promulgatae, ac dein, ubi populus eas jure sciverat, vel eboreis, vel aeneis demum, inscriptae sunt. Sane Anci Marcii adhuc temporibus leges inscribi consueverunt tabulis quernis, notatque Dionys. Halicarn. *Lib. III.* 36. *χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω κοτὲ ἦσαν,* (*nondum enim tum erant columnae aereae.*) Ge. Schubart. *de Fat. jurispr. Rom. Exerc. II.* 35. *Hein.* Omnino apud Pomponium pro *eboreis* legendum *aereis.* Seculo tertio Christiano adhuc exstitisse fabulas aereas, non probat locus Cypriani, licet illud pro certo venditent eruditi. *Cann.* Aliorum etiam hac de re sententias collegit *Zimmern* Gesch. d. r. R. I. §. 31. not. 1. *Mühl.*

n) Pueris ediscendae erant hae tabulae, isque mos tamdiu duravit, donec lege Cornelia Praetores ex edictis perpetuis jus dicere juberentur. Ex eo enim tempore juris studia non a legibus XII tabularum, sed a Praetoris edicto auspicabantur adolescentes, ut ex Cicer. *de Legg. I.* 5. erudite ostendit V. C. Iac. Perizonius *Diss. de Lege Vocon. p.* 193. *Hein.*

o) Rittershusius *ad XII Tab. p.* 13. tabulas has periisse putat sub irruptionem Gothorum. At seculo adhuc Justiniani integri exstiterunt Commentarii Gaji, quibus integrum XII tabularum textum insertum fuisse, ex fragmentis, quae in Digestis passim exstant, satis intelligitur. *Hein.* Cf. Dirksenii opus mox laudand. p. 1. *Mühl.*

§. 5.

Collectiones XII Tabularum recentiores.

Post renatas litteras, collectis undique fragmentis, restituere eas inprimis tentarunt (Alex. ab Alexandro), Aymarus Rivallius, Jo. Oldendorpius, Cael. Calcagninus, Jo. Crispinus, Franc. Balduinus, Hadr. Turnebus, Ant. Contius, Ludov. Charondas, Pardulph. Pratejus, Franc. Hotomanus, Jac. Raevardus, Justus Lipsius, Ant. Augustinus, Fulv. Ursinus, Dionys. Gothofredus, Fr. Pithoeus, [*Ricardus Vitus*] Basinstochius, Theod. Marcilius, Steph. Pighius, Ant. Clarus Sylvius, Paulus Merula, Conr. Rittershusius, et, qui reliquis omnibus videtur praeferendus, Jac. Gothofredus, cujus collectio exstat in *quatuor fontibus jur. civilis*, qui prodierunt *Genevae* 1653. 4. [et cura V. C. Trotzii *in fol.* (Eumque ad literam fere sequuti sunt Jan. Vinc. Gravina, Chr. Godofr. Hoffmann, Rob. Jos. Pothier, aliique, quos enumerare non attinet. Antiquam scribendi rationem restituere conati sunt, Fulv. Ursinum maxime sequuti, Nicol. Funccius et Balth. Branchu. Plurimum autem, post Jac. Gothofredi curas, in singulis XII tabularum fragmentis, aut integritati suae restituendis, aut ad pristinum ordinem redigendis, profecerunt Ev. Otto *(in praefat. Tom. III. Thesaur. jur. civ.)* atque inprimis Henr. Ed. Dirksen in opere pererudito: Uebersicht der bisherigen Versuche *zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente.* Leipz. 1824. *Mühl.)*

§. 6.

Legis actiones earumque formulae et fasti.

Ex interpretatione XII Tabularum LEGIS ACTIONES natae sunt, id est, certi exercendi juris ritus, certaeque verborum conceptiones et formulae, quibus neglectis, susceptum quodvis civile negotium irritum habebatur. Quamquam enim actus legitimi nonnumquam accipiebantur pro omnibus actionibus, quae coram magistratu explicabantur, tamen hic vocem accipimus partim pro formulis actionum, partim pro actibus voluntariae jurisdictionis, sollemniter explicandis, partim pro actibus sollemniter, non tamen in jure, peragendis. Hinc ACTIONES LEGIS sunt manumissio, emancipatio, in jure cessio, adoptio, et similes; ACTUS LEGITIMI, tutoris datio, mancipatio, hereditatis aditio et repudiatio, aliique plures. Horum omnium proprium erat: I. ut vel in jure, vel certe sollemniter p) fierent; II. ut nec diem, nec

p) Omnes actiones legis et actus legitimos in jure factos putat Gravina, *l.*

conditionem admitterent; III. ut uno actu fierent, et iterari nequirent; IV. ut per procuratorem explicari non possent. Jan. Vinc. Gravina *de XII Tab. LXXX. p.* 442. Brisson. *Antiq. Rom. III.* 20. *p.* 76. Petr. Faber *Semestr. II.* 23. 24. *et ad L.* 77. *D. de Reg. jur. p.* 344. *sq.* Jac. Raevard. *de Auctorit. prudent. c.* 2. *p.* 952. *sq.* Schulting. jurisprud. antejust. p. 85. art. 75. p. 602. not. 71. q). Adcedebant Fasti, seu consignationes dierum fastorum, nefastorum, intercisorum, quibus lege agere vel licebat, vel plane non, vel ex parte tantum licebat. Harum rerum omnium notitia initio penes solos patricios, et pontifices potissimum, erat, qui tamquam oracula adibantur a populo: neque e re sua hi esse putabant, eas formulas et fastos evulgari. Cicero *de Orat. I.* 41. *et pro Muraena c.* 11. Quinctilian. *Inst. Orat. III.* 8. Pomponius *L.* 2. §. 6. *D. de O. J.*

---

e. sed id falsum de mancipatione, hereditatis aditione, repudiatione, aliisque actibus legitimis, qui et extra jus recte explicabantur. Sollemniter tamen omnes fieri debebant. *Hein.*

q) *Legis actiones* Auctor hic sensu latiori accipit, quam quo eas definivit Pomponius L. 2. §. 6. D. *de O. J.* et quo quinque earum species enarravit Gajus IV. §. 12 — 29; (de quibus dicetur infra ad IV. 6. 19. sqq.) ita ut ex Auctoris sententia legis actiones etiam voluntariae jurisdictionis negotia, quid? quod privata, sed solemni ritu peragenda (*actus legitimos*) in se comprehenderint. Neque sane negari potest, quarundam legis actionum vestigia certe in symbolica forma nonnullorum negotiorum voluntariae jurisdictionis remansisse: quae procul dubio causa fuit, quod ipse *Gajus* II. §. 24. in jure cessionem legis actionibus adnumeraverat. *Haub. Legis actionem* et *lege agere* de omni actu usurpatum fuisse, qui apud magistratum, penes quem erat legis actio, peragi soleret, sive contentiosae sive voluntariae jurisdictionis esset, id in dubium vocare vix licebit. Quod tamen non impedit, quo minus proprie accipiantur, quae apud Pomponium leguntur: „ex his legibus actiones compositae sunt, *quibus inter se homines disceptarent,* quas actiones, ne populus, prout vellet, institueret, certas solennesque esse voluerunt; *et appellatur haec pars juris legis actiones.*" Omnia enim, quaecunque in jure fiebant (velut in jure cessio), saltem imaginaria legis actionum forma erant celebranda. Caeterum legis illae actiones etiam legitimarum actionum nomine veniunt. (Vid. Pompon. L. 2. §. 6. D. *de O. J.* L. 14. §. 3. D. *de praescr. verb.*). *Actuum legitimorum* (quorum mentio fit in L. 77. D. *de reg. jur.*) num jureconsultis veteribus familiare fuerit vocabulum, an a singulis tantummodo in usum adhibitum, id in medio relinquendum erit. Pro certo tamen affirmare ausim, compositionem illam legis actionum jurisque Flaviani, de qua loquitur Pomponius, nihil quicquam pertinuisse ad civilia negotia ejusmodi, quae solenniter quidem, non tamen in jure essent peragenda (cf. Hugo R. G. ed. XI. p. 308—311. Dirksen Beitr. zur Kunde d. Röm. R. nr. 4. p. 221 — 234. Schilling Bem. üb. R. Rechtsgesch. p. 86 — 89. *Mühl.*

§. 7.

Collectio earum in jure Flaviano.

Egregiam ergo plebi operam navabat CN. FLAVIUS, qui arcanas istas formulas et fastos pontificios [r]), ab Appio Claudio [s]) in librum collectos [t]), anno circiter CCCCXLIX. primus evulgavit. Unde dictum JUS FLAVIANUM, de quo Pompon. *L.* 2. §. 7. *De de O. J.* Cicero *de Orat. I.* 41. *pro Mur. c.* 11. *et ad Attic. Epist. VI.* 1. Liv. *IX.* 46. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 1. Gell. *Noctt. Att. VI.* 9. Val. Max. *II.* 5. 2. Addunt Pomponius et Plinius, Flavium eo beneficio aedilitatem a plebe meruisse. Refert tamen Valerius Maximus eum jam tum, quum ista patriciorum arcana evulgaret, aedilem fuisse, et deinde praetorem factum, idque vel inde colligas, quod ipse Pomponius fastos illos *populo traditos*, id est, uti ego ex Livio *IX.* 46. interpretor, *in albo* [u]) *propositos*, refert. [Antea vero erat scriba aedilitius. Erant enim scribae consulares, praetorii, aedilitii, quaestorii, in certas decurias descripti. Lips. *ad Tacit. Annal. XIII.* 27. Sigon. *de Jure civ. Rom. II.* 9. et nos ad Brisson. *de Verb. signif. p.* 1229. *edit. nov.*]

§. 8.

Et jus Aelianum.

Quanto gratius hoc plebi fuit officium, tanto minus illud placuit patribus, qui novas subinde excogitarunt formulas, easque, ne in vulgus manarent, occultioribus quibusdam notis consignarunt. Eas vero denuo evulgavit Sex. Aelius Q. F. P. N. Paetus Catus [x]),

---

r) Solos fastos a Flavio cum plebe communicatos dicit Cicero *pro Muraena c.* 12. Sed formulas addunt reliqui auctores, ut puto, Valerius Maximus, Livius, Gellius, Plinius et ipse Cicero *Epist. ad Attic. VI.* 1. An hi fasti sint iidem cum illis apud Gruterum *Inscr. p. CXXXIII.* nondum liquet. *Hein.*

s) Non decemviro illo, ut existimat Guido Panciroll. *Var. Lect. II.* 2. sed Appio Claudio Caeco, cujus scriba fuerat Flavius: Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 1. Cicero *de Orat. I.* 41. Bynkersh. *in Praeterm. p.* 46. *Hein.*

t) Pompon. L. 2. §. 7. D. *de V. J.* refert, Appium Claudium ad formam redegisse legis actiones, librumque surreptum a Cn. Flavio populo traditum esse; vid. et L. 2. §. 36. *eod.* Quocum tamen non consentiunt reliqui scriptores veteres. Omnino cf. *Hugo* R. G. ed. XI. p. 449—453. et p. 455—457. not. 1. *Mühl.*

u) In albis aliquid proponere, non privatorum erat, sed Praetorum atque Aedilium. *Hein.* Caeter. vid. *Bach* hist. jur. Lib. II. cap. 2. Sect. 4. §. 4. not. *Mühl.*

x) Sextum hunc Aelium ob jurisprudentiam mirifice collaudant Cicero *in Bruto c.* 20. et *de Legg. II.* 23. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 11. et Ennius apud Cicer. *de Orat. I.* 45. cui vocatur

Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus.

anno circiter V. C. DLIII. unde appellatur JUS AELIANUM: *L.* 2. §. 7. *D. de O. J.* Cic. *pro Muraen. c.* 11. An hoc jus Aelianum idem sit cum S. Aelii Tripartitis, nondum expeditum est. Negant Bertrand. *de Jurisper. II.* 4. *p.* 171. Guil. Grot. *Vit. Jurecons. l.* 3. *p.* 17. Mihi tamen ea de re dubitandum vix videtur ob *L.* 2. §. 38. *D. de O. J.* ex qua patet, in Tripartitis illis praeter XII tabulas earumque interpretationem, *legis* etiam *actiones* occurrisse. Vid. (Cic. Cato. 9 et) Beieri *Posit. ad tit. D. de Orig. jur. p. m.* 10. (Cf. et Zimmern R. G. I. p. 419).

§. 9.

Utriusque interitus et restauratio.

Utramque collectionem fata nobis inviderunt. Formulas tamen actionum antiquas stupenda plane industria collegit Barn. Brisson. libro *de Formulis et sollemnibus populi Romani verbis*, edito [* Paris. 1583. fol. *] [et cura V. C. Franc. Car. Conradi. Hal. et Lips. 1731. fol.] [* novissime cura Jo. Aug. Bachii. Lips. 1754. fol. *] quo tamen non has tantum, sed et alias, sacras, militares, forenses familiaresque formulas complexus est. [Nec minus egregiam hac in re operam juris studiosis navavit Car. Sigon. *de Judic. I.* 9. *sq.*] Fastorum exemplum non unum exstat in antiquis marmoribus, ex quibus quaedam aeterno Inscriptionum operi inservit Gruter. *p. CXXXIII.* et cum Petri Ciacconii aliorumque explanationibus recudenda curavit Jo. Ge. Graevius *Thesaur. Antiq. Rom. Tom. VIII.* [* Fastorum tam sacrorum seu Kalendarium, quam civilium, seu Consularium et triumphalium, exempla diligentissime recensuit Chph. Saxius Praef. ad van Vaassen Op. laud. p. XI — LIII. *]. Veterum denique notarum juridicarum specimina post Valerium Probum, Petrum Diaconum et Magnonem dedit Jo. Nicolai in libro *de Siglis veterum*, qui prodiit *Lugd. Batav.* 1706. 4.

§. 10.

Romana jurisprudentia mole sua laborat.

Ab iis temporibus multae subinde leges, multa quoque plebiscita, multa edicta praetorum atque aedilium prodierunt, quibus adcesserunt varia responsa prudentum, et sub Imperatoribus Senatusconsulta

---

Conf. *L.* 1. *pr. C. de Comm. serv. manum.* De gente Aelia egregie disserit Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Dissert. III.* 9. *p.* 419. *Hein.* De jure Flaviano Car. Andr. Dukerus ad Liv. IX. 46. §. 3. et 5. T. II. p. 1030. et potissimum Jac. van Vaassen Animadv. hist. crit. ad fastos Romanor. sacros c. 4. §. 1 — 9. p. 95 — 152. et pag. 369—373. De jure vero Aeliano idem l. l. c. 4. 6. 10. p. 152—164. *Haub.*

quam plurima, Edicta perpetua et Imperatorum rescripta, adeo, ut in magnum *aliarum super alias cumulatarum legum cumulum* excresceret Romana jurisprudentia. Liv. *III.* 34. [Status reipublicae Romanae post bellum Punicum III. corruptissimus fuit: Vellej. Paterc. *II.* 1. Fieri autem non potest, quin perturbatissimo reipublicae statu plures leges ferantur: quemadmodum id indicium adfectae valetudinis luculentissimum est, si plurimis pharmacis utantur homines. Isocrat. *Areop. p.* 292.] Romanarum legum Senatusque consultorum historiam plures dederunt, in quibus eminent Paulus Manutius, Anton. Augustinus, Paulus Merula, Franc. Hotomanus, Janus Vincent. Gravina: sed hi omnes tamen in tanta messe haud leve aliis reliquerunt spicilegium.

§. 11.

De universali juris Rom. collectione cogitat Cicero.

In tanta legum Romanarum farragine haud pauci de universali quadam juris Romani collectione cogitare coeperunt. Agitaverat hoc consilium Cicero y), cujus integrum ea de re librum laudat A. Gellius *Noctt. Attic. I.* 22. Quinctilian. *Inst. Orat. XII.* 3. Ipse quoque luculentam illius operis σκιαγραφίαν sub Crassi persona dederat libro *de Oratore I.* 42. z) Sed in spongiam incubuit hic Ciceronis Ajax.

§. 12.

Ut et Jul. Caesar, et Cn. Pompejus et Constantinus M.

Idem labor, teste Suetonio *Jul. c.* 44. Jul. Caesarem; idem et jam antea Cn. Pompejum exercuit, si vera refert Isidorus Hisp. *Orig. V.* 1, 5. et, qui hunc exscripsit, Gratianus *can.* 2. *distinct.* 7. Ita enim ibi Isidorus: *Leges autem redigere in libros primus Consul Pompejus instituere voluit, sed non perseveravit, obtrectatorum metu. Deinde Caesar*

---

y) Ciceronem non fuisse in Romana jurisprudentia hospitem, vel scripta illius demonstrant. Q. Scaevolae Auguri se operam dedisse, testatur ipse *in Bruto c.* 89. quamvis postea, eo mortuo et Q. Mucium Scaevolam, pontificem, aliquamdiu audierit. Idem *de Legg. I.* 4. Et in *orat. pro Muraena c.* 13. minatur, se, si sibi homini occupato stomachum moverint, triduo jureconsultum professurum. Unde et inter jureconsultos Ciceroni locum dedit Guil. Grot. *Vit. Jureconsult. I.* 9. p. 61. Sed an magnus in hac arte fuerit, adhuc sub judice lis est. Vid. Schulting. *Orat. de jurispr. Ciceronis.* Bynkersh. *Praeterm. ad L.* 2. §. 38. *D. de O. J. p.* 85. *sq. Hein.* Laur. Andr. Hamberger obs. ad Gravinae *orig. jur. civ.* in opusc. p. 334. sq. Zimmern R. G. I. p. 288. sq. *Mühl.*

z) Vid. Blume in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. IV. p. 378. sq. *Mühl.*

coepit id facere, sed ante interfectus est. [a]) Sunt etiam, qui Constantinum M. de ejusmodi corpore juris compilando cogitasse ferunt: Beier. *Posit. ad Digest. I.* 1. 146. sed nescio quo auctore. [b]) Id certius, horum omnium consilia fuisse irrita. In primis dolendum, Caesari, huic operi quam maxime pari, per fata non licuisse tam praeclare de Romana jurisprudentia mereri. Huber. *Auspic. domest. V. p.* 177.

§. 13.

Edicta Praetorum primum collecta ab Ofilio.

Edicta praetorum, Augusto imperante, diligenter colligere interpretarique coeperat C. Aulus Ofilius, jureconsultus: [c]) *L.* 2. §. 44. *D. de O. J. L.* 1. §. 2. *D. Ne quis eum, qui in jus vocabitur.* Sed privatim susceptum fuerat hoc opus, (quidquid hic obvertat Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. p.* 780.) neque adeo publicam umquam auctoritatem videtur obtinuisse. Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 42. Unde eo facilius periit, postquam edictum Juliani ejus luminibus offecit.

§. 14.

Edictum perpetuum Salvii Juliani.

Postea, Hadriano imperante, edicta praetorum in unum codicem coaluere, vel ex multis potius edictum unum, quod perpetuum vocabatur, concinnatum est, circa annum, uti Ant. Pagi in *Diss. Hypat. P. II. p.* 209. et in *Crit. Baron. p.* 128. *Tom. I.* computat, CXXXII. Eutrop. *Hist. Rom. VIII.* 9. *L.* 10. *C. de Condict. indebiti.* (Const. *tanta* de confirm. Dig. §. 18). Auctor operis non Didius Julianus, Imperator, ut ex loco quodam Aurelii Victoris male intellecto conjecerat Hugo Grot. *Florum spars. p.* 87. [* *ed. Hal.* *] sed Salvius Julianus, Didii proavus, teste Spartiano *vit. Julian. c.* 1. gente Africanus, Adrumeti natus, ut colligitur ex Spartian. *Julian. c.* 1. et Grut. *Inscriptt.*

---

a) Imo procul dubio falsa est haec Isidori narratio, quia nemo veterum hoc adnotavit, Isidorus vero demum Sec. VII. floruit, tum quia Pompejus nec Jurisconsultus fuit, nec scribendo famam quaesivit, nec reipublicae constituendae caussa dictator creatus. *Hein.*

b) Theodosium II. tale quid agitasse, id jam certo scimus. Vid. const. nuper repertam, quae est. L. 5. Cod. Theod. *de constitutionibus principum,* in huj. Cod. ed. noviss. *Mühl.*

c) Jam ante C. Ofilium ad Edictum quaedam commentari coeperat Ser. Sulpicius, quae Bruto dedicarat. *L.* 2. §. 44. *D. de O. J.* ex quo Sulpicii commentario fragmentum exstat. *L.* 5. §. 1. *D. de Institor. actione.* Sed brevissimum hoc opus fuisse, observat Pomponius. *Hein.*

p. CCCCLVIII. de quo jureconsulto praeter Bertrandum et Guil. Grotium legi merentur Aegid. Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 24. et Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. VIII. p.* 333. [Singulari libello egimus de Salvio Juliano, cujus adhuc pleniorem historiam dedimus in *Historia Edictorum et Edicti perpetui II.* 3.] Quamquam vero mirifice Julianum collaudant veteres, adeo, ut eum vocent *virum sapientissimum: Nov. LXXIV. praef. pr. maximae existimationis virum, et disertissimum jurisperitum: L.* 5. *C. de Bonis, quae lib. juris sublimissimum testem, summae auctoritatis hominem, et praetorii edicti ordinatorem: L.* 10. *C. de Condict. indeb. summum auctorem juris scientiae: L.* 15. *C. de Usufr. et habit.* et quae alia passim sunt ejus elogia: non tamen naevis caruisse, ajunt, hoc edictum. Quaedam enim addidit de suo, quae praetor numquam edixerat: *L.* 3. *D. de Coni. cum emanc. lib.* Quaedam detraxit, veluti illa, quae de jurejurando, Vestalibus et Flamini Diali remittendo, edixerat praetor: Gell. *Noctt. Attic. X.* 15. Quaedam correxit pro lubitu: *L.* 1. §. 1. *D. commod. L.* 1. *D. Quod met. caussa.* Vid. Jo. Bertrand. *de Jurisperit. I. p.* 31. Guil. Grot. *de Vit. Jurecons. II.* 6. p. 127. Jac. Gothofred. *Manual. Jur. III. p.* 14. 15. Nihilominus tamen facile eum excusat Hadriani Imp. auctoritas d). Hujus enim auspiciis scripsit. Et laudi sibi duxisse Hadrianum, si nova jura condidisse diceretur, quin ideo alterum Numam videri voluisse, ex Aurelio Victore Schotti praeclare observavit Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. VII. p.* 294. Ceterum tantam hic Juliani labor auctoritatem in foro obtinuit, ut Diocletianus et Maximianus Imperatores illud JUS PERPETUUM adpellare non dubitent in *L.* 5. *C. de Appellat.* unde non mirum, quod ex eo tempore Furius Anthianus, Pomponius, Callistratus, Gajus, Paulus, Ulpianus aliique clarissimi jureconsulti certatim ad Edictum perpetuum commentati sunt. (Caeterum cum iis, quae hoc in loco de edicti compositione proposita sunt, omnino conjung. Hugo R. G. ed. *XI. p.* 795—805. *Mühl.*)

---

d) Haud sane opus est ad Hadriani confugere auctoritatem, ut diluantur ea, quac Juliano hic objiciuntur. Nam quod de omisso edicti quodam capite e Gellio Auctor hoc in loco attulerat exemplum, id jam retractavit alibi injuriamque ipse a Juliano optime propulsavit (in hist. Ed. opusc. postum. p. 178); reliqua autem, quam infirma sint facile quivis intelliget, qui locos ab auctore allegatos accurate inspexerit, ipsumque praeturae munere functum esse Julianum probe meminerit; vid. Zimmern R. G. I. p. 131. not. 14. *Mühl.*

§. 15.

Edictum provinciale.

Eodem exemplo etiam Edictum provinciale nescio e) quis concinnavit, quod tamen ab edicto perpetuo praetoris parum discrepasse, imo cum illo unum idemque fuisse videtur. f) Gaji sane fragmenta ex commentariis ad edictum provinciale tantum non ubique fragmentis aliorum ex libris ad edictum praetoris respondent: adeo ut Gothofredus in ordinando edicto perpetuo etiam Gaji fragmentis uti non dubitarit. Imo Gajus promiscue scripsit: AIT PROCONSUL, et: AIT PRAETOR *L.* 4. *D. Quod quisque jur. L.* 1. §. 2. *D. Quod cujusc. univ. nom.* Ceterum hanc utriusque edicti similitudinem nemo mirabitur, qui noverit, jam olim proconsules urbana edicta in jure dicundo plerumque esse sequutos: Cicero in *Verr. I.* 46. et *ad Attic. Epist. VI.* 1. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II.* 12. *p.* 97.

§. 16.

Restitutio edicti perpetui.

Periit utrumque edictum magno jurisprudentiae incommodo. Fragmenta tamen, hinc inde in Digestis reliqua, tamquam fractas e naufragio tabulas, collegerunt Eguinarius Baro in libris *Manualium*, g) Guil. Ranchinus, cujus labor ad edictum prodiit Paris. 1597. 8. recusus in Jo. Herm. Schminckii *Syntagm. critico* (*Marp.* 1717. 4.) et, qui in digerendo ordinandoque potius, quam concinnando edicto, omnium superavit industriam, Jac. Gothofredus, cujus *Series librorum edicti perpetui* inter *quatuor fontes juris civilis* exstat. (Post eorum aliorumque conatus Auctor rem aggressus est, at, mortalitate interceptus,

---

e) Eidem ergo Hadriano non male hoc edictum provinciale tribuit Henr. Dodwell. *ad Spartian. Hadr. II. p.* 305. *Hein.*

f) Auctorem, dum haec scriberet, dubium etiam haesisse, palam est. Postea tamen, ipse confessus sententiam se mutasse, in unum esse confusa urbica et provincialia edicta invictis argumentis docuit (opusc. post. p. 239 sq. not. h.), quidquid alii contra dicant. Julianum ex Aedilitio quoque edicto capita quaedam velut appendicis loco subjunxisse simillimum est veri. Vid. Mühlenbr. *doctr. Pand.* §. 6. not. 17. ed. 4. *Mühl.*

g) Parum honorifice de hac Eguinarii collectione sentit Jac. Gothofr. in *Biblioth. Jur. I. p.* 46. ubi observat, auctorem saepe data opera fingere edicta, quae numquam fuerint, multaque eo referre, quae ex jureconsultorum placitis, moribus antiquis, novisque principum institutis descendant. *Hein.* Omnino cf. Hauboldi diatr. über die Versuche das prätor. Edict herzustellen, in Hugonis civ. Mag. T. II. nr. 14. et de Weyhe l. l. p. 98. *Mühl.*

non absolvit. Exstant, quae reliquit, in opusc. postum. a filio editis (Hal. 1744.) et in opp. T. *VII.* Vid. et C. G. L. de Weyhe libri tres edicti rel. Cell. Luneb. 1821. *Mühl.*)

§. 17.

Codices, in quibus collectae constitutiones principum.

Ex quo Imperatores non amplius senatus consultis, sed epistolis (aliisque constitutionum formis), nova jura condere coeperant: intra ducentos annos in tantum cumulum haec excrevere Principum rescripta, ut etiam de iis in codices [h]) colligendis cogitarint Gregorianus et Hermogenianus, seu, ut aliis vocantur, Gregorius et Hermogenes, quorum codices, privata auctoritate concinnati, etiam a Justiniano celebrantur: *Const. Summa reip.* §. 1. *de Justin. Cod. confirm.* [i])

§. 18.

Codex Gregorianus.

Ad GREGORIANUM codicem quod attinet, eum recentiorem Hermogeniano credit Guido Panciroll. *de claris legum Interprett. I.* 65. 66. qui et auctorem esse suspicatur Gregorium, sub Valente et Gratiano praefectum annonae, Africaeque proconsulem, cujus mentio fit *L.* 15. *C. Theod. de Pistorib.* At Gregorio alii hunc codicem tribuit Gothofredus *Proleg. Cod. Theod. l. p.* 183. qui sub Constantino M. fuerit Praefectus praetorio, cujusque mentio fiat *L.* 3. *C. Theod. de Annon.* et *L.* 2. *C. Theod. de Contrah. emt.* ut et in *L.* 1. *C. de Natural. lib.* Neutrum adeo certum atque expeditum videtur. Augustinus sane *ad Pollent. II.* 8. auctorem non Gregorium vocat, sed Gregorianum: eodemque modo eumdem laudat Auctor *Collationis legum Mosaicarum et Romanarum I.* 8. 9 et 10. *VI.* 4. 5. nisi utrobique subintelligi oporteat *Codicem.* Continuisse vero hic codex videtur constitutiones ab Hadriano usque ad Diocletianum et Maximianum. [k])

---

h) *Codices* quum semper vocentur hujusmodi constitutionum principalium collectiones: observandum, *codices* olim a *voluminibus* distinctos, atque ita adpellatos libros, quadrata vel quadrangula forma (nam et triangularis formae mentio fit apud Dionys. Perieget. *p.* 36.), quamvis alias vulgari usu omnes libri vocantur *codices: L* 52. *pr. D. de Legat. III.* Salmas. *de mod. usur. X. p.* 413. Schulting. *ad Paul. p.* 377. *Hein.*

i) Ante hos tamen Paulus Jurisconsultus Libros VI edidit constitutionum imperialium (seu potius imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum), *L.* 113. *D. de Condit. et demonstr.* et Papirius Justus Libros XX constitutionum: *L.* 60. *D. de Pactis. Hein.*

k) In fragmentis sane codicis Gregoriani, quae etiamnum exstant, legimus

§. 19.

Codex Hermogenianus.

Nec certior auctor est Codicis HERMOGENIANI. Eugenio Hermogeniano, qui, teste Baronio, sub Diocletiano Praefectus praetorio fuit, atque ad senatum retulit de persequutione Christianorum, hanc compilationem tribuit Pancirollus *de clar. leg. Interprett. I.* 65. Alii Hermogenianum jureconsultum auctorem fuisse conjiciunt, quem sub Constantino M. ejusque liberis floruisse, erudite demonstrat Aeg. Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 11. Conf. Jac. Gothofred. *Prolegom. Cod. Theod. I. p.* 183. *sq.* Reines. *Epist. ad Rupert. LXIX. p.* 640. Constitutiones vero principum, quorum Gregorianus rationem habuerat, in Hermogeniano etiam Codice fuisse, recte existimat Jac. Gothofredus, sed ita, ut in nonnullis inter se dissenserint. Quamquam vero de dissensu eorum res certa est, neque dubitare nos ea de re patitur Auctor *Collationis legum Mosaicarum et Rom. VI.* 5. qui unam eamdemque Diocletiani et Maximiani constitutionem in utroque codice, at *aliis tamen diebus et consulibus* lectam, testatur: l) nihil tamen est, quo certo demonstres, Hermogenianum etiam ab Hadriani temporibus inchoatum fuisse. In fragmentis sane illius non nisi Diocletiani et Maximiani constitutiones occurrunt, m) si a tribus primis discesseris, quae Aurelio n) nescio cui tribuuntur. Sed, quum hanc inscriptionem sinceram haud esse vel primo adspectu pateat, nec ratio

---

constitutiones Antonini, Caracallae et Severi, Alexandri, Gordiani, Philipporum, Valeriani et Gallieni, Cari et Numeriani, imo et Diocletiani et Maximiani. Ex quo patet, errasse virum summum, Jac. Cujacium, dum in *princ. Paratitl. Codicis* Gregorianum codicem in Valeriani et Gallieni constitutionibus desiisse, scripsit. *Hein.* Reliquiarum, quae exstant, a Sichardo, Cujacio, Schultingio (in jurisprud. vet. antejustian. p. 683. sqq.) et Hauboldo (in jure civil. antejust. Berol. T. I. p. 265. sq.), maxime e Breviario Alariciano, editarum, novissima omniumque absolutissima est edit. in corp. jur. rom. antejust. Bonnensi. Fasc. II. p. 1. sqq. C. Gust. Haenelii, qui de superioribus editionib. accurate disputat in praef. operi praem. *Mühl.*

l) Vid. Haenelii interpr. ad constat. I. Greg. Cod. *de nupt.* p. 30. *Mühl.*

m) At plura ex utroque Codice fragmenta supersunt in Codice nostro repetitae praelectionis, omnes nempe constitutiones ab Hadriano ad Constantinum M. *princ. Constant. Haec, quae necessario, de Novo Cod. fac. Hein.*

n) Nemo veterum Imperatorum solo Aurelii nomine dictus est. Unde adparet, inscriptionem harum constitutionum minus esse sinceram. Sed certum est, has quoque constitutiones aut Diocletiani aut Maximiani esse. Nam prior C. AURELIUS VALERIUS DIOCLETIANUS vocatur in marmoribus apud Gruterum *Inscriptt. p. CCLXXIX. et MLXXIX.* Posterior vero M. AURELIUS VALERIUS MAXIMIANUS non

ulla adpareat, cur post Gregorianum actum agere voluerit Hermogenianus: non praeter rem suspicari mihi videor, Codicem Hermogenianum non nisi supplementum aliquod Gregoriani fuisse, adeoque praeter ea, quae Gregorius omiserat, superiorum principum rescripta, Diocletiani solum et Maximiani, ut et ejus successorum constitutiones complexum esse, usque ad quarti seculi Christiani initium. o)

§. 20.

Cur hi Imperatorum gentilium constitutiones collegerint?

Uterque collector profano deorum cultui addictus fuisse videtur Gothofredo. De Hermogeniano sane jureconsulto contra Jo. Bertrandum p) id demonstrarunt Aegid. Menag. *Amoenitatt. Jur. civ. c.* 11. et Guil. Grot. *Vit. Jurecons. vet. II.* 12. *p.* 178. Nec a veritate abludere videtur sententia Gothofredi, hos auctores ideo tantam operam in colligendis vetustiorum Principum epistolis posuisse existimantis, ut veteris jurisprudentiae anteconstantinianae, quae tum Constantini M. et successorum constitutionibus quotidie evertebatur, faciem posteritati contemplandam sisterent.

§. 21.

Codex Theodosianus.

Quum vero hi Codices et privatim collecti essent, et gentilium tantum Imperatorum rescripta complecterentur: q) Christianorum

---

solum in nummis, sed et inscriptionibus apud Gruter. *p. CLIX. et CCLXXIX.* Adcedit, quod haec constitutionum fragmenta in subscriptione habent Sirmium, ex qua Pannoniae urbe quam plurimas horum Imperatorum constitutiones emanasse patet ex *L.* 19. *L.* 24. *L.* 39. *C. de Transact.* aliisque plurimis. Vid. Schulting. *Jurispr. Antejust. p.* 709. *Hein.* et Haenel. in Cod. Herm. p. 64. not. b. *Mühl.*

o) In Codice Justinianeo constitutiones quaedam occurrunt, post Diocletianum scriptae, et anteriores tamen epocha Codicis Theodosiani, qualis est *L. ult. C. de Tutor. et Curat. qui satis non ded.* edita anno CCCVI. et *L.* 1. *C. de Feriis* priore illa paullulum antiquior. Hae, quum ex Codice Theodosiano desumtae non sint, procul dubio ex alterutro horum codicum in corpus Justinianeum migrarunt: adeoque probabile est, Hermogenianum saltem Codicem pertinuisse ad annum CCCVI. Schulting. *ibid. Hein.* Hermog. Cod. novissima editio exstat Haenelii in corp. jur. rom. antejust. Bonn. Fasc. II. p. 61. sq. *Mühl.*

p) Is enim Christianum fuisse illum, colligit ex *L.* 60. *D. de Donat. inter vir. et uxor.* ubi divortia ob sacerdotia fieri dicuntur. Sed id apud ethnicos quoque fieri consuevisse constat. Vid. *Observv. nostr. ad Brisson. de Verbor. signif. p.* 1216. *Hein.* De utroque, et Greg. et Hermogeniano, codice ejusque auctoribus sedulo multa in unum congessit *Zimmern* R. G. §. 46. *Mühl.*

q) Cui adversari videntur, quae in consult. vet. Ict. cap. IX. leguntur rescripta septem Valentis et Valentiniani II., quippe quae ex corpore Hermogeniani

quoque imperatorum a Constantino M. usque ad suam aetatem constitutiones in vastum satis opus collegit THEODOSIUS JUNIOR Imp. circa ann. CCCCXXXVIII. [r]) Unde etiam hunc Codicem inscriptum fuisse ajunt *Novas leges legitimorum Principum.* Quod tamen non adeo certum, quum et Juliani τοῦ παραβάτου constitutiones in hoc codice utramque faciant paginam, et legitimi principes potius tyrannis opponendi videantur: Jac. Gothofr. *Prolegom. ad Cod. Theod.* c. 1. *et* 2. [*Histor. nostr. jur. I.* §. 378.] Exstat etiamnum hic Codex, qui post Sichardi, Tilii, Cujacii, Puteani, Pithoei et Sirmondi curas luculento commentario Jac. Gothofredi illustratus prodiit *Lugd.* 1665. *f. Tom. VI.* [et *Lipsiae* cura V. C. Ritteri.] [* *T. I — VI.* 1736 — 1745. *] (Novam hujus Codicis editionem exhibet *jus civile antejust. Berol. T. I.* et *II. p.* 275 — 1215. Recentissimam paravit Gust. Haenelius, cujus jam felicissima initia prodierunt in corp. jur. rom. antejust. Bonnensi Fasc. II. *Mühl.*)

§. 22.

Naevi hujus Codicis.

Nec tamen hic Theodosianus etiam Codex sine naevis est, quos adcurate recenset Gothofred. *Proleg. II. p.* 187. Imo nec integer satis ad nos pervenit. Nam CCCXX circiter constitutiones occurrunt in Codice Justinianeo, quas in Theodosiano frustra quaesiveris, quarumque indicem confecit Anton. Marvillius, editioni Gothofred. subjectum, sub titulo *Supplementi Codicis Theodosiani,* post Glossarium nomicum. (Insigne autem incrementum operi attulerunt fragmenta Codicis complura nuper admodum reperta, quae in bibliothecarum latebris antehac delituerant. Subinde sunt edita ab Amadeo Peyronio (ex palimpsesto bibl. reg. Taurin. 1823 s. 1824.), Walt. Frid. Clossio (ex membran. bibl. Ambros. Med. 1824) Ed. Puggaeo (ex utriusque bibl. suppellectile depromta 1825.), atque una cum iis

---

esse desumta testatur *consultat.* auctor cap. IX. Sed vid. quae dubitationis hujus tollendae causa notavit Haenelius in praef. Cod. Hermog. *Mühl.*

r) Certe anno p. Chr. nat. CCCCXXXVIII promulgatus est Codex. Vid. const. Theodos. II. *de Theodosiani Codicis auctoritate,* ipsi Codici praemiss. *Mühl.* De Theodosiano Codice haec Isidorus *Orig. V.* 1. *Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani et Hermogeniani Codicem factum Constitutionum a Constantini temporibus, sub proprio cujusque Imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit.* Legendum omnino: *Codicem factum Constitutionum a Constantini temporibus cujusque imperatoris sub proprio titulo disposuit. Cann.*

constitutionibus, quae jam antea notae erant, a Car. F. C. Wenckio: Cod. Theodosiani Libri V. priores. Lips. 1825. *Mühl.*

§. 23.

Novellae illi adjectae.

Adjectae etiam huic Codicis Theodosiani editioni *constitutiones novellae* Theodosii, Valentiniani III., Marciani, Majoriani, Severi et Anthemii, a Pithoeo primum vulgatae *Paris.* 1571. 4. *) nec non a Conr. Rittershusio *Francof.* 1615. 8. (Pleniorem novellarum farraginem, adjectis etiam aliorum impp. Justiniano anteriorum novellis constitutionibus, exhibet jus civ. antejust. Berol. p. 1217 sqq.)

§. 24.

Aliarum juris Romani collectionum Justiniano antiquiorum brevis descriptio.

Quae vero ratio effecerat, ut imperatorum constitutiones in codices suos colligerentur, eadem fuit causa, ut de jurisconsultorum veterum scriptis ad paucitatem redigendis cogitari coeperit. At quidquid hac de re meditati fuerint imperatores (vid. supra §. 12.), eo tamen se continuerunt, ut usum librorum juris veterum, qui tanquam leges in foro observari solerent, certis finibus circumscriberent. Jam Constantinus M. nonnulla hoc nomine praeceperat [s]), quorum auctoritas usque eo obtinuit, donec constitutione quadam Theodosii II, quae quidem vulgo adscribitur Valentiniano III [t]), haec fere sancita sunt: ut praeter Papiniani, Pauli, Gaji, Ulpiani et Modestini libros, tum eorum, quorum tractatus atque sententias illi suis operibus miscuissent, nulla JCtorum scripta in foro auctoritatem obtinerent; quodsi diversae sententiae proferrentur, major auctorum numerus vinceret minorem, aut si aequalis esset numerus, vel Papiniani praevaleret auctoritas, vel eodem silente, judices quam vellent sententiam eligerent [u]). Hujusque potissimum Theodosianae

---

*) Imo pars earum cum Cod. Theodosiano jam a Jo. Sichardo *Basil.* 1528. et a Jac. Cujacio *Lugd.* 1566. vulgata fuerat, quibus Pithoeus plures adjecit. *Cann.*

s) Videantur binae Constantini imp. constitutiones a Clossio repertae, in edit. *Wenck.* et *Haenel.* L. 1. et 2. Th. C. *de resp. prudentum,* quibuscum cf. L. un. pr. Th. C. *de sent. pass.* et L. 13. Just. Cod. *eod. Mühl.*

t) L. un. (in ed. *Wenck.* et *Haenel.* L. 3.) Th. C. *de resp. prud. Mühl.*

u) Cfr. Hugo R. G. p. 1023—1028 ed. XI. Wenck in praef. ad volum. II. opusc. Haubold. p. II—XXIII. Puchta et Blume im Rhein. Mus. Vol. V. nr. 6. p. 141. sq. et Vol. VI. nr. 2. p. 87. sq. Hugo civ. Mag. Vol. VI. nr. 11. p. 176. sq. *Mühl.*

legis rationem habuisse videntur quarundam collectionum auctores, qui, aut suum secuti consilium, aut regnantium imperata, ex omni Romanae jurisprudentiae volumine hauriebant, quae pro instituti ratione necessaria ipsis visa sunt. Atque in iis quidem, quae privato studio sunt compositae, priorem locum meretur collectio, qua secundum materiarum seriem cum ex JCtorum libris excerpta, tum impp. constitutiones, juxta positae, inveniuntur; cujus, quae nuper admodum inventae sunt reliquiae, *Vaticana fragmenta* inscribi solent [x]). Memoranda etiam est scriptio, jam a P. Pithoeo (a. 1573) edita, cui nomen vulgo imponitur *collationis legum Mosaicarum et Romanarum*, satis illud quidem aptum ad consilium auctoris declarandum [y]); nec consultationum corpus, quod inscribitur: *consultatio veteris cujusdam jurisconsulti* silentio praetereundum, siquidem auctor ejus singulis consultationibus subjunxit loca e tribus constitutionum codicibus, tum e Julii Paulli receptis sententiis desumta [z]). Quarum omnium collectionum auctores ignorantur, nec de tempore, quo conscriptae sunt, satis constat, licet de eo, quin posteriores sint Theodosiana illa lege de allegandis JCtorum scriptis, antiquiores vero Justiniano, nullo modo dubitari possit. Certiora habemus de juris Romani breviariis, barbarorum regum auctoritate confectis, quibus nomen erat legum Romanarum [a]). Et primo Theodericus, Ostrogothorum rex, opus ex omni quidem jure Romano maximam partem haustum, sua tamen propria ratione digestum atque istius temporis indoli accomodatum, a. 500 publice proposuit: cui *Edicti Theoderici* nomen est inditum [b]). Dein, paucis interjectis annis (a. 506) Lex Romana Visigothorum, Alarici II. jussu, per Gojaricum comitem adhibitis sacerdotibus ac nobilibus viris composita atque Aniani

---

x) Editiones exstant: Rom. 1823. Par. 1823. Berol. 1824. recognov. et comment. instrux. A. A. de Buchholtz. Regiom. 1828. recognov. Aug. Bethmann-Hollweg. Bonn. 1833 et in corp. jur. antejust. Bonn. Fasc. I. p. 229. sq. *Mühl.*

y) Est etiam nomen libro *Lex Dei*, qua potissimum inscriptione usus est novissimus ejus editor F. Blume. Bonn. 1833. et in corp. jur. antejust. Bonn. Fasc. I. p. 307. sq. *Mühl.*

z) In Schult. jurispr. vet. antejust. p. 811. sq. et noviss. c. Ed. Puggé in corp. jur. antejust. Bonn. F. I. p. 389. sq. *Mühl.*

a) De Savigny Gesch. d. R. R. im Mittelalter Vol. I. cap. III. f. 30. sq. ed. 2. *Mühl.*

b) De Savigny l. l. Vol. II. cap. XI. §. 60. sq. *G. F. Rhon* comment. ad edict. Theodor. Regis Ostrogothorum. Hal. 1816. *Mühl.*

2*

Referendarii subscriptione munita, edita est [c]; vulgo vocant *Breviarium Alaricianum* [d]. Quo quidem opere magna Theodosiani Codicis pars ejusque supplementorum (i. e. novellarum constitutionum), tum etiam complures juris veteris reliquiae, mutilae tamen atque interpolatae, servatae nobis sunt. Haud ita multo post accessit *Lex Romana Burgundionum* [e], maximam quidem partem desumta ex juris Romani fontibus, pluribus tamen in eam translatis e lege domestica Burgundionum capitibus. In conscribendo autem opere etsi liberiore ratione usus sit auctor, quam Gojaricus ille Visigothorum, tamen fontium, unde haustae sint singulae sententiae, ubique fere mentionem fecit [f]. *Mühl.*

§. 25.

Collectio Justiniani.

Meliora facere instituit, atque etiam perfecit, Justinianus, licet a multis reprehensus sit, quod non prudentius hoc negotium conficiendum curaverit, et in eo infelicissimus fuisse judicetur, quod inciderit in tempora, quibus ad gliscentem barbariem vix liceret orbi literario, magnum quid atque excellens a jureconsultis ejus aetatis exspectare [g]. De duobus autem potissimum codicibus concinnandis cogitavit, uno constitutionum, altero juris enucleati, i. e. qui jureconsultorum veterum scripta complecteretur. (Const. *Deo auct.* §. 11). Quod propositum, quomodo peregerit, mox breviter dicetur. *Mühl.*

§. 26.

Hujus Imperatoris genius.

Est hic princeps ancipitis admodum famae, et, si ejus ingenium ex Procopii judicio aestimes, laudibus, quas ei vulgus jureconsultorum admetitur, vix dignus. Fuisse enim dicitur varius in omni genere

---

c) Hugo R. G. p. 1040—1049. ed. XI. de Savigny l. l. Vol. II. cap. VIII. §. 85. sq. Stieber in praef. ad Hauboldi opusc. Vol. II. p. LXXXIV—CLVII. *Mühl.*

d) Cujus libri unica editio prodiit c. Jo. Sichardi, titulum praeferens Codicis Theodosiani. Basil. 1528. Novam G. Haenelius parat editionem, cujus jam specimen edidit hoc ipso anno (1838). *Mühl.*

e) Perperam etiam vocatur *Papianus;* de cujus erroris causa vid. Hugo R. G. p. 1050. ed. XI. cf. de Savigny l. l. Vol. II. Cap. VII. §. 3. *Mühl.*

f) Novissime legem Romanam Burgundionum edidit A. F. Barkow. Gryphiswald. 1836. *Mühl.*

g) Reprehensionis verba sunt fere Auctoris. Sed vid. de Savigny Gesch. d. R. R. im Mittelalter Vol. I. cap. I. ed. 2. *Mühl.*

vitae, cleri pariter ac Theodorae, mulieris scenicae, quam uxorem duxerat, ludibrium, ad evertendas pretio leges paratissimus, a prudentia denique legislatoria parum instructus. Sic eum describunt fide Procopii *in Anecdotis* [h]) a Nic. Alemanno vulgatis, cui tamen ab Eichelio, Gabriele Trivorio, Jo. Petr. Ludevigio aliisque acriter contradictum est.

§. 27.

JCtorum, quorum opera usus, indoles.

Nec opera usus dicitur virorum huic labori parium, sed *Dorothei*, *Theophili*, aliorumque hujus commatis jureconsultorum, et maxime *Triboniani*, cujus indolem post Suidam in voce *Tribonianus*, vivis coloribus depinxit Franc. Hotomanus in *Antitriboniano* c. 11. *et* 12. *p.* 146. *sq.* [i]). Et sane quum hujus viri imprudentia et sublesta fides ex ipsis operibus elucere videatur, (quamvis et quaedam ei perperam vitio vertantur,) mirati olim sumus, Jo. Chiffletium *de utriusque juris architectis*, et Janum Vincentium Gravinam *de ortu et progr. jur. civil.* c. 137. *p.* 159. *sq.* tanto molimine ejus caussam egisse. At, re paullo adcuratius expensa, non magis eo nomine indignamur Triboniano, quam Juliano. (§. 14.) Nihil enim illum, nisi ex praescripto principis, egisse, satis constat. [k]).

§. 28.

Codex Justinianeus.

Hujus ergo viri opera [l]), auspiciisque Justiniani, A. C. DXXVIII. Id. Febr. primo loco prodiit CODEX JUSTINIANEUS, qui, quam parum diligenter fuerit a decemviris huic operi praefectis collectus, vel

---

h) At homini illi eo minus tuto credere licet, quo majus odium prodit adversus Justinianum et Theodoram, quoque magis in reliquis libris suis illos laudat. Imo aliquando res incredibiles narrat, animumque prodit ab omni fide abhorrentem: *Dissert. nostr. de philosoph. semichrist.* §. 23. in *Opusc. miscell. Sylloge I. Hein.*

i) Sed hunc Hospitalio palpum obtrudere voluisse, et hinc novam jurisprudentiae sectam instituere non dubitasse, ostendimus *in praefat. praemissa Wissenbach. Emblem. Tribon. Halae* 1736. 8. *Opp. T. III. Sect.* 1. *p.* 171—182. *Hein.*

k) Vid. const. *Haec quae necessario* §. 2. const. *Tanta* §. 10. const. *Summa reipubl.* §. 4. const. *Cordi nobis* §. 3. *Mühl.*

l) Imo sexto demum loco nominatur Tribonianus in eorum virorum numero, quibus Codicis hujus colligendi provincia demandata est; const. *Haec quae necessaria* de novo Cod. fac. §. I. Vide et Cannegieteri obs. 11. *Mühl.*

inde patet, quod postea una litura videretur inducendus [m]): *Const. Cordi nobis, de Emendat. Cod. Just.* §. 5.

§. 29.

Pandectae.

Deinde XVII viris datum negotium conficiendi PANDECTAS vel DIGESTA [n]), in quae Tribonianus ejusque socii, quidquid ex veterum jurisconsultorum scriptis excerpserant, conjecerunt. Sed quam parum diligenter isto quoque labore defuncti sint, et brevitatem temporis ostendere, ajunt, (intra triennium enim tantum opus absolverunt,) et parum commodam excerpendi methodum [o]) et ordinem rerum perturbatissimnm, ne ad edicti quidem perpetui seriem per omnia redactum (vid. Bynkersh. *Obs. II.* 25.), et tot denique emblemata, quae jam dudum Pardulphus Pratejus *in Jurisprudentia media*, et Jac. Wissenbachius *singulari Tractatu* notarunt. Quamvis et hic aliquando injuria fiat Triboniano, [quemadmodum ejus caussam solide egit V. C. Jo. Wybo, et nos egimus *in Defensione Justin. Tribon. et Corporis juris;* vid. *Opuscc. nostr. minor. p.* 218. *sqq. et Opp. T. III. Sect.* 1. *p.* 126 — 170.]

§. 30.

Institutiones.

Tum porro sequutae sunt INSTITUTIONES, a Triboniano, Theophilo et Dorotheo, (tantillum scilicet compendium a tribus viris) conscriptae. In iis et divisionem librorum, et materiarum ordinem aliquando auctorum ἀκρισίαν arguere, contendunt. In plerisque tamen

---

m) Interim laudatur prior iste Codex in Institutionibus, in quibus adeo ad multas constitutiones remittimur, quae in nostro *Codice repetitae praelectionis* desiderantur. *Hein.* Non solius Triboniani opera, sed decem virorum, qui recensentur in §. 1. *Const. de nov. Cod. fac.* est compositus, non praeterea codex Justinianeus prodiit a. 528. Id. Febr. tunc illum fieri jussit imperator, sed anno sequenti prodiit VII. Id. Aprilis, vim juris obtinuit ex die XVI. Kal. Maii. *Cann.*

n) *Digestorum* vocabulum jam olim jureconsultis familiarissimum fuit. Exstiterunt *Digesta* Juliani, Alpheni Vari, Juventii Celsi, Ulpii Marcelli, Cervidii Scaevolae, Pauli. Ita vero vocati sunt libri, quibus decisiones et disputationes juris continebantur, ac veluti digestae erant. Bertrand. *de Jurispr. I,* 1. Ita et *Pandectas* scripsere Ulpianus et Modestinus. *Hein.*

o) Vid. tamen F. Blume Ordnung d. Fragm. in d. Pand. in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. Tom. IV. p. 257 — 472. et G. A. Reimarus Bemerkungen u. Hypothesen über die Inscriptionen-Reihen d. Pand. Fragmente. Gött. 1830. cf. et Witte in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VIII. p. 153. sq. *Mühl.*

sequuti sunt Gajum p), quem Imperator, vel potius Tribonianus, ideo *suum* vocat. Conf. de eo Gajo Menag. *Amoenitatt. jur. civ. p.* 464. Bertrand. *de Jurisperit. I.* 29. Guil. Grot. *Vit. Jurecons. II.* 7.

§. 31.

Codex repetitae praelectionis.

Sed ne hic quidem substitit Justiniani diligentia. Quum enim prior ille Codex parum placeret, et in multis Pandectae ab eo discreparent q): denuo V viris ejus emendationem commendavit. Unde prodiit CODEX *repetitae praelectionis*, (seu potius Codicis repetita praelectio), promulgatus anno DXXXIV, XVI. Kal. Dec., qui etiamnum exstat.

§. 32.

Novellae.

Denique Justinianus, ut erat ad mutandum emendandumque jus proclivis, multa in superioribus libris promulgata ipse sustulit et mutavit, editis subinde novis constitutionibus, quas NOVELLAS adpellant r). Novem earum collectiones, vel, ut barbare vocantur, *collationes* a cujusnam manu sint, parum constat s). Nec omnes Justi-

---

p) Exstat etiamnum GAJI *Institutionum* sive epitome, sive ἀποσπασμάτιον, ab Aniano Wisigotho servatum, atque hinc inde interpolatum, quod cum aliis ejus fragmentis luculentoque commentario edidit Jac. Oiselius et suis, aliorumque adjectis notis, Ant. Schulting. *in Jurispr. vetere antejustinianea. Lugd. Bat.* 1717. 4. (et in corp. jur. antejust. Bonn. Fasc. I. P. 2. p. 1. *M.*) Seculo tamen XI. integriores adhuc superfuisse Gaji institutiones, ex Cyni loco memorabili ostendit Bynkersh. *de reb. manc. c.* 7. p. 107. *Hein.* Jam hac nostra aetate sincerae Gaji institutiones, ac fere integrae, in bibliotheca capitulari Veronensi a Niebuhrio repertae et a J. Fr. L. Goeschenio primum editae sunt. Berol 1820. ed. 2. ibid. prodiit 1824. In corp. jur. Rom. antejust. exstat Heffteri editio Fasc. I. p 1. sq. *Mühl.*

q) Accedit, quod novae etiam post priorem codicem confectum editae erant constitutiones, in quibus eminent *quinquaginta decisiones*, veterum altercationum causa propositae. Vid. const *Cordi nobis* de emend. codic. §. 1. 2. 5. Hugo R. G. p. 1083—1086. ed. XI. Zimmern R. G. §. 49. *Mühl.*

r) De quibus jam vide librum praestantissimum F. A. Bieneri, qui inscribitur: Gesch. der Novellen Justinian's. Ber. 1824. *Mühl.*

s) Ipsum enim Tribonianum, qui *Novellarum* collectionem promisit §. 4. *Const. Cordi nobis de Emend. Cod.* auctorem haud esse, vel ex stilo adparet. Nec magis de Berguntione liquet. *Hein.* Certiora de Novellarum in novem collationes descriptione (licet etiamnum auctor ejus ignoretur) invenies apud Bienerum l. l. p. 271—285 et de Savigny Gesch. d. R. R. im Mittelalter Tom. III. §. 184. et §. 193. 194. T. IV. in adp. p. 485. T. V. p. 62. et in adp. p. 571. sq. *Mühl.*

niani, sed quaedam etiam Tiberii Imp. sunt, uti CLXI. CLXIII. CLXIV. quaedam etiam Justini II., uti CXL. CXLIV. CXLVIII. CXLIX [t]). Id saltem vel ipsa versio ineptissima indicat, eas collationes barbaris seculis confectas [u]). [Ineptum enim est, verba verbis reddere, ut fecit interpres, qui saepe tamen sensum optime adsequutus est: Cujac. *Observv. VIII.* 40.] [x]) Unde de Graeco restituendo textu jam dudum solliciti fuere eruditi. [y]) Novellas CXLIV [* imo integriores nonnisi CXXXIV *] Graece edidit Greg. Haloander *Norib.* 1531. *fol.* [z]) alias XXIII e codice Fuggeriano extulit Henr. Scrimgerus Scotus, quae prodiere *ex Stephaniana* [* s. l. sed *Genevae**] 1558. Exstant et versiones latinae cultiore stilo adornatae partim a Juliano [a]), Patricio et Antecessore Constantinopolitano,

---

t) Biener l. l. p. 93 — 97. Quaedam etiam ex Eparchicis i. e. ex edictis Praefectorum . Praetorio, desumtae sunt, nempe Nov. 165. 166. 167. 169. Vid. Biener l. l. p. 93 — 102. *Mühl.*

u) Conjecturas de vulgatae versionis auctore vid. apud Aem. Lud. Hombergk zu Vach de Novellar. constit. lingua originaria et vulgatae versionis aetate, auctore et usu in foro. Cap. II. et Bienerum l. l. p. 260 — 262. *Mühl.*

x) Cui etiam conjungend. Schrader in Prodr. corp. jur. civ. p. 28. not. 23. *Mühl.*

y) Nec omnes tamen Novellae Graece conceptae. Vid. *Nov.* 9. 11. 23. 33. 35 — 37. 62. 65. 75. 104. 114. 138. 143. 150. quae manifesto latine editae a Justiniano. *Hein.* Sunt etiam quaedam utraque lingua conscripta, ut Nov. 17. (praeter praefationem, quae latine scripta est), 18. (cf. Nov. 66. c. 1.), 32. (quae quidem graece edita, eadem tamen est, quae Nov. 34. latino sermone composita), 111. Vid. Biener. l. l. p. 17 — 19. *Mühl.*

z) Vid. Biener. l. l. p. 86. et p. 341 — 348. G. E. Heimbach in der Zeitschr. für gesch. R. W. T. VIII. p. 317 — 330. *Mühl.*

a) Ad hunc Julianum pertinet epigramma Theaeteti, quod exstat in *Antholog. IV.* 1.

Τοῦτον Ἰουλιανὸν νουικῆς φάος εἶπον ἰδοῦσαι
Ῥώμη καὶ Βερόη, πάντα φύσις δύναται.
Roma et Berytus, conspecto hoc lumine legum,
Quantum, ajunt, virtus, ingeniumque potest!

Quod elogium ad Salvium Julianum, Edicti perpetui conditorem, frustra retulerunt Alciat. *Dispunct. II.* 27. et Bertrand. *de Jurisperit. I.* 1. *p.* 30. merito hinc notati a Menagio *Amoenitatt. Jur civil. c.* 24. et Guil. Grot. *vit. Jurecons. II.* 6. *p.* 122. *Hein.* Julianus antecessor non vertit Novellas, ut ait auctor, Panciroluin sequutus, sed tantum epitomen Novellarum edidit, quae a glossatoribus Novellarum adpellatione insignitur. Patricium fuisse hunc Julianum dixit nullus, et male forte confunditur cum illo, cui libros suos inscripsit Priscianus; vid Fabricii *Bibl. Lat. Lib. IV. c.* 7. §. 3. *Cann.* De Juliani epitomatore ejusque opere vid. Biener. l. l. p. 70 — 84, p. 232 — 242, p. 604 — 607. — Graeca etiam exstat epitome

partim a Greg. Haloandro, quarum haec cum corpore juris Haloandrino, illa e bibliotheca Pithoeorum prodiit *Bas.* 1576. *f.* et *Paris.* 1689. *f.* b)

§. 33.

Authenticae.

AUTHENTICAE ex novellis desumtae adjectaeque codici jam seculo VI. a Gregorio M. *Epist. XI.* 54. Juone Carnot. *Part. III. c.* 185. citantur. Unde nec ab Irnerio solo sunt, ut vulgo creditur, nec a Jureconsultis Papiensibus, qui tamen forsan eas auxerunt. Vid. Strauch. *Diss. Acad. IV. c.* 1. 2. Beyer. *Posit. Pandect. I.* 2. *p.* 30. *sq.* [V. Ill. Corn. van Bynkershoek *de Auctorib. authent. c.* 2. *sq.*] c)

§. 34.

Usus juris Justinianei in occidente.

Post Justiniani tempora in occidente non adeo magnum juris Justinianei usum fuisse comperio. *Wisigothi* Codicem Theodosianum compilationi Justinianeae praeferebant d). In *Italia*, quo Longobardorum arma non pertinuerunt, *Codex* tantum et *Novellae* in aliquo pretio erant. Postea a Francis permissum Italis, jure vel Longobardico, vel Romano, vel Francico uti. Demum ab Irnerii temporibus renatum est studium juris civilis in scholis Italicis. De quibus omnibus videndus Conring. *de Orig. jur. c.* 20. *sq.* e).

---

et interpretatio *Athanasii Scholastici Emiseni*, quae quidem utilissima est in explicandis Justiniani Novellis, tum justam ad crisin exigendis his, quae ab illarum aut collectoribus aut editoribus praestita sint. Integrum librum cum aliis Graecorum Byzantinorum scriptis ineditis primum edidit G. E. Heimbach Lips. 1838. *Mühl.*

b) Exstat etiam Hombergkii versio latina, quam novissimi Novellarum editores (Spangenberg, Beck et Ossenbrüggen, atque is quidem multis in locis ab ipso correctam) una cum vulgata typis exprimi fecerunt. *Mühl.*

c) Certiora de authenticarum historia (quam accuratius prosequi hujus non est loci) habent F. A. Biener hist. authenticarum Lips. 1807. Wenck in Vacario p. 129—133. de Savigny Gesch. d. R. R. im Mittelalter T. III. §. 195. et §. 196. T. IV. §. 39—58. *Mühl.*

d) Seu potius Alaricianum, quem Alaricus rex maxime ex Gaji Institutionibus, Pauli receptis sententiis et tribus Codicibus (Gregorianum, Hermogenianum et Theodosianum dico) compilari jussit: Conring. *de Orig. jur. Germ. Cap. IV.* et *V.* Jo. Selden. *Diss. ad Fletam V.* 2. *sq. Hein.*

e) Jam vero qui plura de his probabilioraque scire cupiunt, adeant Friderici Car. de Savigny opus immortale, quod inscribitur: *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. I—VI. Heidelb. 1815—1831. Trium priorum voluminum nova prodiit editio 1834. *Mühl.*

§. 35.

In oriente jus Justinianeum primo Graece versum f).

At in oriente per complura etiam saecula juris Justinianei usus obtinuit, quamquam omnem fere in foro auctoritatem versiones interpretationesque graece conscriptae occupaverant, quippe quae ad vulgarem popularemque sensum magis essent accomodatae g). *Mühl.* Institutionibus eam operam navavit Theophilus ille ipse, qui Institutiones cum Triboniano et Dorotheo elaboravit. [*Praef. nostr. ad Vinnium*, et Jo. Henr. Mylii *Vindic. Theophil.*] Ejus enim paraphrasin jam laudari a Thallelaeo ipse observat Fabrot. *in Praefat. ad Theoph.* vid. Gundlingiana *Part. II. Obs. II.* [et Boehmeri *praefat. ad Institutt.* ubi id falsum esse docet.] Pandectis et Codici Thallelaeus, Phocas, Theodorus Hermopolites, Anatolius, Isidorus, aliique h). Vid. Suares. *Notit. Basilic. Tom. I. praemiss.* Vinc. Gravina *de ortu et progr. jur. civ. n. CXXXVIII. p.* 163. *sq.* Theophili *paraphrasis* potius, quam versio, etiamnum exstat, edita primum a Viglio Zuichemo, insigni Frisiae ornamento *Bas. anno* 1534. *f.* deinde a Christiano Wechelio *Paris. eodem anno* 8. hinc a Jodoco Petro Neithardo [* *Basil.* *] *anno* 1544. 8. porro a Jac. Curtio [* sed tantum lat. non gr.*] *anno* 1545. [* imo princeps vers. Curt. ed. prodiit jam 1536. 8. *Antverp.* *], Dionysio Gothofredo *anno* 1587. [* *Genev.* 4.*] a Carolo Hannibale Fabroto *Paris.* 1638 et 1657. 4., (denique a Guil. Ottone Reitz, qui et fragmenta Theophilina ante inedita subjunxit. Hag. 1751.)

§. 36.

Deinde nova collectio tentata Basilio.

Postea Basilius Macedo novam collectionem instituit, desiderans in Justinianeo corpore brevitatem, perspicuitatem, ordinemque concinnum: Cedren. *Annal. p.* 568. Leon. Imp. *prooem. ad Basilica.* Sed morte praeventus, non nisi epitomen edidit Codicis Justinianei,

---

f) Omnia sub censuram vocare, quaecunque hic sequentibusque in locis de Graecorum jure Byzantinorum Auctor in medium protulit, longum est atque ab hujus operis consilio quam alienissimum. In eo igitur acquievi, ut aut omissa quaedam supplerem, aut minus recte dicta emendarem, utique tunc, cum oratio versatur in rebus ejusmodi, quas ignorare neque tironibus licet. *Mühl.*

g) Biener Gesch. d. Novell. Justinian's p. 121—123. *Mühl.*

h) De Novellarum interpretatione imprimis meriti sunt Theodorus Hermopolitanus et Athanasius Emisenus, cujus nobis fortuna secunda integrum servavit librum (vid. §. 32.). Praeterea complura Graecorum JCtorum fragmenta in

quam πρόχειρον τῶν νόμων adpellavit [i]). Periit hoc opus praeter fragmenta quaedam de nuptiis in Jo. Leuncl. *Jur. Graeco Rom. Lib. II. p.* 86. aliudque apud Baron. *Ann. DCCCLXXVI. n. XII.*

§. 37.

Et Leone.

In labore illo Basilio, idem, qui in imperio, successit Leo [k]), filius, insigni rerum scientia σοφοῦ vel φιλοσόφου cognomen adeptus. Et is quidem edidit βασιλικὰ νόμιμα, vel διατάξεις βασιλικάς ex Pandectis et Codice, omissis tamen jureconsultorum et Imperatorum nominibus, compilata: Suares *l. c.* [l])

Basilicorum scholiis leguntur, nonnulla etiam seorsum sunt servata. Vid. Thallelaei, Theodori, Stephani, Cyrilli aliorumque JCtorum graecorum commentarios in titulos quosdam Dig. et Cod., quos primum edidit Dav. Ruhnkenius Hag. 1752. *Mühl.*

i) De vero operis, quod Basilicorum nomine nunc circumfertur, auctore necdum inter eos satis convenit, qui, praesertim hac nostra aetate, quaecunque ad hanc rem illustrandam faciant, diligentissime undique conquisiverunt. Nam (ut alios omittam) vid. Car. Wittium Rhein. Mus. T. III. p. 35. sq. §. 6. et Gust. Ern. Heimbachium in prolegom. ad Athanasii Emiseni novellar. comment. p. XXXIX —XLII). Quicquid vero hoc sit, id tamen pro certo affirmari potest, insigniter errare Auctorem, qui Basilium Macedonem nihil nisi epitomen edidisse Codicis Justiniani eamque esse τὸ πρόχειρον τῶν νόμων arbitratur. Vid. ipsius prochiri praef. in thes. Meerm. T. VIII. p. IX. et quae ad §§. sqq. sunt notata. *Mühl.*

k) Est idem auctor Novellarum Leonis, quae latine addi solent Corpori juris. Eas primus edidit Scrimgerus 1568. *fol.* Quae an usum in foro habeant, disquirit Bynkersh. *Observv. IV.* 2. *Hein.*

l) Propius accedere videtur ad veritatem, opus aliquod sat magnum idque sexaginta libris constans ipsum edidisse Basilium (vid. prochiri praef. in thes. Meerm. T. VIII.), deinde repetitam ejus praelectionem libris quadraginta proposuisse (vid. praef. epananoges ap. Wittium Rhein. Mus. T. III. p. 30.), postea Leonem aut viginti libros adjecisse, aut totum librum denuo sub censuram vocasse (vid. Nov. Leonis I. in f.), nomine retento ἀνακαθάρσεος τῶν νόμων, quo jam usus erat Basilius, ut repurgati veteris juris velut esset indicio. Cf. Heimbach. l. l. p. XL — XLII. — Neque vero abrogandi juris Justinianei causa compositum est Basilicorum opus, sed id egerunt imperatores, ut graece legi possent ea, quae ex illius juris libris suorum temporum rationi adhuc convenire ipsis visa sunt. Igitur ex omni fere juris Justinianei volumine Basilicorum libros hauriri voluerunt, his quidem omissis, quae aut a tempore erant aliena, aut novis legibus propius definita. Ex institutionibus paucissima tantum desumta sunt, plurima ex Digestis atque constitutionum Codice, seu potius ex harum collectionum versionibus graecis; Novellae graece conscriptae magna ex parte integrae fere receptae sunt. Vid. Biener Gesch. d. Novell. p. 127 — 140. Heimbach in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VIII. *Mühl.*

§. 38.

Nec non Constantino Porphyrogenneta. Unde natum opus βασιλικῶν.

Denique Constantinus Porphyrogennetus, frater Leonis natu minor m), edidit repetitam βασιλικῶν praelectionem, quae et πρόχειρον μέγα, ut et τὸ πλάτος τῶν νόμων, nec non τὸ πλάτος absolute adpellatur. Et haec ipsa sunt illa βασιλικά, quorum libros XXVIII. XXIX. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. [*latine*] edidit Gentianus Hervetus. *Paris.* 1557. *f.* Librum LX. [*latine *Lugd.* 1566. *f.**] Jac. Cujacius, utraque [* latine*] conjunctim sub titulo βασιλικῶν διατάξεων Dionys. Gothofredus *Hanov.* 1606. *fol.* Libr. XXXVIII. et XXXIX. ex Cujacii schedis [*latine*] emisit Car. Labbaeus *Paris.* 1609. *f.* Integra βασιλικά n) Graeca et Latina debemus Car. Annib. Fabroto, qui ea publicavit *Paris.* 1647. *f.* *Tomis VII.*

§. 39.

Variae epitomae inde confectae o).

Successere variae epitomae, quales sunt I. πρόχειρον μικρόν ab iisdem Imperatoribus confectum, quod et ἐκλογῆς καὶ ἐπιδιορθώσεως nomine venit p). II. Index νομικῶν κατὰ στοιχεῖον per alphabeti seriem

---

m) Imo vero filius ejus. Caeterum, num verus novae recensionis auctor fuerit Constantinus, merito dubitatur. Vid. Witte Rhein. Mus. T. III. p. 37. not. 68. et Ed. Zachariae in libro Eustathiano αἱ ῥοπαι ab ipso edito. (Heidelb. 1836) p. 101. Existimare itaque fas est, opus illud, cujus magna pars ad nos pervenit integra, Leoninae esse adscribendum recensioni. *Mühl.*

n) Libri tamen XIX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XLIII. XLIV. XLIX. [* L. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. *] et LIX. non sunt authentici, sed a Fabroto ex Synopsi βασιλικῶν, Theodoro Hermopolita, Constant. Harmenopulo et Cujacii Commentariis [* ad Cod. Just. Libros tres postr. *] utcumque compilati. Forsan ii etiamnum in bibliotheca quadam latitant. Ita ominabar, secundam editionem quum pararem. Vatem me fuisse haud vanum, nuper demum intellexi Amstelodami ex V. A. Corn. a Bynkershoek, qui se bonam horum partem [* sc. Libros XLIX. L. LI. et Libri LII. initium; editos postea in Thes. Meerm. T. V. (1752.) gr. et lat. *] a juvene nobili, Parisiis redeunte, nactum referebat. Gratulamur seculo hunc thesaurum, praesertim si obstetricias viri doctissimi manus experietur. *Hein.* Jam nova Basilicorum editio., codd. mss. ope multum locupletata, cura Car. Guil. Ern. Heimbachii, Lips. inde ab anno 1833 typis describi coepit. *Mühl.*

o) Meliora jam habemus de juris byzantini compendiis. Vid. Biener Gesch. d. Nov. p. 131—134. p. 142—145. Witte: über einige byzantinische Rechtscompendien des neunten und zehnten Jahrh. im Rhein. Mus. T. II. p. 275 — 291. T. III. p. 23 — 79. et qui in seqq. notis laudantur scriptores. *Mühl.*

p) Ejus titulos priores XXVIII exhibet Jo. Leunclav. *Jur. Graeco Rom.*

digestus, a Jo. Sambuco Pannonio Tarenti repertus et sub titulo ἐκλογῆς βασιλικῆς editus a Jo. Leunclavio *Basil.* 1575. *f.* Auctor fertur Romanus Lecapenus. Vid. Cujac. *Obss. XVIII.* 37. III. Mich. Attaliotae (seu Ataliatae), judicis et Proconsulis, πόνημα seu πραγματική tempore Michaelis Ducae compilata [q]). IV. Michaelis Pselli *Synopsis*, qua jus compendiarium versibus politicis complexus est [r]). V. πρόχειρον Constantini Harmenopuli, qui circa annum MCCCXLV. floruit [s]), ex Basilicis contractum, et si qua sunt hujus generis alia [t]).

§. 40.

Finis juris Justinianei in oriente.

Denique Turcae, capta Constantinopoli, et Graecorum imperio, et juris Romani in oriente studio finem fecerunt, dubiumque est, an

---

Tom. II. p. 79. Conf. Lambec. *Bibl. Vind. Lib. V. p.* 162. *et Lib. VI. p.* 24. 25. *Hein.* Diversa sunt scripta, quae hic commemorantur, atque diversorum auctorum. Ecloga non est Basilii, sed (ut quidem probabiliter colligere licet) a Leone Isauro ejusque filio Constantino edita, centum et viginti septem annis fere ante, quam imperator factus est Basilius Macedo. cf. Ed. Zachariae in prolegom. ad prochirum p. XX—XLVI et Gustav. Ern. Heimbach in prolegom. ad Athanasium p. XXXII. Prochirum impp. Basilii, Constantini et Leonis, medio tempore inter a. 870 et 878 confectum, nunc primum integrum edidit Car. Ed. Zachariae (inscripto titulo: ὁ πρόχειρος νόμος) Heidelb. 1837. Paucis post annis repetita hujus libri praelectio prodiit: vocatur *epanagoge.* Vid. Witte im Rhein. Mus. T. II. p. 278. 282. T. III. p. 28 sqq. 47 sqq. S. 69 sqq. Zachariae in proleg. ad Prochir. p. LXXXIV. sqq. *Mühl.*

q) Edidit illud πόνημα sub titulo σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεως Jo. Leunclav. *Tom. II. p* 1. *Hein.* Michaelis Attaliotae liber non πόνημα dictus est, sed ποίημα νομικόν, neque confundendus cum eo est alius ejusdem liber hic citatus: illa σύνοψις ὡσανεὶ συνόψεως diversa fuit ab *opere legitimo.* Ipse enim Attaliota hoc in opere mentionem facit illius tamquam nondum inchoati, sed jussu Michaelis Ducae a se faciendi. *Cann.* Cf. et Witte, leges rest. p. 41. et Biener in der Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VIII. p. 271. *Mühl.*

r) Prodiit ea synopsis cum aliis quibusdam Mich. Pselli *Opusculis* cura Franc. Bosqueti *Paris.* 1632. 8. *Hein.*

s) Editus est Harmenopulus Graece et Latine cum notis Jo. Merceri et Dionysii Gothofredi *Gen.* 1587. 4. (et cura Reitzii in Suppl. thes. Meerm. p. 1—374) *Hein.* Fuit ille procul dubio seculi quarti decimi Jurisconsultus; vide de eo Jac. Gothofredum in *Bibl. jur.* Waechtlerum in *Actis Erud. Lips. anni* 1715. Fabricium *Bib. Graec. T. X. p.* 274. *Cann.* Vid. et Biener Gesch. d. Nov. p. 156. Witte Rhein. Mus. T. III. p. 59—69. *Mühl.*

t) Haud debebat praeteriri *synopsis Basilicorum,* s. ἐκλογὴ Βασιλικῶν, incerti auctoris et temporis, quam graece et latine edidit Jo. Leunclavius. Basil. 1575. Cf. Biener Geschichte der Novellen p. 151. 156. et Witte leges restitutae p. 36—38. *Mühl.*

in Turcicis dicasteriis quaedam juris Justinianei reliquiae serventur. Vid. Groeneweg *ad prooem. Inst. num. I.* Feltmann ad *L.* 2. §. 3. *D. de O. J.* Pagenstech. *Sicilim. Manip.* 2. *p.* 105. [Jo. Leunclav. *in praef. parat.* et Ism. Bulliald. apud Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 26. *p.* 150.] Leonis certe novellas hodieque in Graecia non extra usum esse, patet ex Christ. Angeli *de statu eccl. Graecae p.* 112. *et* 115. et observavit id Bynkersh. *Obss. IV.* 1. *p.* 385 u).

§. 41.

Ejus incrementa in occidente.

At in occidente a seculo XII. magis magisque in academias et fora irrepere coepit jus Justinianeum, cujus tot ex eo tempore prodierunt editiones, glossae, commentarii, paratitla, systemata, compendia, ut eorum mole et multitudine laboremus. [Remansisse tamen et antea juris usum in Italia, nec Irnerium jus Rom. restituisse, ostendimus ex instituto in *Histor. jur. civ. Lib. I.* §. *CCCCX. sq.*] (Vid. inprimis Savignii opus saepius laudat. *Gesch. d. R. R. im Mittelalter. T. I. et II.*)

§. 42.

Ratio veterum tractandi jus civile.

Quum Justinianus §. 3. prooemii et §. 2. J. de Inst. et jure tituli nonnulla quoque de docendae discendaeque jurisprudentiae ratione moneat: licebit et nobis ea de re ex antiquitatibus disserere. Juris scientiam olim in latenti habebant patricii x), nec temere solebant quemquam, nisi sui ordinis, hisce sacris initiare. Cicero *de Offic. II.* 19. *Quum multa praeclara majorum, tum quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in* POSSESSIONE SUA PRINCIPES *retinuerunt. Nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic hujus*

---

u) Cum scriptoribus hic allatis jam comparandi sunt: Biener Gesch. der Nov. p. 145 — 157. Witte über die Novellen der byzantin. Kaiser in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VIII. Nr. 4. p. 153 sqq. et Biener de eod. argum. ibid. nr. 7. p. 263. sqq. *Mühl.*

x) Hinc est, quod jureconsulti adpellantur *principes civitatis:* Cujac. *ad* Pompon. L. 2. §. 35. *D. de O. J. p.* 1188. *maximique viri:* Pompon *d. L.* 2. §. 35. Hinc illa Mucii objurgatio: *Turpe esse patricio et nobili, et caussas oranti, jus, in quo versaretur, ignorare: L.* 2. §. 43. *eod.* Conf. G. Schubart. *de Fatis Jurisp. Rom. Ex. I.* 16. *p.* 28. *Hein.*

scientiae splendor deletus est. Addi poterit ejusdem Ciceronis *Oratio pro Muraena c.* 12. et *de Oratore I.* 41. y). Et videtur sane antiquissimis temporibus jurisprudentia veluti traditione quadam conservata inter patricios, usu magis, quam institutione, addisci consuevisse. Quod non difficile erat in tanta Romanarum legum paucitate.

§. 43.

Methodus eorumdem tradendi jurisprudentiam.

Primus veterum hanc consuetudinem migravit Tiberius Coruncanius, primus e plebe Pontifex Maximus, anno V. C. D. Is enim juris cognitionem, quam alii in latenti habuerant, paullo amplius divulgavit, et discentibus se dare coepit: *L.* 2. §. 35. *D. de O. J.* Ejus exemplum deinde sequuti sunt alii, veluti Q. Mucius Scaevola, C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus, C. Juventius, Q. Cornelius Maximus, et in primis Servius Sulpicius, quorum ex aedibus, tamquam ex equo Trojano, magna praestantissimorum jureconsultorum frequentia prodiit. Quum vero hi omnes amplissimos in urbe honores gesserint: facile est ad existimandum, eos non scholas aperuisse, aut levi didactro invitatos subsellia posuisse discentibus. Sed solebant, quum de jure consulentibus responderent, admittere juvenes, qui audirent, notarentque responsa, rationemque tradendi atque interpretandi juris, adeoque una opera et consulentibus, et discentibus satisfacere. Cicero in *Oratore ad Brut. c.* 41. *Jus civile docere, semper pulcrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus.* Et paucis interjectis (*c.* 42.): *Alteros respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus.* Ac denique *in Bruto c.* 89. *Ego autem, juris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae, P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Ex quibus patet, usu magis atque exercitatione, quam doctrina, veteres ad tantam de jure respondendi facultatem adspirasse.

---

y) Ostendit enim Cicero, ideo in latenti Jurisconsultos habuisse jurisprudentiam, ut ipsi civium rebus interessent. Nec enim instituebatur actio, nec contrahebatur, nec testamentum fiebat sine jureconsultorum consilio. Arrian. *Dissertatt. Epictet. II.* 13. Cic. *de Orat. II.* 6. *Hein.*

§. 44.

Schola juridica Romana.

Sub Imperatoribus publica Romae schola floruit, jurisprudentiae etiam studiis consecrata, de qua infra dicemus *Lib. I. Tit. XXV. n. 20. sq.* Docuerunt in ea schola jureconsulti vel antecessores duo tempore Theodosii junioris: *L. un. C. Theod. de Stud. lib. urb. Rom. et Const.* Antea tamen eodem instituto, quo veteres erant usi, juvenes domi habuisse videntur Papinianus, de cujus discipulis Lamprid. *in Alex. Sev. c.* 68. quamvis in quibusdam codicibus multi ab illis temporibus remotiores immisceantur, Ulpianus aliique jureconsulti egregii, quorum in Digestis fragmenta exstant.

§. 45.

Methodus docendi in scholis juridicis ante et post Justinianum.

Denique a tertio seculo tres praecipue scholae floruerunt juridicae, ROMAE, CONSTANTINOPOLI [z]), et BERYTI, hoc privilegio munitae, ut non liceret alibi cuiquam jus docere, ut infra docuimus *Lib. I. Tit. XXV. n. 20. sq.* In his scholis ea servata methodus, ut primo anno nonnisi ad limina legitimae scientiae admitterentur, dicti ideo DUPONDII, quasi nullius pretii homines [a]). Secundo anno Edicti audiebant interpretationem, unde et EDICTALES cognominati. Tertio anno ad praelectiones in priores octo libros Responsorum Papiniani admittebantur, atque inde dicebantur PAPINIANISTAE: quo nomine adeo sibi placebant jurium studiosi, ut diem, quo ejus doctrina primum fuerant initiati, festum sollemnemque haberent. Bertrand. *de Jurisperit. I. 2. p.* 38. Quarto anno Responsa Pauli in manibus erant, eaque tunc ipsi recitabant, et tum dicebantur λύται, quasi solvendis quaestionibus idonei, vel ut ait Juvenalis *Sat. VIII. v.* 50.

Qui juris nodos legumque aenigmata solvunt.

Unde errant, qui λύτας vertunt solutos: sic enim dici debuissent λύτοι, ut recte observat Turneb. *Advers. VIII.* 19. Quinto anno, quo

---

z) Tempora miscet Auctor; vid. quae paulo accuratius ipse tradit Lib. I. Tit. XXV. §. XXII. *Mühl.*

a) Seneca *Controv. X.* 1. *Itane peribunt decem juvenes propter dupondios duos?* Hieronym. *ad Helvid. p.* 12. *Tom. VI. Opp. Quis te, oro, dupondio supputabat?* Et Petron. *p.* 13. *dupondium* pro pretio vilissimo accipit, ubi addendae virorum doctorum observationes, et Cujac. *Observv. XII.* 40. Nemo non hic deprehendet speciem quamdam monstri illius scholastici, quod recentiore aetate Pennalismi nomine academias invaserat. *Hein.*

constitutiones addebant, *προλύται* dicti. Sed mutavit nonnulla Justinianus, qui primo anno Institutiones suas et *τὰ πρῶτα* legum praelegi, novitiosque JUSTINIANEOS *novos* dici voluit: [vel, uti V. C. Ch. Gottl. Schwarz. in *Diss. an omnia Pandect. exemplaria e Florentinis manarint?* §. *XVI.* in suo codice reperit, JUSTINIANISTAS;] secundo quosdam Digestorum libros, quos ipse praescribit, per vicissitudinem interpretandos, audiebant, servato EDICTALIUM cognomine. Tertio anno PAPINIANISTAS vocari concessit, sed audire eos jussit libros Digestorum XX. et XXI. b). Reliquos Digestorum libros adjiciebant anno quarto, quo *λύται* dicti, quemadmodum quinto codicem jungebant, et *προλύτων* nomen eo ipso merebantur. Vid. Justin. *Orat. ad Antecessores* §. 2. 3. 4. 5. et ibi interpretes.

b) Addend. etiam lib. XXIII. Atque his quidem tribus libris, quoniam in vicem successerunt responsorum Papiniani, *Antipapiniani* (seu ex Byzantinorum usu loquendi Antipapiani) nomen inditum est. Vid. Hugo civ. Mag. T. VI. nr. 18. p. 362. sqq. *Mühl.*

LIB. I. TIT. I.

DE

JUSTITIA ET JURE.

Titulo hoc Institutionum non inculcantur leges quaedam Romanae, sed principia generalia, et quae ad ideam justitiae et juris concipiendam faciunt. Quum ergo in definitione JUSTITIAE et JURIS a recentioris scholae placitis se procul sejunxerint veteres jureconsulti: ratio ejus rei ex antiquitate erit reddenda.

§. 1.

Jurisconsulti operam dabant philosophiae.

Jurisconsulti, quod inter omnes constat, plerique cum legum studio philosophiam olim conjunxere, ex ejusque principiis leges sunt interpretati. Unde recte Cicero *de Legg. I.* 5. *non a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima* PHILOSOPHIA *hauriendam juris disciplinam* putat.

§. 2.

Maxime Stoicae.

Quamvis vero non eidem omnes sectae nomen dederunt, et Epicureae inprimis favisse dicuntur C. TREBATIUS TESTA [a]), (*Cic. VII. ad Div.* 12. *Gassend. de vit. et morib. Epic. Tom. V. Opp. p.* 188. Aegid. Menag. *Amoenitatt. jur. civ. p.* 80.) ALFEN. VARUS, (*L.* 76. *D. de Judic.* et ibi interpretes) et alii: plerique tamen, veluti Scaevola, Tubero, Rutilius, teste Athenaeo, *Deipnos. VI.* 21. *p.* 274. Stoicam philosophiam maximi habebant [b]), vel quia Zeno minime, ut aliae sectae philosophorum, a rebus gerendis avocabat, (Diog. Laert. *VII.* 122. *et* 130.) eaque secta *turbidos et negotiorum adpetentes* facere videbatur; Tacit. *Ann. XIV.* 57. vel quia isti sapientes philosophiam practicam felicius, quam alii, excoluerant. Et hinc Stoica philosophia *summa* dicitur *sapientia: L.* 2. *D. de LL.* [c]). Multis id demon-

---

a) Dissentit Schilter. *Manud. phil. mor. ad jurispr. I.* 6. *p.* 7. Sed Trebatius initio Stoicus, postea Epicureus factus videtur. Cic. *ad Div. VII.* 12. *Hein.* Vid. tamen Zimmern R. G. §. 80. not. 6. *Mühl.*

b) Vid. et Cicero de Orat. cap. 30. 31. A. Gellius in noct. att. I. c. 22. *Mühl.*

c) Fallitur ergo Paganin. Gaudent. *de ortu et progr. philos. ap. Rom. c.* 43. *p.* 106. qui plerosque JCtos cum Aristotele potius et Platone sensisse putat. Conf. *Obss. Hal. VII. p.* 252. *Hein.*

strarunt Schilterus in *Manuductione philosoph. moral. ad jurisprud. c. I.* Vinc. Gravina *de ortu et progressu jur. civil. c. 44. p.* 80. Em. Merill. *Observ. I.* 8. et singulari ac pererudita oratione V. C. Ever. Otto.

§. 3.

Unde multa in jure Stoica.

Hinc frequentissimae in jure nostro I. *derivationes nominum* satis contortae, quales stoicis erant sollemnes, e. g. testamentum quasi testatio mentis: *pr. Inst. de Testam. ord.* mutuum, quasi quod ex meo fit tuum: *L.* 2. §. 2. *D. de Reb. cred.* peculium, quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium: *L.* 5. §. 3. *D. de Pecul.* divortium, quasi diversitas mentium, qua in diversas partes itur: *L.* 2. *pr. D. de Divort.* agnati, quasi a patre cognati: *L.* 7. *D. de Legit. tut.* Vid. Cujac. *Obs. XI.* 37. Em. Merill. *Observ. I.* 8. *sq.* Frequentissimae II. *definitiones* mere stoicae, tum vero III. *divisiones stoicae,* qualem esse illam rerum corporalium et incorporalium, ex Sexti Empirici *VII. adv. Mathem.* et Senec. *Epist. LVIII.* observavit Oiselius *ad Gaji Inst. II.* 1, 1. *p. m.* 73. Frequentissimae denique IV. *decisiones* ex interioribus philosophiae stoicae principiis derivatae, quales collegerunt Vinc. Gravina *l. c.* Schilterus *l. c.* et V. C. Ever. Otto *de philos. Stoica Jurec.* [Quo in primis pertinent decisiones de promissis vi et metu extortis: *L.* 21. §. 5. *D. Quod met. causs.* et de αὐτοχειρίᾳ. *L. ult.* §. 4. *D. de Iis, qui ante sent. mort.*]

§. 4.

Aemulatio inter jureconsultos et philosophos.

Quamvis vero philosophiae amantissimi essent Romani Jureconsulti: semper tamen inter eos reliquosque philosophos ἀπράκτους, in primis Epicureos, quaedam intercessisse videtur aemulatio. Eoque pertinere arbitramur verbosam illam Ulpiani declamationem de *vera non fucata jureconsultorum philosophia: L.* 1. §. 1. *D. de Justit. et jure,* non absimilem illis, quae Horatius *Epistolar. Lib. I. ep.* 1. *v.* 16. *sq.* canit:

Nunc agilis fio et mersor CIVILIBUS UNDIS,
Virtutis verae custos rigidusque satelles.

Conf. Cic. *ad Div. III.* 9. et 10. ubi Epicuri philosophia ἄπρακτος *astuta* vocatur. Locum praeclare explicari memini in Gundlingianis. [**Fasc. XV. num.* 5. *p.* 486—488.*]

§. 5.

Cur jureconsulti multa philosophorum propria juri adplicarint.

Et ista quidem aemulatione factum est, ut jureconsulti ea, quae philosophorum erant propria, ad se raperent, e. g. ut definitionem philosophiae juri suo adplicarent: §. 1. *Inst. h. t.* ut loco juridicae definitionis justitiae darent mere moralem et philosophicam: et denique ipsa illa juris praecepta §. 3. *Inst. h. t.* ex philosophia morali Stoicorum in jus transferrent. Conf. Schilter. *l. c.* Christ. Thomas. *Adnot. ad Inst. h. t.* Ger. Noodt *Jul. Paul. X. p.* 365. et quae nos observavimus in *Elem. Juris civil. h. t.* (De ratione, qua usi sunt veteres, in conjungendis cum arte nostra aequi honestique omninoque philosophiae praeceptis, meliora invenies apud C. T. Welckerum: *Recht, Staat und Strafe. Mühl.*)

LIB. I. TIT. II.

DE

JURE NAT. GENT. ET CIVILI.

§. 1.

De variis juris speciebus summatim tractatur.

Jus, quo homines utuntur, ex triplici esse repetendum fonte veteres censuerunt: aut a natura, aut a gentium moribus, aut a propriis cujusque populi institutis; unde tripartita illa divisio emanavit juris, in *naturale*, *gentium*, et *civile* [a]). Et naturale jus interpretantur: quod natura omnia animalia docuit; unde descendit maris et foeminae conjunctio, liberorum procreatio et educatio [b]). Jus gentium est, quo, quum ex ratione esse profectum videatur, communiter utuntur gentes, qui moribus ac legibus reguntur; civile est, quod quisque populus ipse sibi constituit. Prae ceteris autem appellatur jus civile, quo Romani utuntur, illud vel maxime, quod proprium est Romanorum. Idque constat aut ex scripto, aut ex non scripto [c]). Ex non scripto jus venit, quod moribus introductum usuque diuturno

---

a) Pr. §. 1. 2. 11. *I. h. t.* c. 1. §. 3. 4. c. 2 — 5. c. 9. D. *de just. et jur.* — *Dirksen* im Rhein. Mus. T. I. Nr. I. *Zimmern* Röm. R. G. §. 13. *Mühl.*

b) *Cic.* de offic. I. 4. — *Seneca* Hippolyt. III. v. 913. 914. — C. 14. §. 1. D. *de ritu nuptiar. Mühl.*

c) §. 3. 10. *I.* h. t. L. 6. §. 1. D. de *just. et jure. Mühl.*

comprobatum est d). Scripti juris partes sunt ***lex, plebiscita, senatusconsulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum*** e). Et de his quidem eo nunc ordine exponendum erit, qui ad historicam rei tractandae rationem proxime accedit. ***Mühl.***

§. 2.

Leges proprie sic dictae a quibus latae?

Lex Romanis, libera adhuc republica, vocabatur, quam populus Romanus, superiore magistratu rogante, constituebat: §. 4. *Inst. h. t.* Ejusmodi magistratus superiores, quibus cum populo agendi jus esset, praeter Reges, Interreges, Dictatores, Consules, erant Tribuni militum cons. potestate, Censores f), Praeto-

---

d) §. 9. *I. h. t.* — Cf. *Cic.* Top. c. 5. *Mühl.*

e) Quare Justinianus responsa prudentum in scripti juris fontes retulerit, quum Pomponius (c. 2. §. 5 et 12. D. *de orig. jur.*) jus prudentum auctoritate compositum eo in jurium genere habuerit, quod sine scripto venit, non satis constat inter eruditos. Videtur imperator respexisse jus illud, quod a principibus impertitum est Jurisconsultis, ut responsa eorum praescriptave legum fere ad instar essent (vid. infra §. 39. sqq.). Scriptum enim jus est, quod ex mera praescribentium s. constituentium auctoritate proficiscitur, atque hinc est, quod Cicero (orat. part. c. 37) etiam tabulas testamenti, pacta conventa et stipulationes scripto juri adnumeret. Jam vero, quod, dum libera respublica stetit, a JCtis introductum erat jus (de quo quidem Pomponius loquitur), id non prius legis auctoritatem obtinuit, quam moribus consuetudineque esset confirmatum, unde etiam *juris recepti* nomine venit; (vid. §. 36. huj. tit.). *Mühl.*

f) An Censoribus jus fuerit populum ad suffragia in campum vocandi, sive magistratus creandus, sive lex ferenda esset, satis certum non est. Ait Livius IX, 42. *Appium Censorem petiisse consulatum, comitiaque ejus a L. Furio tribuno pl. interpellata, donec se censura abdicavit:* sed *comitia ejus* intellige, in quibus ageretur de Consulatu in eum conferendo. Ita Cicero contra Rull. c. 2. *comitia sua* vocat, in quibus Consul designatus fuerat: hinc et comitia magistratuum creandorum non ab illo nomen accipiunt, qui convocavit, sed a magistratibus, qui in iis creantur. Ita Consularia, Praetoria, Tribunitia, Quaestoria e Pontificia sunt, in quibus Consules, Praetores, Tribuni plebis, Quaestores et Pontifices fiunt. Lex Caecilia de fullonibus (Plin. hist. nat. XXXV. 17.) non a Censore lata, sed Censores ejus ferendae Caecilio Metello auctores fuere, non ipsi tulere. Et licet Justinianus senatorio magistratu rogante leges latas dicat, censoresque senatoriis magistratibus adcenseantur: non tamen in omnibus haec definitio procedit. Hotomanus per senatorios magistratus intelligit Consules, Giphanius patricios: incertum tamen manet, an Censores leges tulerint. *Cann.* Varrone auctore, de lingua lat. c. 9. censores poterant quidem convocare exercitum urbanum, i. e. centuriata comitia habere, haec tamen comitia census lustrique habendi gratia fiebant, nec proprie comitia, sed conciones appellabantur. Liv. hist. XLIII. Varro l. l. Vid. Adam Röm. Alterthümer I. p. 165. ex sec. Meyeri edit. et *C. F.*

res [g]). Hinc non ignotae leges *regiae;* non ignota lex Aemilia de censura a *Dictatore;* lex Aelia Sentia, a *Coss.* lex Pinaria de ambitu a *Tribuno mil. cons. pot.* lex Aurelia judiciaria a *Praetore* (Epit. Liv. *XCVII.*) latae.

§. 3.

Earum scriptio.

Ab his ergo magistratibus, lex, si qua opus videretur, primo domi *scribenda* erat. Quod fiebat adhibitis viris prudentibus et necessariis, cum quibus expendere solebant, an lex esset e republica, majorumque moribus conveniret. Unde plerumque additae formulae: SI QUID JUS NON FUIT ROGARI, EJUS HAC LEGE NIHIL ESSET ROGATUM, itemque: SI QUID CONTRA ALIAS LEGES EJUS LEGIS ERGO LATUM ESSET, UT EI, QUI EAM LEGEM ROGASSET, IMPUNE ESSET [h]). Cic. *ad Attic. III.* 23. (et or. pro Caec. c. 33.) Conf. Brisson. *de Form. II. p.* 138.

§. 4.

Communicatio cum senatu.

Scripta lex *communicabatur cum senatu,* sine cujus auctoritate cum populo agere nefas habebatur. Liv. *I.* 17. Plutarch. *in Coriolan.* 29. Quum vero senatus nonnumquam difficilior esset in permittendis comitiis, lege Maenia cautum est, *uti, rogatore comitiorum justo postulante, patres ante inita suffragia fierent auctores ejus rei, quam populus jussurus esset.* Cic. *in Bruto c.* 14. In eamdem sententiam legem tulit Q. Publilius Dictator apud Liv. *VIII.* 12. Et postea, quum iste mos desuetudine obumbraretur, illum denuo in usum revocavit L. Cornelius Sulla. Vid. Appian. *de bello civil. I.* 59. [h*])

Schulze von den Volksversammlungen der Römer. Gotha 1815. p. 330. Saepe etiam leges censorias appellari censorum edicta, quibus conditiones locationum publicarum proponebantur (vid. v. c. Cic. in Verr. I. 55. III. 7.), jam ipse Heineccius adnotaverat. *Mühl.*

g) Praetori non nisi absentibus consulibus aut permittentibus licuit, ad suffragia populum convocare; Liv. XLIII. 16. XLV. 21. et XXVII. 5. Cf. *Adam* l. l. et Schulze l. l. p. 328. *Mühl.*

h) Non enim impune esse leges contra rempublicam ferre, suo malo experti sunt Gracchi fratres. Appian. *de Bell. civ. I.* Flor. *III.* 14 et 15. item Apulejus et Livius Drusus, de quibus idem Flor. *III.* 16 et 17. *Hein.*

h*) Rerum et temporum ratio minus adcurate habita est. Antiquissimis temporibus ut quis cum populo ageret, auctoritas senatus requirebatur, eoque pertinet locus Plutarchi: ubi senatus concessisset, et populus convocatus suffragium tulisset, quod ab hoc in comitiis jussum fuerat, rursus senatusconsulto

§. 5.

Promulgatio.

Hinc porro legis sequebatur *promulgatio*. Publice enim lex proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, expendere, et, ferendane esset, an antiquanda, secum statuere posset. Spatium promulgationis erat *trinundinum*, ut lex nova etiam a rustica plebe, quae singulis nundinis rure in urbem veniebat, legi ponderarique posset: Cic. *pro domo c.* 16. et *Phil. V. c.* 11. Manut. *de Legg. p.* 839. Addebatur edictum, ut populus in proximum trinundinum in campo Martio conveniret. Gell. *Noctt. Attic. XIII.* 14. [i]). Quum tamen ipsis nundinis cum populo agere haud liceret: comitia plerumque in sequentem diem indicebantur: Macrob. *Saturn. I.* 16. Et his demum omnibus observatis, magistratus quis POPULUM JURE ROGASSE, POPULUSQUE JURE SCIVISE dicebatur: Cic. *Philipp. I. c.* 10. [k])

§. 6.

Recitatio per praeconem, nec non suasio et dissuasio.

Lex ipsa ferebatur in *comitiis*, olim in *curiatis*, postea et *centuriatis*, et *tributis*, ad quae ubi populus in *campum Martium* vel in

---

confirmabatur: Liv. I. 17. Dionys. II. 14. Sed postea Q. Publilius Dictator A. V. C. 416. lege lata effecit, ut patres ante inita suffragia in incertum comitiorum eventum auctores fierent: Liv. *ibid.* Lex haec Publilia non recentior est Maenia, sed aliquot annis antiquior. Lata sc. lex Maenia circa A. V. 445. v. I. F. Gronov. *Obss. I. c.* 25. Non mos ille duabus legibus introductus paullatim obumbratus, in usum est revocatus a L. Cornelio Sulla: Sulla enim cum Pompejo in consulatu collega pristinum jus senatui restituere adnisi sunt, ut non ante auctoritatem praestaret, quam de comitiorum eventu populique proinde voluntate constaret. Vid. Appian. *B. C. I.* 59. J. Caesar, postquam legem agrariam senatui proposuerat, ut auctores fierent, dein semper recta ad populum se contulit: v. Dion. Cass. *XXXVIII.* 3. *Cann.* Cf. quae nuper admodum docte atque accurate hac de re disputavit Ph. E. Huschke in libro: *die Verfassung des Königs Servius Tullius,* Heidelb. 1838. p. 403—412; isque etiam probabiliter demonstravit, jus illud fuisse auctoritatis praestandae velut proprium senatorum ex ordine patricio, ac simul causas dilucide explanavit, cur non nisi *populi* comitiis auctoritas illa patrum necessaria fuerit; Cic. pro domo c. 14. *Mühl.*

i) et XV. 27. Huschke l. l. p. 416. *Mühl.* At saepe alibi comitia habita etiam in foro, comitio, imo et Capitolio. Quin et in castris lex lata est a Cn. Manlio A. V. C. CCCXCVIII. de vicesima manumissionis: Liv. *VII.* 16. *Hein.* Huseke l. l. p. 417. De antiquissimi temporis trinundino, quod quidem spatium erat triginta dierum vid. Festus de V. S. v. just. et Huschke l. l. p. 415. 416. *Mühl.*

k) Neque tamen promulgatio sola faciebat legem, sed populi suffragium. Sola lex Licinia tanto studio patrum lata est, ut SCto caveretur, ut eam promulgatam omnes servarent. Macrob. II. 13. *Hein.*

comitium ad rostra confluxisset, praeco primum legem *recitabat;* dein is plerumque, qui rogaturus erat, eamdem *suadebat,* quod et alii faciebant nonnumquam. Nec deerant, qui *dissuaderent,* id quod quum tribuni plebis, tum etiam privati, si quibus a magistratu concio dabatur, facere poterant. Liv. *XLV.* 21. Nonnumquam et ii ipsi, qui legem rogaturi erant, eam dissuadebant, si forte non ex sua, sed senatus sententia, legem ferrent. Exemplum Pisonis Consulis refert Cic. *Epist. ad Att. I.* 14., cui cum fructu addes, quae nos disseruimus *in Comment. ad Leg. Jul. et Papiam Lib. I. cap.* 4. *p.* 84. [*Tom. VII. Opp.*]

§. 7.

Auspicia et sortitio.

Auditis orationibus, praesentibusque sacerdotibus et divina exponentibus, [l]) *sitella* vel *urna* deferebatur, in quam conjiciebantur centuriarum nomina. Deinde sortibus aequatis fiebat *sortitio* [m]). Quae prima sorte exierat, prima ferebat suffragia, atque inde PRAEROGATIVA, proxime sequentes PRIMO VOCATAE vocabantur. Reliquae JURE VOCATAE dicebantur Ascon. Pedian. *in Cic. divinat. p. m.* 1819. Liv. *X.* 22. *XXVII.* 6. [n]) Exemplum est in lege Thoria apud Sigon. *de Ant. jure Ital. II.* 2. *p.* 638.

§. 8.

Intercessio facta a Tribunis, Auguribus, Coss. [o])

Interim licebat iis, quorum intererat, legi *intercedere.* Faciebant id *Tribuni plebis* sollemni illo VETO. Liv. *VII.* 17. *XXVII.* 6. *XLV.* 21.

---

l) Dionys. X. 32. Schulze l. l. p. 243. Eundemque vide de comitiorum auspiciis p. 218—242. cf. et Huschke l. l. p. 419. sq. *Mühl.*

m) Sequiorum temporum est haec *sortitio.* Sub Tullio enim Rege primae ad suffragium vocabantur maximi census centuriae, in prima et secunda classe descriptae, quae, quia reliquas numero superabant, plerumque rem conficiebant, ut adeo raro vocarentur reliquae. Dionys. Hal. *Antiq. Rom. IV.* 20. *VII.* 59. Liv. I. 43. *Hein.* Cf. Schulze l. l. p. 310. sq. p. 338. sq. Huschke l. l. q. 421. 422. 649. sq. not. 45. *Mühl.*

n) Schulze p. 339. sq. Huschke p. 621. — Caeterum, ex quo centuriae partes factae sunt tribuum (Cic. or. pro Plancio c. 20. de Savigny in Hugonis civ. Mag. III. Nr. XVI. Schulze l. l. p. 71. sq. p. 311. sq. Huschke l. l. p. 618. sq.) nonnumquam et *tribus* praerogativae mentio fit, quo quidem nomine ea appellabatur, in qua erat centuria, quae sorte prior exierat. Liv. V. 18. XXVII. 6. *Mühl.*

o) Miscet hoc in loco Auctor obnuntiandi jus ex auspiciis sinistris, cum jure intercessionis. Nam intercedere non licuit magistratibus, praeter tribunos, nisi in senatu. Schulze l. l. p. 250. sq. *Mühl.*

Faciebant et Consules, vel intercedendo, Dionys. Hal. *VIII.* 90. vel comitiales dies eximendo, vel supplicationes decernendo, vel ferias Latinas indicendo. Cic. *ad Quint. Fratr. II. Ep.* 7. Faciebant idem et *Augures et magistratus*, quorum erat, de coelo servare. Qui, si quidquam adversi visum auditumque obnunciarent p), comitia impediebantur, reque infecta discedebatur.

§. 9.

Rogatio.

Si nihil sinistri obnunciabatur: ipsa jam fiebat *rogatio*, sollemni formula: VELITIS JUBEATIS QUIRITES HOC ITA UTI DIXI ITA VOS QUIRITES ROGO. Cic. *pro domo c.* 18. *sq.* q). Tum addebatur: SI VOBIS VIDETUR, DISCEDITE QUIRITES. Quo facto, in suam quisque centuriam tribumve discedebat, in qua erat suffragium laturus r).

§. 10.

Suffragia per tabellas lata s).

Facta discessione ferebantur *suffragia*, olim quidem viva voce, post tabellarias vero leges *tabellis*, quarum alteri inscriptum U. R.

---

p) E. g. si fulsisset de coelo, si tonuisset, si bubo volasset a sinistra, si aves triste quid portendissent, si quis morbo comitiali repente correptus concidisset: de quo morbo Quinti Sereni Samonici *Medicina Praecepta saluberrima c. LVII. v.* 1015. *sqq.* (*ex edit.* Ackermanni):

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusant.
Saepe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Longa enim est fabula, de qua Paul. Manut. *de Legib. p.* 848. Paul. Merula *de comit. III. p.* 17. *sq.* Struv. *Antiq. Rom. Synt. VI. p.* 269. Caeterum haec omnia ideo inventa, ut magistratus, vel collegarum, vel populi, consilia periculosa bonis rationibus turbare possent. Dio Cass. *XXXVIII.* 13. Cic. de *Legg. III.* 12. *Hein.*

q) Notanda hic quaedam vocabula, quae subinde confundi solent ab iis, qui sunt in antiquitatibus Romanis hospites. Lex ROGATUR, dum fertur: ABROGATUR, dum tollitur: DEROGATUR eidem, dum quoddam ejus caput aboletur: SUBROGATUR, dum aliquid adjicitur, OBROGATUR denique, quoties aliquid in ea mutatur. Ulpian. *Fragm. I.* 3. *Hein.*

r) Ascon. Pedianus in Cic. or. pro Balbo p. 1310; — „jubet unumquemque is, qui legem fert, *discedere*. Quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de loco, ubi lex fertur, sed in suam tribum discedat, in qua suffragium est laturus." *Mühl.*

s) Quae hoc in loco leguntur, Cannegietero fere debentur. Omnino autem de suffragiorum in comitiis ferendorum ratione cfr. *Schulze* l. l. p. 254—272. *Mühl.*

uti rogas, alteri A. id est *antiquo,* s. *antiqua probo.* Primus autem Cn. Calpurnio Pisone et Marco Popilio coss. A. U. DCXV. Gabinus Tribunus pl. rogationem tulit, ne populus in creandis magistratibus amplius viva voce, sed tabellis, quibus Candidatorum nomen inscriptum erat, suffragium ferret: Cic. de legib. III. 16. Biennio post L. Cassius, Trib. plebis, legem tulit, ut in judiciis etiam tabellae adhiberentur. Cic. ibid. et in Lael. c. 12. Ascon. ad Verr. II. p. 56. Tabellis his litterae inscriptae, in una A. id est *absolvo,* altera C. id est *condemno,* in tertia N. L. id est *non liquet,* quorsum respicit Cic. *pro Mil.* c. 6. et Seneca de beneficiis III. 7. Diserte Cassius exceperat perduellionis judicium, in quo non tabella, sed, ut olim, viva voce judices sententiam ferre voluit; verum et isti judicio Caelius lege lata tabellam tribuit (A. U. DCXXX). Vid. Cic. *de Legg.* III. 16. In legum latione viva voce voluntatem suam declarabat populus Romanus, donec anno DCXXV. C. Papirius Carbo, Tribunus plebis, in legibus jubendis et rejiciendis tabellas adhiberi pertulit. Cic. ibid. De inscriptione illarum tabularum vid. Brisson. *de Formul.* Lib. II. p. 138. *Mühl.*

§. 11.

Modus et ordo suffragandi in pontibus.

Distribuebantur hae tabulae per *diribitores* (i. e. distributores), quibus nongenti *custodes* adstabant, daturi operam, ne qua fraus in distribuendis tabellis admitteretur. Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 11. Et exstructi quidem in campo Martio erant *pontes* totidem, quot numerabantur centuriae. t) Hi nihil aliud erant, quam angustae quaedam substructiones, opere subitaneo, e tabulatis solo editis adornatae, per quas iis, qui suffragia ferrent, viritim esset transeundum. His ergo in capite pontium ministrabantur binae istae tabellae, quarum alterutram deinde in extremo ponte *cistulae* immittebant. Plutarch. *in Mario c.* 4. Fiebat id ita, ut praeco singulas centurias, eo ordine, quo sorte exiissent, ad suffragia vocaret. Quicumque vero ex ea centuria primus rogabatur, PRIMUS nuncupabatur. Cic. *pro Plancio*

---

t) Constat, auctorem fuisse C. Marium Trib. pl., ut angustiores fierent pontes (Cic. *de legib.* III. 17.), eoque invento obviam itum in magistratibus creandis crimini ambitus. Saepe enim suffragantibus adstabant candidati, et eblandiebantur suffragia. Hinc idem ait: *C. Marium hac lege de pontibus potentium opes tum in ferendis suffragiis, tum in creandis magistratibus imminuisse.* Manut. *de Legg. p.* 809. *Hein.*

c. 14. **Reversi e ponte intra *cancellos* (s. *septa*) concludebantur, quos *ovilia* vocat Lucanus *Pharsal. II. v.* 197.**

— et miserae maculavit ovilia Romae.

Conf. Nic. Gruch. *de Comit. Rom. I.* 3. *et* 4. *p.* 688. Omnia haec adcurate depicta sistit egregius P. Licinii Nervae numus, quem exhibent Fulv. Ursin. *Famil. Rom. p.* 149. edit. Patin. et Ezech. Spanhem. *de Usu et praestant. numism. Diss. VI. p.* 579.

§. 12.

Suffragiorum diremtio.

Latis hoc ordine suffragiis, *diremtio* fiebat. Numerabantur enim tabellae utriusque generis a singulis custodibus, numerusque earumdem *punctis* u) notabatur: Cic. *Philipp. II. c.* 33. et *pro Planc. c.* 22. ut ea centuriarum sententia renunciaretur, in quam plurima suffragia convenissent, et reticeretur illa, quae paribus esset distracta suffragiis. Si plures sententiae legem probassent: SCITA vel PERLATA; sin plures eamdem rejecissent, ANTIQUATA dicebatur. Manut. *de Legib. p.* 842.

§. 13.

Legum confirmatio.

Perlatam legem primo *jurejurando* firmatam, deinde *aeri incisam* x) *delatamque in aerarium* legimus. Manut. *de Legib. p.* 834. Unde patet, quaenam sint illa apud Ovid. *Metam. I. v.* 91. *sq.*

— — —; *nec verba minacia fixo*
Aere legebantur; — — — —

Exstant ejus ritus vestigia in *L.* 8. *pr. D. ad L. Jul. pecul.* Conf. Just. Rycqu. *de Capitol. c.* 30. *p.* 374. *sq.*

§. 14.

Earumdem cognomina.

Nomina leges plerumque accipiebant ab utroque Consule, e. g. lex *Aelia Sentia, Papia Poppaea, Fusia Caninia.* Nonnumquam unicum iis cognomen dabatur, si a Dictatore, vel Praetore latae essent.

---

u) Inde nata phrasis: *omne punctum ferre:* Horat. *de Art. poet. v.* 343.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

De qua loquutione ipsoque hoc ritu conferri meretur Savaro *ad* Sidon. *Carm. II.* 20. *et Epist ult. Hein.*

x) Antea et roboreis et eburneis tabulis utebantur: Dionys. Halicarn. *Lib. III. p.* 108. Schubart *de Fat. jurispr. Rom. Exerc. II.* §. 35. *Hein.*

Tales sunt lex *Aemilia*, lex *Aurelia* et aliae. Imo et Pompeji, qui Consul sine collega fuit, et C. Julii Caesaris, et Augusti leges unum nomen *Pompejarum* et *Juliarum* tulerunt. Addebantur interdum alia cognomina, a materia legis desumta, veluti lex *Cornelia sumtuaria*, lex *Gabinia tabellaria*, lex *Cassia agraria*. [Aliquando et alia cognomina. Inter haec et legis *saturae*, quae diversa capita complectebatur: Gronov. *ad Stat. Papin. p.* 64. itemque *miscellae: L.* 2. *L.* 3. *Cod. de Viduit. indict.* vid. *Comm. nostr. ad Leg. Jul. et Pap. II.* 16. 3. *p.* 303. *Tom. VII. Opp.*]

§. 15.

Quo stilo consignatae?

Quo *stilo* scribi concipique solitae sint leges, ex multis antiquis monumentis adparet. Qualia sunt leges antiquae apud Reines. *Inscriptt. p.* 473. *N. X.* ut et egregium fragmentum legis Serviliae apud Car. Sigon. *de Judic. II.* 27. *p.* 422. nec non legis Thoriae apud eumdem *de Jure Ital. II.* 2. *p.* 638. Adde Barn. Brisson. *de Form. p.* 141. *sq.* (In primis autem: *Antiquitatis Romanae monumenta legalia*, extra libros juris Romani sparsa, quae partim integra, partim mutila, sed genuina, supersunt. Usui accommodavit, tum notitiam historico-literariam praemisit C. G. Haubold. Opus ex adversariis defuncti restituit E. Spangenberg. Berol. 1830. Ex hisce veterum legum exemplis inprimis sunt digna, quae commemorentur: Lex Thoria, A. U. DCXLVII [y]), Lex Servilia repetundarum, aliquot annis inferior [z]), Lex miscella Heracleensis, s. tabula Heracleensis, inter A. U. 664 — 680 lata [a]), Lex de Gallia Cisalpina, quae sub initio saec. sexti p. U. C. lata est [b]), jam a plerisque nostrae aetatis JCtis *legis Rubriae* nomine usurpata [c]). *Mühl.*

---

y) ap. Spangenb. Nr. V. p. 10. sqq. *Mühl.*

z) ap. Spangenb. Nr. VI. p. 22. sqq. — C. A. C. Klenze. Fragm. leg. Servil. repetundar. ex tab. aer. primum conjunxit, restituit, illustravit. Berol. 1825. *Mühl.*

a) Hugo civilist. Mag. III. Nr. XIX. Fragm. legis Rom. in aversa tabulae Heracleensis parte illustr. Marezoll. Goett. 1816. Dirksen observationes ad tabulae Heracleensis partem alteram. Berol. 1817. Id. Bemerkungen über die erste Hälfte der Tafel von Heraclea; in ejus civ. Abh. II. Nr. II. Spangenberg coll. Nr. XVI. p. 98 sqq. — Vid. et *de Savigny* in d. Zeitschr. für gesch. R. W. T. IX. Nr. XI. *Mühl.*

b) Hugo civ. Mag. II. Nr. XX. Dirksen observat. ad selecta legis Galliae Cisalpinae capita. Berol. 1812. Spangenb. Nr. XXI. p. 144. sqq. *Mühl.*

c) Primus hoc nomen ex ipsa lege extricavit Puchta civ. Abh. Nr. II. Vid.

§. 16.

Plebiscita.

Haec de legibus. Sequuntur PLEBISCITA, quae et ipsa LEGES vulgo vocantur, ceu exemplo legum Iciliae, Voconiae, Aquilliae, Cinciae aliarumque adparet, quamvis id more antiquo non fieret [d]), teste Gellio *Noctt. Att. X.* 20. *XV.* 27.

§. 17.

Eorum differentia a legibus proprie sic dictis.

Erant plebiscita, quae plebs [e]), plebejo magistratu interrogante, constituebat: §. 4. *Inst. de Jure nat. gent. et civ.* Ea quum eodem fere ritu, quo ipsae leges, conderentur: differentiae tantum legum et plebiscitorum erunt notandae. *Lex* ergo a superiore magistratu; *plebiscitum* a plebejo, id est, tribuno plebis, rogabatur, et eo quidem, cui illud e collegio sorte vel reliquorum collegarum consensu [f]), obtigisset. Liv. *III.* 65. *Lex* suffragante universo populo, *plebiscitum* suffragante plebe condebatur. Liv. *II.* 56. Dionys. Hal. *IX.* 41. Tribuni enim nec advocare patricios, neque ad eos referre ulla de re poterant: Gell. *Noctt. Attic. XV.* 27. *Leges* in campo Martio ferebantur et in comitio [g]); *plebiscita,* non in eo tantum, sed et nonnumquam in circo Flaminio, aut in Capitolio, maxime vero in comitio,

---

et Hugo civ. Mag. T. VI. Nr. VI. tum vero Huschke comment. de action. formulis, quae in lege Rubria exstant (Vratisl. 1832) p. 39 — 42. Idemque etiam adversus Savignii (Zeitschr. IX. p. 336. sqq.) dubitationes nominis authentiam defendit in annalib. *librorum juris* (krit. Jahrb.) a Richtero Schneideroque editis, T. III. p. 482. sqq. not*). *Mühl.*

d) Primo, quum patricii plebiscitis teneri nollent, *plebiscita* vocabantur. Post leges Horatiam, Publiliam et Hortensiam *leges* dicebantur, vel *leges tribuniciae.* Cic. *de Leg. Argar. II.* 8. *Hein.* Caeterum juris nostri auctores, fontes jurium enumerantes, a legibus etiam distinguere solent plebiscita; Gaji instit. I. p. 2. 3. *Mühl.*

e) „Plebs est (definiente Gajo L. 238. D. de V. S.) ceteri cives sine senatoribus." Similia habet Justinianus in §. 4. *I. h. t.* „Plebis autem appellatione sine patriciis et senatoribus ceteri cives significantur." Quod, quomodo intelligendum sit, vid. Hugo R. G. XI. p. 228. not. 1. Zimmern Gesch. d. R. Privatr. §. 20. not. 8. *Mühl.*

f) Uni enim e collegis fas erat, alterius rogationem intercessione sua turbare: quamvis saepe manu magis, quam auctoritate tribunitia, res ageretur. Exemplum Cn. Octavii a Tib. Graccho e rostris vi depulsi et metu mortis exterriti, ut magistratu se abdicaret, habet *Flor. III.* 14. *Hein.*

g) Schulze l. l. p. 363. *Mühl.*

ubi ex *rostris* tribuni ad plebem concionabantur h). Docent id exempla apud Ciceronem: *Epist. ad Attic. I.* 1. *ad Div. VII.* 30. Plutarch. *in Gracch.* (*v. Tib. Gracchi c.* 12.) *Liv. III.* 54. *XXV.* 3. *XLV.* 36. *Leges* in Comitiis centuriatis et tributis; *plebiscita* in solis tributis condebantur, ubi non opus erat vel SCto i) vel auspiciis: Dionys. Halic. *IX.* 41. *et* 49. Solebant tamen nonnumquam et Tribuni plebis aves consulere, et de coelo servare, quando legem erant interrogaturi. Exempla sunt apud Plut. *in Gracchis* (*v. Tib. Gracchi c.* 17.) et Cicer. *in Vatin. c.* 7. *Leges* plerumque tribuni plebis, *plebiscita* patricii et postea magistratus dissuadebant, quamvis eam facultatem Coss. adimere conaretur Volero, Tribunus plebis. Dionys. Hal. *IX.* 41. Sortitio etiam in plebiscitis duplex fiebat, quarum altera, in qua tribu Latini suffragium ferrent, explorabatur k), altera inter ipsas tribus fiebat sortitio. Liv. *XXV.* 3. Quidquid ergo tributim plebs ita jussisset, id ratum habebatur, et deinde tabulis inscriptum aedilibus plebejis in aliqua aede custodiendum dabatur: L. 2. §. 21. *D. de O. J.*

§. 18.

Quos ea obligaverint.

Quamvis vero plebiscita non ab universo populo, sed a sola plebe, condebantur: tamen non plebem tantum, sed et patricios obligabant. Id quod post multas patriciorum tergiversationes cautum est lege primum Horatia anno U. C. CCCVI. Liv. *Hist. III.* 55. Dionys. Hal. *XI.* 45. deinde Publilia anno CCCCXIV. lata a Q. Publilio Dictatore, ac denique, quum plebs anno CCCCLXVII. in Janiculum secessisset, lege Hortensia, lata a Q. Hortensio Dictatore: Gell. *Noctt. Attic. XV.* 27. §. 4. *Inst. de Jur. nat. gent. et civ.* l)

---

h) *Rostra* inter praecipua tribuniciae potestatis insignia sunt. Hinc M. Lollius Palicanus, quum tribuniciam potestatem a Sulla abrogatam restituisset, rostra in numis suis signari jussit. Vid. Fulv. Ursin. *de famil. Rom. p.* 158. *edit. Patini. Hein.*

i) At nondum latis legibus, quarum mentio fit §. seq., populiscito confirmanda erant plebiscita, eatenus quidem, quatenus omnem populum tenerent. Schulze l. l. p. 286. Walter Rechtsgesch. p. 87. Huschke Verf. d. Kön. Serv. Tull. p. 413. not. 47. Praeterea nonnumquam etiam ex Senatusconsulti auctoritate plebiscita fiebant; Walter l. l. p. 131. *Mühl.*

k) Merito tamen dubitatur, num omnino jus fuerit Latinis suffragia ferendi in comitiis Romanis. Qua de re, tum de Liviani loci (XXV. 3.) lectione valde dubia, vid. quae contra Walterum (p. 194) aliosque scripsit Huschke l. l. p. 469. not. 45. *Mühl.*

l) Huschke l. l. p. 414 — De rogationum autem argumento, s. de rebus,

§. 19.

Jus honorarium.

Praeter leges et plebiscita etiam EDICTA Praetorum atque Aedilium [m]) certam juris speciem, quae JUS HONORARIUM vocabatur [n]), constituere coeperunt. Quare et de Praetoribus atque Aedilibus et utrorumque edictis nonnulla monenda sunt.

§. 20.

Praetoris origo.

Creari primum Praetor coepit anno U. C. CCCLXXXIX., quum paullo ante plebs obtinuisset, ut alter Consulum plebejus esset [o]). Male haec summae potestatis jactura habebat patricios: hinc dabant operam, ut penes Consules eo minus esset potestatis. Fraudibus itaque adorti plebem, facile id consequebantur, ut redhostimenti loco e patriciis crearetur Praetor, in quem deinde omnem, quae penes Consules adhuc fuerat, juris dicundi potestatem transferebant. Liv. *Hist. VI. ult. VII.* 1. Unde fallitur Pomponius, vel praecipuam saltem rationem dissimulat, quando ideo creatum ait Praetorem, *quia Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset: L.* 2. §. 27. *de O. J.* [p]).

§. 21.

Variae in praetura mutationes.

Non diu tamen iste honor patriciorum mansit proprius. Non

---

quae in comitiis aut populi aut plebis sciscerentur, vid. Walter R. G. p. 133. sqq. et Huschke l. l. p. 402. *Mühl.*

m) Alii quoque fuere magistratus, qui jurisdictionis causa edicerent, ut in provinciis, qui pro consule vel pro praetore essent (vid. prooem. §. XV.), ut Romae tribuni plebis. Cic. in Verr. II. 41. Ulp. Fragm. VII. 3. Videantur et Cujacius Schultingiusque ad Ulpiani locum modo alleg., *jurisprud. antejust.* p. 588. not. 12. Schilling Bem. üb. Röm. Rechtsgesch. Leipz. 1829. p. 95—118. *Mühl.*

n) De nominis origine vid. §. 7. *I. h. t.* et. L. 2. §. 10. D. *de orig. juris.* — Cf. L. 7. §. 1. D. *de just. et jure.* — Hugo R. G. XI. p. 417. not. 3. *Mühl.*

o) At ante ipsos Consules Praetores Romae fuisse contendit Justinianus *Nov. XXV. praef.* Sed Praetores vocabantur omnes magistratus, quasi praeitores. Fest. vocc. *Praetoriana porta.* Plin. *Hist. natur. XVIII.* 3. *Hein.* Vel potius: primis liberae reipublicae temporibus ipsi consules vocati sunt Praetores; Liv. III. 55. Festus l. l. Neque aliud vult Justinianus eo in loco, quem nominat Auctor. cf. et Walter R. G. p. 105. *Mühl.*

p) Caeterum vera ratio, cur e Patriciorum ordine primum crearentur Praetores, haec fuisse videtur, quod tum temporis a plebejis hominibus jus dici religio fuerit. cf. Walter R. G. p. 105. *Mühl.*

multo post enim anno U. C. CCCCXVI. primus e plebe Praetor creatus est Q. Publilius Philo: Liv. *Hist. VIII.* 15. Sub belli deinde Punici primi tempora duo fieri coeperunt Praetores, quorum alter *urbanam*, alter *peregrinam* sortiebatur jurisdictionem q): *Epit. Liv. XIX.* Unde hic vocatur PRAETOR, QUI INTER CIVES ET PEREGRINOS JUS DICIT, apud Reines. *Inscriptt. Class. VII. N. X.* et *ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ* apud Grut. *Inscriptt. p. DIII.* Insequentibus temporibus hic numerus non semel auctus est, siquidem initio quatuor, (Liv. *XXIII.* 30.) tum sex, (Liv. *XXXII.* 27.) postea octo, mox decem, (Dio *XLII.* 57.) hinc porro duodecim, imo et quatuordecim, ac denique sedecim, a Julio Caesare creati, Praetores jus dixere, Dio *Lib. XLIII.* 47. *et* 49. Quo factum, ut patrem imitatus etiam Augustus sedecim expleret numerum, mox ad XII eumdem reduceret, quem se non excessurum, Tiberius jurejurando pollicitus est: Dio Cass. *Lib. LVI.* 25. Tacit. *Annal. I.* 14. quamvis ejus sibi gratiam fecisse videatur princeps parum religiosus, siquidem et illo imperante modo XV, modo XVI Praetores creatos novimus: Idem *Lib. LVIII.* 20. Claudius porro jurisdictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam in provinciis potestatibus demandavit: Sueton. *Claud. c.* 23. novosque creavit *Praetores fideicommissarios* r) duos: *L.* 2. §. 32. *D. de O. J.* ex quibus tamen unum detraxit Titus *d. l.* Adcessit sub Nerva *Praetor fiscalis: ibid.* nec non *Praetor tutelaris* sub M. Antonino Philosopho: Jul. Capitolin. *vit. Marci Anton. c.* 10. *L.* 6. §. 13. *D. de Excus. tut.*

§. 22.

Praetoris urbani praerogativa.

Ex his Praetoribus iisdem, quibus Consules, auspiciis creatis urbanus reliquos anteibat. Hinc consulibus instar collegae erat: Gell. *Noctt. Att. XIII.* 15. Plin. *Paneg. LXXVII.* 4. iisque absentibus,

---

q) Praetor peregrinus primus creatus est a. U. C. DVII. Jo. Laurent. Lydus de magistr. reipubl. Rom. Lib. I. c. 38. et 45. *Mühl.*

r) In marmoribus etiam mentio fit PR. DE FIDEICOMMIS. apud Gruter. *Inscriptt. p. CCCXCIII.* 6. Illud addendum ex Quinctilian. *Instit. Orat. III.* 6. fideicommissariam jurisdictionem ita divisam esse inter Praetorem et Consules, ut ille ad certam summam, hi de majore cognoscerent. Unde lucem capit locus Ulpiani *in Fragm. XXV.* 12. Videatur Cujac. *Obss. XXI.* 34. Merill. Obs. V. 36. p. 112. *Hein.*

summum penes Praetorem erat in urbe imperium, ut patet ex Cicero. *Epist. ad Div. X.* 12. Liv. *XXIV.* 9. Dio Cass. *LVIII.* 3. Utebatur enim Praetor, sicuti Consules, praetexta, sella curuli, ministris, scribis et adcensis: Cicero *de lege agrar. advers. Rull. II.* 13. *Lictores* eum praeibant duo cum fascibus. Quamvis enim de sex lictoribus subinde loquuntur Plutarchus, Polybius, Appianus, qui ideo etiam Praeturam ἀρχὴν ἑξαπελεκὴν vocare solent: intelligendum tamen hoc non est de praetura urbana, ut suspicatur Petr. Fab. *Semest. I. p.* 169. sed de provinciali [s]), uti observatum est a Car. Sigon. *de antiquo jure Civ. Rom. I.* 20. *p.* 227. Non postremum vero Praeturae insigne erat hasta, quam Decemviri litibus judicandis cogere dicebantur. *L.* 2. §. 29. *D. de O. J.* [t])

§. 23.

Praetoris jurisdictio.

Totum Praetoris munus tribus hisce verbis continebatur DO, DICO, ADDICO, Ovid. *Fast. I. v.* 47. *sq.* Varro *de Ling. Lat. V.* 4. *Dabat* enim Praetor actionem et exceptionem, *dabat* bonorum possessionem: *dabat* judices, arbitros, recuperatores, *dabat* tutores ex lege Atilia. *Dicebat* viam in vindiciis: *dicebat* interdicendo, quoties de possessione agebatur, indicebat, advocata concione, ferias, si quando terra in urbe tremuisset. Gell. *Noctt. Attic. X.* 24. Sueton. *Claud. c.* 22. *Addicebat* bona libertatum conservandarum causa, addicebat res et jura, quae in jure cedebantur [u]). [Sed an et in crimina animadvertit Praetor? Neganda videtur quaestio ob §. 10. 11. *Inst. et L.* 1. *pr. D. de Susp. tutor.* Nec obstat *L.* 1. §. *ult. D. de Aleator.* quia ibi lautumiae sunt carcer: Noodt *ad Pandect. p.* 259. Praetores tamen, qui quaestionibus et provinciis praefuerint, impérium merum habuisse existimat Jo. Da. Ableing *Diss. de Praetor. Rom. c.* 2. §. 16. Sed non id habuerunt tamquam Praetores, verum ex lege speciali: *L.* 1. *pr. D. de Offic. ejus, cui mand. jurisd.*]

---

s) In urbe itaque duo lictores, in provinciis sex anteibant Praetores, illic cum fascibus et securibus, hic cum fascibus tantum. Rem optime exposuit Ez. Spanhem. *de usu et praestant. num. Dissert. X. c.* 3. §. 6. *p.* 116. *T. II.* Adde et tribunal, de cujus forma Vitruvius *Archit. V.* 1. *Hein.*

t) Vid. Valer. Maximi dictor. factorumq. memorabil. VIII. c. 3. Nr. 1. — Caeterum ad solitum Praetorum officium minime pertinuit jus hastae cogendae. Sueton. Aug. 36. *Mühl.*

u) Haec ex Aleandri not. in Gaj. (ap. Schulting jurispr. antejust. p. 85. not. 74) addita sunt. *Mühl.*

§. 24.

Edicta praetoria.

Mos autem erat, ut Praetor, creatus centuriatis comitiis, priusquam jus diceret, EDICTO in albo [x]) proposito denunciaret, quomodo eo anno jus esset dicturus. At quis? Urbanus tantum, an peregrinus etiam? De provincialibus enim nulla est dubitandi ratio. Praetori peregrino sane hoc jus negant Hotoman. et V. C. Jo. Ge. Schubart. *de Fat. Jurisp. Rom. p.* 399. At eidem id vindicat V. C. Henr. Bern. Reinold. *Var. XXXVII. p.* 267. ob *Legem* 9. §. 4. *D. de Dol. mal.* ubi memorantur Labeonis *libri Praetoris peregrini.* Sed illis non tam videtur Labeo edictum Praetoris peregrini interpretatus, quam exposuisse officium Praetoris peregrini, quemadmodum etiam de officio Praetoris urbani egit in *libris Praetoris urbani*, quorum mentio fit in *L.* 19. *D. de V. S.* Sane libros ad edictum singulares scripsisse Labeonem, et ab illis diversos, patet ex *L.* 1. §. 5. *D. de Fugitiv.* et Gell. *IV.* 2. Certiora itaque sunt testimonia Boethii *ad Cic. Topic.* et Theophili §. 7. *Inst. de J. N. G. et. C.* qui et Praetores peregrinos edicta proposuisse, diserte scribunt, ejusque rei auctores procul dubio habent veteres et satis idoneos. Edicebant itaque omnes Praetores [y]). Idque fiebat habita concione, dictoque in leges jurejurando, ceu adparet ex Ciceron. *de Finib. Bon. et Mal. II.* 22. Erant vero Praetorum edicta vel *generalia* vel *specialia.* Illa, quam juris dicundi rationem per annum sequuturus esset Praetor, indicabant, unde et *leges annuae* dicuntur Cicer. *Verr. I.* 42. Haec, obvenientibus quibusque negotiis, vel, ut *L.* 7. *pr. D. de Jurisd.* habet, *prout res inci-*

---

x) *Album* quid fuerit, adhuc sub judice lis est. Theophilo §. 12. *Inst. de action.* album est edictum, *διὰ τὸ λευκοῖς γεγραμμένον γράμμασι*, *quia albis litteris scriptum.* Enimvero non ipsum edictum album vocabatur, sed edictum in albo proponebatur. Accursii sententia, existimantis, fuisse parietem dealbatum, plerisque hodie vapulat. Sed videtur tamen idem colligi posse ex Plauto *Pers. Act. I. sc.* 2. *v.* 21. *sq.*, modo hos versus sic legamus:

Si id fiat, nae isti faxim nusquam adpareant,
Qui hic ALBO PARIETE *aliena oppugnant bona.*

Et Suidas voce *λεύκωμα* album interpretatur *parietem, gypso obductum, ad inscriptionem civilium rerum aptum.* Jac. Raevard. *Protribun. IV. p.* 887. *Hein.* [* De albo: Ge. d'Arnaud variar. conject. II. 18.].

y) Praetores edicta scripturos etiam Tribunos plebis adhibuisse in consilium, patet ex Cic. *de Offic. III.* 20. Quod quidem fiebat, si quid obveniret, quod ad commune Praetoris et Tribunorum officium pertinebat. *Hein.*

deret [z]), dabantur, ad similes caussas non extendenda. Unde uberrimus natus est iniquarum sententiarum proventus, qui occasionem dedit edicto: QUOD QUISQUE JURIS IN ALTERUM STATUERIT, UT IPSE EODEM JURE UTATUR. Exemplum reperies apud Tacit. *Annal. II.* 30. Quum vero generalia edicta subinde mutarentur, nec levis inde nasceretur juris confusio: obviam huic Praetorum licentiae itum est lege Cornelia [a]), lata A. U. C. DCLXXXVII. a C. Cornelio Tribuno plebis, C. Pisone et Man. Glabrione Coss. qua cautum est, ut Praetores ex edictis suis perpetuis jus dicerent, neque per integrum annum quidquam in iis immutarent. Dio Cass. *Hist. XXXVI.* 23. Ex eo tempore paullo certius esse coepit jus praetorium, adeo, ut jam tempore Ciceronis plerique non, ut olim, a XII Tabulis, sed a Praetoris edicto juris disciplinam auspicarentur, ut ex Cicer. *de Legg. I.* 6. observat Jac. Perizon. *Diss. de Leg. Vocon. p.* 193. Quamvis vero post legem Corneliam Praetori haud licebat edictum suum per annum mutare: nihil impediebat tamen, quo minus successor antecessorum edicta, inito magistratu, vel augeret vel immutaret. Unde, quae retinebat successor, *edicti* TRALATITII; quae addebat vel immutabat, *edicti* NOVI nomine veniebant. Cic. *Verrin. I.* 44. Non prius ergo edictum vere perpetuum prodiit, quam temporibus Hadriani, de quo diximus in *prooem.* §. 14.

§. 25.

Praetorii edicti vis et ratio [b]).

At mirum quantum Praetorum et jurisdictione et perpetuis edictis profecerit Romanum jus. Id enim egerunt atque etiam perfe-

z) Ab hisce edictis etiam diversa fuisse videntur, quae *repentina* vocantur, s. *ex tempore proposita*, ea nimirum, quae, temporum ratione postulante, magistratus medio in anno proponebat, hoc pacto, *ut in commune valerent*, velut illud Verrinum: *ne quis frumentum de area tolleret;* Cic. in *Verr.* III. 14. *Mühl.*

a) Antea A. U. C. DLXXXVI. SC. ea de re factum, patet ex *Actis diurnis*, quae in *bibliotheca* Js. Vossii fuerunt, in quibus et haec exstant:

HORA OCTAVA SENATUS COACTUS IN HOSTILIA.
SC. FACTUM EST UTI PRAETORES EX SUIS
PERPETUIS EDICTIS JUS DICERENT.

Vid. Dodwell. *ad Spartian. Hadr. p.* 333. et *in Adpend. p.* 665. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. II.* 12. *p.* 97. Sed hoc SC., si genuinum est, mox procul dubio elusit Praetorum potentia, ut centum annis post nova opus esset lege Cornelia. *Hein. Acta* illa *diurna* spuria esse contendunt Wesselingius [* Probabil. c. 39.], Ernesti [* Exerc. I. ad Sueton. Caes. c. 20. et Jo. Dan. Ritter praefat ad Heineccii hist. j.]; multa inesse, quae falsa sint, liquido probari potest. *Cann.*

b) Quae de Praetoris artibus fallaciisque, quibus jus optime legibus consti-

cerunt Praetores, ut antiquum jus, asperum illud quidem arctissimisque velut cancellis inclusum, adjuvarent, supplerent, corrigerent [c]). Qua in re non modo hanc sibi legem ipsi imposuerunt, ut neque iniqui quidquam, neque adversus leges, senatusconsulta moresque populi edicerent facerentque [d]), verum etiam, ubi ab antiqui juris indole recedere pro morum temporumque ratione eos oportebat, id non subitanea rerum conversione, sed ita fiebat, ut summa qua poterant cura pristini juris principiis parcerent, ipsiusque vestigiis adhaerescerent, ac religiose servarent jurium formas, quae propriae essent civilis juris [e]). Et, quum hoc vel maxime ipsis propositum fuerit, ut ab injuria iniquitate tutos praestarent homines, ea tamen modestia usi sunt in veteris juris rigore temperando, ut non nisi causa cognita statuerent, quid cuique rei atque aequitati convenire videretur [f]). Hanc igitur in jure dicundo aequitatis rationem assidue sequuti, actiones laesis, vel exceptiones, aut dabant, aut restituebant [g]). Praeterea, quum ipsae quoque leges Praetorum illa placita subinde agnoscerent confirmarentque [h]), neque vero succes-

---

tutum evertere studuerit, hoc in loco olim fabulatus est Heineccius, jamdudum harum rerum justi aestimatores redarguerunt falsa esse futiliaque. Digna itaque sunt, quae oblivioni in omne tempus tradantur. Nos illorum in locum alia substituimus, tralatitia quidem atque in vulgus nota, omnibus tamen, ut speramus, probata, tironumque captui accommodata. *Mühl.*

c) L. 7. §. 1. D. *de J. et J.* „Jus praetorium est, quod Praetores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, *propter utilitatem publicam.*" — Cf. Nr. et §. 1. J. *de bon. poss. Mühl.*

d) L. 7. §. 7. D. *de pact.* L. 1. §. 8. D. *de postul.* L. 1. in f. D. *ex quib. caus. major. in int. rest.* L. 12. §. 4. D. *de publ. in rem. act.* L. 12. §. 1. D. *de bon. poss.* — Quam legem non semper a Praetoribus esse observatam, e Ciceronis in Verrem orationibus compertum habemus. Sed, quid haec ad rem, quam defendimus? Nimirum nihil est tam bonum ac salutare, quin male utendo in perniciem converti possit. *Mühl.*

e) Gaji inst. IV. §. 34 — 38. Ulp. Fragm. XXVIII. §. 12. — L. 14. D. *de testib.* „Existimo, neque jure civili testamentum valere, — — neque jure praetorio, *quod jus civile subsequitur.*" *Mühl.*

f) V. Mühlenbruch *Cession d. F. R.* §. 15. Nr. I. ed. III. — Caeterum vix est quod moneamus, multa ex iis, quae primo quidem non nisi causa cognita impertiri solerent, in perpetuam jurisdictionis formam sensim pedetentimque abiisse. *Mühl.*

g) V. Hugo R. G. XI. p. 431. sq. *Mühl.*

h) V. quae §. 24. de lege Cornelia disputata sunt. — Cf. et Leg. de Gall. Cisalp. fragm. lin. 24. — „stipulationem, quam is, qui Romae inter peregrinos jus dicit, in albo propositam habet." — *Mühl.*

sores ex superioribus edictis in sua transferre conarentur, quae minus grata in vulgus fuissent [i]): fieri non potuit, quin facile adsuesceret populus juri huic honorario [k]), idque, tamquam viva vox juris civilis, primum in rebus causisque dijudicandis locum obtineret [l]). *Mühl.*

§. 26.

Aediles plebeji et curules.

Praetorum exemplo AEDILES quoque edicta sua proponebant, quae et ipsa pertinebant ad jus honorarium. Erant Aediles vel PLEBEJI vel CURULES. Plutarch. *in Mario c.* 5. Illorum duo una cum tribunis plebis creari coeperunt anno U. C. CCLX. ut Tribunis essent ad manus, eorumque jussu caussas leviores litesque privatas dijudicandas susciperent, aedium sacrarum, locorumque publicorum, et annonae, curam gererent, matronarum denique civiumque mores observarent. Dionys. Halic. *Antiq. Rom. VI.* 90. Curules vero, de quibus hic agimus, e patriciis initio legebantur. Quum enim discordia, de Consule plebejo creando inter plebem et patricios exorta, sedata videretur, ludique ob eam rem decernerentur diis patriis, detrectantibus hanc curam aedilibus plebejis, obtulerunt se bini juvenes patricii, polliciti, se hoc munus suscepturos. Collaudavit populus hoc de republica bene merendi studium, et, denuo delusus patriciorum artibus, hos patricios juvenes Aediles creavit, sellamque curulem honoris caussa concessit: unde et AEDILES CURULES dici consueverunt: *Liv. Hist. VI.* 42. (Cfr. et Pomponius L. 2. §. 26. *D. de O. J.*)

§. 27.

Penes hos ergo erat annonae [m]) viarumque publicarum curatio, tutela urbis, ludorum institutio, de rebus venalibus promercalibus-

---

i) Cic. in Verr. I. 43. *Mühl.*

k) Cic. de invent. II. 22. — „jura sunt quaedam ipsa jam certa propter vetustatem; quo in genere et alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae Praetores edicere consuerunt." — Id. in Verr. I. 44. in f. „Posteaquam jus praetorium constitutum est, semper hoc jure usi sumus — — —. Quare hoc sit aequissimum, facile est docere; sed in re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, et hoc vetus edictum translatitiumque esse." — V. Averanius interpr. jur. Lib. I. c. 6. Nr. 17. 18. *Mühl.*

l) L. 8. D. *de J. et J. Mühl.*

m) Hanc annonae procurationem postea Julius Caesar demandavit duobus aliis Aedilibus, qui CEREALES vocabantur: Dio Cass. *Hist. XLIII.* 51. *L.* 2. §. 32. *D. de Orig. jur.* pro quibus perperam *Praetores Cereales* sibi fingunt Ro-

que cognitio, et praecipue sacrarum aedium cura, a qua et AEDILIUM nomen sunt consequuti: *L.* 2. §. 21. *D. de Orig. jur.* Varro *de Lingua Lat. IV. p.* 20. Cicero *Verrin. VII.* 14. Iisdem quoque demandata erat ἐπισκοπή in fornices, lupanaria, cauponas ipsasque mulieres, quae quaestum corpore faciebant, quae nomina solebant apud Aediles profiteri, ut suo loco docebimus.

§. 28.

Edictum Aedilitium.

De rebus hisce ad jurisdictionem suam pertinentibus ipsi quoque, ut jam diximus, edicta proponebant [n]), ad quae adludit suo more Plautus *Capt. Act. IV. Scen.* 2. *v.* 43.

Eugepe! EDICTIONES AEDILITIAS *hic habet quidem.*

Et ex hoc quidem aedilitio edicto descendunt actiones contra venditores rerum vitiosarum, et eos, qui bestias feroces habent, ubi iter fit, veluti redhibitoria, quanti minoris, et aliae, quarum fragmenta tria etiamnum exstant in Pandectis. Primum scilicet *L.* 27. §. 28. *D. ad leg. Aquill.* alterum *L.* 1. §. 1. *et L.* 38. *pr. D. de Aedil. edict.* tertium *L.* 40. §. 1. *et L.* 41. 42. D. *eod.* Fr. Pollet. *For. Rom. III.* 2. Barn. Brisson. *de Formul. III. p.* 289. Ceterum, de quibus edicebant Aediles, de iisdem plerumque et Praetores cognoscere consueverant, et illis deficientibus, caussae ad hos transferebantur. De qua concurrente Praetorum Aediliumque jurisdictione [o]) disserit Jac. Cujac. *Observ. VIII.* 38.

---

sinus, Alex. ab Alexandro et Jan. Vinc. Gravina, quibus satisfecit V. C. Henr. Bern. Reinold. *Var. c.* 3. *p.* 27. *Hein.* Quomodo magistratus sui officia inter se diviserint Aediles? disci potest e tab. Heracl. fragm. lin. 24 — 28. V. Dirksen *civ. Abh.* II. p. 212. sq. *Mühl.*

n) Aedilibus plebejis, num omnino partes datae fuerint in edictis constituendis? quaeritur. Qua de re vid. Heineccius in *hist. edictor.* Lib. I. c. 4 — 8. Thibaut *civ. Abh.* Nr. VIII. Zimmern R. G. §. 37. not. 8. *Mühl.*

o) Ob hanc concurrentem jurisdictionem factum videtur, ut et Aediles haud raro PRAETORES dicantur. Sic Paulus *Receptt. Sentent. I.* 15. 2. aedilitium edictum diserte tribuit Praetori. Quin et generale fuit hoc magistratuum nomen. Nam et Consules, Procoss. Praesides, legati Caesaris, dicti nonnumquam a praeeundo PRAETORES. (Vid. supra §. 20. not. o.) In notis quoque Valerii Probi exstat PR. VIGILUM, id est, uti V. C. interpretatur, *Praetor Vigilum*, qui et *Praetor plebis* vocatur Justiniano *Nov. XIII.* Quamvis nulla sit ratio, cur apud Valerium Probum non potius legere malimus *praefectus* VIGILUM. Cf. Ger. Noodt. *Probabil. I.* 6. *p.* 16. 17.

§. 29.

Responsa prudentum.

Pergimus ad RESPONSA PRUDENTUM, quae et ipsa partem juris constituebant. Dicebantur ea speciatim JUS CIVILE: Cicer. *pro A. Caecina* 23. *L.* 2. §. 5. *D. de Orig. jur.* non vero JURISPRUDENTIA MEDIA: §. 3. *Inst. de Legit. agnat. success.* qua potius totius jurisprudentiae Romanae periodus lege XII tabularum junior, imperiali autem dispositione anterior intelligitur. Addi tamen potest V. C. Jac. Perizon. *ad L. Vocon. p.* 198. Multa juris capita post XII Tab. per interpretationem invexerunt JCti, ob eam rem JURIS AUCTORES: *L.* 3. *D. si pars hered. pet. L.* 39. *D. de Act. emt. L.* 17. *D. de Jure patr.* ut et JURIS CONDITORES adpellati: *L.* 23. *C. de Procurat.* p).

§. 30.

Jureconsultorum origo.

Jureconsultis Romae originem dedit institutum a Romulo JUS PATRONATUS. Patriciorum enim erat, parentum munere fungi erga plebejos, unde et *patroni* dicebantur, quasi patres, quemadmodum matronae quasi matres sunt. Optio ergo cuivis erat e plebe, quem vellet, sibi patronum legendi e patriciis. Hunc vero oportebat clientibus respondere de jure, cujus illi rudes erant, absentium aeque ac praesentium negotia curare, lites pro iis suscipere, in jus vocatos defendere, et quietem eis pro virili parare a publicis privatisque negotiis. Vicissim *plebejorum* erat, patronos in elocandis filiis juvare, captivos vel ipsos, vel eorum filios, redimere, litium aestimationes et mulctas pro iis solvere, in magistratibus muneribusque eos argento sublevare, et quae sunt alia hujus generis officia. Unde et *clientes* dicti, quasi *colentes* vel κλειοῦντες. Dionys. Halic. *Ant. Rom. II.* 10. Plutarch. *vit. Romuli* 13. *T. I. Opp.* Polyb. *Hist. I. p.* 459. Ea porro mutua obligatio tanta necessitudine ac fide adstringebatur, ut proximum patrono locum secundum parentes concedat Cato *apud* Gell. *Noctt. Att. V.* 13. [quin Romulus teste Servio *ad Virgil. Aen. VI. v.* 622. eum patronum *sacrum esse* jusserit, qui quid in clientis fraudem egerit. *Sacrum* vero *esse* quid sit, pluribus ostendit Dionys. Halic. *II.* 11. Raevard. *ad XII Tabb. c.* 4. *p.* 22.] q). Nec privati tantum,

---

p) *Veteres*, quinam vocati sint? v. Dirksen Beitr. zur Kunde des R. R. Nr. II. *Mühl.*

q) Quae de plebis in principum clientelas descriptione hoc in loco tradit

sed et coloniae, urbes sociae, gentes amicae et devictae suos Romae patronos eligebant ex patriciis, et postea senatoriis familiis, quibus saepenumero senatus controversias illarum decidendas commisit: Dionys. Hal. *II.* 11. Cicero *de Offic. I.* 11. Imo nullum temere erat negotiatorum corpus, nullum artificum collegium, quod non patronum sibi Romanam quamdam familiam adoptasset. Sic in marmore Surrentino apud Reines. *Inscriptt. Classe VI. n. XXXIX. p.* 412.

FLAVIO. FURIO. FAUSTO. V. C. TRIBUNO
AB. ORIGINE. PATRONO
OB. MERITA. LABORUM. SUORUM. UNIVERSUS. ORDO
ET. POPULUS. SURRENTINORUM
STATUAM. NOBILITATI. EJUS
FACIENDAM. CURAVIMUS.

Ita et municipes Civilitani *L. ARCADIUM PROCULUM V. C.* LIBEROS POSTEROSQUE EJUS SIBI POSTERISQUE SUIS PATRONOS COOPTAVERUNT. Gruter. *Inscriptt. p. CCCLXII.* 1. Sic et alibi laudantur PATRONUS CAPUANORUM LONGE A MAJORIBUS ORIGINALIS. Idem *p. CCCLIX.* 1. SUESSIANORUM COMMUNIS AB ORIGINE PATRONUS *p. MXXVII.* 3.: PATRONI COLLEGIORUM CENTONARIORUM: Reines. *Class. I.* 302. DENDROPHORORUM: Idem I. 283. FABRORUM: Idem *II.* 17. LENUNCULORUM OSTIENSIUM: Idem *I.* 33. NEGOTIATORUM OLEARIORUM EX BAETICA: Idem *VI.* 123. PAGI TOLENTINES. Id. *Adpend. num. VIII.* Horum patronorum in eo consistebat officium, ut coloniarum, urbium, collegiorum, pagorum, negotia in senatu et urbe sese curaturos, reciperent. Quo officiorum genere ita plerumque aere emungebant clientes, ut legibus novis opus esset ad hanc patronorum rapacitatem coercendam. *Tit. C. Theod. de Patrocin. vicor. Lib. XI. tit.* 24. et *Cod. Just. Lib. XI. tit.* 53. Liban. *Orat.* *περὶ τῶν προστασιῶν. p.* 14. *sq. edit.* Jac. Gothofr. Alias veteri jure gratuita erant inter patronos et

---

Auctor, sine emendatione relinquimus. Aliena enim sunt ab Heinecciani operis indole ac fine, nequedum satis explorata ab iis, qui de rebus historicis scripserunt, siquidem alii in iis fere subsistunt, quae a veteribus scriptoribus (inter eosque etiam a Cicerone, de republ. II. 9.) memoriae prodita sunt, alii veterum his de rebus narrationes propemodum ut fabellas rejiciendas esse censent. Cf. Hugonis R. G. XI. p. 85—87. Wachsmuth *ält. Gesch. d. R. Staats* p. 181—191., tum vero quae Waltherus, Niebuhrium sequutus, in medium profert, l. l. B. I. c. 22. Praeterea v. Huschke *Verf. d. Kön. Serv. Tull.* c. 2. c. 3. ibiq. inprimis p. 68—71. c. 4. p. 136. sq. p. 200. sqq. P. de Kobbe über Curien und Clienten. Lüb. 1838. *Mühl.*

clientes officia, et ut illi gratis plebejorum curabant negotia: ita et hi pecunias sine foenore credebant. Dionys. Halicarn. *II.* 10. [Add. Tacit. *Annal. VI.* 16.] Quum ergo initio e patriciis suis quisque clientibus de jure responderet: postea omnibus consulentibus promiscue se dare coeperunt, et quidem mercede conducti: et inde obsolevit antiquum illud jus patronatus, natique sunt jureconsulti, qui jam respondebant de jure, caussasque egerunt, atque adeo omnia, quae olim patronorum fuerant, in se transferebant officia. Vid. praeter Fr. Brummerum V. C. *ad Legem Cinciam*. Ge. Schubart. *de Fatis Jurispr. Rom. I.* 15. *p.* 29. Unde facile reddi poterit ratio, cur plerique Jureconsulti veteres ordinis fuerint patricii? cur *patroni* dicti, qui caussas agebant; cur jureconsulti atque advocati eos, a quibus adhibebantur in consilium, *clientes* vocarint? Cur jure veteri et per legem Cinciam gratuitum esse oporteret advocatorum officium? Brummer. *l. c. c.* 3—11. (Cf. cum his Pompon. L. 2. §. 35. *D. de O. J.* et Hugo R. G. p. 110. 111. p. 458—461. *Mühl.*)

§. 31.

Quale jus jureconsulti condiderint.

Tria vero sunt summa capita, quibus jurisprudentiam locupletarunt jureconsulti: I. ACTIONES LEGIS; II. INTERPRETATIO legum, et III. NOVUM JUS, quod (velut interpretaturi, ac vel maxime, quum caute concinnando formulas [r]), tum fictionum commentorumque ope [s]) invexerunt [t]). *Mühl.*)

§. 32.

Actiones legis a jureconsultis inventae.

ACTIONES LEGIS quid fuerint, jam supra est a nobis explicatum (in Prooem. 6.). Eas vero a jureconsultis maximam partem esse inventas, adparet ex *L.* 2. §. 6. *D. de Orig. jur.* Cicer. *pro Muraena* 11. 12. Et hinc eae ad singulare veluti jureconsultorum

---

r) Vid. v. c. L. 29. D. *de liber. et post. Mühl.*

s) V. quae infra §. 37. commemorantur exempla. — Num propter haecce commenta, eorumque similia (velut illud, cui querela inofficiosi testamenti superstructa est, Pr. J. et L. 2. D. *de inoff. test.*), quibus plenum erat jus a Prudentibus constitutum, idem jus *commentitium* sit appellatum a Paulo (L. 20. D. *de poenis*), anquirit Bynkershoek. observ. p. 16. *Mühl.*

t) Caeterum inter omnes constat, totum illud jus, quod veterum auctoritate peritorum introductum est, interpretationis nomine venisse. Quinctil. *instit. orat.* I. 4. init. *Mühl.*

peculium u) pertinebant, quod servabant tanto diligentius, quanto magis hac arte plebem habebant sibi obnoxiam. Cicero l. c. et *de Orat. I.* 41.

§. 33.

Iidem leges interpretati sunt I. scribendo docendoque.

Interpretari porro jurisconsulti solebant leges, partim libris scriptis, partim editis responsis, partim disputatione fori. Et initio quidem a docendo non modo, sed et scribendo sese abstinebant, ne mysteria sua cum plebe communicarent. Postea, ubi Cn. Flavius et Sex. Aelius secretum illud actionum evulgarant (v. Prooem. §. 7. 8.), multi se ad scribendum commentandumque certatim contulerunt, quorum interpretationes sensim auctoritatem juris usu fori sunt consequutae: *L.* 2. §. 38. *sq. de Orig. jur.* Unde illud jus *sine scripto venire,* ait Pomponius *L.* 2. §. 5. *D. eod.* siquidem libri jureconsultorum non eo fine eoque instituto fuerant conscripti, ut instar legum promulgarentur; sed tantam auctoritatem eorum sententiae tacito populi consensu erant consequutae. At postquam Theodosius [*L. un. C. Th. de Respons. prud.*]* quibusdam jureconsultorum libris legum quodammodo adcommodavit auctoritatem, et Justinianus eorum loca in Pandectas relata ita promulgavit, ut *quidquid ibi scriptum sit, hoc Justiniani adpareret, et ex ejus voluntate compositum* existimaretur: *L.* 2. §. 10. *C. de Vet. jur. enucl.* coeperunt eae jureconsultorum decisiones juri scripto adcenseri. Et huc referenda §. 3. *Inst. h. t.* Ger. Noodt *de Pact. et transact.* 19. *p.* 715.

---

u) Equidem penes Pontificum collegium fuisse legis actiones docet Pompon. *L.* 2. §. 6. *de Orig. jur.* Sed cave cum vulgo existimes, ad omnes legis actiones universamque interpretandi rationem hunc Pomponii locum pertinere. Aliud docet Cicero *de Legg. II.* 19. *Saepe, inquit Publii filius, ex patre audivi, Pontificem bonum neminem esse, nisi qui jus civile cognosset. Totumne? quid ita? quid enim ad Pontificem, de jure parietum, aut aquarum, aut tali ullo omnino? ergo, quod cum religione conjunctum est, id autem quantulum est? de sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulcris, et si quid ejusmodi est.* Conferatur et c. 21. Quaecumque ergo cum religione conjuncta erant, ea demum erant cognitionis pontificiae. Hinc eorum erat dies signare, et litigantibus indicare, quibus diebus lege agere vel fas, vel nefas esset; *Liv. I.* 19. Cicero *pro Muraena* 11. respondere de juribus domus, nam et domi sacra privata erant, in quibus quum constitutae quoque essent uxores et liberi, etiam nuptiae, adrogationes, adoptiones auctoribus fiebant Pontificibus. Denique de omnibus rebus sacris et religiosis jura interpretabantur Pontifices. Georg. Schubart. *de Fat. Jurispr. Rom. II.* 59. *sq. p.* 296. *Hein.*

§. 34.

Ut et II. de jure respondendo.

RESPONSA jureconsulti vel partibus dabant consulentibus, vel judicibus, vel utrisque; et tunc quidem vel scripto, vel verbis, quid sibi videretur, exponebant. Solebant enim jureconsulti frequenter medio foro inambulare, veluti obvii et communes iis, qui haererent incerti, et remedium sibi consulendi ignorarent. Cicero *Topic.* 17. *Privata judicia maximarum quidem rerum in jurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum* (in medio puta foro); et *adhibentur in consilio* (a magistratibus); *et patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus* (domi) *hastas ministrant* *). Unde facile patet, cur et ADVOCATI dicti sint. Deinde et domi suae sibi constituere solebant solium, ex quo confluentibus ad se clientibus, tamquam ex tripode, responderent: Cicero *de Legg. I.* 3. Et ad hoc solium respicere arbitror eumdem Ciceronem, quando per jocum scribit: *C. Aquilium jureconsultum jurasse morbum, et illud suum* REGNUM JUDICIALE *opposuisse. Epist. ad Attic. I.* 1. Mane ergo quotidie ad aedes eorum ventitabant clientes, et vestibula eorum maxima semper frequentia civium celebrabantur, ut non immerito jureconsulti domus totius oraculum civitatis videretur Ciceroni *de Orat. I.* 44. Quo pertinent illa Horatii *Serm. I.* 1. *v.* 9. *sq.*

Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi OSTIA PULSAT. **)

Et alibi *Epist. II.* 1. *v.* 103.

Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura.

Imo et Tibullus *Lib. I. Eleg.* 4. *v.* 77. *sqq.* quasi amatorii juris scientiam sibi adrogans, seque ad priscam jureconsultorum imitationem componens canit:

Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes,
Consultent; cunctis janua nostra patet.
Tempus erit, quum me Veneris praecepta ferentem
Deducat juvenum sedula turba domum. (melius: *senem.*)

---

*) Male locum Ciceronis exponit. *Adesse* significat *defensionem suscipere.* Vid. Cic. *Philipp. II. c.* 37. *pro Quinct. c.* 8. *ad Attic. I. ep.* 1. Ita et Quinctilianus, Valerius Maximus, Seneca et Suetonius sunt loquuti. *Cann.*

**) Cf. Phil. Guil. Schindler, Praes. Christ. Ghlf. Hübner, Diss. ad disceptandum propos. *Meditationum et Observationum juridicarum ad A. Persii Flacci satiras Specimen.* (*Lips.* 1797. 8.) *c.* 6. *p.* 55. *Cann.*

Ge. Schubart *de Fat. jurisp. Rom. II.* 52. *p.* 265. Ceterum et hoc fiebat formulis quibusdam et verbis sollemnioribus. Venia enim prius petebatur his verbis: LICET CONSULERE? Adnuente jureconsulto et respondente: CONSULE, plerumque brevissime referebatur negotium, addita quaestione: QUAERO AN EXISTIMES? vel: ID JUS EST, NECNE? Respondebat Jureconsultus: SECUNDUM EA QUAE PROPONUNTUR, EXISTIMO, PLACET, PUTO, semper dans operam, ut quam modestissime loqueretur. Horat. *Serm. II.* 3. *v.* 192. *sq.* Turneb. *Advers. VII.* 10. Brisson. *de Form. III. p.* 331. Franc. Duaren. *Disp. Anniv. II.* 11. *p.* 1064. Ger. Noodt *de Dolo malo* 12. *p.* 507. *et de Pact. et transact. p.* 733. Consulebantur etiam nonnumquam jureconsulti a judicibus, quibus vel absentes scribebant, quid esset juris: *L.* 2. §. 47. *D. de Orig. jur.* vel coram jura explicabant. Plerumque enim judices in consilium adhibebant aliquot jureconsultos, ut patet ex Gellii *Noctt. Attic. XII.* 13. Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. II.* 18. *de antiquo jure provinc. II.* 5. *p.* 198.

§. 35.

Responsorum forma.

Erant plerumque responsa illa brevissima, et nullis munita rationibus. Seneca *Epist.* 94. *Quid? quod etiam sine probationibus ipsa monentis auctoritas prodest? Sic quomodo jurisconsultorum valent responsa, etiamsi* RATIO NON REDDITUR. Nonnumquam tamen et rationes quasdam addebant, vel ex legum verbis, vel ex aliorum prudentum auctoritate, vel ex usu fori, vel ex decretis denique severioris philosophiae depromtas. Hortled. *Diss. de vero sensu L.* 20. *D. Legib. num.* 48. Andr. Okel. *Diss. de jureconsulto rationali* 3. *et* 7. *p.* 154. [Id in primis fiebat in responsis scriptis et epistolis. Solebant enim jurisconsulti se invicem consulere; qui rationes sibi reddi volebant. *L.* 29. *D. de Statulib.* De differentia *quaestionum* et *responsorum* vid. V. A. Ev. Otton. *in Papinian. c.* 12. §. 1. 2.]

§. 36.

Denique III. disputatione fori.

Pertinet etiam ad interpretationem DISPUTATIO FORI. Nonnumquam enim de gravibus perplexisque quaestionibus dissidentes jureconsulti, rationibus subductis, decisionem communi suffragio inveniebant, adeoque prius in commune consulebant, eaque dicebatur DISPUTATIO FORI, cujus meminit Pomponius *L.* 2. §. 5. *D. de O. J.* In

dubium qnidem id vocat Ge. Schubartus *de Fat. jurisprud. Rom. Ex. II. 57. p.* 292. sed sexcenta adsunt rei testimonia. Augustum ob quaestionem de codicillis convocasse prudentes viros, interque eos Trebatium quoque, cujus tunc maxima erat auctoritas, notum est ex *pr. Inst. de Codicill.* Pari ratione Divi Fratres, quum quaestio esset de exclusione nepotis a bonis aviti liberti, *cum Maeciano, aliisque amicis suis jurisperitis adhibitis, rem plenius tractarunt,* teste Ulpiano *L.* 17. *D. de Jure patron.* Sed et Paullus ait, *quum de quodam quaereretur, an recte exheredatus videretur, Scaevolam respondisse, non videri, et in* DISPUTANDO responsi sui rationem eumdem Scaevolam adjecisse: *L.* 19. *D. de Lib. et postum.* Nec alio videtur respexisse Asconius Pedianus *in Cicer. Verrin. III. p.* 1849. quando ait: *Maleficia sponte, et non* DISPUTATIONE JURISCONSULTORUM, *sed naturali interpretatione, fugienda sunt, ut veneficium, parricidium et cetera; quae etiam nullo prohibente evitanda sunt.* Denique eodem referenda illa veteris Scholiastae, qui explicaturus illa Juvenalis *Sat. I. v.* 128.

— — — *jurisque peritus Apollo.*

addit *p. m.* 26. *Quia juxta Apollinis templum jureconsulti sedebant, et* TRACTABANT. Ubi tractare idem ac disputare est [x]). Plura dabit Jac. Raevard. [*de auctorit.*] *prudent.* 14. *p.* 1031. Reperta vero ejusmodi disputatione definitio, quamvis non haberet vim juris, nisi simul usu recepta, magnae tamen auctoritatis habebatur, et, si vel usus fori, vel nova auctoritas adcederet, etiam ad similes extendebatur casus: Ger. Noodt *ad Leg. Aquill.* 15. *p.* 106. *de Pact. et Transact.* 19. *p.* 718. Et tum demum vocari solebat RECEPTA SENTENTIA, RECEPTUM JUS,

---

x) Auctoris ista de disputatione fori opinio, quamvis communis quondam fuerit, jam tamen omnium consensu intelligentium explosa esse videtur. G. Hugo R. G. p. 442. not. 2. Zimmern R. G. §. 16. not. 21. V. et Dirksen Vers. zur Kritik und Ausleg. d. Quell. d. R. R. p. 211. Veteres JCtos subinde, aut in consilium adhibitos, aut casu ac fortuito congregatos, de dubiis rebus quaestionibusque controversis disputasse, tum vero, quod de consilii sententia pronuntiaverint, id usu postea adprobatum et receptum esse, quis dubitet? *Fori* autem *disputatione* — quod quidem verbum hoc uno tantum Pomponii loco legitur — nihil aliud intelligi potest, nisi JCtorum oratorumque in ipsis causis agendis disceptationes, quae, quantopere ad judicum sententias concitandas firmandasque valeant, nemo est, quin intelligat. — Caeterum de Pomponiani loci lectione cfr. Hugo l. l. Hepp diss. exhibens *interpretation. L.* 2. §. 5. *D. de O. J.* Heidelb. 1826. p. 2—15. Witte in ephemerid. libror. jur. Tub. edit. T. IV. p. 341—344. Schilling Bem. üb. R. G. p. 122. sq. *Mühl.*

RECEPTUS MOS, POST MULTAS VARIATIONES RECEPTUM y): *L.* **115. §. 2.** *D. de Verb. obl. L.* 3. *C. in quib. causs. in integr. restit. necess. non est. L.* 41. *D. de Reb. credit.* RECEPTUM *enim*, inquit Festus, *dicitur, quidquid a plerisque prudentibus adprobatum est.* Conf. Barn. Brisson. *de Verb. signif.* voce *Receptum* et Guil. Budaeus *in Comment. ad L.* 11. §. 1. *D. de Verb. signif.* Quin et REGULAE JURIS, quarum toties jus nostrum meminit, nihil aliud sunt, quam breves quaedam positiones, quae rem fori disputatione definitam, et jureconsultorum consensu receptam concise enarrant. Raevard. *de auctorit. prudent.* 15. *p.* 1036. *sq. et Comment. ad L.* 1. *de Reg. jur. p.* 125.

§. 37.

Jureconsulti jus suppleverunt.

Tertium, quod jureconsultis jus Romanum debet, caput veluti adpendicem quamdam XII tabularum et reliquarum legum complectitur. Ubi enim deficere videbantur leges, et Praetorum Aediliumque edicta, ibi jureconsultorum erat, jus ex aequitate supplere. Hinc permulta nata sunt in jureconsultorum scholis ac disputationibus decreta, quae ex nulla scripta lege, nulloque edicto descenderunt. Sic adquisitio v. c. per adrogationem inventa fuerat a jureconsultis: *princ. Inst. de adquisit. per adrogat.* Eamdem originem fuisse novimus codicillorum, exheredationis postumorum, differentiae inter exheredationem filiorum, filiarum et nepotum, stipulationis Aquillianae, regulae Catonianae yy), actionis rei uxoriae, querelae inofficiosi testamenti, aliorumque id genus capitum juris z). Luculentum hanc in rem exstat testimonium Ciceronis in *orat. pro Muraena c.* 12. *Quum permulta praeclare legibus essent constituta, ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coëm-*

---

y) Frequentissima in jure nostro loquutio: *Post magnas varietates obtinuit: L. ult. D. pro Legat. L.* 32. *D. de Oblig. et act. L.* 55. §. 1. *de Legat.* 2. *Hein.*

yy) Addideramus in prioribus editionibus: *substitutionis pupillaris, donationis inter virum et uxorem prohibitae;* sed de his jam aliter sentimus. Nam substitutio pupillaris vere est ex XII tabulis, lege: Paterfam. uti legassit cet. (Vid. tamen L. 2. pr. D. *de vulg. et pup. subst.*). Donationum inter viros et uxores prohibitio ex natura in manum conventionis fluit. *Hein.*

z) Vid. et Gaji inst. I. §. 115. 118. *Mühl.*

tiones faciendas interimendorum sacrorum caussa reperti sunt. In omni denique jure civili aequitatem reliquerunt: verba ipsa tenuerunt. Sic multa invenere jureconsulti, multa disputationibus suis ac responsis invexerunt in forum, quae nec lege ulla, nec Praetoris edicto constituta fuerant. Et haec decreta ob auctorum dumtaxat celebritatem vim quamdam legum obtinuere, et postea rerum judicatarum constantia firmius haeserunt. Vid. Vinc. Gravina *de ortu et progr. jur. civ.* §. 43.

§. 38.

Eorum auctoritas initio minor.

Quantacumque vero esset veterum JCtorum auctoritas: judices tamen non obligabant eorum responsa. Hinc Cicero *pro Mur. c.* 13. Jureconsultorum *responsa atque decreta* ab oratoribus *everti saepe dicundo*, testatur. Et in *orat. pro A. Caecina c.* 24. exemplum adducit Crassi, qui in judicio centumvirali obtinuerit, ut Scaevolae responsum minime valeret. Quare tunc ne signabant quidem responsa: *L.* 2. §. 47. *D. de Orig. jur.* (certe id non videbatur necessarium), et plerumque utebantur verbis SUADEO. *L.* 3. §. 1. *D. de Minorib. vig. quinque ann.* VIDETUR, PUTO, SENTIO. etc. Duaren. *Disp. ann. II.* 11. *p.* 1064. ut ne judici praescribere sententiam viderentur. Imo ob eamdem caussam omnibus, quibus esset studiorum fiducia, de jure respondere licebat: *L.* 2. §. 47. *D. de Orig. Juris.* a)

§. 39.

Augustus quibusdam privilegium dedit de jure respondendi.

Sed ista mutavit Augustus, qui primus respondendi de jure facultatem certis tantum hominibus beneficii loco indulsit, adstrinxitque judices, ut ne ab eorum responsis discederent: §. 8. *Inst. h. t. L.* 2. §. *ult. D. de Orig. jur.* Quamvis enim in dubium id vocet Jac. Gothofredus *in Comment. ad C. Theod. Lib. I. Tit.* 4. *p.* 32. 35. ubi hanc jureconsultis auctoritatem partim jam ante Augustum salvam fuisse, partim denique a Valentiniano III. Imp. stabilitam esse

---

a) Errat ergo Theophilus §. 8. *de Jure nat. gent. et civ.* ubi jureconsultos vocat *σοφούς, οἷς τὸ νομοθετεῖν ἢ δῆμος, ἢ σύγκλητος, ἢ βασιλεὺς ἐπέτρεψε, sapientes, quibus jura condere aut populus, aut senatus, aut princeps concessit.* Numquam enim in libera republica vel populi, vel Senatus concessione, opus fuisse responsuris de jure, inter omnes constat. *Hein.* [* Theophilum contra Heineccium defendit Guil. Otto Reitzius ad Theophil. l. l. T. I. p. 38. not. x.]

putat: satisfecit tamen ejus argumentis Thomas. *de naevis jurispr. Antejust. II. 2. p.* 67. [b])

§ 40.

Ratio hujus instituti.

Caussa hujus sanctionis non ea erat, quam prodit Pomponius *L. 2. §. 47. D. de Orig. jur. ut major esset juris auctoritas*, nec, ut nova responsa vetus edictum et judiciale Praetoris regnum everterent, ceu conjecit V. A. Ulr. Huber. *Auspic. domest. V. p.* 178. nec, ut plebs, otii delinita dulcedine, atrocem reip. memoriam exueret, quae ejusdem est Huberi sententia: sed partim, ne plebs innumeris implicita litibus, de excutiendo jugo consilia conferret: (Thomas. *l. c.* 2. *p.* 70.) partim, ut eo ipso Augustus legislatoriam potestatem callide sibi vindicaret, legesque pristino reip. statui adcommodatas per jureconsultos paullatim corrigeret, et ad praesentem reipublicae faciem detorqueret. [c]) Unde et eam potestatem primo Atejo Capitoni, aliisque suarum partium JCtis, concessisse videtur.

---

b) Parum accurate rem referunt et Pomponius (v. Hugo R. G. p. 814. not. 1.) et Justinianus §. 8. *I. h. t.*, jamque meliora edocti sumus e Gaji commentariis, licet hic quoque omissa sint quaedam, quibus ad plenam perfectamque hujus rei cognitionem vix carere possumus. Haec autem leguntur apud Gajum I. §. 7: „Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum est jura condere. Quorum omnium *si in unum sententiae concurrant,* id quod ita sentiunt legis vicem obtinet; *si vero dissentiunt, judici licet, quam velit, sententiam sequi: idque rescripto divi Hadriani significatur.*" Cf. de Savigny in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. IV. p. 485. *Mühl.*

c) Praecipua Augusti cura fuit, *legum munia in se trahere:* Tacit. *Ann. I.* 2. Quum ergo novis omnino legibus opus esset, novo hoc statu reip. plures quidem initio rogationes tulit ad populum, servato veteri reip. more, et inde natae tot *leges Juliae*, quarum pleraeque Augusto debentur, itemque *Aelia Sentia, Fusia Caninia, Papia Poppaea, Julia et Titia,* et aliae: sed non integrum tamen erat Augusto, omnes antiquas leges eadem facilitate evertere, qua illas, sub triumviratu latas, *uno edicto,* aboleverat: Tac. *Ann. III.* 28. Quum ergo refigi non possent leges antiquae, eaeque tamen non convenire viderentur novo isti statui reipublicae: illud unum supererat, ut per interpretationem eae ad praesentem reip. formam sensim deflecterentur. Jam magistratibus hoc permittere non videbatur tutum: sibi soli id vindicare et incivile, et invidia plenum erat, et molestissimum. Reliqui ergo erant jureconsulti tanto ad hoc negotium aptiores, quanto magis jam in vetere republica potestas quaedam interpretandi penes istos fuerat. Quemadmodum vero hoc maximum erat Augusti arcanum politicum, quod, priscis vocabulis retentis, res novas inveheret, *eadem magistratuum* rerumque *vocabula; nihil usquam prisci atque integri moris* relinqueret: Tac. *Annal. I.* 3. et 4. ita et jureconsultis, specie antiqui moris, instrumentis novae dominationis usus est, ita

§. 41.

Idem placuit Imperatoribus sequentibus.

Sequentes Imperatores, (si a Caligula discesseris, qui hanc jureconsultorum auctoritatem abolituram se minabatur, teste Suetonio *Calig. c.* 34.) hoc Augusti institutum diligenter servabant, saltem usque ad Hadrianum. De Tiberio saltem id patet ex *L.* 2. §. 47. *D. de Orig. Jur.* ex quo loco etiam adparet, Hadrianum iterum more majorum unicuique dedisse facultatem respondendi, qui sui haberet

---

scilicet leges interpretaturis, quemadmodum id suo expediret imperio. His praestructis, totius novae constitutionis reddi poterit ratio. Promiscuam istam respondendi licentiam sustulit, eamque concessit paucis. Cur vero? nisi ut eos seligere posset, quos sciret sibi fore obnoxios. Jussus eos non privatim, sed publica auctoritate, respondere. Quamobrem? ut legum interpretatio ita penes se esset. Judicibus eam legem dixit, ne ab istis responsis discederent. (Vid. caeteroquin §. 39. not. b.). Quam ob caussam? ne, observata legum antiquarum ruina, intercedere, et Augusti consilium turbare conarentur. (Cf. Dirksen Beitr. p. 120. sq.). Signo opus erat, non rationibus. Cur vero? ut ne per rationum infirmitatem palam fieret, id agi, ut leges antiquae everterentur. Ceterum vera esse haec omnia, vel ex iis patet, quae inter eum Antistiumque Labeonem acta sunt. Eminentissimi ea aetate JCti erant Antistius Labeo, et Atejus Capito, adeo, ut non immerito *duo pacis decora* eos adpellet Tacitus *Ann. III.* 75. Quare operam dabat Augustus, ut hos potissimum sibi conciliaret. Labeoni ergo Consulatum offerebat, hoc videlicet auctoramento calamum ejus redditurus obnoxium. Sed *quum incorrupta libertate gauderet, ab ambitione honorum vacuus:* Tacit. *Ann. l. c.* quumque *nihil ratum pensumque haberet, nisi quod justum, sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset:* Gell. *Noctt. Attic. XIII.* 12. honorem istum plane respuit. Animadvertens vero Augustus, Labeonis sibi operam parum utilem futuram, Atejum Capitonem adortus, hunc modis omnibus ornare coepit, Consulemque creavit: Tacit. *Ann. III.* 75. Erat enim hic eo ingenio, *ut ejus obsequium non posset non dominantibus magis probari*, judice Tacito *Ann. III.* 75. Egregia sane adulationis specimina eum dedisse, observant Tacit. *Ann. III.* 70. Sueton. *de illustr. Gramm.* 22. Ergo maximo hunc studio sibi adjungebat Augustus, ut ejus opera in novo dominatu uteretur. Haec historia egregie conjecturam nostram firmat. Intelligimus enim inde, I. Augustum de jureconsultis primariis sibi conciliandis magnopere laborasse. Quod sane non fecisset tantus Princeps, nisi eorum operam perutilem sibi in novo principatu constituendo, legibusque ad praesentem statum flectendis futuram animadvertisset. II. Talibus jureconsultis amicis eum uti voluisse, quorum sibi obsequium probaretur, id est, Capitonis similibus, qui non antiquo juri mordicus inhaererent, sed callide inservirent temporibus. Ex quo denique colligimus, III. non alia de caussa eum respondendi facultatem quibusdam tantum jureconsultis dedisse, quam ut eorum calamis uteretur ad leges veteres et in libera republica receptas evertendas, et novae imperii sui formae tanto facilius adcommodandas. Plura de Augusti prudentia νομοθετικῇ diximus in *Praef. Comment. ad L. Jul. et Papiam*, quam evolvisse non poenitebit. *Hein.*

fiduciam. Rogatus enim a viris Praetoriis, ut sibi liceret respondere, rescripsit, *hoc non peti, sed praestari solere.* Itaque ab Hadriano ad Alex. Severum libera denuo esse coepit respondendi facultas. Dodw. *Prael. Cambden. IX.* 11. *p.* 355. d) Postea denuo reductum Augusti institutum, ceu patet exemplo Innocentii, jureconsulti, quem respondendi facultatem ab Imperatoribus accepisse tradit Eunapius *in vita Chrysanthii p.* 286. (Cf. Puchta Rhein. Mus. VI. p. 90.)

§. 42.

Hujus juris mutationes sub imperio principum Christianorum.

Quamdiu steterit jus, ut ex imperatorum auctoritate jurisconsulti responderent, non satis constat. Videtur illud sustulisse Constantinus imperator, id praecipiens, ut *inter aequitatem* et jus interponere interpretationem nemini liceret, nisi ipsi imperatori. (L. 1. *C. de legib.*) Idem tamen morem sui temporis, JCtorum libris eorum, quibus de jure respondendi facultas concessa fuerat, tamquam legibus utendi in foro, universim quidem confirmavit, neque vero ita rem perfecit, ut certa ratione constaret, quibus scriptoribus quibusve libris auctoritas velut legitima tribuenda sit in jure dicundo. Cui dubitationi, quomodo occurrere voluit Theodosius II. imperator, jam alio in loco vidimus (prooem. §. 24.) Eam autem semper videntur imperatores secuti esse rationem, ut nemo *juris conditorum* in numero haberetur, nisi cui aut vivo jus respondendi olim ab imperatoribus datum, aut mortuo eadem auctoritas lege impertita esset, id quod Gajo etiam contigisse probabiliter defenditur e). Certe Justinianus e libris antiquorum prudentium eorum, *quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sanctissimi Principes praebuerunt,* juris enucleati codicem colligi jussit, eatenus tamen Theodosianae legi derogans, ut parem haberent auctoritatem JCtorum sententiae omnium, quaecunque in Digestorum opus fuerint relatae f). Et ne quid huic auctoritati, nisi per leges, detraheretur, nec

---

d) Propius tamen accedere videtur ad veritatem sententia existimantium, nihil novi hac in re constituisse Hadrianum, sed illis esse usum verbis, ut erga petentium personas animum maxime benevolum ac liberalem significaret. V. de Savigny Zeitschr. IV. p. 486. Zimmern R. G. §. 54. not. 29. Puchta Rhein. Mus. VI. p. 91. sq. *Mühl.*

e) V. Puchta Rhein. Mus. V. Nr. VI., cui etiam adstipulatur Blume ibid. Eundem v. Puchtam Rhein. Mus. VI. Nr. II. *Mühl.*

f) c. *Deo auctore* §. 4. et 6. — Dirksen civilist. Abhandl. I. p. 199. sq. *Mühl.*

denuo jus per contrarias interpretantium sententias conturbaretur, commentarios fieri in Digesta noluit, sed eo velut sepimento juris interpretes circumdedit, ut intra translationum e latina lingua in graecam, tum vero paratitlorum [g]) fines sese continerent [h]). *Mühl.*

§. 43.

Principes initio vetere ritu leges tulerunt.

Restat, ut, quas symbolas PRINCIPES, mutata reipublicae forma, ad jus Romanum contulerint, paucis dicamus. Initio Imperatores veterem leges ferendi morem aliquamdiu retinuerunt. Hoc enim ritu sub Augusto centuriatis comitiis ad populum latae sunt leges *Juliae*, *Aelia Sentia*, *Papia Poppaea;* sub Tiberio *Junia Norbana*. Claudius quoque veteri ritu rogavit legem, ut Domitius in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret: Tacit. *Annal. XII.* 26. [i]). Quin ne sub Galba quidem plane exolevisse veterem leges curiatas saltem de adrogatione ferendi ritum, patet ex Tacit. *Hist. I.* 15.

§. 44.

Deinde usi sunt Senatusconsultis.

Quemadmodum vero habita illa sub Imperatoribus comitia nonnisi quaedam pristinae libertatis simulacra erant: ita Tiberius, princeps astutus, tyrannicisque artibus magis, quam quisquam alius, instructus, novum commentus est leges ferendi morem. Ut enim populo jus omne eriperet [k]), comitia, magistratuum creandorum caussa habenda, e campo transtulit ad patres, id est, honorum conferendorum arbitrium non amplius populi suffragiis, sed Senatorum sibi obnoxiorum sententiis subjecit: Tacit. *Annal. I.* 15. Sueton. *Tiber. c.* 30. (Cf. Dirksen civ. Abh. I. p. 172.) Restituit populo comitia Cajus Caligula: Dio Cass. *LIX.* 9. sed illa paullo post

g) Paratitla quid sint, explicat Aeg. Menagius *amoenitt. jur. civ. c.* 15. *Hein.*

h) Const. *Deo auctore* §. 12. c. *tanta* §. 21. *Mühl.*

i) At proprie hae non erant leges, sed adrogandi ritus. Adrogationes enim olim fiebant per legem curiatam. Gell. *Noctt. Attic. Lib. V. c.* 19. *Hein.*

k) Falluntur ergo, qui cum Pomponio *L.* 2. §. 9. *D. de Orig. jur.* et Triboniano §. 5. *Inst. h. t.* existimant, ideo ad patres e campo translata esse comitia, *quia difficile esset, tantam populi multitudinem in unum convenire.* Quasi difficilius id fuisset sub Tiberio, quam libera republica, quando tota Italia ad comitia confluebat. Cic. *Orat. ad Quirit. post redit. Hein.* Dirksen Versuche p. 213. *Mühl.*

ipse iterum illli eripuit. Idem *ib.* 20. Ex eo tempore rarius vel magistratus creati, vel leges latae populi suffragiis: at eo frequentius prodierunt SENATUSCONSULTA, quibus plerumque praemittebatur *oratio Principis*, non quidem semper ab ipso Principe, sed saepius [1]) a *Quaestoribus*, qui *candidati* vocabantur, recitata: Brisson. *Antiq. Rom. I.* 17. *p.* 19. Unde *oratione Principis cautum* dicitur, quod erat Senatusconsulto constitutum. *L. pen. D. ad SC. Tertull. L.* 8. *pr. D. de Transaction. L.* 52. §. 10. *D. Pro soc. L.* 60. *pr. D. de Ritu nupt. L.* 32. *pr.* §. 1. *sq. D. de Don. int. vir. et ux. L.* 1. *L.* 7. *C. de Praed. min. non al.*

1) In marmoribus saepe legimus QUAESTOR KANDIDATUS, Reines. *Inscr. II.* 26. *VI.* 4. *ΤΑΜΙΑΣ ΚΑΝΔΙΔΑΤΟΣ*, Gruter. *Inscript. p.* ccccxxv. 2. Vocabantur ita, qui libris, epistolis et orationibus Principum in Senatu praelegendis praeerant: *L.* 1. *D. de Offic. Quaest.* Dio Cass. *LX.* 2. Tacit. *Annal. XVI.* 27. eosque jam ab Augusto adhibitos constat ex Dione Cass. *LIV.* 25. et Sueton. *Aug. c.* 65. Ideo vero dicti videntur candidati, quia post Quaesturam statim Praetores fiebant, et inde regebant provincias. Lamprid. *vit. Alex.* 43. Unde haec dignitas ingressus erat et quasi primordium gerendorum honorum, et sententiae in senatu dicendae. Imo recentiore aevo saepe cum aliis dignitatibus conjungebatur haec Quaestura. Sane Anicius Auchenius Bassus in marmore Romano praeter hanc Quaesturam etiam alios gessisse honores dicitur. Reines. *Inscriptt. Class. VI.* 4.

ANICIO. AUCHENIO. BASSO. V. C. QUAE
STORI. CANDIDATO
UNO. EODEMQUE TEMPORE PRAETORI
TUTELARI. PROCONSULI
CAMPANIAE. PRAEFECTO. URBI. TRINI
MAGISTRATUS
INSIGNIA. FACUNDIAE. ET NATALIUM
SPECIOSA. LUCE. VIRTUTIS. ORNANTI.

Talis etiam est Inscriptio posita:

M. NUMMIO ALBINO V. C.
QUAESTORI CANDIDATO
PRAETORI URBANO COMITI
DOMESTICO ORDINIS PRIMI ET
CONSULI ORDINARIO ITERUM
NUMMIUS SECUNDUS EJUS F.

Reines. *Inscriptt. Class. VI.* 132. Legendus de hac dignitate idem Reines. *Var. III.* 16. *p.* 600. *Hein.* [* De candidatis principum exstat singularis Diss. Jo. Frid. Mageri Lips. 1733. quacum jung. Trekell ad *Barn. Brissonii antiquitt.* I. 17. in Hujus *opp. min.* p. 26. sq.] De quonam autem tempore cogitaverit Gajus, ita verba faciens: „idque (SCtum) legis vicem obtinet, *quamvis fuit quaesitum*" (I. 4), nondum convenit inter eruditos. V. Hugo R. G. p. 414. Dirksen Vers. p. 219. Zimmern R. G. §. 22. not. 1. *Mühl.*

§. 45.

Differentia SCC. in libera republica et sub Imperatoribus.

Equidem et libera republica fiebant Senatusconsulta, sed ea vim legum non habebant m). Quamvis enim initio, pulsis regibus, aristocratiam meditarentur patres, et hinc apud Dionys. Halicarn. *VI.* 66. legem esse dicerent, jam inde ab urbe condita, *quae omnia in Senatus potestate ponat, praeter magistratuum creationem, legum lationem, et bellum inferendi deponendique arbitrium:* id tamen non persuaserunt plebi, libertatis popularis adpetentissimae. Unde non erat penes Senatum potestas legislatoria: sed quaedam tantum erant negotia, quae Senatus populi jussu ad curam suam revocaverat, ut puta, aerarium et pecunia publica, quae Senatus arbitrio dispensabatur; controversiae in Italia suscitatae, publicaque objurgatione vel graviore decreto componendae; legationes aut ad indicendum bellum, aut alia graviora negotia obeunda decernendae, aut exterorum excipiendae; prorogationes imperii et provinciarum; convocatio populi, ac denique indictio feriarum et supplicationum n). Haec enim omnia Senatus solius curationi suberant, nisi tribuniciis intercessionibus res devolveretur ad populum: sicuti praeclare suo more docet Polyb. *Hist. VI.* 13. et ex eo Zamosc. *de Senatu Rom. II. p.* 174. *et sq.* De his ergo solis in libera republica SCta condebantur, ut recte observatum a Bachovio *in Πρώτοις, p.* 38. *sq.* Sed maxime Senatus potestas excellebat in trepidis rebus ac turbatis, quibus triste illud fieri solebat Senatusconsultum: DARENT OPERAM CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET. Quod decretum summum ac latissimum in Consules transferebat imperium, ut suo jure possent exercitum parare, bellum gerere, coercere, etiam injussu populi, unde *extremum* et *ultimum* hoc *Senatusconsultum* vocatur: Liv. *III.* 4. Sallust. *de bello Catilin.* 29. Cic. *Catilin. I.* 2. et *pro Milone* 26. Caesar *de Bello civili II.* 1. Barn. Brisson. *de Form. II. p.* 212.

---

m) [* Caeterum Auctor in iis, quae dixit de vi SCC. stante republica factorum, emendandus e Bachii *H. I.* II. 2, 2, 1—3. et Hugonis *R. G.* XI. p. 406—414.] Cf. et Schilling Bem. üb. R. G. p. 116. *Mühl.*

n) Imo et cura religionis. Hinc quum Bacchi sacra detestanda inveherentur in rempublicam, SCto gravissimo Marciano ea coercebat Senatus: Liv. *XXXIX.* 8. *sq. Hein.* [* De senatus potestate animadvertendi in crimina intra Italiam admissa: Dukerus *ad Liv.* XXXIX. 14. §. 6. *ad Epit.* XLVII. et *ad Epit.* LIV. T. V. p. 322. sq. p. 916. et p. 1039. Dirksen civ. Abh. I. Nr. II. p. 105—152.]

§. 46.

Fiebant SCta non nisi in sacro auspiciisque dedicato loco o). Romulus in templo Vulcani extra urbem Senatum coegit: Plutarch. *Quaestt. Roman.* 47. [* *Vol. VII. p.* 116. *sq. Opp. Plutarchi ex edit.* Jo. Jac. Reiskii.] Tullus Hostilius in curia Hostilia. Libera republica aedes Apollinis, Martis, Bellonae, Quirini, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, ut et curiae Hostilia, Pompeja, Julia, Senatui habendo inserviebant: Gell. *Noctt. Attic. XIV.* 7. Nam et in curiis templa erant per augures dedicata: Gell. *ibid.* Ordinaria tamen senacula erant aedes Concordiae, aedes Bellonae, et locus ad portam Capenam: Fest. sub voce *Senaculum p.* 431. Conveniebat Senatus statis temporibus, hoc est, singulis Kalendis, Nonis et Idibus, exemtis tamen diebus comitialibus, (quibus convenire nefas habebatur per legem Pupiam: Cicero *ad Div. I.* 4.) nec non diebus atris, quibus Senatum non nisi in rebus trepidis habere licebat: Dio Cass. *XLV.* 17. Et hi ordinarii conventus *Senatus* LEGITIMUS dicebantur. Si vero vel legatis vel aliis ob quamcumque caussam Senatus extra ordinem dabatur: ille vocari solebat INDICTUS: Fr. Hotom. *de Senatu* 5. Et tunc quidem convocabantur plerumque Senatores per edictum, quo olim frequentes adesse jubebantur QUI PATRES, QUIQUE CONSCRIPTI: Liv. *II.* 1. postea vero edici coepit: QUI SENATORES, QUIBUSQUE IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET: Fest. sub vocc. *Conscripti* et *Senatores* ibique Dacer. *p.* 496. Gell. *Noctt. Attic. XIV.* 18. Brisson. *de Form. II. p.* 264.

§. 47.

Relatio facta a Consule, Dictatore, Praetore.

Frequens si aderat Senatus, tum Consul, penes quem fasces eo mense erant, aut eo absente Praetor, aut Dictator, si quis erat, aut

o) Imo et non nisi peractis sacris, captisqne auguriis, fiebant: Appian. *de Bello civ. II.* 115. Exempla exstant apud Liv. *XXII.* 11. *XXIV.* 11. Non addicentibus avibus, negotium in alium diem differebatur: Cic. *Epist. X.* 12. Augustus hac molestia liberaturus Senatores, *sanxit, ut, priusquam considerет quisque, thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur:* Sueton. *August.* c. 35. *Hein.* Addi potest Dio Cassius *LIV.* 30., prout a Casaubone est emendatus: *θυμιᾶν τε τοὺς βουλευτὰς ἐν τῷ συνεδρίῳ, ὁσάκις ἂν ἕδρα αὐτῶν ᾖ, καὶ τὴν ἄφιξιν πρὸς ἑαυτὸν οὐ ποιεῖσθαι, τὸ μέν, ἵνα θεοσεβῶσι, τὸ δέ, ἵνα ἀπονητὶ συνίωσι, ἐκέλευσε* (*Αὔγουστος*). *(Imperavit Augustus, ut Senatores in curia, quoties Senatus ageretur, thure supplicarent, neque ipsum prius salutatum adirent: partim ut se religiose gererent, partim ut eo minore cum molestia convenirent.) Cann.*

Interrex aut Praefectus urbi, ad Senatum referebat: Gell. *XIV.* 7. Si quando id recusaret Consul: eas in se partes suscipiebat aliquis Tribunus plebis, cui etiam jus erat, addere relationi Consulis, quod e re videbatur, aut novam de integro ordiri. Paull. Manut. *de Senatu* 5. *p.* 859. Relationibus plerumque praefari solebant sollemni illa formula: QUOD BONUM FAUSTUM, FELIX, FORTUNATUM SIT: Sueton. *Calig. c.* 15. deinde addebant: REFERIMUS AD VOS, PATRES CONSCRIPTI: Brisson. *de Form. II. p.* 165.

§. 48.

Rogatae sententiae.

Finita relatione, sententiam rogabantur Senatores p), non verbis precativis, qualibus in comitiis utebantur rogatores, sed imperativis: DIC, SP. POSTUMI, QUID CENSES? Liv. IX. 8. vel QUID FIERI PLACET? QUID VOBIS VIDETUR? Brisson. *de Form. II. p.* 165. Qua in re non idem semper, at plerumque is observabatur ordo, ut ante comitia princeps Senatus, post comitia vero Consules designati primo loco dicere juberentur sententias. Sequebantur eos viri Consulares, hos Praetorii, tum Aedilicii, Quaestorii ac denique Tribunicii q), inter quos tamen reliquos anteibat, quem Consul priorem rogasset, modo gradus magistratuum non turbarentur. Cic. *Phil. V.* 13. Solebant vero Consules, quem ordinem initio magistratus instituerant, eumdem per totum annum tenere, donec eum morem antiquum C. Julius Caesar migraret: Sueton. *Jul. c.* 21. Imo Augustus omnem ordinem plane sustulit, promiscue perrogans sententias, ut magis quisque attenderet. Sueton. *Aug. c.* 35.

§. 49.

Eaedemque ordine dictae.

Sententiam singuli dicebant stantes, formula usi: QUOD C. PANSA VERBA FECIT DE -- DE EA RE ITA CENSEO. Brisson. *de Form. II. p.* 169. Integrae ejusmodi senatorum sententiae exstant apud Cic. *Philipp.*

---

p) Qui rogabant, CONSULERE, nec non PERROGARE SENTENTIAS dicebantur: Liv. *XXII.* 60. *XXIX.* 19. Suet. *Aug. c.* 35. *Hein.*

q) Tribuni plebis non erant olim Senatores, nec jus iis erat dicendae in Senatu sententiae. Ante curiam itaque sedebant in subselliis, donec SCta ad se ferrentur, quae ipsi vel adprobabant deinde, vel rejiciebant. Val. Max. *II.* 2. 7. At etiam senatoria dignitas jusque dicendi sententiam iis data sunt lege Atinia: Gell. *Noctt. Att. XIV. ult. Hein.*

III. 15. *V.* 4. *VIII.* 11. *IX.* 7. et apud Livium passim. Nec licebat Consulibus interpellare dicentes, quamvis aliena multa immiscerent, quod data opera nonnumquam faciebant, qui Senatusconsultum fieri nollent [r]). Quum enim ante et post occasum solis illud fieri non posset: Gell. *XIV.* 7. solebant *diem dicendo eximere*, vel *noctem postulare*, ut ita re infecta discedendum esset Senatui: Cicero *Epist. ad Quint. Fratr. II.* 1. *Epist. ad Att. IV.* 2. Gell. *IV.* 10. Qui plura capita una oratione complectebatur, is jubebatur DIVIDERE SENTENTIAM: Cic. *ad Div. I.* 2. *pro Milone* 6. Senec. *Epist.* 21. Qui alterius sententiam sequebantur, ADSENTIRI se unico verbo ajebant. Et hoc erat *verbo adsentiri*, quod opponitur alteri muto adsensui, quo quis *pedibus ibat in alterius sententiam.* Utramque loquutionem jungit Liv. XXVII. 34. *L. Veturius et P. Licinius Censores eum tonderi, et squalorem deponere, et in Senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coegerunt. Sed tum quoque aut verbo adsentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat.* Nonnumquam non omnino adsentiebatur quis sententiis antea dictis, sed aliquid praeterea addendum censebat, et tunc utebatur formula: SERVILIO ADSENTIOR, ET HOC AMPLIUS CENSEO. Cicero *Philipp. XIII.* 21. [s])

§. 50.

Pronunciatio sententiarum factaque discessio.

Dictis denique sententiis, Consulis erat vel pronunciare aliquam vel eas supprimere. Licebat ei in tanta varietate sententiarum, earum auctores et principes edere, simulque jubere, ut quisque ex pronunciatis sententiis unam amplecteretur. Et id sibi vult sollemnis illa loquutio: PRONUNCIARE SENTENTIAM, apud Ciceron. *ad Div. X.* 12. *I.* 2. Formula, qua tunc utebatur Consul, haec erat: QUI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM, QUI ALIA OMNIA, IN ILLAM ITE, QUA SEN-

r) Erant et aliae artes, quibus SCta impediebant Senatores. Postulare enim poterant, *ut consulerentur singuli*, vel, si tot non adessent senatores, quot praesentibus licebat perscribi SC. clamabant: *numera Senatum.* Festus sub hac voce *p.* 338. Coelius apud Cic. *Epist. VIII.* 11. SC. enim a justo paucioribus factum per INFREQUENTIAM FACTUM dicebatur, et irritum erat. Liv. XXXVIII. 44. Tempore Ciceronis ducenti senatores frequentem senatum constituere videbantur: Cicero *ad Q. Fratr. Epist. II.* 1. Postea CCCC, quod sublatum ab Augusto: Dio Cass. *LIV.* 35. qui tamen sequente libro *c.* 3. eumdem Augustum Senatorum numerum secundum singulas SCti formas definivisse ait. *Hein.*

s) Aliquando etiam in altercationem abibant senatorum sententiae. Cujus rei exempla collegit Brisson. *de Form. II. p.* 184. *sq. Hein.*

TITIS. Quae verba, lege praescripta, explicat Plin. *Epist. VIII.* 14. His dictis Senatores mutabant locum, et singuli eo discedebant, ubi recitata fuerat, quam probarent, sententia. In quamcumque vero partem frequentior concesserat Senatus, de ea dicebat Consul: HAEC PARS MAJOR VIDETUR, et in eam sententiam deinde conficiebatur Senatusconsultum: Brisson. *de Form. II. p.* 184.

§. 51.

Senatusconsulta quotuplicia.

Varro equidem apud Gellium *Noctt. Attic. III.* 18. Senatusconsulta vel per DISCESSIONEM, vel per exquisitas singulorum SENTENTIAS facta scribit, quum contra Atejus Capito et Tubero nullum sine discessione SC. fieri potuisse, censerent. Sed salva res est. Ad omne SC. fiebat discessio: sed non semper singuli rogabantur sententias, et hinc illa demum SCta per discessionem facta dicebantur, ad quae non singulorum fuerant exquisitae sententiae: Huber. *Digress. I. p.* 87.

§. 52.

Scripta Senatusconsulta.

Denique SC. sollemniter scribebatur, ita, ut primo dies, deinde locus, ubi Senatus habitus, tum porro, qui scribendo adfuerint [t]), postea, quis ad Senatum retulerit, et denique, quid placuerit Senatui, referretur. Integra SCta verbis suis legitimis perscripta exstant *in L.* 20. §. 6. *D. de Hered. petit.* (ubi tamen plura mendose scripta esse animadvertimus,) et apud Ciceron. *ad Div. VIII.* 7. Frontin. *de Aquaeduct. II.* 100. 104. 106. 108. 125. 127. Brisson. *de Form. II. p.* 198. Omnium vero integerrimum est SC. Marcianum de Bacchanalibus, egregie illustratum a viro amplissimo, Corn. van Bynkersh. *de relig. peregr. Diss. II. p.* 259. *Opuscc.*

§. 53.

Confirmata a Tribunis et illata aedi Cereris.

Verum ne sic quidem ratum erat SC. nisi Tribunis etiam placuisset, qui, eo perlecto et probe expenso, litteram T, si e republica videretur, addebant: Valer. Maxim. II. 2, 7. Sin minus placeret: suo

---

t) Scribendo enim aderant aliquot Senatores. Nonnumquam si scribis publicis hoc committere nollent, ipsi viri amplissimi hanc in se operam suscipiebant, idque SC. TACITUM vocabatur: Jul. Capitolin. *Gordian.* 12. *Hein.*

illo sollemni VETO intercedebatur, moramque faciebant SCto, et tunc AUCTORITATES perscribi solebant. Cicero *ad Attic. V.* 2. *ad Div. VIII.* 7. id est, ut explicat Dio Cass. *LV.* 3. οὐ μέντοι καὶ τέλος τὶ ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ αὐκτώριτας ἐγίγνετο (*non vim SCti obtinebat, sed auctoritas Senatus dicebatur*). Haec vero auctoritas non vim legis habebat, sed efficiebat, ut eadem de re iterum referri posset ad Senatum: Coel. apud Cic. *Epist. VIII.* 8. u). Postremo scriptum SC. in aedem Cereris, Liv. III. 55. vel in aerarium deferebatur: Sueton. *August. c.* 94. et tunc Senatus dimittebatur formula sollemni: P. C. NEMO VOS TENET, vel: NIHIL VOS MORAMUR: Cicero *ad Quint. Fratr. I.* 2.

§. 54.

Hoc ritu SCta etiam sub Imperatoribus facta.

Eodem ritu et sub Imperatoribus condita sunt SCta, nisi quod Princeps orationem praemitteret, et Senatores plerumque pedibus irent in Principis sententiam. Quin eo prolapsa erat patrum adulatio, ut orationes Principum non nisi adclamationibus exciperent: Plin. *Epist. IV.* 9. et, ne periret ejus adulationis memoria, in acta referebantur: Idem *Panegyr.* 75. Plura exempla occurrunt in Scriptoribus historiae Augustae, quae collegit Brisson. *de Form. II. p.* 187.

§. 55.

Rescripta Principum.

Enimvero haec Senatusconsulta non nisi ideo invenerant Imperatores, ut viderentur veterem Senatus auctoritatem libertatemque reipublicae tueri: itaque ea fictione tantisper opus fuit, dum servituti paullatim adsuevissent Romani. Hinc coeperunt sensim Imperatores rescribere, editisque constitutionibus leges veteres abrogare, novas inducere, irrogare privilegia, omniaque, ut paucis dicam, pro lubitu decernere. Rescriptis illis principum vel ad libellos sive magistratuum, sive universitatum, sive privatorum, respondebatur x), et tunc ista EPISTOLAE seu LITTERAE: *L.* 3. §. 1. *D. de Test. ib. L.* 31.

---

u) At aliquando tamen temporibus insequentibus auctoritas dicebatur ipsum senatusconsultum. Exempla dedit Jac. Gothofred. ad *L.* 9. *D. de Leg. Rhod. de jact.* quamvis eam auctoritatem genuinam non esse ostendit V. A. Corn. van Bynkersh. *ad leg. Rhod. c.* 8. *Hein.*

x) Qua in re similibus fere utebantur imperatores dicendi formulis, ut jurisconsulti in exarandis responsis; Dirksen p. 21. *Mühl.*

D. de Re judic. illa SANCTIONES PRAGMATICAE: *L.* 7. §. 1. *C. de Div. rescript.* y) haec denique ADNOTATIONES vel SUBNOTATIONES dicebantur. *L.* 6. *sq. C. de Div. rescr. L.* 1. *C. de Prec. Imp. offer.* Libellorum integra exempla exstant tum *L.* 9. *D. de Lege Rhodia*, tum in marmore Romano apud Brisson. *de Form. III. p.* 292. [et Gruteri *Inscriptt. p. DCVII.*] Aliquando a principibus vel de plano decernebatur, vel sententia cum plena caussae cognitione ferebatur z): illae dicebantur INTERLOQUUTIONES, qualis *L.* 13. *D. Quod met. causs.*, haec DECRETA, quale exstat *L.* 2. *D. de His, quae in testam. del.* Denique aliquando novum jus constituebatur, et tunc dici solebant EDICTA a) vel CONSTITUTIONES. De quo discrimine plura disserunt jureconsulti.

§. 56.

Rescriptorum origo ac progressus. b)

Primus ita rescripsisse videtur Vespasianus, cujus edictum exstat in *L.* 4. §. 6. *D. de Legation.* c) At hic et successores rarius id ausi videntur: multo frequentius vero Hadrianus. Nam praeterquam quod sub eo Principe nova quaedam forma juri publico aeque ac privato

---

y) Rectius tamen dixeris pragmaticas sanctiones, quae solenniter et palam civibus nuntiabantur. Neque enim rescripta hujusmodi pragmatica ad solas corporum collegiorumque causas dabantur, verum singulis quoque hominibus, privatis etiam, impertita sunt (v. C. *summa* de Just. Cod. confirm. §. 4.), donec „ad singulorum preces *super privatis negotiis*" pragmaticas sanctiones fieri noluit Zeno imp. L. 7. §. 1. C. *de divers. rescr.* V. Mühlenbruch doctr. Pand. §. 34. not. 9. 11. *Mühl.*

z) [*De cognitionibus Imperatorum: Ernesti Exc. II. ad Suet. Caes. c. 43.]

a) Id hic observari juvabit, artificiose admodum Principes sibi potestatem leges per edicta ferendi sensim vindicasse. Initio enim ea, quae Sctis sanxerat Senatus, edictis promulgabant, postea firmata satis auctoritate, etiam inconsulto Senatu, quid fieri placeret, edicere coeperunt. V. C. Burmann. *de Vectig. pop. Rom. VI. p.* 113. *Hein.*

b) [* De origine et incrementis constitutionum principalium veriora quaere ap. Bern. Henr. Reinoldum obss. interpretationi Codicis praemiss. c. 1. in opusc. jurid. p. 381 — 409. Eg. v. Löhr Uebersicht der das Privatr. betr. Constitutionen d. Röm. Kaiser von Theodos. II. u. s. w. p. 7. sq. et in primis Hugo *R. G.* p. 740 — 746. ed. XI.]

c) Jam vero satis constat, etiam ante Vespasianum edixisse imperatores. V. v. c. *fragm. vet. JCti de jure Fisci* (quod una cum Gaji institutionib. primum edid. Göschen) §. 8., ubi Augusti Edictum de litigiosis commemoratur. Alia exempla e veteribus scriptoribus notavit Dirksen *Vers.* p. 20. not. 54. Neque desunt exempla *rescriptorum* ab imperatoribus Hadriano anterioribus editorum; Hugo R. G. p. 745. sq. *Mühl.*

adcessit, in tantum, ut Latin. Pacatus *Panegyr. ad Theodos. c.* 11. eum legibus imbuisse rempublicam dicat: nullius sane Principis antiquioris in Codice exstant constitutiones, quam Hadriani, a cujus temporibus etiam Gregorium codicem suum orsum esse, jam supra ostendimus. Plures etiam Hadriani Epistolae et sententiae Graece etiamnum exstant, collectae a Dositheo Grammatico [d]), ex quibus satis constat, quam rationem in rescribendo respondendoque tenuerit Imperator. Ejus deinde exemplum sequuti sunt Antonini, ceterique Imperatores omnes, quorum rescripta quamplurima in codice Justinianeo, Theodosiano, ut et Gregoriani et Hermogeniani fragmentis exstant.

§. 57.

Senatusconsulta tamen etiam post Hadriani tempora facta.

Neque tamen ob rescripta illa statim desierunt SCta fieri, quamvis illa ex eo tempore rariora esse coeperint. Sane sub ipso Hadriano, ut alia exempla praetermittamus [e]), prodiere SCta Juventiana: *L.* 20. §. 6. *D. de Hered. pet. L. ult. C. de Serv. reipubl.* Apronianum: Ulp. *Fragm. XXIV.* 8. *L.* 26. *D. ad SC. Trebell.* Tertullianum: §. 2. *Inst. de SC. Tertull.* sub M. Antonino Orfitianum. Memoratur etiam Oratio M. Antonini et Commodi, *L.* 16. *D. de R. N. L.* 9. §. 3. *D. de Jure dot.* Orationes D. Severi et Antonini Caracallae, *L.* 32. *pr.* et §. 19. *D. de Don. int. vir. et ux.* Antonini Caracallae solius oratio *L.* 3. *D. de Donat. int. vir. et ux.* Orationes vero Principum pro SCtis accipi, supra §. 45. monuimus. Recentius, quod de jure privato agat, SC. mihi non succurrit [f]). Et sane, qui ex eo tempore demum plane desiisse Senatusconsulta, quibus nova jura constituebantur, existimant, eis nos non inviti nostram adjungemus sententiam.

§. 58.

Transitio ad materiam de privilegiis et lege regia.

Et hae sunt leges, quae Romae, quum libera adhuc republica,

---

d) Exstant ap. Schulting *jurisprud. vet. antejust.* p. 860. sq. et in corp. jur. Rom. antejust. Bonn. p. 200. sq. De cujus collectionis levitate recte judicat Dirksen civ. Abh. I. p. 43. *Mühl.*

e) De quibus vid. Hugo *R. G.* p. 784. *Mühl.*

f) Alioquin enim multa SCta memorant Scriptores historiae Augustae, sed ad rem publicam pertinentia. Exemplum habes apud Vopiscum *in Probo C. XI.* Non tamen valebat hujus modi SC. nisi lege Augusta, id est, rescripto firmatum. Symmach. *Epist. X.* 21. *Hein.* Cf. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 293. sq. *Mühl.*

tum sub Imperatoribus, viguerunt. Jam et de aliis quibusdam rebus, quarum obiter hoc titulo meminit Imperator, quaeque ex antiquitatibus lucem aliquam desiderant, paucis agendum. Eodem enim §. 6. *h. t.* quo de Principum disserit constitutionibus, etiam PRIVILEGIORUM, ut et LEGIS REGIAE, qua populus imperium omne in Principem transtulerit, facit mentionem. De utrisque nonnulla monere operae fuerit pretium.

§. 59.

Privilegia quid fuerint? quum odiosa.

Nonnumquam Imperatores quaedam statuebant, quae ad personam singularem pertinebant, neque trahenda erant ad exemplum, quae, sive poenam duriorem irrogarent, sive quid alicui indulgerent ob meritum, PRIVILEGIA adpellabantur, quasi *privae leges*, ut tradit Gell. *Noctt. Att. X.* 20. Isidor. *Orig. V.* 18. Et olim quidem privilegii vocabulum fere semper in deteriorem partem acceptum videtur pro poena extraordinaria, quae certae personae tantum extra ordinem et exempli caussa infligebatur. Lex sane sacrata aeque ac decemviralis, dum PRIVILEGIA IRROGARI vetuit, poenas ejusmodi duriores quibusdam hominibus extra ordinem infligi prohibuit, ceu vel ex verbo IRROGARI colligas, quod ad poenas pertinere nemo ignorat. Vid. Ger. Noodt *ad Pandect. tit. de Legibus, Senatusc. et long. consu. p.* 18. Enenckel *de privil. jur. civ. I.* 1. 2. *et* 3. g) qui etiam observat, Ciceronem vocem *privilegium* plerumque in deteriorem, rarius in meliorem partem, accipere. At jam libera republica saepius hanc legem migrabant Tribuni plebis, et, quicumque e civibus ad majorem potentiam adspiraverant. In Milonis odium Pompejus, in Ciceronis Clodius multa statuerat, quae a legibus abhorrebant, quaeque ipse Cicero *privilegia* vocat in oratione *pro Domo* 17. Postea saepe eo jure utebantur etiam Imperatores, eoque pertinet exemplum Hadriani, qui herae cujusdam saevitiam poena satis rigida relegationis in insulam vindicavit: *L.* 2. *in fine D. de His, qui sui vel al. jur.* Id vero non mirum in herili imperandi ratione. Theodosius tamen jusserat, ut, si Imperator odiosum ejusmodi privilegium irrogaret, poena triginta dies differretur: *L.* 20. *C. de Poen.* Quam legem auctore Ambrosio, occasione tumultus, in ludis Circensibus

g) Add. inprimis Dirksen *civ. Abh.* I. p. 246 — 255. *Mühl.*

Thessalonicae excitati, latam, illustrat Ad. Rechenb. *Dissert. Hist. polit. T. II. Dissert. X.*

§. 60.

Tum favorabilia.

At solebant tamen et beneficia vel certo statui, vel hominum generi concessa, PRIVILEGIA vocari. Unde saepe in jure nostro occurrunt *privilegia creditorum, pupillorum, militum, fisci,* reliqua: quamvis ea a privilegiis discernenda, et *beneficia* potius legum vel jura singularia dicenda existiment, qui paullo adcuratius rem expendunt: Cujac. *Obs. XV.* 8. Quin et singularibus hominibus concessa contra jus commune beneficia *privilegia* audiunt, tum apud auctores, tum in jure nostro, in quo etiam adpellantur *privata privilegia: L.* 4. *C. Theod. de Itiner. mun.* ut et *personalia rescripta: L.* 5. *eod.* Talia privilegia fuerunt leges de Menandro: *L.* 5. §. *ult. D. de Captiv.* ut et de Hostilio Mancino: *L.* 17. *D. de Legationibus.* Conf. Jac. Gothofred. *ad XII Tabb. tab. IX. p.* 228. [nec non lex Manilia, quam Cicero singulari oratione suasit.] h).

§. 61.

Lex regia, qua potestas legislatoria translata in Principes. i)

Vere ergo extremis temporibus summa potestas legislatoria penes Principes fuit, quibus eam delatam esse per LEGEM REGIAM, consentiens est jureconsultorum opinio. Ulpianus *L.* 1. *pr. D. de Constitut. Princ. Quod Principi placuit, legis habet vigorem: utpote quum* LEGE REGIA, *quae de imperio ejus lata est, populus ei, et in eum, omne suum imperium et potestatem conferat.* Quae totidem verbis repetit Imperator §. 6. *Inst. h. t.* Meminit quoque ejusdem legis Alexander Imperator *L.* 3. *C. de Testam.* ubi ait: *Licet enim* LEX

h) Privilegia, a quibusnam Romae, quum libera republica, tum sub imperio impetrari darique solerent, scite disputat Dirksen *civ. Abh.* I. Nr. IV. *Mühl.*

i) [* Quae Auctor de lege regia sub auspicia cujusque imperii instituta h. l. maxime §. 63. 64. scripsit, iis nunc patrocinari videtur Gajus I. §. 5. ubi haec: „*nec umquam dubitatum est, quin id* (scil. quod Imperator decreto, vel edicto, vel epistola constituit) *legis vicem obtineat, quum ipse Imperator per legem imperium accipiat.*" Quibus difficultatibus tota de lege regia quaestio laboret, strictim exposuit Hugo R. G. XI. p. 720 — 724.] Quocum cfrendi sunt: Dirksen *civ. Abh.* I. p. 176. Idem comment. de novo praesidio cris. et interpr. ex re formularia Romanorum petendo. Regiom. 1826. Nr. II. Zimmern *R. G.* §. 43. Schilling Bemerkungen üb. R. G. p. 291 — 293. *Mühl.*

IMPERII *sollemnibus juris imperatorem solverit: nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere. Legem* enim *Imperii* hic eamdem esse, ac legem regiam, jamdudum observarunt eruditi. Sed et *L. un.* §. 14. *C. de Caduc. tollend.* AUGUSTUM PRIVILEGIUM adpellatur a Justiniano.

§. 62.

Variae de hac lege sententiae.

At ea de lege dici non potest quantae enatae sint inter eruditos controversiae. Eam Hotomanus eamdem esse putat cum ea, quae de regno Romuli lata fuerit, quam REGIAM etiam vocat Liv. XXXIV. 6. At eamdem in Triboniani cerebro fuisse natam, suspicabatur Mart. Schoockius in *Diatrib. de lege regia Triboniani,* quam repetitis curis auctiorem edidit sub titulo: *De quadruplici lege regia, Francof.* 1668. 12. Quum enim regium nomen perosi sint Romani, neque umquam Augustus titulo tam invidioso se passus sit ornari, nec verosimile fiat, populum Romanum, qui, Caesare interfecto, fessus civilibus discordiis, tolerabat magis monarchiam, quam perpetuam optabat, tam inimica libertati lege in servitutem se ipsum addixisse: non abs re suspicari sibi videbatur Schoockius, quidquid de lege regia in jure nostro legitur, ex Triboniani natum esse ingenio. Nec multo aliter sentiunt Connanus *Comment. I.* 16. 3. Vultej. *ad* §. 6. *Inst. h. t.* Sed Hotomano jam Scipio Gentilis singulari *de lege regia* oratione; Schoockio abunde satisfecit doctiss. Huberus *Digress. I.* 16. *sq.*

§. 63.

Quid de ea vero statuendum.

Res ita se habet. Quum Augustus omnia intestinis fessa dissidiis nomine Principis in potestatem suam recepisset: Senatus aeque ac populus ei sensim plures honores decrevit, et modo hanc, modo illam *τοῦ κυρίου* partem detulit. Sic anno U. C. DCCXXIV. ei concessa tribunicia potestas per omnem vitam, cautumque, ut ad Augustum provocare jus esset, utque ipse in omnibus judiciis suffragium Minervae ferret: Dio Cass. *Hist. LI.* 19. Mox anno U. C. DCCXXVII. Consulatu septimo, solutus est Augustus legibus, [*Dio Cass. *LIII.* 18.*] idque denuo repetitum anno U. C. DCCXXX. Idem *LIII.* 28. Quod tamen non de omnibus omnino legibus, sed de lege Cincia intelligendum esse, recte monet Ger. Noodt *de jure summi imp. et leg. reg.*

p. 777. Porro anno U. C. DCCXXXI. eidem, undecimum Consuli, permissum est a Senatu, ut Proconsul semper esset, liceretque ei, quotiescumque vellet, ad Senatum referre, denique in provinciis major esset ejus, quam Proconsulum, auctoritas: Dio *LIII.* 32. Quin anno DCCXXXV. facultatem ei dederunt, emendandi omnia suo arbitrio, ac leges, quas vellet, ferendi: Dio *LIV.* 10. Ut alia praetermittam hujus generis, quae ab aliis ac potissimum Jo. Frid. Gronovio in *Orat. de lege regia* collecta sunt diligentius.

§. 64.

Lex regia repetita, quoties Princeps novum auspicabatur imperium.

Haec itaque, aliaque SCta in gratiam Augusti subinde facta, postea repeti consueverunt quotiescumque novi Imperatores inchoabant imperium. Sic de Vespasiano Tacit. *Hist. IV.* 3. *Tum Senatus omnia, Principibus solita, Vespasiano decrevit.* Quae de lege regia recte interpretatur Pichena. Unde adparet, quaecumque sensim Augusto detulerat Senatus, ea postea Tiberio, aliisque Principibus fuisse decreta. Omnia ergo illa SCta non uno eodemque tempore facta, saepiusque deinde repetita, simul sumta, LEX IMPERII vocari consueverunt a jureconsultis, ut et LEX REGIA, exemplo, ut opinor, veterum Romanorum, qui, urbe vix nata, Romulo supremam potestatem concesserant LEGE REGIA, cujus meminit Liv. *XXXIV.* 6. Quamvis Huberus *Digr. l. c.* posterius nomen Antoninorum demum temporibus, alii adhuc serius, invaluisse existiment. Conf. Jo. Frid. Gronov. *Orat. de lege regia.* Jan. Vinc. Gravina *de Orig. jur. civ.* 114. *p.* 139. *sq.*

§. 65.

An hac lege dominatus Imperatorum stabilitus?

Cave vero existimes, hac ipsa *lege regia* in servitutem se addixisse Romanos, seque omni omnino abdicasse imperio. Minime gentium. Quamvis enim id vulgo colligant ex Dione *LIII.* 28. *L.* 1. *D. de Const. princ.* et *L.* 31. *D. de Leg.:* falsissimum tamen id esse, universa docet historia. Sane post omnia illa SCta, in gratiam Augusti facta, Caligulae Senatus vacationem legis Papiae Poppaeae caducariae dedit, teste Dione *LIX.* 15. Quid vero opus erat hac indulgentia, si jam lege regia Imperatores legibus omnibus fuerint soluti? Ergo iis legibus soluti erant Principes, quibus eos nominatim solverat S. P. Q. R. ut paullo post ex fragmentis tabulae Capitolinae

adparebit. Conf. Ger. Noodt *Dissert. III. de jure summi imp. et lege reg. p.* 778. et *Obs. I.* 3. *p.* 411. *sq.* Jan. Vin. Gravina *de Orig. jur. civ. l. c.*

§. 66.

Fragmentum legis Regiae.

Ceterum regiae illius legis, sub auspicia Imperii Vespasiani repetitae, fragmentum bene longum ac egregium exstat in tabula aenea Capitolina, quam in Lateranensi basilica primus initio seculi XVI. descripsit et *Lib. II. de mirand. vet. Rom.* edidit Franc. de Albertinis, ex eo vero postea recusam dedit Gruter. *Inscrippt. p. CCXLII.* k), cujus γνησιότητα in dubium a nonnullis vocatam Hotomanus, pluresque viri doctissimi, et nuper etiam clarissima Romanae antiquitatis lumina Blanchinus, Fabrettus, nec non postea Justus Eccardus, qui ipse hoc monumentum descripsit et luculenta explicatione illustravit, adgnoverunt l). Illorum epistolae hanc in rem scriptae exstant apud Jan. Vincent. Gravin. *l. c. p.* 231. *sq.* Ipsum vero illud legis fragmentum ita se habet m):

FOEDUSQUE. CUM. QUIBUS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CAESARI. AUG. TIBERIOQUE. CLAUDIO. CAESARI. AUG. GERMANICO

UTIQUE. EI. SENATUM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATUSCONSULTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQUE. FACERE.

---

k) Exstat etiam in Spangenb. antiq. Rom. monum. p. 221 — 223. *Mühl.*

l) Vid. et Niebuhr Röm. Gesch. p. 356. ed. 2. *Mühl.*

m) Scriptoribus, qui SC. de imperio Vespasiani vel illustraverunt, vel denuo tamquam partum supposititium impugnaverunt, addendi *Leop. Metastasii Lib. sing. de lege regia, seu tabula aenea Capitolina, notis, animadversionibus et variis quaestionibus illustrata. Rom.* 1757. 4. *Ernesti Exc. II. ad Tacitum T. II. p.* 859 — 866. *ed. Oberlin. Pet. van Spaan Diss. de SC. de imperio Vespasiani apud Gruterum T. II. p. CCXLII. spurio. L. B.* 1768. 4. *Andr. Guil. Crameri Comm. de vita et legislatione Vespasiani* (*Jen.* 1785. 8.) *p.* 20 — 53. et *Chph. Saxii Or. in legis regiae patronos. Ultrai.* 1798. 4. Ceterum nos textum SC. emendavimus ad exemplum, quod inest *Musei Capitolini antiquis inscriptionibus a Franc. Eugen. Guasco nunc primum conjunctim editis notisque illustratis T. III.* (*Rom.* 1775. *f.*) *c.* 12. *num.* 1391. *p.* 246. *sq.* e quo opere in his certe oris rarissimo haec de historia tabulae enotare lubet: „*Tabula haec primo reperta est in aedibus Lateranensibus sedente Clemente VI. intra a.* 1342 — 1353. *Quum vero urbis per vim potiretur Nicolaus Laurentii filius* (*vulgo Cola di Renzo*) *anno circiter* 1361. *circumornata est figuris; sed neglecta omnino mansit usque ad annum plus minus* 1576. *quo, jubente Gregorio XIII. in Capitolium translata est. Mox vero pristino restituta nitori a Clemente XII. nostro in Museo collocata est.*" *Haub.*

LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. DIVO. AUG. TI. JULIO. CAESARI. AUG. TI. CLAUDIO. CAESARI. AUGUSTO. GERMANICO

Utique. cum. ex. voluntate. auctoritateve. jussu. mandatuve. ejus. praesenteve. eo. senatus. habebitur. omnium. rerum. jus. perinde. habeatur. servetur. ac. si. e. lege. senatus. edictus. esset. habereturque

Utique. quos. magistratum. potestatem. imperium. curationemve. cujus. rei. petentes. senatui. populoque. romano. commendaverit. quibusve. suffragationem. suam. dederit. promiserit. eorum. comitis. quibusque. extra. ordinem. ratio. habeatur

Utique. ei. fines. pomerii. proferre. promovere. cum. ex. republica. censebit. esse. liceat. ita. uti. licuit. ti. claudio. caesari. aug. germanico

Utique. quaecumque. ex. usu. reipublicae. majestate. divinarum. humanarum. publicarum. privatarumque. rerum. esse. censebit. ei. agere. facere. jus. potestasque. sit. ita. uti. divo. aug. tiberioque. julio. caesari. aug. tiberioque. claudio. caesari. aug. germanico. fuit

Utique. quibus. legibus. plebeive. scitis. scriptum. fuit. ne. divus. aug. tiberiusve. julius. caesar. aug. tiberiusque. claudius. caesar. aug. germanicus. tenerentur. iis. legibus. plebisque. scitis. imp. caesar. vespasianus. solutus. sit. quaeque. ex. quaque. lege. rogatione. divum. aug. tiberiumve. julium. caesarem. aug. tiberiumve. claudium. caesarem. aug. germanicum. facere. oportuit. ea. omnia. imp. caesari. vespasiano. aug. facere. liceat

Utique. quae. ante. hanc. legem. rogata. acta. gesta. decreta. imperata. ab. imperatore. caesare. vespasiano. aug. jussu. mandatuve. ejus. a. quoque. sunt. ea. perinde. justa. rataque. sint. ac. si. populi. plebisve. jussu. acta. essent

SANCTIO.

Si. quis. hujusce. legis. ergo. adversus. leges. rogationes. prebisve. scita. senatusve. consulta. fecit. fecerit. sive. quod. eum. ex. lege. rogatione. plebisve. scito. s. ve. c. facere. oportebit. non. fecerit. hujus. legis. ergo. id. ei. ne. fraudi.

ESTO. NEVE. QUID. OB. EAM. REM. POPULO. DARE. DEBETO. NEVE. CUI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. JUDICATIO. ESTO. NEVE. QUIS. DE. EA. RE. APUD. SE. AGI. SINITO

Hoc est monumenti illius quantivis pretii fragmentum, ex quo satis adparet, quod supra ostendimus, legem regiam ex multis SCtis in honorem Augusti, Tiberii, Claudii aliorumque Imperatorum factis, fuisse conflatam.

LIB. I. TIT. III.

DE

JURE PERSONARUM.

Summa apud Romanos hominum divisio erat in LIBEROS et SERVOS [a]). Illi iterum vel INGENUI erant, vel LIBERTINI. Hoc titulo de libertate et servitute; sequentibus de ingenuis et libertinis agitur. Tametsi vero servitus sit juris gentium: Romanorum tamen servi in plerisque differebant a reliquarum gentium mancipiis, prout Germanorum Romanorumque comparatione ostendit Tacit. *de Moribus Germ. c.* 25.

§. 1.

Servi fiebant captivitate.

Observandum ergo initio, Romanos captos bello hostes redegisse in servitutem [b]). Quemadmodum enim, qui, positis armis, ultro sese dedebant, sub jugum mittebantur, salvaque retinebant ingenuitatis jura (quem ritum adcuratissime, ut solet, describit Dionys. Halic. *Ant. Rom. III.* 22.): ita capti in acie, urbium expugnatione, sub corona venibant: Gell. *Noctt. Attic. VII.* 4. Illi DEDITITII [c]), hi SERVI vocabantur, quod essent in bello servati, itemque *mancipia*, quasi manu capti. §. 3. *Inst. h. t.*

---

a) Ge. d'Arnaud diss. *de jure servorum* Leovard. 1744. et adj. Variar. conjecturar. Libris II. *Haub.*

b) Ita agebatur cum hostibus. Excipiebantur ergo bella civilia, in quibus capti non in servitutem redigebantur: *L.* 21. §. 1. *D. de Capt. et postl.* sed *proscribebantur* a victoribus. Quam proscriptionem, ita dictam a tabula, qua nomina proscriptorum proponebantur, primus invenit L. Sulla: Vellej. Paterc. *Hist. II.* 28. *Hein.*

c) *Gaji* inst. I. 14. „Vocantur autem sic, qui quondam adversus populum Romanum armis susceptis pugnaverunt et deinde victi se dediderunt." *Mühl.*

6*

§. 2.

Et quia non pro personis, sed pro rebus habebantur.

Redacti in hanc conditionem non pro personis, sed pro rebus, imo pro nullis habebantur. Hinc non solum in jure rebus mancipi adcensebantur: Ulpian. *Fragm. XIX.* 1. sed et Juvenal. *Sat. VI. v.* 222. adludens ad mores Romanorum scribere non dubitat:

O demens, ita servus HOMO *est?* — — —

ὑπερβολικῶς, uti solet, nec tamen sine ratione. Quamvis enim servi essent *homines*, quamvis ratione status naturalis etiam *personae* dici possent: *L.* 22. *pr. D. de Reg. jur.* non tamen erant *personae civiles*, et hinc dicuntur ἀπρόσωποι Theophilo *pr. Inst. de Stip. serv.*, *personam legibus non habentes* Cassiodoro *Var. VI.* 8. denique *sine capite*, οἳ οὐδεμίαν πάλαι εἶχον κεφαλήν Theophilo §. 4. *Inst. de Cap. demin.* Nihil ergo sibi adquirebant: non matrimonia contrahebant, sed in contubernio vivebant cum ancillis: nec gaudebant jure testamentifactionis [d]) et contractuum, nec ulla in personam servilem cadebat obligatio: *L.* 22. *pr. D. de Reg. jur.* Unde *secundum genus hominum* vocantur a Floro *Hist. III.* 20.

§. 3.

Etiam nascebantur ex ancillis.

Ex quo sequebatur, ut nec liberi servarum melioris, quam mater, conditionis haberentur. [*L.* 19. *L.* 24. *D. de Stat. hom.*] Fructus enim, tamquam rerum adcessiones, non secus ac ipsae res, ad dominos pertinere videbantur. Et ejusmodi quidem servi, domi nati, *vernae* adpellabantur.

§. 4.

Et erant in commercio.

Porro et hoc inde fluebat, servos aeque ac alias res posse legari, donari, imo et vendi: unde perpetua Romae erat servorum nundinatio, quotidiana comparatio: *L.* 44. *princ. D. de Usurp. et usucap.* Qui servos vendebant, promittere tenebantur eorum sanitatem: *L.* 43. §. 1. *D. de Contr. emt. L.* 16. §. 2. *et L.* 31. *D. de Evict.* [Add. Jo. Frid. Gronov. *in Diatr. ad Stat. Papin. c.* 25. *p.* 85.] Nonnumquam tamen mancipii sanitatem explorabant adcensi gagatae lapidis odore, maxime si servum morbo caduco laborare suspicarentur: Apulej.

d) Vid. tamen Ulp. Fragm. XX. 16. et infra §. 8. *Mühl.*

Apolog. p. 303. Sed et nudos venum exponebant servos, ne quod vitium corporis latitaret: Seneca filius *Epist.* 81. et pater *Controv. I.* 2. Imo de animi vitiis caveri solebat in ejusmodi venditionibus servorum: Horat. *Serm. II.* 3. *v.* 285. *sq.* veluti, nec furem esse, nec fugitivum, nec lenonem, noxis solutum esse, et quae sunt id genus alia. Singulorum enim servorum titulos scribi jusserant Aediles, ut, quid cuique morbi vitiique esset, intelligeretur: Gell. *Noctt. Attic. IV.* 2. Seneca *Epist.* 47. Turneb. *Adv. XXIII.* 2. quamvis postea ea omnia essent palam pronuncianda: *L.* 1. §. 1. *D. de Aedil. edict.* Ceterum servi, quorum nomine nihil promittebatur, pileati venibant, Gell. *Noctt. Att. VII.* 4. quemadmodum bello capti sub corona: Varro *de re rust. II.* 10. trans mare advecti, cretatis vel gypsatis pedibus, Plin. *Hist. Nat. XXXV.* 17. et 18. Tibull. *III.* 3. [Juven. *I. v.* 111.] Alia, quae in servorum venditionibus observata sunt, explicavit Brisson. *de Form. VI. p.* 492. *sq.*

§. 5.

Saepe et in poenam fiebant servi.

Saepe et poenae loco in servitutem detrudebantur facinorosi, veluti I. qui censum vel militiam subterfugerant, quippe qui, bonis in aerarium redactis, virgis caesi trans Tiberim venibant: Dionys. Halic. *IV.* 15. Cic. *pro Caecin.* 34. II. Damnati ad metalla vel bestias, aliaque extrema supplicia. Hi enim servi poenae fingebantur: §. 3. *Inst. quibus modis jus patr. pot. solv.* Vid. infra *Lib. I. Tit. XVI.* §. 5. III. Liberti ingrati, quippe qui etiam in servitutem revocabantur: Suet. *Claud. c.* 25. [e]). IV. Mulieres liberae, amore servorum alienorum bacchantes, quam poenam tamen, earum commodo, sustulit Justinianus: *L. unic. C. de SCto Claud. tollendo* [f]). V. Qui ab alio adserti, praestitaque cautione edictis citati, per annum se haud stitissent: *L.* 1. §. 2. *C. de Adsert. toll.*

§. 6.

Libertas non erat in commercio.

Quemadmodum vero nihil erat servitute durius, nihil miserabilius: ita tantus erat libertatis favor, ut illa non crederetur esse in commercio, neque adeo liceret ingenuis, se ipsos addicere in servi-

---

e) Plura de hujus juris historia notabimus infra *Lib. I. Tit. VI.* §. 9. *Hein.*
f) De SCto Claudiano infra I, 16. 8. *Haub.*

tutem g). Multo minus rata habebatur venditio, si quis extraneus h) hominem liberum venumdedisset: Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 6.

§. 7.

Servi tamen fiebant, qui se pretii participandi caussa venumdari passi erant.

At hinc mirae fraudes. Solebant enim adolescentes male feriati se ipsos aliis vendendos dare, pretii participandi caussa, ac deinde proclamare ad libertatem. Exemplum hujusmodi fraudis in scenam produxit Plaut. *in Pers. I.* 3. *v.* 55. *III.* 1. *IV.* 3. *v.* 9. Quare SCto demum cautum est i), ut, qui essent majores XX annis, seque pretii participandi caussa venumdari sivissent, in servitute manerent. *L.* 1. *L.* 3. *D. Quibus ad libert. proclam. non licet.*

§. 8.

Varia servorum ministeria.

Quamvis vero in servorum conditione nulla sit differentia: §. 5. *Inst. h. t.* revera tamen, si eos tamquam familiae k) partem consideres, discrimen haud unum occurrit. Ratione *munerum* alii erant atrienses, alii dispensatores, alii medici, topiarii, pistores, capsarii vel ἱματιοφύλακες, scoparii, lecticarii, structores, scissores

---

g) Quod licebat Ebraeis, ut docet Selden. *de Jure nat. et gent. VI.* 7. ut et Germanis, teste Tac. *de Mor. Germ.* 24. non item fas erat Romanis. Unde errat Raevard. *Conject. II.* 8. fingens Tuscum vicum, ubi homines se ipsi vendiderint. Plautus equidem *Curcul. Act. IV. scen.* 1. *v.* 19.

Sub Veteribus, ibi sunt qui dant quique accipiunt foenore.
Pone aedem Castoris, ibi sunt, subito quibus credas male:
In Tusco vico, ubi sunt homines, qui ipsi sese venditant.

Et Horat. *Serm. II.* 3. *v.* 228.

— — *ac Tusci turba impia vici.*

Sed ibi de improbis meretricibus et lenonibus sermonem esse, jampridem observarunt eruditi. Vid. Taubmann. *ad Plauti Curcul. l. c. Hein.*

h) Patribus equidem licebat filios, quos habebant in potestate, ter venumdare: salvo tamen ingenuitatis jure. Manumissi enim ex ea servitute non libertini erant, sed ingenui. Vid. infra *Lib. I. Tit. IV.* §. 1. *Hein.*

i) SCto Claudiano hoc jus esse invectum nescio quo auctore tradit Dionys. Gothofr. *ad* §. 4. *Inst. h. t. Hein.* Idem sentit *d'Arnaud* diss. de his, qui pretii participandi causa sese venumdari patiuntur. Lcov. 1744. At vid. *Zimmern* R. G. §. 198. ibique not. 20. alleg. script. *Mühl.*

k) Familiae appellatione continentur, qui uni domino serviunt: L. 195. §. 3. D. *de V. S.* — §. 2. I. *de his qui sui vel alieni jur. sunt.* L. 9. D. *de jurisd.* — Vid. et L. 40. §. 3. D. *de V. S.* Quae, quomodo concilianda sit cum Pauli *sent. rec.* Lib. V. Tit. VI. §. 3. et L. 1. §. 17. D. *de vi*, vid. Brisson. de V. S. v. *familia* §. 6. in f. *Mühl.*

seu carptores, insularii [l]), et quae alia erant servorum ministeria [m]), de quibus adcurate actum a Laur. Pignorio *in libro de servis eorumque apud veteres ministeriis*, et Tito Popma in Tractatu de *operis servorum*, conjunctim editis *Amstelod.* 1672. 12. Ratione dominorum *privati* alii erant, alii *publici* [n]). Illi privatis serviebant, hi ad publica adhibebantur ministeria et potissimum magistratibus adparebant. Publici vel in poenam serviebant, vel ut captivi redigebantur in servitutem. Prior mos non caret exemplis, quamvis minus probaretur a recti exempli viris. Vid. Plin. *Epist. X.* 40. 41. Posteriore consuetudine nihil est frequentius. Et hi captivi, redacti in servitutem, nomina plerumque accipiebant vel a provinciis, ut *Brutiani*, *Cyprii*, vel a victoribus, a quibus in acie capti, veluti *Gelliani*, *Clodiani*: Lips. *Elect. I.* 12. et *Adnot. ad* Tacit. *Annal. II. p.* 95. Eorum alii erant tabelliones, alii actores, alii notarii populi Romani. Et longe tolerabilior erat eorum, quam privatorum servorum, conditio, siquidem et ante manumissionem jure gaudebant pro parte dimidia testamentum faciendi: Ulpian. *Fragm. XX.* 16. P. Pithoeus *Schol. ad Collat. Leg. Mos. et Rom. V.* 2. *p.* 752. edit. Ant. Schulting. Praeterea alii erant servi proprie ita dicti, alii statu liberi, qui destinatam in tempus vel conditionem habebant libertatem: *L.* 1. *D. de Statuliberis.* Sane et hi servi diserte dicuntur: *L.* 9. *pr.* et *L.* 29. *pr. D. de Statulib.* *L.* 12. §. *ult. D. Famil. ercisc.* [o]). Alii denique adscriptitii, vel glebae

---

l) Et horum profecto diversissima erat in domo conditio. Nam servorum quidam lautius habebantur in familia: alii contra nervis ac compedibus vincti serviebant. Tales erant janitores et ostiarii, quos in catena fuisse, docet Sueton. *de clar. Rhet.* 3. Sic et ruri quidam vincti faciebant opus: Columella *de re rust. I. ult.* Plin. *Hist. nat. XVIII.* 3. Seneca *de Benef. VII.* 10. Huc comparata erant ergastula domestica subterranea, quae diligenter exploranda esse a circumspectis patribusfamilias, monet Columella *de re rust. I.* 8. Conf. Barn. Briss. *Antiqu. Rom. II.* 9. *p.* 33. Lips. *Elect. II.* 15. *Hein.*

m) Sic et servi rustici et urbani distinguuntur, L. 99. D. *de leg.* III. Praeterea alii *ordinarii* erant, quorum nomine injuriarum judicium dominis dabatur (cf. et §. 3. I. *de injur.* L. 15. §. 35. D. *eod.*), alii *vulgares* et *mediastini*, qui promiscue atque vulgaribus operis adhibiti sunt: L. 15. §. 44. D. *de injur.* — Brisson. de V. S. v. *mediastinus. Mühl.*

n) Erant et *servi vicarii*, qui servis serviebant, *Senec. de tranquill. c.* 8. *L.* 25. *D. Commun. divid. L.* 44. *D. de Instr. vel instrum. leg.* imo et vicariorum vicarii: *L.* 25. *D. de Pecul. legat. Hein.*

o) V. Ulpiani Fragm. Tit. II. §. 4. „Sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi dederit, et si ab herede abalienatus sit, *emtori dando pe-*

adscripti. Quamvis enim et hi quibusdam ingenui videantur, ob *L. un. C. de Colon. Thrac.* eo, quod jure connubii gauderent, et aliquid possent habere proprii: Thomas. *de Usu pract. distinct. inter liber. et serv. c.* 1. §. 16. *sq.* erant tamen in commercio: *d. l. un. C. eod. L.* 21. *C. de Agric. et censit.* Unde saepe servi vocantur in jure nostro, nec a servis differre hinc inde dicuntur: *L.* 21. *fin. C. de Agric. et censit. Novell. CLXII. c.* 3. p).

LIB. I. TIT. IV. ET V.

DE

INGENUIS ET LIBERTINIS.

Liberi homines subdividuntur in INGENUOS et LIBERTINOS. Jam utrorumque conditio ex antiquitatibus Romanis eruenda est. [* Ad hos titt. et tit. VI. cf. Goeschen *Bemerk. in Beziehung auf das ältere Recht der Freilassungen bei den Römern;* in d. Zeitschr. für gesch. R. W. T. III. Nr. VII.]

§. 1.

Ingenui qui?

INGENUI erant Romanis, qui numquam justam serviverant servitutem. Injuste enim in servitutem detrusi, impetrata libertate, non ad libertinorum, sed ad ingenuorum statum redibant: §. 1. *Inst. h. t.* Idem observandum de filiis, quos patres in servitutem vendiderant, quod ter facere poterant ex instituto Romuli: Dionys. Hal. *II.* 27. Nam et hi manumissi non libertini erant, sed ingenui: Paull. *Receptt. Sententt. V.* 1. §. 1. 2. Et ita interpretanda *L.* 2. *pr. Cod. Theod. de Liberali caussa,* ubi Constantinus M. negat, *libertatem,* id est, ingenuitatem, *filiis eripi posse a parentibus* a). Ingenuos enim κατ' ἐξοχὴν

---

cuniam ad libertatem perveniet: *idque lex duodecim tabularum jubet."* — Dirksen Uebers. der bisher. Vers. zur Kritik und Herstell. d. Textes der XII Tafelges. p. 503 — 507. Hugo R. G. p. 125. lin. 25. sqq. et p. 126. Schilling Bemerk. p. 32 — 35. — Omnino autem vid. de statu liberorum conditione: K. O. de Madai die statu liberi des Röm. Rechts. Halle 1834. *Mühl.*

p) At servos non fuisse adscriptitios — qui etiam *coloni, rustici, tributarii, censiti* vocantur —, licet multis in partibus ad servorum conditionem propius accesserint, invictis argumentis docuit de Savigny: über den Röm. Colonat; in der Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VI. Nr. IV. *Mühl.*

a) Quamvis enim juste in servitute essent, quippe permittente lege venditi, non tamen erant in servitute justa. Nec enim venumdatio liberi hominis erat

dictos esse *liberos*, ex *L.* 4. *D. de Just. et jure* patet. Imo ne civitatis quidem jura penitus perimebantur hac venumdatione: Cic. *pro Caecin.* 34. nec iis jure postliminii opus erat, si manumitterentur: Idem *de Orat. I.* 181. Bynkersh. [*de jure occid. liberos. c.* 1.] *Opuscc. p.* 149. *sq.* Denique et illi, qui ob aes alienum addicebantur creditoribus [b]), itemque filiifamilias noxae dediti, serviebant quidem, sed manumissi ingenuitatis jura recuperabant. Quinctilian. *Inst. Orat. VIII.* 3. et *Declam. CCCXI.* Jac. Cujac. *Observat. XIII.* 9. [c]).

§. 2.

Et quinam libertini?

Si qui vero e justa servitute erant manumissi, eos vocabant LIBERTINOS. Quamvis enim *libertini* vetustioribus auctoribus sint libertorum liberi: Suet. *Claud. c.* 24. inferiore tamen aevo id maxime apud Jureconsultos invaluit, ut et manumissi dicerentur libertini: Casaub. *ad Suet. Aug. c.* 25. Observatur tamen differentia, ut ratione patronorum dicantur *liberti*, ratione status *libertini:* Oisel. *ad Gaji Inst. I.* 1. *p.* 7. [d]).

§. 3.

Ritus manumissionis per censum.

Manumissiones antiquitus fiebant sollemniter I. CENSU, quando servus jussu domini nomen suum in censum lustralem conferebat: Ulpian. *Fragm. I.* 8. *p.* 564. Non sine caussa vero Ulpianus meminit census lustralis. Non statim enim, atque eum censeri jusserat dominus, plenam libertatem consequebatur, sed exspectandum erat, dum lustrum conderetur: interim enim domino poenitere licebat, uti ex Cic. *de Orat. I. c.* 40. ostendit Lud. Charond. *Adnot. ad Ulpian. L. c. p.* 564. *edit.* Schulting. Adde *Adpend. Lib. I.* §. 48. [* Goeschen *l. l.* p. 269 — 273. Nr. VI.] (Vid. inprimis R. A. van Beem Diss. de manumissionib. in sacrosanctis ecclesiis, Traj. ad Rhen. 1756. et in Oelrichsii thes. nov. diss. belg. T. I. Vol. 2. Nr. I. Cap. I.) *Mühl.*

---

justus titulus, quo quis verum dominium consequi posset, praeterquam si liber homo major XX annis pretii participandi caussa sese venumdari passus esset. *Hein.*

b) Caeter. de addictorum conditione vid. infra Lib. III. Tit. 30 (29) §. 2. *Mühl.*

c) Signum ingenuitatis apud pueros et puellas erat bulla aurea, collo adpensa, postea toga praetexta: Theodor. Marcil. *ad Pers. Sat. V. v.* 35. *p.* 111. *Hein.*

d) De discrimine *libertinorum* et *libertorum:* Dukerus ad Liv. IX. 46. §. 10. T. II. p. 1031. sq. et C. G. de Winckler *emendatt. quaedam Heineccianae;* in observ. jur. antiqui nr. 15. Opusc. min. Vol. I. P. II. p. 440. sq. *Haub.* Cf. Vat.

§. 4.

Manumissionis per vindictam e) *origo.*

Deinde quum Vindex vel Vindicius, Vitelliorum servus, conjurationem Brutorum aliorumque juvenum ad Senatum detulisset, praemium ei decernebantur libertas et civitas. Unde et II. sollemni illi manumissioni, quae coram magistratu fiebat, VINDICTAE nomen inditum: Liv. *II.* 5. *L.* 2. §. 24. *D. de Orig. jur.* f).

§. 5.

Ejusdem ritus.

Fiebat haec manumissio coram Consule g), Praetore, Proconsule h), adhibito lictore, qui, servo percusso, addebat verba: HUNC HOMINEM LIBERUM ESSE VOLO. i). Quo facto in gyrum actus servus,

---

Fragm. §. 307. 308. „quoniam libertus continetur servi appellatione," et Schilling Lehrb. für Instit. u. R. G. II. §. 27. not. u). *Mühl.*

e) *C. A. D. Unterholzner* von den Formen der manumissio per vindictam; in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. II. Nr. V. *Haub.*

f) At probabiliore ratione dicitur, a vindicando, seu a vindiciarum ritu solenni, manumissionibus olim adhiberi solito, nomen esse tractum. Theophilus in paraphr. inst. Tit. IV. §. 4. ed. Reitz. p. 59. Aleander in not. ad Gajum, ap. Schult. p. 12. not. 21. *Mühl.*

g) Et Consules quidem etiam sequioris aevi statim, ut Consulatum inierant, manumissiones solebant explicare ad renovandam manumissionis illius a Bruto factae memoriam. Id quod ex Cassiodori *Var. VI.* 1. *p.* 227. Ammiani Marcell. *Hist. XXII.* 9. aliisque locis egregie demonstrat P. Faber *Semestr. I. ult. p.* 194. Pertinent huc illa Sidonii *Carm. II. ad Anthemium Aug. sub fin.*

Nam modo nos jam festa vocant, et ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malae.

Ut et illa Claudiani de *quarto Consulatu Honor. Aug. v.* 611. *sqq.*

Auspice mox laetum sonuit clamore tribunal,
Te fastos ineunte quater, sollemnia ludit
Omina libertas, deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, et grato remeat securior ictu.

Ubi conferri merentur Casp. Barthii *Adnott. p.* 706. *Hein.*

h) De magistratibus, coram quibus per vindictam manumitti potuit: Dukerus *ad Liv.* XLI. 9. §. 11. T. V. p. 570. *Haub.*

i) Substituunt alii formulam: AJO TE LIBERUM MORE QUIRITIUM: Oisel. ad *Gaji Inst. I.* 1. *p.* 11. 12. *edit.* Schulting. Initio ipse dominus haec verba pronunciabat, postea, tacente domino, lictor, vel ea ut dicta accipiebantur: *L.* 23. *D. de Manum. vindict. Hein.*

inflicta alapa liber dimittebatur. Hinc Pers. *Sat. V. v.* 75. de Dama servo, in gyrum acto:

— Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit: hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama — — — — — — — —

Virga, qua servus percutiebatur, *vindicta* vocata est. Et de ea idem Persius *Sat. V. v.* 88.

Vindicta, postquam meus a Praetore recessi.

Conf. Claud. *Paneg. de IV. Cons. Honorii v.* 612. De alapis in manumissione inflictis legi meretur Casp. Barth. *ad Britton.* sub *Philipp. p.* 406. [k]). De formula manumittendi Fest. voce *manumitti* et Brisson. *de Form. VIII. p.* 724. Singulare est, quod notavit Appianus *de bello civ. IV.* 135. Labeonem moriturum servum quemdam, quem sibi fidissimum putabat, in tabernaculo dextra adprehensum circumegisse, moxque ei praebuisse jugulum. Ea sane manumissio non fuit haec sollemnis per vindictam peracta, quippe quam in jure fieri oportebat [l]), sed alia privata, et mortis caussa facta, quae tantum libertatem Latinam tribuebat: uti rem recte explicat Merillius *Obs. VII.* 14. *p.* 25.

§. 6.

Manumissio per testamentum.

Adcessit porro III. ex legibus XII Tabularum manumissio PER TESTAMENTUM, qua, si quibus libertas daretur verbis directis: DAVUS SERVUS MEUS LIBER ESTO, liberti ejusmodi vocabantur *Orcini* (Gaj. inst. II. 267.), seu *Charonitae*, quasi qui nullum patronum, nisi in orco, haberent: Jac. Cujac. *Obs. III.* 23. Sin verbis precativis usus esset testator: ROGO HEREDEM MEUM, UT DAVUM MANUMITTAT, heres fiduciarius retinebat jura patronatus. Sin denique in certum diem vel sub conditione cuidam daretur libertas: is *statuliber* audiebat, nec plenam libertatem, nisi veniente die, vel exsistente conditione,

k) Vid. et Unterholzner *l. l.* p. 155. *Mühl.*

l) Caeterum multa ex his, quae olim necessaria visa sunt in manumissionum ritu, sensim pedetentimque in desuetudinem abierunt, quo in genere etiam erat manumissionum pro tribunali celebrandarum necessitas. Vid. L. 7. 8. D. *de manum. vind.* — cf. L. 23. *eod.* — *Unterholzner* l. l. p. 146. sqq. *Mühl.*

consequebatur: *L.* 1. *pr. D. de Statu lib.* Fest. sub voce *statuliber.* (Vid. supra §. 8.)

§. 7.

Et in sacrosanctis ecclesiis.

Et hi quidem sunt antiquissimi manumittendi modi. Loco manumissionis per censum Imperatores Christiani [m]) introduxerunt aliud manumissionis genus, quod fiebat IN S. S. ECCLESIIS, ut recitatis jussu domini tabulis, a clero signatis, servus libertatem consequeretur. Ita ritum exponunt Augustinus *Serm. V.* a Sirmondo edit. *L. Rom. Burgund. tit.* 3. *p.* 829.

§. 8.

Nec non per epistolam, inter amicos, et per convivium.

Paullo ante ea tempora invaluerant manumissiones variae minus sollemnes, quales, I. PER EPISTOLAM et II. INTER AMICOS [n]). Illa initio sine omni sollemnitate expediebatur, donec Justinianus quinque testium exigeret subscriptionem *L. un.* §. 1. *C. de Lat. libert. toll.* Haec ita fiebat, ut dominus servum, praesentibus quinque amicis, liberum esse juberet. Sufficiebat etiam ad libertatem, si servum dominus III. CONVIVIO adhiberet. Glossae nomicae Labbaei: περ μένσαν ἐλευθερία, ὅταν συνεσθιασθῆναι μοι κελεύσω τὸν δοῦλον μοῦ, *Per mensam libertas est, si mecum epulari servum jussero.* Indecorum

m) Et quidem Constantinus M. ut patet ex *L.* 1. *et* 2. *C. de His, qui in eccl. manum.* Conf. Sozom. *Hist. eccl. I.* 9. Videtur tamen quibusdam Constantinus exemplum gentilium sequutus, qui et ipsi subinde vel in templis, ad aras Deorum, vel in publicis populi coetibus manumittebant, prout observat Jac. Gothofred. *ad L. un. C. Theod. de Manum. in S. S. ecclesiis. Hein.* Jam diu ante tempora Constantini manumissio per censum ex usu abiit: vide Spanhem. in *Orb. R.* Nescio itaque, an recte dixerit auctor, quem sequuntur plures, manumissionis per censum loco introductam fuisse manumissionem in ecclesiis. *Cann.* Auctoris sententiam etiam defendit van Beem diss. de manum. in sacros. eccl. cap. II. *Mühl.*

n) *Manumissio inter amicos* dicendi fuit formula generalis, omnes complectens manumissiones, quae quidem minus juste fierent, at inter praesentes (Gaj. inst. I. 41. 44. II. 25. Göschen l. l. p. 256. not. 12.), tacite etiam, velut per convivium. Similiter quae inter absentes fiebant manumissiones, *per epistolam* fieri dicebantur (Fragm. jur. Dosith. de manumiss. §. 15. ex edit. Bonn. Paulli rec. sent. Lib. IV. Tit. XII. §. 2. Omnino autem vid. Dirksen *Vers. zur Kritik und Auslegung* d. Quellen d. R. R. p. 91 — 95). Neque vero *paullo ante ea tempora,* de quibus loquitur Auctor, hasce demum obtinuisse manumissionum formas, id quum Veterum testimoniis diserte scriptis, tum vero iis, quae de libertatis minus justae tuitione Praetoria explorata nobis sunt, sat manifesto evincitur. *Mühl.*

scilicet olim habebatur, cum servis vilibusque hominibus adcumbere, iisque non lecti, sed subsellia, erant parata. Hinc parasitus apud Plaut. in *Sticho Act. III. sc.* 2. *v.* 32. *sq.*

Haud postulo equidem, me in lecto adcumbere:
Scis tu, me esse imi subselli virum.

Et in eadem comoedia servi duo: *Act. V. sc.* 4. *v.* 21.

— — — *Potius in subsellio*
Cynice accipiemur, quam in lectis.

Quod si ergo servus juberetur adcumbere, signum hoc erat datae libertatis: Plin. *Epist, VII.* 16. Quo et locus Luc. *c.* 12. *v.* 37. a nonnullis refertur. Sed et hic Justinianus quinque amicorum, tamquam testium, exegit praesentiam *L. un.* §. 2. *C. de Lat. lib. toll.* Sunt et alii modi innumerabiles Latinae libertatis, uti ait Justinianus *L. unic. C. de Latin. libert. toll.* Sic, imposita puero bulla et praetexta, ille manumissus credebatur: Sueton. *de clar. Rhetor. c.* 1. Manumissus censebatur servus, quem dominus actis intervenientibus filium vocaverat, quamvis id non sufficeret ad adoptionem: §. 12. *Inst. de adopt.* o) Item, si ancilla a domino matronali habitu donata fuisset, vel servus, domino volente, signasset tabulas: Quinctilian. *Decl. XXXIV.* Imo et mortis caussa datam esse ejusmodi libertatem, ex *L.* 15. *D. de Manumiss.* probat Merill. *Obs. L. VII. c.* 14.

§. 9.

Servi nonnumquam ipso jure libertatem sunt consequuti.

Denique et ipso jure, nolente licet domino, servis nonnumquam libertatem competiisse, novimus. Caussas a Justiniano fere inventas p) accurate recenset Thomas. in *Diss. de Usu pract. distinct. hom. in ingen. et libert. c.* 1. §. 12.

§. 10.

Libertinorum unum initio genus.

Ceterum antiquissimis temporibus una erat eademque omnium manumissorum libertas: siquidem manumissione non solum libertatem, sed et civitatis jura consequebantur, idque instituerat Servius Tullius, qui et ipse libertinae fuerat conditionis: Dionys. Halic.

o) De quo loco cfr. Dirksen Vers. p. 86. not. 60. Schilling *Bemerk.* p. 36. sq. not. 57. Schrader in *not. ad Inst. h.* l. *Mühl.*

p) Parum recte. Nam vide causas a Zimmerno recensitas *R. G.* §. 211. *Mühl.*

IV. 24. Quam in rem Cicero *pro Corn. Balbo c.* 9. *Servos denique, quorum jus et fortunae conditio infima est, bene de republica meritos, persaepe libertate, id est,* CIVITATE, *publice donari vidimus.* Civitatem ergo una cum libertate consequebantur servi q), sed ita, ut in quatuor urbanas tribus, tamquam ignobiliores, describerentur. Flor. *Epit. Liv. XX.*

§. 11.

Quod mutatum lege Aelia Sentia.

Enimvero quum civitas deinde tota scelestissimorum hominum colluvie impleretur, nequissimique homunciones, a dominis manumissi, civium jura invaderent: (Dionys. Hal. *l. c.*) primum sub Augusto, lege Aelia Sentia cautum est, ne servi sceleris caussa publice caesi, vincti, aut torti, aut stigmate usti r), (aliove modo ignominiose tractati), impetrata a dominis libertate, melioris essent conditionis, quam dedititii: Sueton. *Aug. c.* 60. Dio Cass. *LV.* 13. Ulp. *Fragm. I.* 11. Gajus *Inst. I.* 1. 3. (in genuin. Gaji *comment. I.* 13.)

§. 12.

Et postea lege Junia Norbana.

Postea A. U. C. DCCLXXII. M. Junio Silano et L. Junio Norbano Balbo Coss. lata est lex Junia Norbana s), qua cautum, ut

---

q) Fragm. jur. Dosith. §. 5. edit. Bonn. *Mühl.*

r) Solebant enim servi ob levia crimina flagellis caedi, dominisque reddi: *L.* 10. *princ. D. de Poen. L. ult. D. de Injur. Paull. Receptt. Sent. V.* 4. 22. Nonnumquam etiam ea lege reddebantur dominis, ut aliquamdiu in vinculis haberentur: Paull. *l. c. et v.* 18. 1. Fugitivis vero servis epigramma in facie scribebatur, et talibus quidem plerumque litteris: F. H. E. L. T. *Fugitivus hic est L. Titii.* Quibus de notis multa congessere Oisel. ad *Gaji Inst. I.* 1. 3. *p.* 16. *sq.* (ap. Schult. not. 30.) Lips. *Elect. II.* 15. Rader ad *Martial. Epigr. II.* 25. *et VIII.* 70. Rad. Forner. *Rer. quotid. VI.* 26. Tit. Popma *de operis serv.* Joan. Rhod. *ad* Scribon. Largum. *c.* 231. Jo. Nicol. *de Sigl. vet. c.* 25. Stigmata ejusmodi vultibus imprimi vetuit Constantinus *L.* 17. *C. de Poen.* ex eoque tempore servis fugitivis circumdata collaria ferrea, vel laminae collis adpensae, quibus epigrammata inscripta. Delineatas ejusmodi lamellas dedit Jac. Spon. *Miscell. Erud. Antiq. p.* 300. 301. *Hein.*

s) Quamquam e variis Gaji (I. 29 et 31. nec non III. 74 — 76) locis subnasci potest dubitatio, utrum lex Junia vere sit recentior lege Aelia Sentia (quae vulgaris est opinio), an hac antiquior, tamen Gajum cum recepta sententia optime posse conciliari, recte monuit Aug. Bethmann-Hollweg *Diss. de causae probatione* (Berol. 1820. 8.) c. 4. p. 83., cui accedit, quod ab ipso Gajo I. §. 80. lex Junia Aeliae Sentiae postponitur, ut Hugo R.-G. p. 773. not. 1. (ed. XI.) observavit.

manumissi per epistolam aut inter amicos, aliisque modis minus sollemnibus, de quibus supra §. 8. non civium, sed Latinorum tantum jura consequerentur. Ulpian. *Fragm. I.* 10. Gaj. Inst. *I.* 1. 2. (in genuin. Gaji *comment.* I. 12. 15—17. 21—23.), et ibi viri docti [t]). Hinc non desunt exempla manumissionum per epistolam aut inter amicos, per vindictam deinde ideo confirmatarum, ut liberti jura civitatis consequerentur: Plin. *Epist. VII.* 16. Nonnumquam et ab Imperatoribus Latini Juniani jura Quiritium impetrabant: Plin. *Epist. X.* 4. [u]) Introducti subinde et alii modi, quibus jura Quiritium consequerentur Latini Juniani, veluti, si quis uxorem duxerat, testatione interposita, quod *liberorum quaerendorum caussa* id fecerit, ex eoque matrimonio natus erat filius: si quis Romae triennium inter vigiles militaverat; si nave X M. modiorum frumentum Romam deportaverat: Suet. *Claud. c.* 19. si aedificium Romae construxerat. Vid. Ulpian. *III.* 2. *sq.* [x]).

§. 13.

Hinc libertini alii cives, alii Latini Juniani, alii dedititii.

Ex eo ergo tempore trium generum erant libertini. Alii enim fiebant CIVES ROMANI, alii sola consequebantur jura Latinorum, dicti

---

Caeterum argumenta utriusque sententiae collecta reperies apud Bethmann-Hollweg l. l. p. 77—84. et p. 99. sq. *Haub.* Vid. et C. A. de Vangerow *über die Latini Juniani.* Marb. 1833. §. 2. *Mühl.*

t) Antiquitus, qui aut non justo modo manumissi erant, aut non ex jure Quiritium dominorum fuerant, libertatem haud consecuti sunt, sed in libertate morabantur voluntate dominorum, qui arbitrio suo in libertatem revocare poterant manumissos. Postea quidem Praetor eos in libertate tuebatur, quod tamen non impediebat, quo minus omnia, tamquam servi, acquirerent patrono, seu potius domino, ad quem jure peculii bona eorum pertinebant: donec lege Junia cautum est, ut libertatem et Latinorum coloniariorum jus consequerentur (cf. Adp. huj. libri Cap. II. §. 82. sqq.), praeterquam quod nec ipsi testamentum facere, nec ex testamento alieno capere possent. Unde *Latini Juniani* appellati sunt; nam quum deterior esset eorum conditio, quam reliquorum Latinorum adeoque bona ipsorum post mortem tamquam peculium a patronis horumque heredibus vindicari possent: necesse visum fuit, ut etiam nominis proprietate a Latinis coloniariis disjungerentur. Vid. Fragm. jur. Dosith. *de manum.* §. 5—11 (ed. Bonn. §. 4—9). Gaji inst. I. 22. 23. III. 56—58. — cf. Göschen l. l. nr. I. II. p. 242—251. de Savigny, Zeitschr. f. gesch. R. W. T. V. Nr. V. p. 233 sqq. Schilling Bem. p. 317. sq. — de Vangerow *l. l.* §. 3—8. cf. et Tit. sq. §. 5. *Mühl.*

u) Vid. infra Adp. cap. I. §. 23. *Mühl.*

x) Cf. Gaj. I. 28. sq. Bethm.-Hollweg Diss. cit. cap. III. — De singulis causis accurate egit de Vangerow *l. l.* §. 27—36. *Mühl.*

hinc LATINI JUNIANI. Alii denique utriusque juris expertes ad DEDITITIORUM tantum conditionem adspirabant: Jac. Cujac. *Obs. IV.* 5.

§. 14.

Quinam Latini Juniani?

Jura civitatis quaenam fuerint, infra (Adp. Cap. I.) ostendetur adcuratius. LATINI JUNIANI ejusdem erant conditionis cum Latinis, in colonias deductis (§. 12. not. t), quales coloniae passim in orbe Romano exstabant, etiam aevo Imperatorum: Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I.* 9. Libertate igitur gaudebant, participes erant commerciorum et mancipationum cum civibus: Ulp. *XIX.* 4. et familiae emtores, et testes, et libripendes fieri, (Ulp. *XX.* 8.), quin et fideicommissum capere poterant: (Ulp. *XXV.* 6.) Sed tamen nec testari iis licebat, nec ex testamento quidquam capere, nisi intra centum dies cretionis jura Quiritium consequerentur: Ulp. *XVII.* 1. Hinc vulgo dicitur, vixisse Latinos Junianos ut liberos, decessisse ut servos. *L. un. C. de Lat. lib. toll.* [y]).

§. 15.

Quales dedititii.

DEDITITII vero vix umbram libertatis consequebantur. Nam et juris commerciorum mancipationumque erant expertes, et testamenti factione tum activa, tum passiva, plane carebant [z]), et, quae miserrima erat eorum conditio, nulla ipsis spes supererat, ullo modo ad civium Romanorum, vel Latinorum saltem, conditionem adspirandi, Suet. *Aug. c.* 40. Gajus *Inst. I.* 1. 4. (seu potius I. 13—15. 25—27.), adeoque ejusdem erant conditionis cum populis dedititiis. [a]).

§. 16.

An ea differentia sublata ab Antonino Caracalla?

Et haec differentia libertinorum fuit etiam sub Imperatoribus insequentibus observata. Quamvis enim Antoninus Caracalla in nota illa lege *In orbe Romano* (*L.* 17. *D. de Statu hom.*) civitatis jura cum

---

y) Mediam eos quodammodo obtinuisse fortunam inter servos et liberos ait Constantinus imp. L. 3. Th. C. *ad SCt. Claud.* IV. 11. — Juris conditionem, quae fuerit Latinorum Junianorum, late exposuit de Vangerow *l. l.* §. 22—36. *Mühl.*

z) Gaj. I. 25. et Ulp. XX. 14. *Mühl.*

a) Qui se divinaque et humana omnia dedebant, mittebantur sub jugum: de quo ritu videndus Dionys. Halic. *Ant. Rom. III.* 22. Qua formula deinde facta fuerit deditio, ex Liv. I. 38. ostendit Barn. Brisson. *de Form. IV. p.* 354.

omnibus, qui in orbe Romano viverent, communicarit: id tamen beneficium non ad libertinos, sed ad ingenuos tantum pertinuit; ut recte observarunt Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 5. Ant. Schulting. ad *Gaji Inst. I.* 1. 2. *p* 13. [b]).

§. 17.

Justinianus eam primus sustulit.

Primus Justinianus discrimen istud sustulit: *L. un. C. de Dedit. lib. toll. L. un. C. de Lat. lib. toll.* quibus constitutionibus omnibus libertinis jura civitatis indulsit. Quin imo, quae erat Imperatoris liberalitas, denique omne discrimen inter ingenuos et libertinos sustulit, salvo tamen jure patronatus, omnibusque libertis jus aureorum annulorum et natalium restitutionem[c]) dedit: *Nov. LXXVIII.* Quam parum prudenter id consilii ceperit Imperator, alii ostenderunt. Vid. Wissenb. *ad Tit. C. de Jure aur. p.* 360. Thomas. *de Usu pract. dist. hom. in ingen. et libertin. c.* 1. §. 31. *sq. p.* 18.

§. 18.

Insignia libertinorum.

Certum inter insignia libertinorum erat, quod veste alba et annulo donarentur a patronis: Tertull. *de resurr. c.* 57. et deinde pileati et capite raso incederent. Et capillos quidem radere solebant in templo Feroniae [d]). De quo ritu videndi Taubm. *ad Plaut. Amphitr. I.* 1. *extr.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. IV.* 20. Dalechamp *ad Plin.*

Pet. Fab. *Semestr. I.* 7. *p.* 36. Effectus vero erat, ut populi ejusmodi ingenuitatis quidem jura retinerent, at nullo modo ad civitatis commoda adspirarent. Conf. Car. Sigon. *de antiq. jur. Ital. I.* 1. *p.* 47. (et supra Tit. III. §. 1. not. c.) *Hein.*

b) Non opus est, ut cum Auctore (Adp. c. I. §. 20.) et plerisque viris doctis statuamus, Caracallae illam constitutionem ad solos ingenuos, minime ad libertinos, spectasse, dummodo Imperatoris institutum ad homines, qui tempore latae legis in imperio Romano domicilium fixissent, restringamus. Et hactenus Editor, a Savignio admonitus, retractandam censuit, quam prius in *Prol. Ex constitutione Imp. Antonini quomodo, qui in orbe Romano essent, cives Romani effecti sint?* (Lips. 1818. 4.) p. 8. defenderat, sententiam; salva reliqua legis interpretatione ibidem primum proposita. *Haub.* Caeter. vid. quae infra, Adp. I. §. 20. hac de re etiam observata sunt. *Mühl.*

c) De jure aureorum annulorum et restitutione natalium a principe impetrari solitis vid. Lips. *Elect. II.* 8. Jo. Kirchmann. *de annulis c.* 15. 16. Thomas. *de Usu pract. dist. in ingen. et libert. c.* 1. §. 26. 27. *Hein.* [* *Dissertatt. Tom. III. p.* 537. *sq.*]

d) Qui mos ponendi capillos utrum ad exemplum naufragorum introductus

II. 55. Adsumebant etiam praenomen, nomenque patroni suo addebant. Vid. infra *Lib. III. Tit. VIII.* §. 1. Quo adludens Persius *Sat. V. v.* 78.

> *Verterit hunc dominus, momento turbinis exit*
> *Marcus Dama.* — — — — — — — — —

Add. Arrian. *Diss. Epictet. II.* 1. Ceterum, quia, jam libertatem consequuti, non amplius pro rebus, sed pro personis habebantur; hinc in jure nostro qui statum mutarunt, et vel ex servis liberi, vel ex liberis servi facti, non iidem censentur, sed vocantur *novi homines: L.* 27. §. 1. *D. de Adim. vel transfer. leg.* Itemque *alii homines*: *L.* 98. §. 8. *D. de Solution.*

LIB. I. TIT. VI.

DE IIS,

QUI ET EX QUIBUS CAUSSIS MANUMITTERE NON POSSUNT.

Licentia manumittendi restricta primum est per legem AELIAM SENTIAM, cujus adeo historia, occasio, et materia ex antiquitate erunt explicandae.

§. 1.

Lex Aelia Sentia quando lata.

Lata ea lex, imperante Augusto, Sex. Aelio Cato [a]), (ita enim cognomen ex vetustis monumentis primus restituit Henr. Noris. *Cenot. Pis. Diss. III. c.* 9.) et C. Sentio Saturnio Coss. anno ab U. C. DCCLVI. Dio Cass. LV. 13. Unde fallitur Mynsingerus *Comment. ad Instit. h. t.* dum mentionem hujus legis fieri putat a Cicerone *in Topic.* 2. Illa enim lex *Aelia Sentia,* cujus Cicero meminit, si genuina esset vulgaris lectio *), a nostra foret diversissima. Sed acute con-

---

sit, an ab Atheniensibus Romam manarit, disputat Brisson. *Ant. Form. I.* 11. *p.* 13. *Hein.*

a) Vulgo vocant *Catulum.* Sed numquam hoc fuit Aeliorum cognomen. Potius *Cati* dicti sunt, quod cognomen primus ob insignem prudentiam consequutus est. Sex. Aelius, juris Aeliani auctor, quem et Ennius teste Cicerone egregie cordatum hominem vocavit. *Hein.*

*) Inducendum esse nomen *Aelia Sentia*, ostendit Jo. Aug. Ernesti in *Clav. Ciceron. Ind. LL. v. Aelia Sentia p.* 6. *Cann.*

jicit Norisius, ab indocti scribae manu esse alterum *Sentia*, legem vero Aeliam in loco Ciceronis non aliam esse, quam *jus Aelianum*, vel Aelii *tripartita*, de quibus supra in *Prooem.* §. 8.

§. 2.

Ratio hujus legis.

Occasionem legi dedit nimia manumittendi facilitas, qua fiebat, ut urbs pessimorum vilissimorumque civium colluvie adflueret. Quod quanto cum dedecore publico fuerit conjunctum, praeclare ostendit Dionys. Halic. *Antiq. Rom. IV.* 24. *Talis est nostro tempore confusio, et sic ad sordes atque ignominiam degeneravit Romanorum probitas, ut nonnulli a latrociniis, parietum perfossionibus, prostitutionibus, omnibusque aliis sceleribus, pecunia collecta, libertatem redimant, statimque se Romanos faciant: alii conscii dominis, et socii veneficiorum, homicidiorum, facinorumque, tum contra deos, tum contra rempublicam susceptorum, eam ab illis gratiam recipiant: quidam ideo manummittantur, ut acceptum e publico frumentum menstruum, et si qua alia liberalitatis in egenos cives conferuntur a Principibus, dent his, a quibus sint facti liberi.* Adcedebant aliae caussae manumittendi parum honestae. Saepe domini servos omnes manumittebant in fraudem creditorum: Tacit. *Ann. XV.* 55. Saepe servi a minoribus, quorum amores adjuverant, libertatem sibi loco mercedis stipulabantur. Cujus rei exempla multa in scenam producunt Terentius et Plautus.

§. 3.

Plura hujus legis capita.

Eam licentiam, quum indigna videretur Augusti seculo, lata hac lege coercendam putabat Princeps prudentissimus. Qua de re Sueton. *Octav. August. c.* 40. *Manumittendi modum terminavit.* Et paucis interjectis: *Quum et de numero et de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cavisset: hoc quoque adjecit, ne vinctus umquam tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Prius Augustus lege Fusia Caninia; posterius Aelia Sentia praestitit. Quin tam necessariam tamque dignam seculo suo hanc legem existimabat Augustus, ut inter mandata extrema, quae Tiberio Senatuique et populo Romano dederat, hujus quoque legis commendaret custodiam. Qua de re Dio Cass. *Hist. LVI.* 33. *Καὶ τὸ τέταρτον, (ἐγέγραπτο) ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ Τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ, ἄλλας τε, καὶ ὅπως μήτ' ἀπελευθερῶσι πολλούς, ἵνα μὴ παντοδαποῦ ὄχλου τὴν πόλιν*

πληρώσωσι· μήτ' αὖ ἐς τὴν πολιτείαν συχνοὺς ἐσγράφωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τοὺς ὑπηκόους ᾖ. ***Quarto mandata et consilia Tiberio ac reipublicae data, interque alia, ne multos manumitterent, ne promiscua turba urbs impleretur, neve multos jure civitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subjectos discrimen remaneret.*** Constabat vero ea lex capitibus quamplurimis, quae non nisi sparsim ex auctoribus colligi possunt.

§. 4.

De dedititiis.

Primo enim servos flagitiosos, stigmate ustos, tortos, et ad ferrum datos, vetuit fieri cives Romanos, voluitque eos ad dedititiorum tantum conditionem redigi: Ulp. *Fragm. I.* 11. *p.* 566. Gajus *Inst. I.* 1. 3. (I. 13—15. 25—27), de quo capite actum ad titulos antecedentes.

§. 5.

De aetate dominorum manumittentium et servorum manumittendorum.

Deinde et impedimentum ea lex excitavit ex aetate, tum servorum tum dominorum. Nam neque servus triginta annis minor, vindicta manumissus, civis Romanus fiebat [b]), nec dominus XX annis minor manumittere poterat; nisi adlegata probataque caussa apud consilium: Suet. *Aug. c.* 40. Dio Cass. *LV. c.* 13. Ulpian. *Fragm. I.* 12. 13 [c]). Inter has caussas §. 5. *Inst. h. t.* etiam refertur manumissio propter matrimonium. Sed haec non ex lege Aelia Sentia est, (tunc enim nondum civibus licebat ducere libertinas,) sed ex SCto quodam: *L.* 13. *fin. D. de Manum. vind.* quod hanc manumissionem ex

b) Eadem dicenda sunt de his, qui censu manumittebantur: Fragm. jur. Dosith. §. 17. (19). F. A. Schilling animadv. crit. ad Ulp. Sp. I. Lips. 1830. p. 47. Testamento infra eam aetatem manumissi in libertate morabantur, adeoque ex Lege Junia Latini fiebant: Ulp. I. 12. Num etiam hi, qui vel vindicta vel censu manumittebantur? quaeritur. Pro affirmantium sententia inprimis facere videntur: Gaj. I. 29. 31. Fragm. Dosith. §. 16. (14). Theophil. paraphr. I. Tit. V. §. 4. Negantium partes tuetur Goeschen l. l. p. 243—246. At vid. quae contra disputat de Vangerow l. l. §. 5—8. *Mühl.*

c) Causae probationes, vel maxime civitatis consequendae gratia fieri solitae, aut apud consilium expediebantur, aut apud magistratum. Et propter manumissiones quidem apud consilium approbari causam necesse erat, de eoque causae probationis genere loquuntur Gajus I. §. 18—20. et Ulpianus I. §. 12. 13. Reliquarum, quae Romae apud Praetorem, in provinciis apud Praesides earum fiebant, duplex fuit species: altera, quae anniculi nomine fiebat, eumque in

rationibus legis Juliae et Papiae admisit [d]). Apud Gruterum *Inscriptt. p. DCXXI.* nominatur PERSICUS. SERVUS. MANUMISSUS. AD CONSILIUM. Consilium vero erat Romae consessus decemvirorum litibus judicandis, id est, quinque Senatorum totidemque Romanorum equitum: in provinciis XX recuperatorum, civium Romanorum: Jac. Raevard. *Protribun. c.* 18. *et c.* 19. Ger. Noodt *de Jurisd. et Imp. I.* 12. Et tale est τὸ συμβούλιον, cujus mentio fit Actor. *c.* 25. *v.* 12.

§. 6.

De manumissione in fraudem creditorum facta.

Porro hac lege vetabantur manumissiones, quae fierent in fraudem creditorum, i. e., quae obligatos servos creditoribus dolo malo eximerent, partemque detraherent pignorum, aut portionem solutionis creditori aut hereditatis patrono imminuerent: Ulpian. *l. c.* §. 15. Gaj. *Inst. I.* 1. 5 (I. 37). Intelligendum hoc caput esse de manumissionibus non minus inter vivos, quam ultima voluntate factis, egregie probat Schulting. *ad Gaji Inst. l. c. p.* 21. Ubi tamen fraudulentus animus non concurrebat, valebat manumissio inter vivos facta. Et huc pertinet exemplum apud Tacit. *Ann. XV.* 55. ubi Scevinus libertatum et pecuniarum in servos collatarum rationem hanc reddit, *quia tenui jam re familiari, et instantibus creditoribus, testamento diffideret.*

§. 7.

Contra dominos libertos inopes alere recusantes.

Porro eadem lege ademta sunt dominis jura patronatus, qui libertos inopes alere negligerent: *L.* 33. *D. de Bon. libert. L.* 6. *D. de Adgnosc. liber.*

---

finem, ut Latini adipiscerentur civitatem: Gaj. I. §. 29—32. Ulp. III. 3. Altera, quae propter errorem in matrimonio inter disparis conditionis personas contrahendo admissum interveniebat, latius patuit, siquidem eo modo fieri poterat, ut peregrini quoque ad civitatem Romanam pervenirent, adeoque in patris potestatem redigerentur liberi, qui ex matrimonio cum peregrino peregrinave inito nati essent; eaque non ex Lege Aelia Sentia, verum ex SCto incerti et auctoris et temporis, descendit. Gaj. I. §. 67—77. §. 87. II. §. 142. III. §. 5. 73. Ulp. VII. 4. De utraque autem posteriore causae probatione late egerunt Bethmann-Hollweg in comment. saep. alleg. *de causae probatione* et de Vangerow l. l. §. 31—35. *Mühl.*

d) Vid. et Auctoris *comm. ad L. Jul. et P. P.* p. 128. *Mühl.*

§. 8.

Contra dominos mercedem sibi a libertis stipulantes.

Eadem lege juribus patronatus excidebant, qui libertos ad mercedem operarum promittendam induxerant: *L. ult.* §. 1. *D. Qui et a quib. manum. liberi non fiunt.*

§. 9.

Contra libertos ingratos.

Prodita etiam hac lege est actio adversus libertos ingratos, non quidem, ut in servitutem revocarentur, (quod postea demum Claudius Imp. invexit e): Sueton. *Claud. c.* 25.) sed ut in lautumias darentur ad perpetuas operas. Vid. Dosith. *Sent. et Epist. D. Hadriani III.* 3. *p. m.* 862. *sq.* Jac. Cujac. *Obs. X.* 33. Jan. Vinc. Gravina *de Leg. et SCtis p.* 528. *sq.*

§. 10.

Contra dominos libertos prohibentes uxores ducere.

Adcedit et aliud caput, quo jure patronatus exuuntur, qui hac lege manumisere, ut ne liberti uxores ducerent, aut liberos tollerent: *L.* 6. *D. de Jur. patr.*

§. 11.

Cur licuerit dominis obaeratis servum unum heredem necessarium instituere.

Et haec quidem sunt potiora legis Aeliae Sentiae capita, quorum auctores et jura nostra meminere f). Sed quod ad caput tertium §. 6. a nobis recensitum attinet, illi adjecta erat exceptio. Licebat

---

e) Non videtur Claudius expressa quadam constitutione vel SCto definivisse, in servitutem libertos ob ingratitudinem a patronis revocari posse, sed extra ordinem quosdam ingratos libertos ita mulctasse. Sane temporibus Neronis, quum ad Senatum referretur, ut liberti ingrati revocarentur in servitutem, id plerisque displicuit, additumque, nihil aliud laeso patrono concedi, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum possit relegare: Tacit. *Annal. XIII.* 26. Eoque jure usi videntur Romani, donec Commodus Imperator, quod extra ordinem fecerat Claudius, edita constitutione induceret: *L.* 6. *D. de Adgnosc. lib.* Conf. Jac. Raevard. *Conjectan. I.* 11. *p.* 23. *sq. Hein.* Vereor, ne hic erret auctor. Puto jus illud inductum a Claudio, sub Nerone de eodem jure, neglecto post Claudii constitutionem, iterum cogitatum: aliter opinantur alii. V. Otton. *Praef. T.* IV. *th.* et ad §. 1. *Inst. de Cap. deminut. Cann.* Cf. Zimmern R. G. §. 200. *Mühl.* J. H. Bornii diss. de poenis libertorum ingratorum ap. Romanos. Lips. 1738. 4. Jani Pan diss. de grati animi officiis atque ingratorum poena jure Attico et Romano. L. B. 1809. 8. P. II. c. 2. s. 2. p. 79—246. *Haub.*

f) Aliud hujus legis caput commemorat Justin. *Nov. CXII.* 1. edit. Haloandr. de donatione facta inter virum et mulierem. Sed textum in mendo cubare, et

enim domino obaerato servum suum cum libertate heredem instituere, ea lege, ut ei heres esset solus et necessarius. Eo ipso enim nihil admodum amittebant creditores. Sed dominus tantum id lucrabatur, ut ne bona suo nomine possiderentur a creditoribus, quippe quod veteribus ignominiosum videbatur: Cic. *pro P. Quinct.* 15. Confer infra *Lib. II. Tit.* 18. 19. *n.* 11.

§. 12.

Lex Aelia Sentia ordini et integritati suae restituta.

Scripseramus haec olim. At postea majora ausi, ipsius legis fragmenta non modo diligenter conquisivimus, verum etiam ea suo ordini suaeque integritati restituere conati sumus, ductu praecipue ULPIANI, et JULII PAULI, quorum ille quatuor, hic tribus libris hanc legem celeberrimam illustravit. Hujus diligentiae nostrae ut fructum capiat lector, totam legem una cum probationibus hic exhibemus:

SEX. AELIUS. — — — CATUS. ET C. SENTIUS. C. F. C. N. SATURNINUS. COS. POPULUM. JURE. ROGARUNT. POPULUSQUE. JURE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. . . . . . TRIBUS. . . . . . PRINCIPIUM. FUIT. PRO. TRIBU. . . . . . PRIMUS. SCIVIT

CAP. I. a)

DE IIS, QUI MANUMISSI DEDITITII FIUNT.

Qui servus, quaeve ancilla, poenae caussa b) *a domino* c) VINCTUS VINCTAVE d) *aut in custodiam datus, datave* e), *quibusve vestigia*

---

pro lege *Sentia* legendum *Cincia*, jam monuit Gothofredus. *Hein.* Ita jam ante vidit Cujacius, probatque Brummerus *ad L. Cinciam c.* 15. *p.* 255. *Cann.*

a) Caput hoc primum fuit procul dubio, partim quia praecipuum, partim, quod ULPIANUS *Libro I. Comment. ad L. Ael. Sent.* de eo egit *L.* 216. *D. de V. S. Hein.*

b) Non ergo ab aliam caussam vinctus vinctave, veluti ob furorem: Paul. *Receptt. Sentent. IV.* 12. 7. *Hein.*

c) Vel ejus jussu a Procuratore: Paul *ibid.* §. 8. non si solutum servum dominus adprobet, antequam vinctum sciret: Paul. *ibid.* nec si communi servo unus, altero non adprobante, injecisset vincula: Idem *ibid.* §. 5. nec si servum oppignoratum vinxerit creditor: *Id.* §. 6. *L.* 24. §. *ult. D. de Pignor. act.* nec si servo, quem manumittere jussus erat, vincula injecerat heres: Paul. *ib.* §. 4. *Hein.*

d) Legitimum hoc fuisse vocabulum discimus ex ULPIAN. *Lib. I. L.* 216. *de V. S.* ubi id non intelligendum esse monet de eo, qui carceri mancipatus, sed qui ibi vinculis constrictus fuit, quamvis alias, ubi de favore vincti quaeritur, et in carcerem conjectus pro vincto habeatur: *L.* 9. *D. Ex quib. causs. maj. XXV. ann. in int. rest. Hein.*

e) Ita Ulpianus *Fragm. tit. I.* 11. Sed annon sibi ipse contrarius, quum

scripta f), *itemque, qui quaeve propter noxam tortus tortave, nocens inventus inventave* g), *item qui quaeve, ut ferro, aut cum bestiis depugnaret* h), *damnatus, damnatave, aliove supplicio adfectus adfectave* i) *fuit: is cave, quoquo modo* l) *manumissus manumissave, justam libertatem ne consequitor* m), *sed dedititiorum numero esto* n).

CAP. II. o)

DE AETATE MANUMITTENDORUM PER VINDICTAM.

Minor XXX annorum servus ancillave, censu p) *vindictave manumissus manumissave, civitatis Romanae jus, nisi caussa apud consilium probata, ne consequitor.*

---

paullo ante negare eum viderimus, in custodiam datum pro vincto haberi? Negamus, quia in *L.* 216. *de V. S.* de privato carcere, qui non nocebat sine vinculis: hic autem de carcere publico loquitur. Vid. Jac. Cujac. *ad Ulp. l. c. Hein.* Apud Gajum haec leguntur (I. 13): inve ludum (sc. gladiatorium) custodiamve conjecti fuerint. Vid. et F. A. Schilling animadv. crit. ad Ulp. Sp. I. p. 43. *Mühl.*

f) Ulp. *ibid.* §. 11. Gaj. *Inst. I.* 1. 3. nec opus videtur emendatione in textu Ulpiani, ubi pro *vestigia* quidam rescribi jubent *stigmata. Hein.* Utique legendum apud Ulpianum: *quibusve stigmata scripta;* ut habet etiam noviss. ed. Berol. *Haub.*

g) Ulpian. *ibid.* non ergo si tortus de nulla culpa fuerat confessus: Paul. *Receptt. Sentent. ibid.* §. 3. *Hein.*

h) Ferro depugnant *gladiatores*, cum bestiis *arenarii:* Cujac. *ad Ulp. Fragm. tit. I.* 11. De utrisque plura nos in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 1. *et* 2. *Hein.*

i) Imo et virgis caesi publice: Gaj. *Inst. I.* 1. 3. *Hein.* In Gaji genuinis comment. haec desunt. *Mühl.*

l) Ulpian. *ibid.* Apud Suetonium *Aug. c.* 40 est: *ne ullo libertatis genere civitatem adipiscerentur,* id est, nec *censu*, nec *vindicta*, nec *testamento. Hein.*

m) Suet. *Aug. c.* 40. Ulp. *ibid. Hein.*

n) Ulpian. *Fragm. I.* 11. *Hein.*

o) Caput hoc secundum fuit, quia et aetas pertinet ad qualitatem manumittendorum, de qua curiose cavisse Augustum tradit Sueton. *l. c.* Meminit hujus capitis Dio *LV.* 13. ejusque sententiam servavit Ulpian. *Fragm. tit. I.* 12. *Hein.*

p) *Census* non meminit Ulpianus *l. c.*, quia ejus aetate ab usu pridem recesserat. At *Fragm. jur. Dosith.* §. 19. (17): *Et qui in censu manumittitur, si XXX annos habeat, civitate Romana potitur.* Ergo non minor XXX annis. *Hein.* Num autem in censu manumissionibus causae probatio omnino locum habuerit, merito dubitatur. V. Göschen l. l. p 243. *Mühl.*

CAP. III. q)

DE AETATE ET CONDITIONE MANUMITTENDORUM PER TESTAMENTUM.

Minor XXX annorum [r]), *testamento manumissus manumissave, quamvis in libertate moretur, liber tamen et civis Romanus ne esto* [s]).

CAP. IV. t)

DE CONDITIONE EX HUJUSMODI PARENTIBUS NATORUM.

Ex his, qui quaeve justam libertatem non consequuntur, nati nataeve, cives Romani et in parentum potestate ne sunto. Sin cives Romanus hujusmodi mulierem, quasi civem, per errorem duxerit, sive civis Romana per errorem ei, qui dedititiorum numero erit, nupta fuerit; caussa apud consilium probata, civitas tam liberis, quam parentibus [u]), *praeter eos, qui dedititiorum numero erunt, redditor, illique in patria potestate sunto.*

---

q) Hoc caput a priore sejungi non potuit. Hinc conjunxit etiam utrumque Ulpian. *Fragm. I.* 12. *Hein.* Caeter. cf. quae supra §. 5. not. b. scripta sunt. *Mühl.*

r) Nisi libertas in hoc tempus data. Hinc frequens in testamentis formula; LIBER ESTO, SI ANNORUM XXX ERIT: *L.* 39. §. 2. *Fam. erc. L.* 46. *de Manum. test. L. ult. D. de Reb. dub. L.* 13. §. 5. *de Statulib.* item: QUUM PER LEGES LICEBIT, LIBER ESTO: *L.* 38. *de Man. test. Hein.*

s) Servi itaque erant, quamvis in libertate morarentur, nec servire eos pateretur Praetor. Post legem Juniam Norbanam omnes justam libertatem per manumissionem haud consequuti, praeter dedititios, Latini erant, adeoque et hi ejusdem conditionis censebantur: Ulp. *ib. et ad h. l.* V. C. Ant. Schultingius. *Hein.*

t) Hoc quoque caput a superioribus sejungi non potuit. Expressimus illud ex Ulpiani *Fragm. VII.* 4. Idem caput in mente habuit Gajus *apud Pariat. LL. Mos. et Rom. Tit. XVI.* dum scripsit: *Idem juris est de his, quorum nomine ex L. Aelia Sentia vel ex SCto post mortem patris, caussa probata, in potestate ejus futuri essent. Hein.*

u) Probanda ergo caussa erat vivis parentibus. At postea ex SCto etiam post mortem patris fieri poterat probatio: Gajus *ib.* Unde miror, de sententia hujus SCti, et an eo diversum quid a Lege Aelia Sentia cautum sit, disputare ad Gaji locum viros doctos. *Hein.* Jam autem dubio non caret, SCto post Augusti tempora condito ea deberi, quae hoc in capite Legi Aeliae Sentiae Auctor tribuit. Bethmann-Hollweg diss. alleg. p. 70. sqq. de Vangerow l. l. p. 178. not. 15. Cf. et supra §. 5. not. c. *Mühl.*

CAP. V. x)

DE MINORE XX ANNIS MANUMITTENTE.

Minore XX annis y) *non aliter, quam per vindictam* z), *caussaque apud consilium probata* a), *manumittere jus esto* b).

CAP. VI. c)

DE FEMINA MANUMITTENTE.

Ne feminae, nisi auctoribus tutoribus suis d), *libertatem servis dare jus esto* e).

---

x) Egere de hoc capite ULPIANUS *Lib. II. L.* 16. *D. de Man. vind.* PAULUS *Lib. I. L.* 15. *de Manum. vind.* Unde id a superioribus proximum locum tenuisse patet. Uti enim prima legis parte de conditione manumittendorum; ita secunda de manumittentibus actum. Sententiam capitis habemus apud Gaji *Inst. I.* 1, 7. (I. 38). Ulpian. *Fragm. I.* 13. et in §. 5. *Inst. Qui et ex quib. causs. man. non poss. Hein.*

y) Coeptum tamen annum XX. pro completo habitum, colligo ex *L.* 74. §. 1. *D. de SCto Treb. Hein.*

z) Attamen, qui vindicta possunt apud consilium manumittere, possunt etiam heredem sibi necessarium testamento scribere: PAUL. *Lib. I. L.* 27. *de Man. test. Hein.*

a) Modo caussa ex adfectu, non ex luxuria, descendat: ULP. *Lib. II. L.* 16. *pr. de Man. vind.* Qualis est sanguinis conjunctio: ULPIAN. *Lib. II. L.* 12. *eod.* item conditionis implementum: PAUL. *Lib. I. L.* 15. *D. eod.* Aliae caussae recensentur in *L.* 9. 11. 12. *sq. D. eod. et* §. 5. *Inst. h. t.* Sunt tamen quaedam non ex hac lege, sed ex SCtis, de quibus *L.* 13. *fin. L.* 4. *C. Qui man. non poss.* Add. Cujac. *Obs. XV.* 13. *Hein.*

b) Quid si minor XX annis servum alii dederit, ut manumitteretur? Vid. *L.* 20. §. *ult. D. de Man. L.* 16. §. 1. *D. de Man. vind. Hein.*

c) De hoc quoque capite egit PAULUS *Lib. I. L.* 16. *D. de Auct. tut.* Sententiam ejus servavit *Fragm. Vet. JCti post Pariat. LL. Mos. et Rom.* §. 17. *Hein.* Fragm. jur. Dosith. §. 15. ed. Bonn. *Mühl.*

d) Etiamsi coeci sint tutores: PAUL. *Lib. I. L.* 16. *de Auct. tut.* Si femina per epistolam manumittebat, disputabatur, utrum, dum scriberet illa epistolam, an tunc, quando eam servus acceperit, interponenda sit auctoritas? Vid. laudat. *Fragm.* §. 17. (15). *Hein.*

e) Nisi jure liberorum per legem Papiam Poppaeam tutela liberaretur: *Fragm. Vet. JCti* §. 17. Ulpian. *Fragm. II.* §. *ult.* Addatur *Comment.* noster *ad Leg. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 11. *p.* 233. *sq. Hein.*

CAP. VII. [f]

DE MANUMISSIONE IN FRAUDEM CREDITORUM.

Qui in fraudem [g] *creditorum manumisit, nihil egisse censetor* [h], *et manumissus manumissave servus ancillave manento.*

CAP. VIII. [i]

DE SERVO NECESSARIO HEREDE INSTITUTO.

Attamen ei, qui solvendo non est [k], *unum servum, quem velit* [l], *per testamentum manumittere, et heredem instituere* [m] *jus esto: et tunc manumissus liber heresque necessarius esto.*

CAP. IX. [n]

QUID SI IN FRAUDEM CREDITORUM PLURES MANUMISSI?

SI. DUO. PLURESVE. EX. EADEM. CAUSSA. HEREDES. SCRIPTI.

---

f) De hoc quoque capite PAULUS adhuc *Lib. I. Commentarii sui* egit. Sententia exstat apud Gaj. *Inst. I.* 1. 5. (I. 37). Ulpian. *Fragm. I.* 14. *in pr. Inst. h. t. L.* 16. §. 2. *D. Qui et a quib. man. lib. L.* 1. *C. Qui man. non poss. Hein.*

g) Quid vero est in fraudem manumittere? *L.* 10. *D. Qui et a quib. man. lib. non fiunt. L.* 79. *D. de R. I.* Hac lege nec miles solutus: *L.* 29. §. 1. *D. de Test. mil. L.* 8. §. 1. *D. Qui et ex quib. causs. manum.* Non tamen legem violat, qui minor XX annis heredem rogavit, ut servum proprium manumitteret: *L.* 34. §. 1. *D. de Fideic. libert. Hein.*

h) Si id urgeant creditores. Antea enim manumissus in eorum fraudem veluti statuliber erat: *L.* 1. *pr. de Statulib.* Inde est, quod libertas hujusmodi per Legem Aeliam Sentiam dicitur RESCINDI: *L.* 5. §. 2. *D. Qui et a quib. manum.* RETRAHI: *L.* 45. §. 3. *de Jure fisc.* REVOCARI: *L.* 1. *C. Qui manum. non poss. Hein.*

i) Caput hoc a superiore proximum fuisse, quum res ipsa, tum Pauli fragmenta ad caput sequens adferenda docent. *Hein.*

k) Etiam minori XX annis: *L.* 27. *de Man. test.* Quid si, qui solvendo est, necessarium heredem instituat, et is abstineat, an libertates debentur? *L.* 32. *D. de Manum. test. Hein.*

l) Licet minorem XXX annis: Ulpian. *Fragm. I.* 14. etiamsi in ea caussa sit, ut dedititius fieri deberet: Ulp. *ibid.* Heres enim esse non posset, nisi justam consequutus libertatem. Aliud dicendum, si impedimentum non ex lege Aelia Sentia sit, sed ex alia lege, SCto vel constitutione Principis: *L.* 83. *pr. de Her. inst. Hein.*

m) Quid si obaeratus servum heredem necessarium instituerit, eique substituerit tamen liberum hominem? *L.* 57. *D. de Her. inst. Hein.*

n) Legitima haec fuisse hujus capitis verba, adparet ex *L.* 60. *D. de Her. inst.* SCti vero ad hanc legem facti meminit *L.* 83. §. 1. *eod. Hein.*

ERUNT. UTI. QUISQUE. PRIMUS. SCRIPTUS. ERIT. LIBER ET HERES. ESTO o).

CAP. X. p)

DE SERVO IN FRAUDEM FOENERATORUM MANUMISSO.

In fraudem foeneratorum manumissus, tametsi in libertate moretur, libertatem tamen justam ne consequitor q).

CAP. XI. r)

DE MERCEDE MANUMISSIONIS.

Si quis eum eamve, quem quamve manumissurus est, ad mercedem manumissionis praestandam obligaverit s), *juribus patronatus privator.*

CAP. XII. t)

DE JUREJURANDO LIBERTORUM DE LIBERIS NON TOLLENDIS.

Qui libertum, ut ne uxorem ducat u), *vel libertam, ne nubat,*

---

o) Quid si duo Apollonii instituti? *L.* 42. *D. eod.* Paul. *Lib. I. L.* 43. *eod.* Quid si primo loco servum cum libertate instituerit, et eum substituerit, cui libertas debebatur ex fideicommisso? Paul. *Lib. I. L.* 55. *D. eod. Hein.*

p) Hujus capitis solus meminit Auctor *Fragm. jur. Dosith.* §. 18. (16). *Obstat enim libertati lex Aelia Sentia, quae vetat servum, foeneratorum caussa manumissum, civem Rom. fieri, sed Latinum.* Nisi itaque dicere malimus, auctorem hujus fragmenti jus omnibus notum plane ignorasse: dicendum sane erit, legem Aeliam Sentiam distinxisse, in *creditorum* fraudem quis manumissus sit, an in fraudem *foeneratorum*, in quorum odium lex passa est servum, in eorum fraudem manumissum, in libertate morari. *Hein.*

q) Atqui Latinum factum esse, ait Auctor fragmenti. Factus omnino, sed demum ex *L. Junia Norbana*, quae omnes Latinos fecit, quos justam libertatem consequi non patiebatur *L. Aelia Sentia.* Videantur, quae notavimus ad c. 3. *Hein.*

r) Hactenus de manumittendis et manumissionibus. Jam de prohibitis manumittendi conditionibus, de quibus PAULUM *Libro ad Leg. Ael. Sent. II.* egisse, patet ex *L.* 6. *D. de Jur. patr.* Ceterum sententiam capitis servat *L. ult. D. Qui et a quib. manum. Hein.*

s) Non ergo prohibet Lex mercedem a liberto capere, sed eum obligare: *L. ult.* §. 1. *Qui et a quib. manum.* Nec haec prohibitio pertinet ad speciem; si patronus sibi operas centum, aut in singulas quinos aureos stipulatus sit: PAUL. *Lib. II. L.* 6. §. 1. *D. de Jur. patr. Hein.*

t) De hoc quoque capite egit PAUL. *Lib. II. L.* 6. *D. de Jur. patr.* Ejus autem sententiam habes in *L.* 15. *D. eod. Hein.*

u) Nec tamen incidit in legem patronus, qui castratum jurare coegit uxorem

liberosve tollat v), *jurejurando adiget* x), *is quoque juribus patronatus privator* y).

CAP. XIII. z)

DE EO, QUOD IN FRAUDEM PATRONI FACTUM.

Si quid dolo malo liberti factum erit a), *quo minus, quam pars debita bonorum, ad patronum ejusve liberos perveniat, id, quod in fraudem legis factum erit, nullum esto: quod in fraudem patroni, revocator* b).

---

non ducturum: PAUL. *Lib. II. L.* 6. §. 2. *eod.* Incidit autem, qui adegit, ne intra certum tempus liberos tollat, neve aliam uxorem ducat, quam de qua patronus senserit, vel non nisi collibertam, aut patrono cognatam: *L.* 3. §. 5. *D. de Suis et legit. hered. Hein.*

v) Quid si patronus libertam adegerit, uti sibi nuberet? PAUL. *Lib. II. L.* 6 §. *ult. de Jur. patr.* vel ne illicite nuberet? *L.* 3. §. 5. *de Suis et leg. her.* vel ne ea liberis impuberibus nuberet? *L.* 31. *Qui et a quib. man.* Nullo horum casuum patronus jure suo excidit. At excidit illo omnino, qui ipse non ducturus adegit. tamen libertam, ne alii, quam sibi nuberet: PAUL. *Lib. II. L.* 6. §. 3. *de Jur. patr. Hein.*

x) Item qui jusjurandum non prohibet. Exemplum vide apud PAUL. *Lib. II. L.* 6. *pr. eod. Hein.*

y) Imo et liberi ejus: *L.* 15. *eod.* Unde nec ad legitimam hereditatem admittuntur: *L.* 3. §. 5. *de Suis et leg. her.* Interim tamen salva per hanc legem mansit jurisjurandi religio. Verum jurisjurandi etiam hujusmodi gratiam libertis libertabusque fecit Lex Julia et Papia Poppaea: PAUL. *Lib. II. L.* 6. §. 4. *de Jur. patr.* Diximus ea de re plenius in *Comment. ad L. Jul. et Pap. L. II.* c. 16. *Hein.*

z) Egit de hoc capite PAULUS *Libr. III. L.* 11. *Si quid in fraud. patr.* Sequitur itaque ultima pars legis de patronorum libertorumque officiis. *Hein.*

a) Non est dolus, si patronus consentit: PAUL. *Lib. III. L.* 11. *eod.* nec, si libertus dotem dat filiae: *L.* 1. §. 10. *eod.* nec, si vivus amicis bene merentibus donavit: *L.* 9. *eod.* Alias nihil interest, quocumque modo fraus legi facta: *L.* 4. *pr. L.* 1. §. 1. 3. 13. 18. *sq. eod. Hein.*

b) Quid si, quod in fraudem patroni alienatum, non exstet? *L. ult. eod.* Quid vero intersit inter alienare in fraudem legis, et patroni, fuse PAULUS explicasse videtur *Lib. III.* eoque refero: *L.* 17. *Qui et a quib. man. L.* 66. *de V. O. Hein.*

CAP. XIV. c)

DE LIBERTIS INGRATIS.

Quem libertum libertamve patronus [d]) *ingratum esse convincet, is in lautumias detur* [e]).

CAP. XV. f)

DE PATRONI OFFICIO ERGA LIBERTUM.

Si qui patronus, si qua patrona, libertum libertamve inopem non alet, is eave juribus patronatus privator [g]).

§. 13.

An caput 2. legis Aeliae Sentiae prudenter sustulerit Justinianus?

Denique observandum, caput legis Aeliae Sentiae de manumissore minore XX annis (§. 5.) incaute sustulisse Justinianum, argumento usum sane perquam ridiculo, *quod libertas sit res inaestimabilis:* §. 7. *Inst. h. t.* Inaestimabilis enim non est ratione domini, sed servi, qui ad illam adspirat. Cf. Thomas. *Diss. de Usu pract. doctr. de imped. manumiss.* c. 1. §. 39. *sq.* [h]).

---

c) Egit de hoc capite ULPIAN. *Lib. IV. L.* 30. *Qui et a quib. man.* Sententiam ejus debemus Dosith. *Sentent. Hadr. c.* 3. §. 3. *p.* 862. Conf. Cujac. *Obs.* X. 33. *Hein.*

d) Quis accusare possit vel non possit libertum ingratum, fuse docet Ulp. *Lib. IV. L.* 30. *D. Qui et a quib. man. L.* 70. *D. de V. S. Hein.*

e) Dosith. *ibid.* qui tamen falli videtur, dum cognitionem hanc dat ἐπάρχῳ τοῦ γαζοφυλακίου: quam fuisse penes Praefectum urbi, patet ex *L.* 1. §. 10. *D. de Off. Praef. urb. Hein.*

f) De capite hoc habes testimonium Modestini: *L.* 6. *pr. de Adgn. et al. lib. L.* 33. *de Bon. libert. Hein.*

g) *d. L.* 6. *et* 33. *Hein.*

h) De manumissione, quae testamento fiebat, unice loquitur Imperator in §. 7. *c.* Permissum 17 annis majoribus testamento manumittere, non vero minoribus: hinc et pro *domini manumissoris* in §. 3. *Inst. de Libertin.* legendum est: *dominii manumissoris;* ita et emendavit Ant. Augustinus, quem sequuti sunt plures. *Cann.* Vid. et Schrader in not. crit. ad §. 3. *I. de libertin. Mühl.*

LIB. I. TIT. VII.

DE

LEGE FUSIA [a]) CANINIA TOLLENDA.

Ad coercendam manumittendi licentiam comparata etiam erat lex FUSIA CANINIA: de qua quum nihil dicat Imperator, nisi quod eam sustulerit, res paulo altius ex antiquitatibus Romanis erit repetenda.

§. 1.

Lex Fusia Caninia quando et a quibus lata?

De genuina hujus legis aetate mira est eruditorum dissensio. Sunt, qui latam hanc legem existimant Q. Fusio Caleno, et P. Vatinio Coss. anno ab U. C. DCCVI. et renovatam deinde sub Augusto, rogante C. Caninio Cons. anno U. C. DCCLI. unde dicta etiam sit ea lex Fusia Caninia: Jac. Raevard. *Conject. II.* 1. Oisel. *ad Gaji Inst. I.* 2. 1. *p. m.* 14. Sed quum Dionys. Halicarnasseus adhuc sua aetate de nimia manumittendi licentia conqueratur, et Suetonius *Octav. Aug. c.* 40. Augustum primum de numero manumissorum cavisse dicat: credibile vix est, legem hanc esse tam vetustam. Praeterea vix in antiquitate occurrit exemplum legis, a duobus Consulibus diversorum annorum cognominatae. Hinc procul dubio lata haec lex Sex. Furio [b]) Camillo et C. Caninio Gallo Coss. anno U. C. DCCLI. Hoc enim anno C. Caninium Gallum Consulem suffectum produnt *Annales* Steph. Vin. Pighii *Lib. XVIII. p.* 530. et Onuphr. Panvin. *Fast. II. p.* 185. Quin et ex numo ejus Consulatum restituit Hub. Golz. *in Fastis p.* 222. Conf. Schulting. *ad Gaj. Inst. I.* 2. 1. *p.* 24. Ephr. Gerhardi *Diss. de lege Fus. Canin.* §. 7.

§. 2.

Ratio hujus legis.

Caussa latae legis eadem fuit, quae Aeliae Sentiae, maxime vero, quod morientes domini saepenumero integras familias manumitterent, tantum, ut eo plures liberti pileati lecticam prosequerentur. Egregie hanc in rem Dionys. Halic. *IV.* 24. *Scio*, inquit,

---

a) Legendum: Lex *Furia* Caninia; vid. Schrader in not. crit. ad hunc loc. *Mühl.*

b) Furii enim olim dicti *Fusii*, quemadmodum Papirii *Papisii*. Vid. *Prooem.* §. 1. *not. b. Hein.*

qui tota servitia testamento libera esse juberent, ut benignitatis laudem ferrent post mortem, et in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum prosequeretur frequentia. In qua pompa quidam erant, ut a scientibus audivi, recens dimissi e carcere, malefici, mille supplicia meriti. Istos impuros urbis pileos plerique cum stomacho adspectant et respuunt eorum consuetudinem, indignum facinus clamitantes, populum, rerum dominum, et usurpantem sibi orbis imperium, talibus contaminari civibus. De ea pompa funebri conferri etiam merentur Jac. Cujac. *Obs. III.* 23. Jo. Kirchmann. *de Fun. Rom. II.* 7. Huic ergo licentiae manumittendi, qua populus rerum dominus contaminabatur, obviam itum est hac lege Fusia Caninia, qua certus numerus est constitutus, ultra quem non valeret manumissio. Et de ea lege etiam intelligendus Sueton. *Octav. Aug. c.* 40. ubi utramque legem, Fusiam nimirum Caniniam et Aeliam Sentiam, sub Augusto conditas, conjungit.

§. 3.

Legis materia.

Ipsam legis sanctionem nobis servarunt Ulpian. in *Fragm. I.* 24. Paul. *Sent. IV.* 15. Gaj. *Inst. I.* 2. 1. (I. §. 42—46.). E duobus scilicet usque ad quinque servis duo manumitti poterant, ex sex et septem, tres; ex octo et novem quatuor; e X usque ad XVII quinque; ex XVIII ad XX sex; ex XXI ad XXIII septem; ex XXIV, XXV, XXVI, octo; e XXVII, XXVIII, XXIX novem; e XXX ad XLIV decem; e XLV ad XLVII undecim; ab XLVIII ad LI duodecim; e LII ad LV tredecim; e LVI ad LIX quatuordecim; e LX ad LXIII quindecim; e LXIV ad LXVII sedecim; e LXVIII ad LXXI septemdecim; e LXXII ad LXXV octodecim; e LXXVI ad LXXIX novemdecim; ex LXXX ad LXXXIII viginti; ex LXXXIV ad LXXXVII viginti et unus; ex LXXXVIII ad XCI viginti duo; ex XCII ad XCV viginti tres; ex XCVI ad C viginti quatuor; ex C ad CXXIX viginti quinque; ex CXXX ad CXXXIV viginti sex; a CXXXV ad CVL viginti septem; et sic consequenter pars quinta. Sed ultra centum manumittere nemo poterat, si familia vel XX millibus servorum constaret, quales Romae fuisse familias, testantur Seneca *de Tranquillit. animi* 8. Athen. *Dipnos. VI. p.* 272.

§. 4.

An ea ad manumissiones inter vivos pertinuerit?

Quemadmodum vero haec lex ad solas manumissiones testamentarias pertinebat: ita inter vivos integrae familiae manumitti poterant, nisi aliae leges obstarent: Gaj. *Inst. I.* 1. 4. (I. 44.). Neque enim verendum erat tam facile, ne quis justo esset liberalior. Unde mira fuit Tacit. Imp. religio, qui *manumisit, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur.* Vopisc. *in Tacit.* 10. quasi Caninia ad manumissiones inter vivos pertinuisset.

§. 5.

Quid factum, si plures manumissi, quam lex permitteret.

Si plures, quam lex permiserat, essent manumissi: illi tantum, qui priores erant nominati, aut certe descripti, libertatem consequebantur. Si plures manumissi, nemo nominatus aut descriptus: omnes in servili conditione permanebant. Quod et tunc eveniebat, si testator in fraudem legis nomina servorum in orbe tereti aut διεξοδικῶς scripsisset: Gaji *Inst. I.* 1. 2. (I. 46.) quem scribendi modum praeclare exponit Merill. *Obs. VII.* 40. c) [et rectius adhuc Schulting. *ad Gaji Inst. I.* 1. 2.]

§. 6.

An prudenter eam sustulerit Justinianus.

Enimvero hanc quoque legem, sane utilissimam, sustulit Justinianus, quasi illa esset libertati invida, absurdumque videretur, a vivis integras familias manumitti posse, non item a moribundis. Vid. *Inst. h. t.* et ibi Vinnius.

LIB. I. TIT. VIII.

DE

HIS QUI SUI VEL ALIENI JURIS SUNT.

Sequitur de jure personarum altera divisio: quaedam enim personae sui juris sunt, quaedam alieno juri sunt subjectae. Et harum

c) Scaliger, Nerius, Schultingius et Otto latius de hoc scribendi modo egerunt, quorum sententias recenset Trotz ad Hugon. *de prima scrib. orig. p.* 62. 63. Quae ipse adjicit, jam ante ab Aleandro ed. Gaji *l. c.* notata fuere. *Cann.* Imprimis cf. Dirksen *Beitr.* zur Kunde des R. R. Nr. VII. §. 2. p. 265—269. *Mühl.*

quidem aliae in *potestate*, aliae in *manu*, aliae in *mancipio* erant [a]). Potestati suberant *servi* et *filiifamilias*. In manu erant *foeminae*, quae in familiam mariti atque in sui heredis locum nubendo convenerant [b]), in mancipio autem universim quidem omnes omnino, quicunque eodem modo, quo etiam servi, mancipari poterant, unde etiam liberorum personae, tum vero foeminae, quae in manu erant maritorum, in mancipio esse dicuntur [c]); sensu tamen verbi magis circumscripto et velut proprio in mancipio sunt, qui mancipatione facta servorum loco constituuntur, neque vero per omnia similes habentur servorum [d]). De dominorum potestate hoc titulo, de patria sequente, et sic deinceps de reliquis personis dicemus, quae alieno juri subjiciuntur. *Mühl.*

§. 1.

Potestas dominica in quo constiterit?

Potestas dominica duo potissimum jura complectebatur: alterum, quod domini per servos adquirerent, alterum, quod jure vitae et necis in eos uterentur [e]). De priore agitur ad *Tit. IX. Libri II.* De posteriore jam nonnulla ex antiquitate monenda sunt.

§. 2.

Gaudebant domini jure vitae et necis.

Quum jus vitae et necis in servos juri naturae et gentium haud repugnet [f]): non mirum profecto est, quod et Romae id dominis competeret, quibus servi non personarum, sed rerum loco, esse videbantur, uti supra monuimus *Tit. III.* §. 2. Conf. Seneca *de Benef. III.* 23. §. 1. *Inst. h. t.* Hinc et Hispo apud M. Senec. *Controv. X.* 4. *in servum* NIHIL NON *domino licere*, ait.

---

a) Gaji *Inst.* I. 49. — Cf. Ulp. Fr. Tit. IX. X. XIX. 18. *Mühl.*

b) Gaji *Inst.* I. §. 108 — 115. — Cfr. A. Gellius N. A. XVIII. 6. in f. — Vid. et infra Tit. X. §. 6. *Mühl.*

c) Gaj. I. §. 116. sqq. *Mühl.*

d) Gaj. I. §. 123. — Plura hac de re infra dabimus in Tit. XII. adp. *Mühl.*

e) De reliquo jure, quod in servorum personas competebat dominis, jam actum est Tit. VI. ibique vel maxime §. 2. 4. 8. Caeterum ei, qui non nisi nudum jus Quiritium in servo habebat, potestas nulla in eo erat, Gaj. I. 54. Vid. tamen de Vangerow *über die Latini Jun.* §. 10. p. 44. et §. 28. 29. *Mühl.*

f) Dummodo non intelligas promiscue in servos saeviendi licentiam, sed tale jus vitae et necis, quali gaudet magistratus: nihil invenies, quod juri natural. repugnet. Vid. Senec. *de Clem. I.* 18. Thomas. *Fund. Jur. Nat. et Gent. III.* 4. *Hein.*

§. 3.

Quo jure demum abusi sunt Romani.

Sed quo magis Romae a virtute descitum, eo durius immaniusque cum servis actum, in quos veluti per ludum et jocum saeviebant domini truculentissimi. Ut enim non dicam de durissimis castigandi modis, ulmis, stimulis, laminis, crucibus, compedibus, nervis, catenis, carceribus, numellis, pedicis, boiis, tortoribus, suspensis e pede centupondiis, etc. de quibus Plaut. *Asin. III.* 2. Jo. Meurs. *Auctar. philol. ad librum de gloria c.* 22. eo prolapsa demum fuit dominorum truculentia, ut exquisitissimis servorum suppliciis oculos pascerent. Exempla exstant apud Senecam *de Ira III.* 40. *de Clement. I.* 18. Plin. *Hist. Nat. IX.* 23. Juvenal. Tertull. *de pallio in fin.* Vulgare supplicium crux erat, in quam ob levissima delicta ibant servi. Nota vox non feminae, sed furiae, apud Juvenal. *Sat. VI. v.* 219. *sqq.*

Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi.
Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? Nil fecerit, esto.
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Nec quidquam miseros eripiebat cruciatibus, nisi se ad aras Deorum, vel Principis reciperent statuam, sibique deprecatorem pararent. De quo ritu videndus Wowerus *ad Petron. p.* 148. Unde reipublicae intererat, dominos in servilia corpora impune saevientes, latis legibus coerceri.

§. 4.

Hinc Augustus saevitiam dominorum compescuit.

Factum id primum sub Augusto, qui Praefecto Urbi id dederat negotii, ut dominorum saevitiam ac libidinem et in praebendo victu sordes atque iniquitatem compesceret: si recte divinavit Lips. *ad Sen. de Benef. III.* 21. De servorum sane querelis Praefectum Urbi cognovisse, satis patet ex Ulpiani *L.* 1. §. 1. 8. *D. de Off. praef. urb.* [Tacit. *Annal. VI.* 11.]

§. 5.

Quod et factum SCto Claudiano et lege Petronia.

Deinde et Claudius Imperator dominorum, servos aegrotos exponentium, vel plane necantium crudelitatem SCto coercuit, illosque servorum amissione, hos ordinaria homicidii poena mulctavit:

Sueton. *Claud.* c. 25. Dio Cass. *Hist.* *LX.* 29. Porro non multo post lata *lex Petronia* anno U. C. DCCCXIV. C. Petronio Sabino Turpiliano et C. Caesonio Paeto Consulibus g), qua vetitum, ut ne liceret dominis servos suo arbitrio ad bestias depugnandas tradere, sed caussa prius a judice cognosceretur: *L.* 11. §. 1. 2. *D. ad L. Corn. de sicar.*

§. 6.

Hadriani severitas in dominos immanes.

Tum postea Hadrianus dominorum crudelitatem rescriptis legibusque quam plurimis inhibuit. Sic Umbriciam matronam, quae levissimis de caussis acerbius tractaverat ancillas, in quinquennium relegavit: *L.* 2. *in fine D. h. t.* Idem et renovavit legem Petroniam, ergastula servorum et libertorum sustulit, et servos, nisi cognita a judicibus caussa, occidi vetuit: Spartian. *Hadr.* 18. *et ibi* Casaub.

§. 7.

Constitutio D. Pii.

Successit porro constitutio D. Pii, quae dominis in servorum suorum vitam non plus potestatis concessit, quam in alienorum, poenam legis Corneliae minata iis, qui servos sine justa caussa occidissent: *L.* 1. §. 2. *L.* 2. *D. h. t.* Idem Imp. venire jussit servos, qui acerbius tractati a dominis ad statuas Principum confugerant: §. 2. *Inst. h. t. Collat. legg. Mos. et Rom. III.* 2. *p.* 742.

---

g) In dubium tamen id vocat Petrus Faber *Semestr. II.* 11. *p.* 134. qui negat, hanc legem vocandam *Petroniam*, sed dici eam mavult *Paetiniam*, latam quippe a Paetinio et Cassio Aproniano Coss. A. U. C. DCCCLXXV. idque primo ideo, quia lex Petronia de longe alia re, puta de peaevaricatione et calumnia egerit: *L.* 16. *C. ad L. Jul. de adult.*, deinde quia de Hadriano referat Spartianus, eum servos a dominis occidi vetuisse, eosque damnari voluisse per judices. Sed ut plures potuerunt esse leges Petroniae, ita in una harum de servis quaedam cauta esse, patet ex *L.* 24. *D. de Manumiss.* et Paul. *Sentent. IV.* 12. 5. Idem deinde Hadrianus confirmare potuit, et severius sancire, quod ab antecessoribus statutum, in desuetudinem venerat, aut obsoleverat penitus. Semper sane haec lex Petronia, numquam Paetinia vocatur. Imo non obscurum est, diversas plane leges confundi a Petro Fabro. Prior enim de praevaricatione dicitur *Junia Petronia;* haec autem dicenda esset *Petronia Caesonia.* De his Coss. vid. Henr. Noris. *Epist. Consul.* *p.* 418. *Hein.* De iis, quae hic quaeruntur, inprimis vid. Herm. Noordkerk *disquis. de Lege Petronia.* Amst. 1731. et C. F. C. Wenck comm. ad Leges Anton. Pii. Lips. 1804. P. I. c. 1. p. 35—81. (in opusc. ed. Stieber p. 26. sqq.) *Mühl.*

§. 8.

Ut et Constantini M.

Postremo Constantinus M. sanxit, ut, si quis servum suum occidisset castigando, is quidem poenam legis Corneliae de sicariis non subiret. Sin tormentis aut destinato consilio id fuisset factum, dominus ordinaria homicidii poena plecteretur: *L. un. C. de Emend. serv.* Jac. Gothofr. ad *L.* 1. et 2. *C. Theod. de Emend. serv. Lib. IX. tit.* 12.

LIB. I. TIT. IX.

DE

PATRIA POTESTATE.

Potestati quoque subjecti sunt filii filiaeque familias, et hinc jam de PATRIA POTESTATE ex antiquitatibus agendum. [a])

§. 1.

Patria potestas Romanorum aliis gentibus incognita.

Recte Imperator §. 2. *Inst. h. t. Jus*, inquit, *potestatis*, *quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Quamvis enim apud Persas [b]) etiam parentes in liberos imperium satis durum et fere tyrannicum exercuerint, filiis suis tamquam servis usi, teste Aristotele: *Eth. VIII.* 12., Romani tamen adeo gentes

a) Gebaueri *diss. I. II. de patria potestate.* Gott. 1750; et in Exercitt. acadd. T. I. Nr. VI. VII. G. W. ab Oosten de Bruyn disc. ad Tit. Inst. de patria potestate, quo jus patrum in personas ac bona liberorum, ejusq. variae mutationes ac diminutiones sec. temporum seriem narrantur. 1751. *Haub.*

b) Etiam Atheniensibus jus vitae et necis in liberos fuisse concessum, ex Sext. Empir. *Pyrrhon. Hypotypos. III. c.* 24. probari posse existimat Oiselius *ad Gaji Inst. L.* 2. 2. *p. m.* 31. qui ideo Romanam illam legem Athenis arcessit. Sed nihil fuisse in Solonis legibus juri isti Romano simile, luculenter ostendit Dionys. Halic. *II.* 26. ubi ex instituto utriusque gentis leges inter se contendit. Conf. Jo. Meurs. *in Solon. c.* 22. *p.* 79. et *in Themid. Att. I.* 2. et 3. Huber. *Digress. II.* 6. Thomas. *de Usu pract. doctr. de patria pot. I.* 13. 14. *Hein.* Caeterum modestius loquitur Gajus Justiniano (cujus tamen tempore mitior etiam fuit patria potestas), ita verba faciens: „*fere* — nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem, qualem nos habemus; — — *nec me praeterit, Galatarum gentem credere, in potestate parentum liberos esse.*" Cf. Schrader ad §. 2. *I. h. t. Mühl.*

omnes reliquas hac in re superarunt, ut patria eorum potestas melioribus auctoribus non immerito vocetur *patria majestas:* Val. Max. *VII.* 7. 5. Quinctil. *Declam. CCCLXXV.* [Conf. Theod. Marcil. in *Interpretam. XII Tabul. c.* 24.] Erant enim liberi in DOMINO juris Quiritium, et hinc poterant vindicari: *L.* 1. §. 2. *D. de Rei vind.* c). Iis surreptis locum habebat actio furti: *L.* 14. §. 13. et *L.* 38. *D. de Furt.* Mancipabantur etiam, tamquam res mancipi: Gaj. *Inst. I.* 6.3. (I. 117.) Bynkersh. *de jure occidendi liberos I. p.* 145. Imo durior quodammodo apud Romanos erat liberorum, quam ipsorum servorum, conditio: certe non multo tolerabilior, ut fatentur Liban. *Declam. XXXVII.* Seneca *Contr. III.* 9. et 18. Lactant. *Divin. Inst. IV.* 3. Servius *ad Virgil. Aeneid. XI. v.* 143. unde et *servire patri* dicuntur liberi: Lactant. *Div. Inst. IV.* 3. Ger. Noodt *Probab. II.* 9. *p.* 64. Quae omnia satis evincunt, liberos ratione aliorum hominum fuisse *personas,* ratione civitatis *cives:* at ratione patris *res,* aeque ac servos d).

§. 2.

Ejus auctor Romulus.

Auctorem hujus juris esse Romulum, testis locupletissimus est Dionys. Halic. *II.* 26. 27. et hinc ipse Papinianus apud auctorem *Collat. leg. Mos. et Rom. Tit. IV.* 8. ejus potestatis originem refert ad legem regiam. Nec obstat, quod Ulpianus patriam potestatem MORIBUS receptam dicit: *L.* 8. *D. de His, qui sunt sui vel alieni jur.* Respicit enim eo ipso ad XII tabulas, in quas illud jus receptum, non tamquam lex regia, sed tamquam mos vetus. Non ferebat scilicet insigne illud odium, quo Romani regium nomen prosequebantur, ut quidquam regibus acceptum ferre vellent: Schulting. *ad Collat. legg. Mos. et Rom. IV.* 8. *p.* 749. *sq.*

§. 3.

Eam patres perpetuo retinebant.

Primo ergo patria potestas non secus, ac dominorum, e Romuli instituto erat perpetua, durabatque per omnem patris vitam, nec quisquam liberorum, vivo et invito parente, sui juris fiebat,

---

c) Cf. Zimmern R. G. §. 179. not. 28. et Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VIII. p. 19. sq. *Mühl.*

d) At non tamquam res filiifamilias possidebantur, quemadmodum servi; vid. Gaji *Inst.* II. 90. et L. 50. pr. D. de *adq. vel amitt. poss.* — Cf. de Savigny Recht des Besitzes §. 26. p. 358. ed. VI. *Mühl.*

etiamsi tractaret rempublicam, magistratus gereret, summamque studii erga patriam laudem esset commeritus: Dionys. Hal. *II.* 26. Attamen hoc jus patriae potestatis cedebat dignitati, imo interquiescebat tantisper, et connivebat, uti docet Gell. *Noctt. Att. II.* 2. Quo etiam referendae *L.* 13. §. 5. et *L.* 14. *pr. D. ad SCtum Trebell.* quas egregie illustrat V. A. Corn. van Bynkersh. *Obss. I.* 18.

§. 4.

Etiam in nepotes.

Deinde huic patris imperio non solum filii et filiae, sed et illorum liberi et nepotes suberant, quamvis filii essent milites: *L.* 7. *C. h. t.* Eam vero potestatem non uterque parens habebat, sed solus pater, ideo *familiae princeps* vocatus ab Ulpiano *Fragm. IV.* 1. quo defuncto demum liberi sui juris esse coeperunt.

§. 5.

Complectebatur jus vitae et necis.

Denique jura ipsa, quae illa patria majestas complectebatur, plane erant singularia. Et I. quidem huc pertinet JUS VITAE ET NECIS. Licebat enim patri filium, tamquam rem suam, non solum exponere [e]), in carcerem detrudere, flagris caedere, vinctum ablegare ad operas rusticas, sed et quovis supplicio, si meruisset, necare: Dion. Hal. *II.* 26. 27. Simplic. *Comment. ad Epictet. Enchir.* 37. *L.* 11. *D. de Liberis et postum. hered.* Unde mirum est, Libanium, *Decl. XXI.*

---

e) *De partus expositione et nece apud veteres* eruditissimus exstat commentarius Gerardi Noodtii, quem *Julium Paulum* ipse inscripsit (opp. T. I. p. 491. sqq.) Nos inde hujus immanis consuetudinis historiam quasi per indicem dabimus. Ex Romuli lege non licebat exponere masculos, nec ex sequiore sexu filias primigenitas, nisi ex quinque vicinorum sententia monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem essent judicati: Dionys. Halic. *Ant. Rom. II.* 15. Quae Romuli lex etiam in XII tabulas cum aliis migravit: Cic. *de Legg. III.* 8. At utraque lex adeo sensim exolevit, ut etiam sub Imperatoribus nihil esset ea expositione frequentius: Suet. *Octav.* c. 65. *Calig.* c. 5. Tacit. *Histor. V.* 5. Tertull. *ad Nation. I.* 15. Idque nec SCto Planciano, nec altero, quod sub Hadriano prodiit, mutatum fuisse, docet Ger. Noodt *Jul. Paul.* c. 3. qui etiam c. 4. 5. 6. observat, sub Diocletiano adhuc et Maximiano, imo et sub Constantino licuisse infantes exponere: primosque eam truculentiam inhibuisse Valentinum, Valentem et Gratianum: *L.* 2. *C. de Infant. exposit.* Sed huic sententiae intercessit amplissimus Bynkersh. in libello *de jur. occid. liberos* (opp. P. I. p. 317. sqq.), ubi citius hoc κακόηθες legibus vetitum statuit; quumque multo post sententiam suam tueretur laudatus Noodtius singulari Epist. ea de re nuper edita (*amica responsio* opp.

hunc veteris juris rigorem benigniore interpretatione emollire, patribusque tantum concedere τὴν ἀπειλὴν τεθνηκέναι, *cominationem mortis*. Aliud enim docent tot exempla, ex quibus patet, patres domi, adhibitis in consilium necessariis, virisque principibus, liberorum caussas cognovisse [f]), iisque pro rei gravitate poenas et supplicia inflixisse: Val. Max. *V.* 2. Sen. *de Clem. I.* 15. Hunc in modum a patribus necati dicuntur Cassius: Val. Max. *l. c.* (quamvis id argumentis solidis in dubium vocet Dionys. Halic: *Ant. Rom. Lib. VIII.* 79.), Fabii Eburni filius, apud Quinctil. *Declamat. III.*, Scaurus, apud Val. Max. *ibid.*, Fulvius, apud Sallust. *de bello Catil.* 39., Titus vero Arrius eodem jure filium exsilio damnavit, apud Sen. *l. c.*

§. 6.

Jus ter venumdandi liberos.

Eadem patria potestas complectebatur II. JUS *ter* VENUMDANDI FILIOS. Si enim prima vice venditus in servitutem filius, manumissione libertatem recuperasset; iterum vendi poterat a patre. Iterum manumissus, denuo in potestatem patris recidebat, vendique adeo poterat tertium. Sed impetrata tertium libertate, e patria demum potestate exibat: Dionys. Halic. *II.* 27. Simplic. *Comment. ad Epictet. Enchirid.* 37. Et quamvis Jac. Raevard. *ad XII Tab. III.* Aleander ad Gaji *Inst. I.* 6. 3. *p. m.* 56. et Jac. Gothofr. *ad LL. XII Tab. IV. p.* 202. erroris arguant Dionysium, eamque Romuli legem de imaginaria illa trina venditione, quae in manumissione observabatur, intelligendam arbitrentur: hos ipsos tamen in eo fugit ratio. Ritus enim ille imaginariae venditionis fuit legis actio. Legis vero actiones demum e XII tabulis natae sunt. Ipsis quoque Aleandri et Gothofredi argumentis abunde satisfactum a Theod. Marcil. *Interp. XII Tab. XXV.* Ant. Schulting. *ad Ulp. Frag. X.* 1. *p.* 592.

P. I. p. 513. sqq.), sequutae sunt Viri Amplissimi, Bynkershoekii, *Curae secundae*, id est, notae et stricturae ad illam amicam Noodtii Responsionem (opp. P. I. p. 389. sqq.). Rem conficere videtur locus Tertull. *ad Nation. I.* 15. *Hein.* De patria potestate apud Romanos in alia omnia iuit Amplissimus Perrenottius, cujus elegantissima disquisitio, eruditionis plena, haud ita pridem luci est exposita (Groning. 1775). De Bynkershoekii et Noodtii conjecturis quoque consulendus cl. G. W. ab Oosten de Bruyn in *Discursu ad h. t. instit. Cann.* Vid. supra not. a, et Gebauer Diss. II. *Mühl.*

f) Hinc pater adpellatur *judex domesticus* apud Senec. *Controv. II.* 3. *domesticus magistratus* apud Senec. *de Benef. III.* 11. *censor filii* apud Suet. *Claud.* c. 16. *Hein.*

Bynkersh. *de Jure occ. Lib. VI. p.* 177. et Cel. Thomasio Diss. *de usu pract. tit. Inst. de patr. pot. I.* Ceterum ea lex Romuli primum a Numa paullulum restricta est, negatumque patribus jus vendendi filios illos, quibus uxores ducere permisissent: Dionys. Halic. *II.* 27. Postea ea in ipsas XII tabulas migravit, ubi his fere verbis legebatur: ENDO LIBERIS JUSTIS JUS VITAE NECIS VENUMDANDIQUE POTESTAS EI ESTO. SI PATER FILIUM TER VENUM DUIT, FILIUS A PATRE LIBER EST: Ulp. *Fragm. X.* 1. [*Codex horum Fragmentorum, ubi hic locus XII tabb. ex parte adlatus est, pro VENUM DUIT distincte exhibet: *venundavit.*] Jac. Gothofr. in *Quat. font. jur. civ. Tab. IV. XII Tabb.* (Dirksen Zwölftafelges. p. 278—283.)

§. 7.

Jus adquirendi per liberos.

Denique et III. JUS ADQUIRENDI per liberos patria potestate continebatur: Sext. Empir. *Pyrrhon. Hypotypos. III. c.* 24. Οἱ Ῥωμαίων νομοθέται τοὺς παῖδας ὑποχειρίους καὶ δούλους τῶν πατέρων κελεύουσιν εἶναι· καὶ τῆς οὐσίας τῶν παίδων μὴ κυριεύειν τοὺς παῖδας, ἀλλὰ τοὺς πατέρας, ἕως ἂν ἐλευθερίας οἱ παῖδες τύχωσι, κατὰ τοὺς ἀργυρωνήτους. *Romanorum legislatores liberos sub patrum potestate, et eorum servos esse jubent, et liberos suorum bonorum non esse dominos, sed patres, donec in libertatem adserti fuerint liberi, eodem modo, quo ii, qui aere comparantur, servi.* Sed de hoc jure infra ad *Lib. II. Tit. IX.* dicemus.

§. 8.

Jus vitae et necis quibus gradibus absoleverit?

In his omnibus vero sensim nonulla mutata sunt cultioribus reipublicae temporibus, maxime quum ista domestica majestas statui monarchico sub Imperatoribus parum consentanea videretur. Et primo quidem quod ad jus vitae et necis attinet, ea mutatio non facta jam ante exactos reges, ut visum Raevardo *ad XII Tabb. c.* 3. nec tempore Augusti, prout creditum Franc. Balduino *ad legg. Rom. XVII. p.* 24. nec denique sub Diocletiani tempora, uti existimarunt Theod. Marcil. *Interpretam. leg. XII. Tabb.* 24. vel sub Constantini, uti credidit Giphan. *ad L. ult. C. de Patr. potest.* multo minus sub Valentiniani, Valentis et Gratiani imperio, quae Lipsii *Epist. ad Belg. I.* 85. sententia est: sed a temporibus Trajani, qui filium male contra pietatem a parente adfectum emancipavit, nec eo defuncto patri bonorum possessionem concessit: *L. ult. D. Si a parente quis*

manum. sit. Ejus exemplum deinde sequutus Hadrianus patrem, qui filium ob adulterii suspicionem in venatione occiderat, in insulam deportari jussit, quod latronis magis, quam patris jure eum interfecerit, parum memor, patriam potestatem in pietate, non in atrocitate consistere debere: *L. 5. ad L. Pompej. de parricid.* Hinc ab Alexandri Severi temporibus invaluit sensim mos, filios gravius delinquentes offerendi magistratibus, quibus tamen ipsi parentes praescribebant g) sententiam, in filiis exsequendam: *L. 13. §. ult. D. de Re milit. L. 3. C. de Patria pot. L. 2. D. ad Leg. Corn. de sicar.* et *L. 11. in fine D. de Lib. et post. hered. inst.* ubi Paullus, eorum temporum Jurisconsultus, non *licet*, inquit, occidere liberos, sed *licebat.* Denique ne id quidem relictum parentibus, ut filios immorigeros abdicarent: *L. 6. C. de Patr. pot.* h). Ergo totum illud jus vitae et necis, quod patribus olim competierat, paullatim restrictum, demum a Constantino M. sanctione poenali sublatum: *L. un. C. de His, qui par. vel. lib.* totumque in magistratus translatum est per constitutionem Valentiniani: *L. un. C. de Emend. propinqu.* Thomasii *Diss. de usu pract. tit. Inst. de Patr. pot. I. 22. sq. p. 9. sq.*

§. 9.

Ut et trina liberorum venditio.

Multo minus trinam liberorum venditionem salvam esse passi sunt Imperatores. Hi enim, (nón ut Balduinus putat, libera resp.) id jus parentibus ademerunt. Primus, non Hadrianus, sed, ut videtur, Diocletianus liberos ullo titulo alienari vetuit: *L. 1. C. de Patrib. qui fil. suos distrax.* Deinde Constantinus parentibus, cum extrema inopia conflictantibus, liberos sanguinolentos i) tantum vendere permisit, ea tamen lege, ut liceret et patri vendenti, et

g) Caeterum non ex patris praescripto, verum ex utriusque, et patris et ipsius magistratus, consilii sententia, poena pronuntiabatur; Gebauer diss. II. c. 2. §. 3. *Mühl.*

h) Vid. inprimis Dirksen *Versuche* Nr. II. 2. p. 62 — 73. *Mühl.*

i) Filii sanguinolenti sunt recens nati, et adhuc ab utero rubentes. Eos enim vendi permiserat Constantinus ob periculum expositionis. Fusius hoc demonstrat Huber *Digress. II.* 5. Solebant enim partus sanguinolenti vel ad necem in solitarium locum abjici, vel ad loca quaedam populi Romani publica deferri, et talis fuit lactaria columna, de qua Festus *p.* 303. *Lactaria columna in foro olitoris dicta, quod ibi infantes lacte alendos deferebant. Hein.* Non liquet ex loco Festi, infantes ad lactariam columnam expositos fuisse, licet omnes eruditi id sentiant. *Cann.* Cf. Raevard. *Conject. I.* 17. *p.* 33. *Hein.*

filio vendito aut cuicumque alii, pretio aut mancipio reddito, ad ingenuitatem provocare: *L.* 2. *C. de Patr. qui fil. distrax.* Imo, ne et hac venditione sanguinolentorum esset opus, paullo post idem Imperator sanxit, ut inopes parentes alimenta e publico acciperent: *L.* 1. *et L.* 2. *C. Theod. de Aliment. quae inop. parent. e publico petere debent. Lib. XI. tit.* 27.

§. 10.

Quid circa adquisitionem per liberos aliaque jura mutatum?

In tertio jure adquirendi per liberos quid mutatum sit paullatim, infra suo loco, id est, *Lib. II. tit.* 9. *n.* 2. dicemus. Jam addimus, et alia parentum jura sublata, vel imminuta saltem fuisse. Sic sane, quum olim et filii filiaeque familias noxae dari possent a patre, id jus iis ademtum esse, docet Justinianus §. *ult. Inst. de Nox. act.* Quam parum patris arbitrio relictum fuerit in exheredandis liberis, infra ad eum titulum explicabimus. Nec in eo quidem perseveratum, ut patri filius esset heres necessarius. Quae omnia olim aliter se habuisse, suis locis patebit.

LIB. I. TIT. X.

DE

NUPTIIS.

Patria potestas adquiritur potissimum vel per justas NUPTIAS, vel per LEGITIMATIONEM, vel per ADOPTIONEM. De nuptiis et legitimatione titulo hoc X., de adoptione sequente agitur. Non abs re vero hic titulus in Pandectis inscribitur *de Ritu nuptiarum*, videnturque veteres JCti probe intellexisse, quantum intersit studiosi juris, ritus illos nuptiarum, qui jura diversissima producebant, perspectos habere. Hinc procul dubio illo titulo de ritibus nuptiarum adcurate egerunt. Sed Tribonianus, retenta in Pandectis veteri rubrica, rem ipsam omisit, neque ullum titulo isti inseruit fragmentum, quod ad illustrandos illos veteres ritus faceret: Thomas. *de usu pract. doctr. Inst. de nuptiis I.* 1. *p.* 1. [a]). Ergo ex antiquitatibus supplendus hiatus; quod jam ante nos fecerunt Barn. Bris-

---

a) At aliis in titulis ejusmodi fragmenta obvia sunt, velut in Tit. *de donat. int. vir. et uxor.* ubi vid. L. 66. *Mühl.*

sonius libris *de Ritu nuptiarum et jure connubiorum.* Ant. Hotomanus *de vetere ritu nuptiarum*, et, qui fere omnium industriam superavit, Thomasius, laudata *dissertatione.* *)

§. 1.

Diversi nuptiarum ritus.

Fiebant nuptiae apud Romanos vel ita, ut UXOR CONVENIRET IN MANUM, et fieret MATERFAMILIAS, vel ut SINE IN MANUM CONVENTIONE dotalia conficeret instrumenta, et non materfamilias, sed MATRONA diceretur proprie: Gell. *Noctt. Att. XVIII.* 6. Prius non sola fiebat CONFARREATIONE et COEMTIONE, sed et USU, ut diserte tradit Cicero *pro Flacco c.* 34. [b]). Itaque tres istos modos distincte recensent Arnob. *adv. gent. IV. p.* 83. Serv. *ad Virg. Georg. I. v.* 31. Boeth. *ad Cicer. Topic.* 3. et e recentioribus Brissonius et Hotomanus *libris laudatis.* At non desunt, qui confarreationem et coëmtionem pro uno eodemque ritu habent; (de quo plura videbimus infra in not. ad §. 10).

§. 2.

Confarreatio quid?

CONFARREATIO, a Romulo inventa [c]), fuit ritus nuptiarum antiquissimus, quo certis verbis, et testibus decem praesentibus, et sollemni facto sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, uxor conveniebat in manum mariti: Dionys. Halic. *II.* 25. Ulp. *Fragm. IX.* 1. *XI.* 13. *XXII.* 14. (Gaj. *Inst.* I. 112.).

§. 3.

An ea solis Pontificibus et Flaminibus propria.

Erat vero hoc ritus non Pontificibus Flaminibusque proprius,

---

*) Superavit omnium industriam Grupenius in libro *de uxore Romana. Cann.* Hannov. 1727. 8. et inprimis, quae Alb. Dict. Trekell ad *Barn. Brisson. lib. singular. de ritu nuptiar. et de jure connubior.* doctissime adnotavit, in Brisson. opp. min. p. 285 — 338. *Haub.*

b) Inprimis vid. Gaj. Inst. I. §. 110 — 113. — Singularum causarum, quibus justae nuptiae contraherentur, quaenam fuerit origo atque inter ipsas ratio? diligenter inquisivere: K. Wächter *über Ehescheidungen bei den Römern.* Stuttg. 1822. p. 32. sqq. Bethmann-Hollweg diss. *de causae prob.* p. 2. sqq. J. C. Hasse *das Güterrecht der Ehegatten.* Berl. 1824. §. 13 — 24. — Cf. et Schrader in Hugonis civ. Mag. T. V. Nr. VII. 1. *Mühl.*

c) In dubium id vocat Jac. Raevard. *ad XII Tabb. XXI. p.* 95. ob locum Plinii *Hist. Nat. XVIII.* 2. in quo usus farris in sacrificiis a Numa demum

ut nonnulli recentiorum existimant: Boeth. *ad Cic. Topic.* 3. Alex. ab Alex. *Genial. dier. II.* 5. Dalechamp. *ad Plin. Hist. Nat. XVIII.* 3. sed civibus Romanis omnibus communis, quamvis in Pontificum et Flaminum matrimoniis necessarius videretur, ac proinde inter illos diutissime servaretur. Praeterquam enim, quod id disertis verbis testatur Dionys. Halic. *l. c.* ipso sane loco Taciti *Ann. IV.* 16. quo tamen in primis nituntur dissentientes, id non obscure firmatur. Nihil enim rari aut inusitati habuisset illa patrimorum et matrimorum inopia, de qua conqueritur Tacitus, si soli Flamines ac Pontifices hoc ritu iniissent matrimonium d).

§. 4.

Ejus effecta: I. sacrorum communio.

Effecta confarreationis erant I. sacrorum communio: Dionys. Hal. *II.* 25. *γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς, συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Mulierem nuptam, quae justa leges sacras convenerat cum viro, Romulus participem esse voluit omnium bonorum et sacrorum.* Unde Modestinus *L.* 1. *D. de Ritu nupt. Nuptiae sunt conjunctio maris ac feminae, consortium omnis vitae,* DIVINI *et humani juris communicatio* *). Scilicet in ipsis veterum aedibus erant Dii Penates civis familiae proprii, quo ipso differebant a Laribus, quippe qui erant communes omnibus. Illi in cubiculo, porticu, atque atrio; hi etiam in compitis, viis, imo et in castris, et navibus colebantur: unde Lares *domestici*, *compitales*, *militares* et *marini* **); Lares item *comitio potentes*, *publici*, *viales*, *civi-*

---

inventus dicitur. Sed falsum id esse, ex Catonis fragmento patet apud Serv. *ad Virg. Aeneid. X. v.* 541., qui refert, *Latini boves* IMMOLATOS, *priusquam caederentur, profugisse in silvam.* Quum vero *immolare* idem sit ac mola salsa e farre confecta inspergere: Serv. *ad Aeneid. X. v.* 541. Heins. *epist. ad Balzac. p.* 185. facile patet, jam ante Romuli tempora farris usum in Latio fuisse receptissimum. *Hein.* Cf. Dirksen *Vers.* p. 293 — 295. *Mühl.*

d) Diversa est quaestio: utrumne propria fuerint Patriciorum confarreata matrimonia, an etiam cum Plebejis communicata? De qua quaestione vid. scriptores supra (§. 1. not. b) alleg., qui quidem propria haec fuisse Patriciorum probabiliter defendunt. Vid. tamen et Hasse l. l. p. 75. not. 109. b. *Mühl.*

*) Dubitari posset, anne ea in L. de confarreatione agat JCtus, quae illo tempore non amplius usitata: neque et eo respiciunt verba Gordiani in *L.* 4. *C. de Crim. expil. hered.* ubi uxor *socia rei divinae et humanae domus* suscipi dicitur. Legendum ibi arbitror: *et humanae et domus. Cann.*

**) Respicit, credo, Heineccius locum Servii *ad Virgil. Aen. L. III.* §. 134. *medioximorum, id est, marinorum:* sed recte vidit d'Arnaud in *Var. Conj. L. I.*

tatum, *rurales*, in marmoribus et apud veteres auctores passim occurrunt: Grut. *Inscriptt. p. LXXVIII.* 1. *p. CVI.* 12. et 4. *p. X.* 2. Reines. *Inscr. Class. I.* 240. 153. et 159. Desid. Herald. *ad Tertull. Apol. I.* 25. Idem in *Advers. I.* 7. Jo. Meurs. *Auctar. philol. ad libr. de Gloria II.* Utrisque simulacra dedicata erant, caninis induta pellibus, Plutarch. *Quaestt. Roman. c.* 51. *p.* 276. [* *Vol. VII. p.* 119. *sq. Opp. Plutarchi ex edit.* Jo. Jac. Reiskii,] et arae positae ac foci, res in domo sanctissimae, a quibus adeo nemo poterat sine ingenti scelere abstrahi: Cic. *pro Domo* 1. et *pro Rege Dejot.* 15 [e]). Quemadmodum vero ad haec sacra nonnisi illi admittebantur, ad quos aliquando transitura esset sacrorum hereditas: ita non arctior poterat esse conjunctio, quam qua quis in alterius gentem et sacra transiret. Praeterea ejusmodi sacrorum communio rescindi non poterat, nisi auctores fierent Pontifices, nec certior erat spes successionis, quam quae ex illa sacrorum μεθέξει nascebatur. Et hinc patet ratio, cur in his nuptiis tam necessaria fuerit domum deductio, multis facta sollemnitatibus, quas describit Barn. Brisson. *Antiq. I.* 18. *p.* 20. et *de ritu nupt. p. m.* 223. Fixa enim erant Penatium sacra, ac hereditaria; hinc nemo per confarreationem uxorem accipere poterat, nisi cui esset domus ac lararium, in quo uxor cum eo communibus sacris frueretur [f]).

§. 5.

II. Liberi patrimi et matrimi.

Deinde et id singulare erat confarreationis effectum, II. quod ex confarreatis parentibus nascerentur *patrimi* et *matrimi*, quorum magna erat in sacris praerogativa: Tacit. *Hist. IV.* 53. Fest. sub *Flamin. p.* 289. et *patrimus p.* 358. Sunt, qui patrimos et matrimos eos vocant pueros, quorum parentes essent superstites. Vid. Pith. *ad Collatt. Legg. Mos. et Rom. XVI.* 2. *p.* 790. *edit.* Schulting. Sed hi omnino opinione sua falluntur. Quamvis enim et id requireretur in sacris boni ominis caussa, et recte a Pithoeo observatum est:

---

c. 14. pro *marinorum* reponendum *aëriorum;* ita et ante emendarat Barthius *ad Stat.* IV. *Theb.* §. 475. *p.* 1093. *Cann.*

e) Et hinc etiam lucem accipit *L.* 18. *D. de In jus vocando*, de qua infra erit dicendi locus. *Hein.*

f) De sacrorum in nuptiis confarreatis communione: de Savigny in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. II. Nr. XV. p. 403. sq. *Haub.*

patrimi tamen et *matrimi* proprie erant confarreatis parentibus nati. Nec aliter Festus, qui falso plerumque a dissentientibus laudatur g).

§. 6.

III. Uxor in manum conveniens, materfamilias in potestate mariti.

Ad haec id sequebatur effectum III. ut uxor, quae confarreatione in manum convenerat, fieret MATERFAMILIAS, et filiae loco haberetur, adeoque esset heres sua: Dionys. *l. c.* (Gaj. I. §. 3. III. 14.) Ulp. *l. c.* Gell. *Noctt. Att. XVIII.* 6. Quaeri hic solet, an uxor, per confarreationem liberata patria potestate, in viri potestatem transierit? Adfirmat Ant. Hotom. *de Rit. nupt. c.* 20. *p.* 298. Sed negant alii: Thomasius *Diss. adleg. I. p.* 22. Verum licebit hic cum Hotomano facere. Auctores sane omnes fatentur, I. uxorem convenisse *in manum. Manum* vero in jure significare potestatem, tralatitium est. Imo II. Gellius *Noctt. Attic. XVIII.* 6. multo disertius uxorem ejusmodi *in mancipio* fuisse statuit. In mancipio vero esse procul dubio includit potestatem, (Ulp. *Frag. X. rubr.* et ibi Schulting. et *Tit. XX.* 18. *XXIV.* 23.) imo et ipsum dominium juris Quiritium: Bynkersh. *de Jure occid. lib. I.* Idemque sibi volunt auctores, quando uxorem marito SERVIRE dicunt: Virg. *Aen. IV. v.* 103.

— —; *liceat Phrygio servire marito.*

ad quae verba videndus Servius: nec non quando mariti ab uxoribus vocantur DOMINI: Serv. *ad Virg. Aen. IV. v.* 213. 214.

— — — — *connubia nostra*
Reppulit, ac DOMINUM *Aenean in regna recepit.*

Add. Non. Marcell. *c.* 4. *n.* 121. III. Observavimus, confarreatas uxores in sacris mariti fuisse. Sacrorum vero communio conjuncta erat cum potestate. Unde formulae: *in parentum sacris esse constitutum*, *in gentem et sacra alicujus transire*, *sacris paternis absolvi* etc. Vid. Barn. Brisson. *de Verb. sign. p.* 1814. *ed. nov.* Adcedit IV. quod Ulpianus *in manum conventionem* inter genera capitis deminutionis refert *Tit. XI.* 13. (Vid. et Gaj. III. 83. 84.). Quomodo vero capite deminuta dici potuisset uxor, si vel sui juris, vel in patria potestate mansisset? Nec V. id omittendum, uxores antiquissimis temporibus adsumsisse nomina maritorum, tamquam filias. Qui mos etiam sub Imperatoribus, quum jam obsolevisset confarreationis ritus, mansit. Hinc in lapidibus occurrunt ANTONIA DRUSI, DOMITIA BIBULI, MES-

g) Cf. Hasse *l. l.* §. 13. sqq. not. 109. *Mühl.*

SALINA NERONIS, DOMITIA DOMITIANI: Rupert. *Epist.* 41. *ad Reines. Lap.* 156. 235. 237. Gruter. *Inscr. p. DXXCIV.* 11. *p. DCXVIII.* 9. *p. DCCCLXXIX.* 7. [h]). Plura exempla dabit V. C. Jac. Perizon. *Dissert. de divina constit. Deut. c.* 25. *v.* 5. 6. Praeterea VI. re ipsa potestatem summam in uxores, non secus ac in filias, exercebant mariti. Quidquid adquirebat uxor, marito adquirebat. *Omnia enim, quae ejus erant, viri fiebant dotis nomine:* Cic. *Topic.* 4. Jus quoque vitae et necis competiisse maritis in uxores adulteras, vinosas, aliisque se sceleribus polluentes, notum est ex Dionys. Halic. *II.* 25. Gell. *II.* 23. ex quibus patet, maritos domi suae tamquam judices de uxorum criminibus cognovisse. Exempla vide apud Plin. *Hist. Nat. XIV.* 13. Mansit etiam sub Imperatoribus pristini moris vestigium, teste Suetonio *Tib. c.* 35. Tacit. *Ann. II.* 1. *XIII.* 32. Denique VII. ex insigni loco Gaji apud *Pariatorem LL. Mos. et Rom. Tit. XVI.* (*C.* 2. §. 3. ex edit. Blumii, et inst. comment. III. 14.) patet, *sororis loco liberis fuisse matrem aut novercam, quae per in manum conventionem apud patrem eorum* JUS FILIAE *consequuta sit.* Quare negandum haud videtur, uxores, quae confarreatione in manum venerant, in potestate maritorum fuisse: Ger. Noodt. *Probab. II.* 9. *p.* 64 [i]).

---

h) Quin Reines. *Inscr. Cl. I. Inscr. XVIII. et Cl. VI. Inscr. II.* collegit exempla uxorum, tum quae maritorum nomina adsumserunt, tum quae paterna retinuerunt, quarum illae in manum convenerant, hae non convenerant. *Hein.*

i) Frustra quis quaerat: fueritne in potestate mancipiove viri materfamilias? nisi eam, quae proprie hisce inest vocabulis, vim, a generaliore illa probe distinguat significatione, quae promiscue ac communiter iisdem tribui solet. (Vid. Taciti *Annal.* IV. 16. Gaji *Inst.* I. 117. Dirksen *manuale latinit. font. jur. civ. Rom.* v. *manus* §. 3. A. B.) *Proprie* igitur in manu, non in potestate erat mariti mulier, neque in ipso tantum vocabulo minus inerat asperitatis, verum etiam nullo umquam tempore fieri potuisse, ut tali severitate mariti uterentur in mulieres, qualem patres filiis filiabusve familias quondam adhibere consuerint, vix est, quod dubitemus. (V. Gaj. Inst. IV. 80. Hasse Güterr. der Ehegatten I. §. 26. Zimmern R. G. p. 830.). Et quantopere manus differat a potestate, ex eo quoque intelligi potest, quod *manus* semper tribuatur marito, non ei, cujus in potestate ille est (Gaj. III. 3), quum patri, qui ipse subjiciatur potestati, non competere in liberos potestatem, in vulgus notum sit. Caeteroquin mulier in manum conveniendo capitis deminutionem patiebatur (Gaj. I. 162) atque in familiam transibat viri, cui filiae erat loco, socero autem, cujus in potestate maritus esset, neptis loco (Gaj. I. 111. II. 159. III. 3. Coll. Legg. Mos. et Rom. XVI. 2.). At mutatio vel maxime insignis Tiberio regnante accidit. Nam quum in desuetudinem fere abiisset confarreandi mos, neque copia adesset patrimorum et matrimorum (v. §. 5.),

§. 7.

IV. Bona uxoris ad maritum delata.

Quartum effectum erat, IV. quod maritus bona omnia uxoris nomine dotis acciperet: Cic. *Topic.* 4. et id quidem procul dubio, quia illa erat in mariti potestate, sicut paullo ante diximus. Unde Terent. *Andr. Act. I. scen.* 5. *v.* 60. *sqq.*

> *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.*
> BONA *nostra haec tibi* COMMITTO, *et tuae mando fidei.*
> *Hanc mihi in manum dat:* — — —

Ex quo facile patet, quaenam sit dotis dominii origo, de qua infra *Lib. II. Tit. VIII.* dicendum erit pluribus. (Vid. et Lib. II. Tit. IX. §. 4.).

§. 8.

V. Conjugium ejusmodi sola diffareatione solubile.

Quintum effectum erat V. quod connubium ejusmodi dissolvi non posset, nisi DIFFARREATIONE, quae, quum teste Festo, sub v. *diffarreatio*, esset genus sacrificii, procul dubio nonnisi auctoritate Pontificum fiebat, et hinc erat rarissima et difficillima, in qua, Plutarcho teste, [* *Quaestt. Roman. Opp. Plutarchi Vol. VII. Opp. morall. et philosophicor. P. II. p.* 118. *sq. ex edit.* Jo. Jac. Reiskii.] multa tristia ac abominanda fieri solebant. Quare primis reipublicae temporibus exstitisse negant divortii exemplum usque ad annum U. C. DXX. Dionys. II. 25. Plut. in *Romulo* 22. et in *Numa* 17. Va-

---

unde eligerentur flamines majores, lege quadam cautum effectumque, ut mulier confarreata „sacrorum causa in potestate viri, caetera promiscuo feminarum jure ageret" (Tac. *annal.* IV. 16.), i. e. ut per confarreationem sacrorum quidem communio efficeretur inter virum et uxorem, caeteroquin e patris jure familiaque haud exiret mulier (cf. Gaji Inst. I. §. 136). Nec igitur est quod miremur, qua ratione juris nostri auctores, de causis in manum conventionis disserentes, non fere nisi *coëmptionis* mentionem facere soliti sint, (Hasse l. l. §. 23. et Zimmern R. G. §. 227. p. 836. sq.) Jam vero facile erit judicare, propius quidem abesse a veritate, quae hoc in loco protulit Auctor, neque tamen omnibus in partibus eidem esse assentiendum. Nam nec satis accurate vocabulorum *potestatis* et *mancipii* distinxit usum vulgarem et proprium, nec solidis suam confirmavit sententiam rationibus: *potestatem summam* in uxores, non secus ac in filias, exercuisse olim maritos. Praeterea ex his, quae modo a nobis dicta sunt, apparet, sacrorum communionem non semper fuisse cum potestate conjunctam. Quod autem legimus apud Gellium (N. A. IV. 3. et XVIII. 6.): in manu *mancipioque* mariti esse mulierem, id universim ad mancipandi jus, non ad mulierum serio venumdandarum potestatem referendum esse videtur. *Mühl.*

ler. Max. *II.* 1. 4. Gell. *Noctt. Attic. IV.* 3. (Plura de divortiorum jure dabuntur infra Adp. I. §. 44. sqq.).

§. 9.

Confarreationis ritus cur obsoleverit?

Enimvero hic ritus confarreationis ob incuriam virorum et feminarum, difficultatesque caerimoniarum, studium item conservandae patriae potestatis, impensarum magnitudinem, et maxime denique ob gratissimam divortiorum licentiam ita sensim obsolevit, ut Tiberii tempore non amplius reperiri possent tres flaminei candidati, confarreatis prognati parentibus: Tacit: *Annal. IV.* 16. (Vid. §. 6. not. i).

§. 10.

Coëmtio an a confarreatione diversa?

Diutius paullo viguit secundus nuptiarum ritus, videlicet COEMTIO k). Et sane videtur coëmtio et in confarreatione fuisse adhibita, tamquam ritus adcessorius l). At postremis temporibus Romani, neglecto primario confarreationis ritu, solum adcessorium, id est, coëmtionem, retinuerunt, et inde factum, ut multis secundus hic modus ab illo primo non videatur discrepare. Cicero certe *pro Flacco* 34. modos recensens, quibus in manum conveniatur, confarreationis plane non meminit, sed coëmtionis et usus, eam haud omissurus, si re ipsa eo tempore inter confarreationem et coëmtionem quaedam fuisset differentia m).

---

k) Imo sollemnis hic ritus fuit gentibus tantum non omnibus. De Ebraeis vid. Gen. *c.* 31. *v.* 14. *c.* 34. *v.* 12. I. Samuel. *c.* 18. *v.* 25. De Graecis Euripid. *in Medea v.* 232. Aristot. *Polit. II.* 6. De Germanis Tacit. *de Mor. Germ.* 18. Conferri meretur Gundlingii *Diss. de emtione uxorum, dote et morgengaba c.* 1. §. 12—16. *Hein.*

l) Coëmtio an umquam fuerit accessorius ritus in confarreationibus adhibendus? merito dubitatur. Verisimiliora haec sunt: a principio non nisi confarreatione in manum convenere mulieres, adeoque hic nuptiarum effectus ad Patriciorum jus totus pertinuit. Communicato autem cum plebe connubio, non modo Patricii facile adsuefiebant liberis matrimoniis, verum etiam id sensim obtinuerunt Plebeji, ut *justas ex vetere Quiritium jure nuptias* contrahere possent. Unum illud obstabat, quod rituum sacrorum, quibus Etruscorum more confarreationes fiebant, plebi deesset communio. Succurrit igitur mancipationis, sive venditionis illius imaginariae forma, usu multiplici apud Romanos frequentata, eique propter mutuum inter virum et uxorem amoris atque conjugii vinculum *coëmtionis* nomen inditum est. *Mühl.*

m) Numquam in unum coaluisse confarreationis et coëmtionis ritum, id jam satis certo scimus. (Vid. quae quum ad §. 8. tum ad hunc ipsum locum modo adnotavimus). Probabiliora de causis, quare de confarreatione loqui omiserit Cicero,

§. 11.

Ritus iste coëmendi.

Fiebat COEMTIO non solum a sponso, sed et a sponsa. De illo marmor vetustum luculenter testatur, quod ita se habet: PUBL. CLAUD. QUAEST. AER. ANTONINAM VOLUMNIAM VIRGINEM VOLENT. AUSPIC. A PARENTIBUS SUIS COEMIT. ET. FAC. IIII. IN DOM. DUXIT. De hac Nonius *de propriet. serm. XII.* 50. ita refert: *Veteri lege Romana asses tres ad maritum veniens solebat adferre, atque unum, quem in manu tenebat, tamquam emendi caussa, marito dare; alterum, quem in pede habebat, in foco Larium familiarium ponere; tertium, in sacciperio quem condiderat, compito vicinali solere resonare* n). Primo ergo asse fiebat coëmtio viri more Quiritium, id est, per aes et libram, adhibitis quibusdam verbis sollemnibus: Serv. *ad Virg. Aeneid. IV. v.* 211. Petr. Fab. *ad L.* 16. *de Reg. Jur. p.* 97. *sq.* Secundo uxor sibi veluti coëmebat Lares et Deos penates, ut sacrorum fieret particeps. Tertio sibi veluti aditum patefaciebat in mariti domum o). Ceterum quaenam fuerint illa verba coëmtionis sollemnia, non constat. Necessaria ea fuisse, docet Cicero *de Orat. I.* 56. sed qualia fuerint, non commemorat: Boethius *ad Cic. Top.* 3. ait, quaesivisse virum, *an mulier sibi materfamilias esse vellet?* hanc respondisse, *se velle* p). Eodem modo et interrogasse matremfamilias, et respondisse

---

dederunt Wächterus *l. l.* p. 19 — 57. et Hassius *l. l.* §. 23. not. 109., licet inter se ipsi dissentiant. *Mühl.*

n) Quid sit *in compito vicinali resonare*, paullo obscurius videtur. Sed salva res est. In compitis etiam erant aediculae Laribuss acrae. Ovid. Fast. II. v. 615. *sq.*

Fitque gravis geminosque parit, qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in urbe, Lares.

Suet. *Aug. c.* 21. Loco *resonare* lege *resignare*, et sensus erit planissimus sponsam tertium assem, quem in sacciperio condiderat, ante Lares compitales resignare, et ibi deponere suevisse. *Hein.* Malim *rezonare*, h. e., e loculis depromere. *Compito vicinali rezonabat*, solvendo zonam, ut ex loculis nummos promat in compito, id est: confinio, ostentandos, aut: quod malim, compito, id est, arae, aedive, quae in compitis erant, sacrandos. *Cann.*

o) Simpliciorem et, ni omnia nos fallunt, veriorem coëmtionis descriptionem memoriae prodidit Gajus I. §. 113. Nam nihil erat coëmtionis ritus, nisi mancipatio, i. e. imaginaria venditio, adhibitis quinque testibus et libripende omniumque, quorum intererat, praesentia celebranda, eaque ad nuptiarum jus accommodata. Quodsi in patris erat potestate mulier, a parente mancipabatur, soluta patria potestate ipsa se mancipabat tutore auctore. Cf. Cic. pro Flacco c. 34. Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit. IV. c. 2. §. 3. Hasse l. l. §. 20. p. 63. *Mühl.*

p) Haec verba, similiaque, qualia quidem a Servio ad Virg. l. l. prodita sunt,

virum. Quae si recte se habent, coëmtio illa procul dubio interveniente stipulatione facta est. Sed haec forte Boethius sine auctore. Cicero *pro Muraena* 12. ait, mulieres in sollemnibus istis verbis *Gajas* esse vocatas. Et hinc procul dubio ad illam formulam respicit: UBI TU GAJUS, IBI EGO GAJA, cujus meminit Plutarchus *Quaestt. Roman.* 30. [* *Vol. VII. p.* 99. *ex edit. Opp. Plutarchi,* quam curavit Reiske.]

§. 12.
Effecta coëmtionis.

Effecta coëmtionis [nisi quod ex his nuptiis non nascerentur patrimi et matrimi,] erant eadem, quae confarreationis. Nam et hoc modo in manum conveniebant uxores, et MATRES FAMILIAS vocabantur: Huber. *Digress. Part. II.* 1. 17. *p.* 528. Thomas. *Diss. de usu pract. doctr. Inst. de nupt. c.* 1. §. 7. *p.* 26. 28. Unde simul ratio reddi poterit, cur concubina apud Gruterum *Inscr. p.* DCCC. *n.* 21. vocetur UXOR GRATUITA, utpote quae coëmta non esset, nec aqua aut igne accepta [q]). (Haec de coëmtione, quae matrimonii, i. e. nubendi causa fiebat. Poterat autem et *fiduciae causa* cum extraneo s. *coëmtionatore* fieri coëmtio. Et triplex potissimum *fiduciariae* hujusce *coëmtionis* causa fuisse videtur: sacrorum interimendorum, testamenti condendi, tutelae legitimae evitandae [r]), de quibus singulis suis in locis dicetur [s]). Neque vero filiae loco coëmtionatori erat mulier, praeterquam si aut cum marito fiduciae causa coëmtionem faceret, aut postea uxor esse inciperet coëmtionatori [t]). *Mühl.*)

§. 13.
Quo ritu ejusmodi nuptiae dissolutae?

Quemadmodum vero nuptiae confarreationis ritu contractae diffarreatione; ita factae per coëmtionem *remancipatione* dissolvebantur, prout ex Festo erudite probat Raevardus *ad Leg. XII Tabb. p.* 98. (Vid. infra Adp. I. §. 47.).

---

in ipso coëmtionis actu usu venisse verisimile est. Gaj. I. §. 123. Cui etiam rei argumento esse possunt ea, quae de testamentorum per aes et libram condendorum ritu tradita sunt. Vid. Gaj. II. §. 104. *Mühl.*

q) *Uxor gratuita* meo quidem judicio dicitur, quae nihil dotis attulit. *Cann.*

r) Cic. *pro Mur.* c. 12. Gaji Inst. I. §. 114. 115. *Mühl.*

s) Vid. infra Tit. XI. §. 1. Tit. XXII. §. 5. Lib. II. Tit. X. §. 19. *Mühl.*

t) Cf. Gaj. I. §. 115. in f. §. 118. II. §. 139. — Zimmern *R. G.* §. 227. not. 27. *Mühl.*

§. 14.

Usu, quomodo in manum conveniebat mulier.

Tertius modus contrahendi matrimonium erat USUS; qui in eo constitit, quod sine confarreatione et coëmtione maritus uxorem usucaperet. Si enim haec, auctore tutore, cum viro consueverat annum unum, nec ante finem anni usurpatum iverat, id est, tribus noctibus a viro non abfuerat, videbatur tunc usucapta et possessione quaesita: Gell. *III.* 2. Quemadmodum itaque usucapio est modus adquirendi dominium juris Quiritium: ita dubitari nequit, quin et usu uxor convenerit in manum et veluti in dominium Quiritarium mariti, vel in ejusdem potestatem redacta sit: Cic. *pro Flacc. c.* 34. Petr. Pith. *ad LL. Mos. et Rom. tit. XVI.* Si itaque uxor nollet in manum convenire: instrumenta quidem dotalia conficiebantur, et domum deducebatur, sed dabat illa operam, ut saltem tres noctes a marito abesset. Sic enim per usurpationem interrumpebatur singulis annis usucapio, adeoque uxor vel in potestate patris, vel in tutela adgnatorum manebat, sine quorum auctoritate in manum convenire non poterat: Cic. *pro Flacc. ibid.* [u]). Contracto sine uno horum rituum matrimonio, uxor non conveniebat in manum mariti, neque adeo fiebat materfamilias, sed MATRONA: Gell *XVIII.* 6. Et hinc neque succedebat ab intestato marito, neque hic uxoris bona omnia dotis nomine accipiebat. Vocabatur tamen uterque conjux ad bonorum possessionem edicto: UNDE VIR ET UXOR.

§. 15.

Requisita justarum nuptiarum I. pubertas, II. consensus patrum.

Requisita justarum nuptiarum praeter I. *pubertatem* et *viri potentiam*, de cujus examine ad *Lib. I. Tit. XXII.* dicemus, erant II. *consensus patrum*, quorum in potestate erant sponsi. Quamvis enim pater filiam elocatam revocare, nuptiasque rite contractas solvere non posset: (uti ex Plutarchi *Numa*, Dionysio Halicarnasseo, Pauli *Receptt. Sententt. II.* 19. Ulpiani *L.* 1. §. *ult. de Liberis exhibendis* adcurate demonstrat Thomas. *de usu pract. doctr. Inst. de nupt. c.* 1.

---

u) Caeterum hoc jus, XII. tabularum legibus diserte agnitum (vid. Gell. *l. l.* Macrob. saturnal. I. 3. Dirksen Zwölftafelgesetze ad Tab. VI. fr. 4. p. 418 — 425.), jam Gaji temporibus ex usu recesserat; Gaj. I. §. 111. Hasse *l. l.* §. 21. 22. — Sunt etiam qui existiment, numquam usu in manum convenisse mulierem, nisi hoc consilio initum fuerit matrimonium, velut Dirksen l. l. p. 419. not. 480. et Zimmern *R. G.* §. 227. p. 839. Vid. tamen quae contra disputat Hasse l. l. p. 67. *Mühl.*

§. 13. *p.* 48. 49.) poterat tamen id facere, si filia [x]) eo invito cuidam nupsisset, prout contra Raevardum *Var. IV.* 16. Cujac. *Obss. III.* 5. idem demonstrat Thomasius *l. c.* Sin filia patria potestate sive per emancipationem, sive per patris mortem exiisset, sub perpetua degebat tutela, adeoque et tutorum auctoritas adhibenda erat: Cicero *pro Flacco* 34. et 35. Auctoritatem vero et expressam esse, et praecedere nuptias debuisse, aeque ac jussum, notum est ex JCtis. Nec obstat *L.* 25. §. 4. *D. de Adquir. hered.* quam adcurate explicavimus, et a Jac. Gothofredi correctione vindicavimus in *Element. jur. civ.* §. 250.

§. 16.

III. Civitas Romana.

Requirebatur etiam III. ut uterque contrahentium esset et liber, et *civis Romanus.* Inter servos enim et servas, liberosque et servas non connubium erat, sed CONTUBERNIUM. Cum Latino etiam vel Latina, peregrino vel peregrina, non erant justae nuptiae, nisi concessum esset [y]): Ulp. *Fragm. V.* 4. et 5. Paull. *Sententt. II.* 19. 6. Unde notum, quantum invidiae Antonio nuptiae cum Cleopatra conflaverint. Sed post constitutionem Antonini Caracallae promiscua fuere inter gentes connubia [z]) et ita intelligendus Prudent. *adv. Symmach. II. v.* 612.

Distantes regione plagae, divisaque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia et artes
Ad coetum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad JUS CONNUBII*: nam sanguine mixto*
Texitur alternis ex gentibus una propago.

Et Rutilius Numatianus *Itinerar. L. I. v.* 63. *sqq.*

---

x) Quin etiam, si filius: L. 2. et L. 35. *D. h. t. Mühl.*

y) Concedebat olim ejusmodi nuptias populus, lege singulari, ut docent exempla apud Livium *XXXVIII.* 36. *XLIII.* 3. Postea Imperatores talia dabant privilegia. Exempla hinc inde in marmoribus sunt, apud Gruter. *p. DLXXIII.* 2. *DLXXIV.* 5. *DLXXV.* 1. Jac. Spon. *Miscell. erudit. Antiq. p. CCXLIV.* ubi militibus, QUI PEREGRINAE CONDITIONIS PROBATI ERANT, datur CONNUBIUM CUM UXORIBUS, QUAS TUM HABUISSENT. Conf. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. II.* 22. De reliquis prohibitionibus dicemus infra, ubi de jure Quiritium et civitatis in Adpendice agemus. *Hein.*

z) Vid. tamen adp. huj. libr. I. §. 34. *Mühl.*

Fecisti patriam diversis gentibus unam:
Profuit injustis, te dominante, capi:
Dumque offers victis proprii CONSORTIA *juris,*
Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.

§. 17.

IV. Graduum prohibitorum observatio.

Adcedit IV. consideratio *graduum cognationis*, tamquam quartum justarum nuptiarum requisitum. Quae graduum [a]) prohibitio quo usque extendatur, JCti ostendunt, et maxime illustris Thomas. *Diss. ad Legg. I.* 18. *sq. p.* 59. *sq.* [b]).

§. 18.

V. Monogamia.

Denique V. *polygamia* erat apud Romanos prohibita, quam lege stabilire, auctore, ut putabatur, Caesare, conabatur Helius Caecina, Tribunus plebis: sed ea lex ne promulgata quidem, nedum perlata fuit: Sueton. *Jul.* 52. Primus Romanorum Antonius, quod antea inauditum, duas in matrimonio uxores habuit, teste Plutarcho in *Comp. Demet. c. Ant.* 4. Postea et Valentinianus junior lege sanxerat, ut liceret cuivis viro duas uxores ducere: Socrat. *Hist. eccl. IV.* 31. Niceph. *Hist. eccl. II.* 33. [Add. Tillemont. *Histor. Imper. Tom. V. Part. I. p.* 345.] Sed nec ea quidem constitutio, amoliendae facti proprii turpitudini inservitura, valuit apud posteros: Brisson. *de Jure connub. p.* 292.

ADPENDIX HUJUS TITULI.

DE

LEGITIMATIONE [c]).

Alter modus constituendi patriam potestatem est LEGITIMATIO,

---

a) *Graduum* equidem computationem ad solam doctrinam de successione pertinere putant, velut Thomas. *l. c. p.* 65. Sed et veteres JCti gradus numerarunt in doctrina de nuptiis. Exemplum Ulpiani est in *Collat. Legg. Mos. et Rom. VI.* 2. *Hein.*

b) Quousque liberae reipublicae temporibus propter cognationis affinitatisque proximitatem vetitae fuerint nuptiae? vid. Klenze: *die Cognaten und Affinen* nach Röm. R. in Zeitschr. f. gesch. R. W. T. VI. Nr. I. p. 17 — 21. — Universim autem de mutationibus, quas totum hoc jus subierit, vid. Zimmern *R. G.* §. 150. *Mühl.*

c) Ge. Jordens Diss. I. II. *de legitimatione*. Traj. ad Rh. 1742. 1743. 4. et in Dan. Fellenbergii jurisprud. antiq. T. II. p. 325 — 457. *Haub.*

de qua quum Imperator tantum §. 13. h. t. aliqua commemoret, licebit et nobis eam doctrinam huic titulo tamquam adpendicem subnectere [d]).

§. 19.

Quinam liberi legitimi, et spurii.

Liberi ex justis nuptiis nati in patria erant potestate, et hinc vocabantur LEGITIMI [e]). Nec minus adoptivi in adoptantis potestatem redigebantur. Reliqui omnes ILLEGITIMI dicebantur, et a priscis Romanis duabus litteris SP. signari solebant, quia erant *sine patre filii:* Plutarch. *Quaestt. Rom. c.* 3. [* *Vol. VII. p.* 160. *sq. Opp. Plutarchi ex edit.* Reiskii.] Gaji *Inst. I.* 4. 8. *p.* 41. Ulpian. *Fragm. IV.* 2. *p.* 576. Conf. tamen Aegid. Menag. *Amoenitatt. jur. civil. c.* 39. *p.* 358. Exemplum elegans hujus moris exstat apud Gruter. *Inscriptt. p. CCCCXXXIV. n.* 4.

C. MAMERCIO. SP. F
JANUARIO. Q. AED. PRAET
IIVIR. Q. ET
P. PACCIUS. JANUARIUS
FILIO. NATURALI. ET
MAMERCIA. GRAPTE
MATER. INFELICISS. FILIO
ET. COGNATAE. PIISSIMIS
FECERUNT

Quod monumentum plane egregium adcurate enucleavimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 4. *p.* 169. sq. Aliud ejusdem generis exemplum est apud Reines. *Inscr. Class. IX.* 4. Postea et vulgo quaesiti *spurii* dici coeperunt [f]).

§. 20.

Illegitimorum diversa genera.

Erant illegitimi quatuor generum. Alii enim NATURALES ex

d) Similitudo quaedam erat legitimationi cum causae probatione (Bethm.-Hollweg de causae prob. p. 72.), de qua supra egimus ad Tit. VI. §. 5. not. c. Cujus in locum, quippe vel desuetudine vel legibus abrogatae, Justinianus nonnulla de legitimatione substituit; Bethm.-Hollweg l. l. p. 52. *Mühl.*

e) *Legitimos* longe alio sensu a juris nostri auctoribus nuncupari, affirmat Bethm.-Hollw. *l. l.* p. 5. Vid. tamen L. 45. *D. de vulg. et pup. subst. Illegitimorum* autem vocabulum nusquam nisi apud recentiores legitur. *Mühl.*

f) L. 23. *D. de statu homin.* — *C. H. Stever* Spec. an e jure Justinianeo patri incumbat onus alendi spurios (Rost. 1816.) p. 19 — 36. *Mühl.*

concubina [g]) vel vidua aut virgine stuprata; alii SPURII ex *meretrice;* alii ex ADULTERA; alii denique ex INCESTUOSIS amplexibus fuerant nati: Franc. Hotoman. *de Spur. et legitim. c.* 2. *p.* 474.

§. 21.

An spurii infames, vel levis notae macula notati?

Nulli horum erant infames, at levis tamen notae macula spurios adspergebat vulgus, multoque magis adulterinos et incestuosos, saltem postremis temporibus reip. Vid. Zach. Hub. *Cas. enucl. Quaest. III.* §. 8. Naturales participes quidem erant omnium jurium, honorumque capaces, sicuti contra Jac. Gothofredum luculenter ostendit Thomas. *de usu pract. doctrinae Inst. de legitimat. c.* 1. §. 3. *p.* 3. *sq.* et ex inscriptione paullo ante adlata patet, in qua *C. Mamercius Januarius*, quamvis S. P. FILIUS tamen in colonia sua *Quaestor, Aedilis, Praetor, et Duumvir Quinquennalis iterum* fuisse dicitur: juribus tamen adgnationis [h]) carebant, neque in patria potestate erant, tamquam legitimo parente destituti: Franc. Hotom. *l.* 1. *c.* 3. Strauch. *Exerc. IV.* 3.

§. 22.

Legitimatio quando inventa?

Quum ergo vetere jure Romano nulla esset legis actio prodita, qua illegitimi liberi, in patriam potestatem redacti, jurium istorum adgnationis fierent participes, nisi adrogatio, in qua ipsos illegitimos auctores fieri oportebat: Herald. *Obs. ad jus Att. et Rom. VI.* 10. seculo demum quarto ineunte inventa est LEGITIMATIO [i]).

---

g) Et hi quidem prae ceteris dicti sunt *naturales*. Vid. Mühlenbruchii contin. commentarii Glückiani T. XXXIX. p. 328 — 336. Rob. Schneider in d. Zeitschr. für Civilr. u. Proç. T. XII. Nr. X. 1. p. 326. sqq. *Mühl.*

h) Unde nec gentile patris nomen ferebant spurii, ut contra Robertelli *Emend. I.* 20. recte ostendit Car. Sigon. *Emendat. II.* 7. Sane tamquam singulare quid de Caesare refert Sueton. *Jul. c.* 52. quod natum e Cleopatra filium *adpellari nomine suo passus sit.* Et Dio Cass. *L.* 1. addit, inter alia, quae Octavianus Caesar objecerit Antonio, etiam hoc fuisse maxime, *ὅτι τὸν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζεν οὕτω, καὶ ἐς τὸ τοῦ Καίσαρος γένος ἦγε, quod Caesarionis nomen filio Cleopatrae indidisset, et eum in Caesaris genus retulisset.* Interim quamvis aliquando cognomen patris adoptarunt filii naturales, uti paullo ante *Januarius*, nomen tamen gentile a matre mutuabantur. Ita Mamercius Januarius dictus a nomine matris Mamerciae Graptae, et a cognomine patris P. Paccii Januarii. Similia exempla ex Grut. *Inscriptt. p.* DCXLI. 9. et *p.* DCLXXXIV. adduximus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 4. *p.* 170. *sq. Hein.*

i) Non ergo legitimatio est actus legitimus, ut recte ostendit Ulr. Huber.

Quod tamen beneficium non ad omnes in universum spurios, sed natos tantum e concubinis pertinebat: Huber. *Praelectt. ad Inst. h. t. p.* 28. (Vid. scriptor. supra ad §. 20. not. g. alleg.)

§. 23.

Constantinus M. auctor legitimationis I. per subsequens matrimonium.

Et primus quidem Constantinus M. Imp. invenit legitimationem I. PER SUBSEQUENS MATRIMONIUM. Meminit ejus constitutionis Zeno Imp. *L.* 5. *C. de Natur. lib.* et Justinianus *Nov. LXXXIX. princ.* Sed quum ipsa non tulerit aetatem: obscura nobis est legislatoris sententia. Id saltem certum, non voluisse Constantinum M. constitutionem suam ad eos, qui in posterum ex concubinis nascituri essent, porrigi, sed eum ante illam constitutionem natis dumtaxat id beneficium indulsisse, non alio consilio, quam ut parentes, in concubinatu viventes, hoc privilegio pelliceret ad justum ineundum matrimonium, adeoque his cuniculis concubinatum subrueret. Vid. Des. Herald. *Rer. Quotid. I.* 4. 2. et quae nos disseruimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 5. *p.* 173. *sq.*

§. 24.

Theodosius inventor legitimationis II. per oblationem curiae.

Deinde et Theodosius junior addidit legitimationem II. PER OBLATIONEM CURIAE: *L.* 3. 4. *C. de Nat. lib.* Quum enim adeo omnes abhorrerent a decurionum munere, ut jam Trajani temporibus multi inviti fierent decuriones: Plin. *Epist. X.* 114. et saepe Christiani poenae loco curiis addicerentur: Barn. Brisson. *Antiq. Select. IV.* 18. ac proinde aufugientibus decurionibus curiae paene exhaustae essent: Jac. Gothofr. *ad Tit. C. Theod. de Decur.* privilegio adliciendi videbantur homines ad id munus eo lubentius suscipiendum. Hinc constitutione cautum, ut, si quis curiae offeret filium vel filiam naturalem, ita ut ille in ordinem decurionum aliquando recipi se pateretur,

---

Digress. II. 12. Nec ante Constantinum Romae recepta, quamvis viri docti id colligant ex *L. ult. D. de Adopt.* et *L.* 57. §. 1. *D. de Rit. nupt.* Nam ut prior lex, vel ipsa teste rubrica, de adrogatione loquitur: ita posterior erat lege solutio, vel privilegium, quod ad exemplum non trahebatur. *Hein.* — Ante legem a Constantino imp. latam eo solo, quod justae nuptiae parentum factae essent, liberi antea nati vel concepti patris potestati non subjiciebantur; quod ut fieret aut adrogatione opus erat, aut causae probatione (v. supra not. d), aut rescripto principis; Gaj. I. §. 93. 94. Bethm.-Hollw. l. l. p. 19. p. 72. sqq. — Vid. et de Buchholz jur. Abhandl. Nr. XIII. *Mühl.*

haec decurioni nuberet: eo ipso illi non amplius naturales, sed legitimati haberentur. Interim soli patri hi fiebant liberi, non adgnatis reliquis adgnati: *L.* 9. *C. de Natur. lib.* In caussam tanti decurionatus odii acute, ut solet, inquirit Thomas. *Diss. adleg. c.* 1. §. 8. *p.* 21. *sq.* ubi solide ostendit, homines voluptate, ambitione et avaritia in transversum actos, dignitatibus aulicis, militiaeque palatinae et ordinibus sacris, quam muneribus ejusmodi laboriosis, et ob onera curiarum, sumtusque, in spectacula impendendos, non admodum pinguibus, inhiare maluisse. Sed propior ratio reddi potest, ab ipsa curialium conditione depromta. Non enim putandum est, curiae oblatos confestim factos esse decuriones. Sed curiae adscribebantur, eique serviebant periculo suarum facultatum: *L.* 4. *C. de Nat. lib. L.* 50. *L.* 55. *L.* 64. *C. de Decur.* Hinc nec militiae nomen dare, nec ruri extra municipium vivere poterant, curiae quippe, tamquam glebae adscripti: *L.* 17. *C. eod. L. un. C. Si curial. relict. civ.* Quae omnia luculenter ostendit V. C. Em. Merill. *Obs. VII.* 26. *p.* 109. Quum itaque curiae oblati quodammodo essent adscriptitiae conditionis, nec alterius iis esset spes honoris, quam decurionatus, sane parum lucrosi: non profecto mirandum, tam paucis salivam movisse splendidam illam curialium miseriam, ut et liberi illegitimi privilegio essent adliciendi ad suscipiendum aliquando decurionatum. (Cfr. inprimis de Savigny Gesch. des R. R. im Mittelalter T. I. p. 46. sqq. ed. II.)

§. 25.

Zenonis, Anastasii et Justiniani constitutiones de primo modo legitimandi.

Sequentes Imperatores duo ista legitimationis genera aliquamdiu retinuerunt, variisque ea legibus explicarunt. Sic Zeno Imperator sanxit, ut si pater, nulla legitima sobole alia superstite, concubinam uxorem duxerit, liberi utriusque sexus statim post nuptias in patria potestate essent, et sive soli, sive cum fratribus postea natis patri ex testamento, vel ab intestato, succederent. Attamen eam constitutionem ipse quoque, exemplo Constantini, valere tantum voluit ratione liberorum ante hanc legem ex concubinis ingenuis natorum; eos vero, qui postea ex concubinatu prodituri essent, tanti beneficii noluit esse participes: *L.* 5. *C. de Natur. lib.* Sed et Anastasius cum omnibus etiam postea nascituris hoc beneficium communicavit: *L.* 6. *C. eod.* Id vero restringit Justinus Imp. *L.* 7. *C. eod.* posteaque suo more iterum latius porrexit Justinianus: *L.* 10.

et 11. *C. eod.* Conf. §. 2. *Inst. de Hered. quae ab intest. Novell. XII.* 4. *XVIII.* 11. *LXXIV.* Quamvis vero his fere omnibus locis Justinianus exigat instrumenta dotalia vel nuptialia: ea tamen non ad substantiam hujus legitimationis pertinere, sed pro eorum temporum conditione tantum signum fuisse legitimi connubii, jam alio loco ostendimus, et pridem demonstravit Cujac. *Observ. XIII. c.* 4. (Cf. Zimmern *R. G.* §. 219. p. 803. not. 12).

§. 26.

Leonis, Anthemii et Justiniani Constitutiones de modo secundo.

Eodem modo et alterum legitimandi modum per oblationem curiae variis constitutionibus illustrarunt Imperatores, e. g. Leo et Anthemius: *L.* 4. *C. de Natur. lib.* et Justinianus: *L.* 9. *C. eod. Nov. LXXXIX. c.* 11. *sqq.* [k]).

§. 27.

Legitimatio III. per adrogationem inventa ab Anastasio.

Adcessit tertius modus legitimandi III. PER ADROGATIONEM, ab Anastasio inventus: *L.* 6. *C. de Nat. lib.* [l]). Quum enim naturales liberi non essent in patria potestate, sed sui juris: poterant profecto a parente naturali adrogari: *L. ult. D. de Adopt.* Facta vero ea adrogatione legitimi censebantur. Sed eum modum non sine ratione sustulit Justinus: *L.* 7. *C. de Nat. lib.* adprobante id Justiniano: *Nov. LXXXIX.* 7. *Nov. LXXIV.* 3.

§. 28.

Legitimatio IV. per rescriptum Principis et V. per testamentum inventa a Justiniano.

Denique Justinianus adjecit IV. *legitimationem* PER RESCRIPTUM PRINCIPIS: *Nov. LXXXIX.* 9. *LXXIV.* 2. ac postremo *legitimationem*

---

k) De legitimatione tam per subsequens matrimonium, quam per oblationem curiae: Gebaueri *Exerc. IV. ad Ord. Instit.* p. 263 — 303. et de hac sola: Jo. Wunderlich Lib. sing. Jen. 1759. 4. *Haub.*

l) Non ille ab Anastasio inventus, sed Anastasius jus vetus Pandectarum confirmavit: naturales olim nonnisi adrogatione patriae potestati subjiciebantur, Justinianus et in *Nov. LXXIV. c.* 3. et *Nov. LXXXVIIII. c.* 11. §. 2. adrogationem naturalium a prioribus Imperatoribus *adprobatam* esse ait. *Cann.* Caeterum quum fine ac consilio plurimum inter se differrent liberorum naturalium adrogatio et legitimatio, perperam hic confunditur utraque ratio quaerendi patriam potestatem. Vid. (Hübner) Bericht. und Zusätze zu Höpfners Comment. p. 77. sqq. et Zimmern *R. G.* §. 219. p. 803. *Mühl.*

V. per testamentum: *Nov. LXXIV.* 2. 1. *LXXXIX.* 10. Qua ipsa tamen totum inventum legitimationis eum destruxisse, observat Thomasius *de usu pract. doctr. de legitim. c.* 1. §. 12. *p.* 44.[m]).

LIB. I. TIT. XI.

DE

ADOPTIONIBUS.

Tertius modus constituendi patriam potestatem erat ADOPTIO, quae, quum fuerit actio legis, certis formulis, ac sollemnitatibus peragenda: genuina ejus ratio ex antiquitatibus pernoscenda erit.

§. 1.

Adoptionis Romae tam frequentis caussa prima.

Cur inventa a Romanis sit ADOPTIO, et cur ea Romae frequentius, quam usquam terrarum, sit usurpata, paullo altius est repetendum, quum alias universa hujus instituti ratio satis intelligi nequeat. Observavimus jam supra (*Lib. I. Tit. X.* §. 4.), Romanas familias habuisse sua sacra privata, suos focos, et aras domesticas, suas porro ferias, de quibus conferri merentur Macrob. *Saturn. I.* 16. Jac. Guther. *de Jure Pontif. II.* 5. Vinc. Gravina *ad XII Tabb. num. LXXVI. p.* 416. *sq.* De iis sacris quum esset lege decemvirali constitutum: SACRA PRIVATA PERPETUO MANENTO [a]): id vel maxime curae fuit Romanis, ne sacra illa interirent [b]). Quare Clodium etiam hoc

---

m) At proprie haec non erat legitimatio per testamentum, sed per rescriptum, testatoris jussu a liberis impetranda. Püttmann *miscellaneor.* c. 7. p. 31. Marezoll Zeitschr. f. Civilr. u. Process. I. p. 78. sqq. Zimmern *R. G.* l. l. p. 805. *Mühl.*

a) De sacris privatis vid. imprimis Cic. *de legib.* II. c. 19 — 21. et Festus de *S.* V. *v. sive sacris* (Savigny in d. Zeitschr. f. gesch. R. W. T. II. Nr. XV. I. p. 362. sqq.) Festus v. *publica sacra* (Savigny l. l. XV. II. p. 380. sqq. Vid. tamen et Walter R. G. I. p. 178. not. 13). *Mühl.*

b) Aliquando tamen id agebant, ut sacra privata interimerentur, eamque in rem JCti invenerant senes sacra coëmentes. Excogitaverant enim eam rationem, ut heres senibus venderet ea bona, quae qui haberent, sacris adstringerentur, venditione imaginaria per aes et libram, addita stipulatione, vel fiducia, ut senes illi bona venditori vel heredi non ut hereditatem; sed ut res singulares, sacris liberas, redderent. Rem ex loco obscuro Cic. *pro Mur.* c. 12. explicavit et in lucem protraxit V. C. Jő. Fr. Gronov. *de pecun. vet. IV.* 7. quem deinde sequutus Jo. Ge. Graevius *Not. ad Cic. l. c.* Uterque monuit, perperam cum his senibus ad interimenda sacra adhibitis confundi senes coëmtionales apud Plaut.

nomine graviter reprehendit Cicero *pro domo* 12. quod effecerit, *ut sacra Clodiae gentis interirent.* Hinc, si qui ex justis uxoribus liberos haud sustulissent, ii adoptabant extraneos, qui tunc *in sacra et gentem transire dicebantur:* Brisson. *de Verb. signif. p.* 1814. [*p.* 1216. *edit. nostr.*] Conf. Vopisc. *Valerian. c.* 14.

§. 2.

Caussa secunda.

Deinde altera adcessit ratio: poenae nimirum orbitati, praemiaque τῇ πολυπαιδίᾳ proposita, qualia et ante legem Papiam Poppaeam in libera republica fuisse, patet ex Dione Cass. *LVI.* 10. Ne ergo parentes ἄπαιδες, seu orbi, vel praemiis istis exciderent, vel poenas darent: alios adoptabant, idque jam sua aetate reprehendit P. Scipio, censor, in oratione apud Gell. *Noctt. Att. V.* 19. Quin adeo fraudulenter postea hac in re egerunt Romani, ut, quum per legem Papiam trium liberorum parentes reliquis in honorum petitione praeferrentur, ii, quibus iste liberorum numerus deerat, per adoptionem sibi tot quaererent liberos, eosdemque deinde, ne oneri essent, ubi honoribus potiti erant, statim emanciparent. Unde, condito denique SCto cautum est, *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret:* Tacit. *Annal. XV.* 19. Ulpian. *L.* 2. §. 2. *D. de Vac. et excusat. munerum.* Add. Comment. nostr. *ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 7. *p.* 201. *sq.*

§. 3.

Caussa tertia.

Adcedebat tertia ratio aeque fraudulenta. Si quis enim patricii ordinis tribuniciam potestatem ambiret: ut voti fieret compos, plebejo cuidam se adoptandum dabat. Exemplum hujusmodi fraudulentae adoptionis praebuit P. Clodius, cujus de absurda adoptione videri possunt Suet. *Tiber.* 2. Dio Cass. *XXXVIII.* 12. Cic. *Orat. pro*

Bacchid. IV. 9. et Cicer. *ad Div. Epist. VII.* 29. quum hi fuerint mancipia rejicula ei veterana, quae quod non adeo facile emtorem invenirent, vel plura simul vendebantur, vel tamquam mantissa, adjiciebantur melioribus. Iidem monuerunt, nihil hos senes coëmtionales facere ad coëmtionem nuptialem. Ad quam quum nos eam retulerimus in prioribus editionibus, hic errorem nostrum fateri ac emendare non dabitamus. *Hein.* De artibus evitandorum sacrorum causa adhibitis vid. Cic. *l. l. l. l.* et de Savigny *l. l.* p. 378. sqq. Caeterum *coëmtiones,* sacrorum interimendorum causa fieri solitae, mulierum tantum in usum repertae sunt; Savigny *l. l.* p. 387. sqq. Schweppe *R. Gesch.* §. 522. in f. ed. III. *Mühl.*

domo 13. Simile dedit Dolabella, qui ob eamdem caussam in gentem Liviam plebejam transiit: Dio Cass. *XLII.* 29. Et hae sunt verae illae ac genuinae caussae, cur tam frequentes essent Romae adoptiones.

§. 4.

Adoptio quotuplex?

Erant vero adoptiones duorum generum. Aliae ADROGATIONES: aliae ADOPTIONES strictiore sensu dicebantur: Ulpian. *VIII.* 1. *sq.* Illis homines sui juris, his liberi alieni in alterius potestatem, gentem, nomen et sacra transibant.

§. 5.

Adoptio quotuplex?

Antiquissima fuisse videtur ADROGATIO, non ab interrogatione patris et filii adoptivi ita dicta, ut putat Gaj. *Inst.* [* epit.] *I.* 5. 1. *L.* 2. *pr. D. de Adopt.* sed a *rogatione* ad populum lata c). Fiebat enim adrogatio in comitiis curiatis, auctoritate Pontificum, teste Gell. *Noctt. Att. V.* 19. Adstipulatur huic Gellii etymologiae Menag. in *Amoenitatt. jur. c.* 39. *p.* 259. eamque ipsa vocabuli analogia confirmat, quamvis Gaji caussam agat Cujac. *Obs. IX.* 37.

§. 6.

Cur ea peracta in comitiis curiatis?

Cur in comitiis curiatis de adrogatione, tamquam de publica populi caussa, actum sit, ejus rei hanc rationem adsignat Vinc. Gravina *ad XII Tabb. n.* 85. *p.* 451. quod interfuerit populi, fraudes, supra numeris II et III relatas, prohiberi. Sed prius procul dubio adrogationes in comitiis factae sunt, quam fraudum istarum exstarent exempla. Melior ratio videtur, quia adrogati sperabant hereditatem. De hereditate vero in alios transferenda solum populum cognovisse, vel inde patet, quod et testamenta olim in comitiis calatis fierent d). Adcedit, quod per adrogationem caput e tabulis censualibus eximeretur, et in alterius redigeretur potestatem: id

---

c) Quam etiam adgnoscit genuinus *Gajus I.* §. 99. *Haub.* (i. e. testatur Gajus, non modo eos, quorum potissimum causa agebatur, verum etiam ipsum populum rogatum fuisse: *an id fieri juberet. Mühl.*)

d) Imo intererat populi, se inscio non fieri adrogationes, quia hereditatem vacantem parens omnium, populus, capiebat: Tacit. *Annal. III.* 28. *L.* 1. *L.* 4. *Cod. de Bon. vac. Hein.*

quod inconsulto populo fieri iniquum videbatur. Hinc in legibus Decemviralibus Tab. IX. erat lex: DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMUM COMITIATUM NE FERUNTO: Cic. *de Legg. III. c.* 4. in qua lege capitis adpellatione, non modo vitam, sed et libertatem, civitatem, familiaeque jus exaudiri debere, eleganter demonstrat in Notis Jac. Gothofred. *p.* 230. Hinc ergo in comitiis res erat explicanda, et quidem in curiatis: Gell. *V.* 19. Et hinc adrogatio fieri dicebatur *lege curiata*: Tacit. *Hist. I.* 15. κατὰ νόμον κουριάτιον, Appian. *de Bell. civ. III.* 94. κατὰ νόμον τὸν φρατριατικόν: Dio Cass. *Lib. XLV.* 5.

§. 7.

Cur auctoritate Pontificum fuerit opus?

Pontificum vero auctoritatate opus videbatur, non ob jurisjurandi religionem, quo adrogatio ab omni calumnia et fraude pura praestaretur, ut conjicit idem Vinc. Gravina *l. c. p.* 452. sed quia adoptivi, relictis sacris familiae, in alterius gentis sacra transibant: Cicero *pro domo* 13. *Quid? sacra Clodiae gentis cur intereunt, quod in te est? quae omnis* NOTIO PONTIFICUM, *quum adoptarere, esse debuit* e).

§. 8.

In quid inquisiverint Pontifices?

Dispiciebant ergo Pontifices, an adoptans ea esset aetate, ut alterum filium habere posset? an nulla ei spes prolis superesset? an, conjugio inito, foecunditatem fuerit expertus? quae caussa sit adoptionis? Gell. *Noctt. Attic. V.* 19. Cic. *pro domo* 10. et 13. Ulpian. *L.* 15. §. 2. 3. et *L.* 17. *princ. D. de Adopt.* Neque enim facile permittebatur iis, qui jam liberos procreaverant, ut alios vel adrogarent vel adoptarent, quippe quod ne in Imperatoribus quidem reprehensione carebat: Perizon. *Animadv. Hist. c.* 3. *p.* 125. Deinde, ne pro monstro esset, patrem filio vel natu minorem vel aequalem esse, sed ut adoptio naturam imitaretur, merito disquirebatur, an adoptaturus saltem plena pubertate filium antecederet? *L.* 40. §. 1. *D. de Adopt.* Et hinc veteres rident adoptionem Alexandri Imp. ab

---

e) Vid. Christ. Glüb. Schwarzii *Diss. ex antiquo Romanorum jure de sacrorum detetatione. Alt.* 1726. 4. et in Diss. select. (Erl. 1778.) 4. p. 309 – 348. — Ob hanc sacrorum privatorum commutationem eadem sollemnitas, quae ex persona patris dicta est arrogatio, ex filii persona nomen accepit *detestationis sacrorum:* de Savigny l. l. Nr. IV. p. 399. sqq. *Haub.*

Elagabalo factam, quum ille duodecim, hic quatuordecim circiter annorum esset: Herodian. *Hist. V.* 7. Praecipue autem providendum sibi existimabant, ne adoptio vel adrogatio filio esset exitio, aut ei aliquid adferret detrimenti [f]). Et inde est, quod tutori fas non esset pupillum adrogare: *L.* 17. *pr. D. eod.* nisi quod cognati a tutore propinquo: *L.* 17. §. 1. *D. eod.* et privigni a tutore vitrico ex rescripto Antonini Pii possent adrogari: *L.* 32. §. 1. *D. eod.* Exemplum Voconii Romani, a vitrico adoptati, est apud Plin. *Epist. X.* 3. Eumdem tamen vitricum et tutorem fuisse privigni sui, quod suspicatur Cujac. *Obs. II.* 38. ex isto quidem loco non constat.

§. 9.

Quaestiones patri et filio propositae.

Quum vero ii tantum adrogarentur, qui sui juris erant: oportebat eos ipsos auctores fieri: Gell. *l. c.* Interrogabatur ergo is, qui adrogabat, velletne eum, quem adoptaturus esset, justum sibi filium esse? et vicissim is, qui adrogabatur, an id fieri pateretur, auctorque esset? *L.* 2. *pr. D. de Adopt.* Formulam prodit Cicero *pro domo* 29. *Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum:* AUCTORNE ESSES, UT IN TE P. FONTEJUS VITAE NECISQUE POTESTATEM HABERET, UT IN FILIO? Neque tamen has interrogationes et responsiones stipulationes fuisse, recte notat Cujac. *Obs. IX.* 37.

§. 10.

Rogatio ad populum lata.

Caussa cognita, in comitiis curiatis sequebatur sollemnis rogatio: VELITIS JUBEATIS, QUIRITES, UTI L. VALERIUS L. TITIO TAM JURE LEGEQUE FILIUS SIBI SIET, QUAM SI EX EO PATRE MATREQUE FAMILIAS EJUS NATUS ESSET. UTIQUE EI VITAE NECISQUE IN EUM POTESTAS SIET UTI PATRI ENDO FILIO EST, HOC ITA, UT DIXI, ITA VOS, QUIRITES, ROGO: Gell. *Noctt. Att. V.* 19. Hinc adnuente populo et XXX curiis in suffragia missis ita jubentibus perfecta erat adrogatio: Cic. *pro domo ibid.* (Cf. Hugo *R. G.* XI. p. 152. Zimmern R. G. §. 221. p. 813.).

---

f) Imo et id in disquisitionem veniebat, an et aliquis posset filium in potestate habere. Recentius est privilegium mulieribus datum §. 10. *Inst. h. t.* Nec ad exemplum trahi potest exemplum Valeriae Aug. Candidianum adoptantis ob sterilitatem: Lactant. *de mort. persequut. c.* 50. *Hein.*

§. 11.

Effecta adrogationis.

Adrogati ergo tam jure legeque filii erant ejus, qui adoptaverat, ac si ex eo patre, matreque familias ejus, essent nati. Hinc adrogati aeque, ac adoptivi, fiebant adgnati ratione familiae adoptantis, non tamen cognati ejus uxori: *L.* 23. *pr. D. de Adopt.* Quare adoptionem sequebatur hereditas nominis, pecuniae, sacrorum, teste Cicerone *pro domo* 13. ubi exagitatur Clodius a Fontejo adoptatus, quod in ea adoptione nihil legitime factum sit. Verba haec sunt: *Tu neque Fontejus es, qui esse debebas; neque patris heres; neque, amissis sacris paternis, in haec adoptiva venisti.* Imo, quemadmodum patricii, adoptati a plebejis, ad plebem transibant: ita plebeji, adoptati a patriciis, horum consequebantur nobilitatem ac privilegia. Quod tametsi neget Jo. Corasius *ad L.* 35. *D. de Adopt.* g) tamen demonstratur exemplo Cn. Cornelii Cossi, qui ex Licinia, plebeja familia, adoptatus in patriciam Corneliam, Tribunus militum Consulari potestate fuit, ad quam dignitatem anno demum sequente plebejis via patuit, teste Livio V. 12. Demonstratur idem exemplo Liviae, quam Tacitus *Annal. V.* 1. NOBILITATIS *per Claudiam familiam,* et ADOPTIONE *Liviorum Juliorumque clarissimae* fuisse ait, et Augusti, de quo Ovidius *Fast. IV. v.* 21. *sq.*

Hic ad te magna descendit imagine mensis:
Et fit ADOPTIVA NOBILITATE *tuus.*

Conf. Huber. *Digress. Justin. II.* 24. Jac. Perizon. *Dissert. ad constit. divin. Deut. c.* 25. *v.* 5. 6. *p.* 83. *sq. Commentar.* nostrum *ad L. Pap. Lib. II. c.* 1. *p.* 113.

§. 12.

Cur quidam nec adrogare nec adrogari potuerint?

Et hinc facile reddi poterit ratio, I. cur soli cives Romani adrogare potuerint? Soli enim participes erant comitiorum. II. Cur caelibes adrogare nequiverint? Erat enim adrogatio in solatium orborum, non caelibum, inventa: Cic. *pro domo c.* 13. *L.* 15. §. 2. *D. de Adopt.* III. Cur senibus tantum sexaginta minimum annorum

---

g) Corasio fraudi fuit *L.* 6. §. 1. *D. de Senator.* ubi negatur, Senatoris filium esse desinere, qui a plebejo sit adoptatus. Quamvis enim senatoria dignitas adrogatione et adoptione non amitteretur: ea tamen illa adquirebatur: *L.* 5. *L.* 6. *pr. D. eod.* Et alia est dignitas senatoria, et alia nobilitas, tam gentis, quam imaginum. *Hein.*

adrogare licuerit: *d. L.* 15. §. 2. *D. de Adopt.* Sperari enim antehac poterat proles. IV. Cur nec muti et surdi adrogarent; nec V. feminae? Neque enim illi jure comitiorum gaudebant: et feminae praeterea neminem poterant habere in potestate. Quare parum legibus consentanea erat adoptio Candidiani, de qua Lactant. *de Mort. Persequut. c.* 50: *Idem Candidianum, quem Valeria, ex concubina genitum, ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit.* Sed quid sibi non permittebant ejus aevi Principes? VI. Cur porro nec pupillus, nec femina, nec peregrinus, nec mutus vel surdus adrogari potuerint? Pupilli enim ipsi auctores fieri non poterant, cum reliquis nulla erat comitiorum communio: Gell. *Noctt. Att. V.* 19. VII. Cur denique adrogatio Romae tantum fieri potuerit? Ulp. *Fragm. VIII.* 4. Romae enim, non alibi, curiata comitia haberi poterant: Liv. *V.* 52.

§. 13.

Quam diu vetus iste adrogandi ritus obtinuerit?

Haec adrogatio, per populum in comitiis facta, satis diu, id est, stante libera republica, obtinuit. Nam ita sua memoria a Cn. Aufidio Oresten, a. M. Pupio Pisonem, a P. Fontejo Clodium adrogatum, scribit Cic. *pro domo c.* 13. Quin et Augustus Agrippam et Tiberium adoptavit in foro lege curiata: Suet. *Aug. c.* 65. Et Neronis adoptionem, quamvis Patres censuerint, populus tamen, (lege procul dubio curiata) jussit: Tacit. *Ann. XII.* 25. Postea Imperatores, legibus quippe soluti, veteres adrogationis ritus saepius neglexerunt. (Vid. Tacit. *Hist. I.* 14. 17. Spartian. *Hadr.* 3. 4. 24. *in Aelio Vero* 3. Jul. Capitolin. *Antonin.* 4.) Mansit tamen ad Galbam usque vetus sollemnitas inter privatos. Hinc Galba: *Si te privatus, lege curiata, apud Pontifices, ut moris est, adoptarem:* Tacit. *Hist. I.* 15.

§. 14.

Adoptio strictius dicta cur et quando inventa?

Haec de *adrogatione.* Quum vero hic adoptandi modus ad homines tantum sui juris pertineret: inventa est alia actio legis, qua liberi, in sacris paternis constituti, cujuscumque sexus et aetatis, in aliam familiam transirent, isque modus dictus ADOPTIO sensu strictiore. Eum jam in libera republica obtinuisse, constat ex Cicerone *de Finib. Bon. et Mal. I.* 7. Valer. Max. *VII.* 7. 2. Dione Cass. *XXXIX.* 17.

§. 15.

Adoptandi ritus per aes et libram.

Erat haec ADOPTIO actio legis, et hinc inter praesentes, adhibitis certis sollemnitatibus, peragenda apud Praetorem aut Praesidem h), aut quemcumque magistratum, apud quem erat legis actio: Ulpian. *VIII.* 1. *L.* 4. *D. de Adopt.* Gell. *Noctt. Att. V.* 19. Ritus adoptandi consistebat in trina venditione, adhibito aere et libra. Scilicet, praesentibus patre naturali et adoptivo, filioque adoptando, nec non libripende, antestato et quinque testibus, primo pater filium patri adoptivo mancipabat, verbis: MANCUPO TIBI HUNC FILIUM, QUI MEUS EST. Tum pater adoptivus, aes tenens, simulque adprehendens filium adoptivum: HUNC EGO HOMINEM, inquit, JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, ISQUE MIHI EMTUS EST HOC AERE, HAC AENEAQUE LIBRA. Tum aere, seu, ut olim vocabatur, *rauduscula*, id est, sestertio numo percutiebat libram, illudque aes dabat patri

---

h) A Principibus, quos multa sibi in adrogationibus indulsisse probat Dodwell. *Praelect. XVIII. ad Spartian. p.* 553. et domi adoptari poterat per aes et libram. Suet. *Aug. c.* 64.: *Cajum et Lucium adoptavit* DOMI, *per aes et libram, emtos a patre Agrippa.* Fortassis et privatis idem licebat, si ad eos venire vellent magistratus. Adoptio enim erat actus voluntariae jurisdictionis, quales actus nec tribunal, nec locum certum requirunt: *L.* 36. *pr. D. de Adoption.* Et tunc adoptionis sollemnitas aut in cubiculo, aut in atrio, coram lecto geniali perficiebatur. Quod patet ex loco Plin. *Paneg.* 8. *Itaque non tua in* CUBICULO, *sed in templo, nec ante* GENIALEM TORUM, *sed ante pulvinar Jovis optimi maximi, adoptio peracta est.* Erant vero geniales lecti, qui in nuptiis sternebantur in honorem genii, unde et geniales adpellati. Festus sub voce *genialis p.* 292. Et hinc etiam *lecti adversi* dicebantur, quia in atrio ex adverso januae erant collocati: Lips. *Elect. I.* 17. Scaliger ad Fest. sub voce *Putus p.* 143. Torrent. *ad Horat. Epist. I.* 4. *v.* 87. Non tamen inde collegerim, in adoptione matremfamilias partum simulasse, qualem ritum inter barbaros receptum fuisse, docet locus Diod. Sic. *Biblioth. Historic. L. IV.* 39.: *Illam adoptionem* (Herculis) *hoc modo factam perhibent: Juno lectum ingressa Herculem corpori suo admotum, ut verum imitaretur partum, μιμουμένην τὴν ἀληθινὴν γένεσιν, subter vestes ad terram demisit. Quem in hoc usque tempus adoptionis ritum* BARBARI *observant.* Exemplum ejusmodi adoptionis observare mihi videor Genes. *c.* 30. *v.* 3. ubi adoptionis quamdam speciem etiam deprehendit V. C. Jo. Clericus in *Not. ad Pentat. p.* 222. Apud Romanos vero nihil horum invenimus, nec poterat ibi hic ritus observari, partim quod matres neminem haberent in potestate, partim quod adoptio non tribueret jura cognationis. Dissentit tamen vir doctissimus, Everh. Otto in *Papiniano,* qui sane eruditissime hanc caussam egit, *c.* 7. *p.* 103. *sq.* et multo majore cum adparatu in *Jurisprudentia symbolica Exerc. III. c.* 4. *et sq. Hein.* Trekell de orig. atq. progressu testamenti factionis. C. III. §. 11. Nr. 4. *Haub.*

naturali, quasi pretii loco: Gajus [* genuinus *I.* §. 119. et] *apud* Boeth. *Comment. in Cicer. Topic.* 5. Ant. Schulting. *Jurisp. vet. antejust. p.* 54. Ea mancipatio ter erat repetenda [i]). Quo facto, pater naturalis in jure cedebat filium, et tum adoptio erat perfecta: Gell. *l. c. Adoptantur autem, quum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur* [k]). Et hoc quidem ritu per aes et libram adoptavit Augustus Cajum et Lucium: Suet. *Aug. c.* 64.

§. 16.

Qui potuerint adoptare et adoptari?

Quandoquidem ergo haec adoptio non in comitiis, sed coram magistratu fiebat: factum est inde, ut et sexagenariis minores adoptare possent, nec masculi solum, sed et feminae adoptarentur: Gaji *Inst. I.* 5. 2. Gell. *Noctt. Att. V.* 19.

§. 17.

Adrogatio per rescriptum Principis.

Et id quidem in antiqua illa liberaque republica obtinuit. Postea variae sensim adciderunt mutationes. Et primo quidem, comitiis cessantibus, Principes rescriptis suis adrogationes solebant concedere pariter, et confirmare. [Cujac. *Observ. XII.* 15.] Quod vel ideo jure facere poterant, quia simul erant Pontifices maximi, quorum erat, de adrogationibus dispicere: Raevard. *de auctor. prudent.* 6. Factum id esse exemplo Galbae, qui primus veterem ritum neglexit, non abs re suspicatur Ant. Schulting. *ad Ulpian. Fragm. VIII.* 2. *p.* 589. Certe jam Antonini Pii tempore adrogationes factas esse auctoritate Principum patet ex *L.* 38. *D. h. t.* Hac vero mutatione semel admissa, etiam feminae (*L.* 21. *D. h. t.*) et pupilli [l])

---

i) Si scilicet filii loco deberet esse adoptivus. Nam si quis in locum nepotis adoptaretur, unica mancipatione actus absolvebatur: Ulp. *Fragm. XII.* id quod etiam deinde in feminis observatum: Cujac. *Enarrat. ad d. L. ult. C. de Adopt. Hein.*

k) Id, quod etiam confirmat genuinus Gajus, I. 134. Caeterum, quae ibi leguntur: aut remancipantur parenti, *aut jure mancipantur*, ea sic intelligenda esse arbitror, ut remancipationis loco ab adoptivo patre faciendae, etiam in jure cessio adhiberi potuerit. *Mühl.*

l) Multa requisita hic erant observanda. Inquirebatur in adrogationis rationem, ne qua turpis caussa subesset: *L.* 17. *pr. D. h. t.* Expendebantur facultates tum adrogantis tum adrogandi, ejusque simul vita anteacta curiose excu-

(Ulp. *Fragm. VIII.* 5.) et quidem plures simul, (*L.* 15. §. 3. *D. h. t.*) poterant adrogari; sed non sine caussae cognitione, et observatis requisitis quam plurimis. Desierunt etiam antiquae sollemnitates et formulae, quas tamen novo edicto, nescio an actum agens, sustulit Justinianus: *L. ult. C. de Adopt.*

§. 18.

Adoptio per testamentum.

Erat et modus ADOPTANDI per TESTAMENTUM, non ab Imperatoribus demum, ut vulgo putant, inventus, sed jam tum libera adhuc republica receptus. Jam ab antiquissimis enim temporibus sollemne erat Romanis, heredes suos non in bona tantum, sed et nomen adsciscere. *Adsciscere* autem erat vocabulum adoptionis, de quo Jo. Frid. Gronov. *Diatr. ad Stat. p.* 26. Cicero *de Offic. III.* 18. Basilii meminit, qui M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluerit, eumque fecerit heredem. Et in *Bruto c.* 58. laudat Crassum, Liciniae filium, Crassi testamento adoptatum. Atticum quoque testamento morientis Caecilii fuisse adoptatum, adparet ex Corn. Nep. *Attic. c.* 5. Et Caesar ita instituerat Octavium: Suet. *Jul.* 83. Appian. *Bell. civil. II.* 142. qui etiam, cognita avunculi nece, statim Caesaris nomen adsumsit: Dio *XLV.* 3. Qua de re etiam Ovid. *Metamorph. L. XV. v.* 818.

Ut Deus adcedat coelo, templisque colatur,
Tu facies natusque suus; qui NOMINIS HERES,
Impositum feret Urbis onus, — — —

Eodem exemplo Augustius Liviam et Tiberium, heredes testamento scriptos, nomen suum ferre jussit: Suet. *Octav.* 101. Ex eo tempore frequentissima occurrunt ejusmodi adoptionum exempla. Ita enim a M. Gallio Senatore testamento adoptatus est Tiberius: Sueton. *Tiber. c.* 6. a Galba jam ante sollemniorem adrogationem Piso Frugi: Idem in *Galba c.* 17. conf. Tacit. *Ann. V.* 1. ab aliis

---

tiebatur: *L.* 17. *pr. D. h. t.* Exigebatur cautio, bona salva fore proximis adgnatis, si pupillus intra pubertatis annos decessisset: *L.* 18. 19. 20. *h. t.* Adrogator porro emancipare non poterat adrogatam, nisi caussa cognita, et redditis, quae habuerat, bonis, insuperque quarta bonorum suorum relicta: *L. ult. D. Si quid in fraud. patr.* Idque etiam in exheredatione erat observandum: *L.* 8. §. 15. *D. de Inoff. test.* Quae omnia ab Antonino sic inventa videntur, ut sensim in desuetudinem iret adrogatio impuberum. Vid. Ulpian. *Fragm. VIII.* 2. Thomas. *Diss. de usu pract. tit. Inst. de adopt. c.* §. 18. *p.* 84. *Hein.*

alii: *L. 7. in fine* et *L. 63. §. 10. D. ad SC. Trebell.* Sed ea heredis institutio proprie adoptio dici vix poterat, quum nemo ea redigeretur in patriam potestatem: Cujac. *Obs. VII.* 7. Nominis heredes erant; sed eos liberti paterni et alia familiae jura non sequebantur, quod tamen in aliis adoptionibus fiebat: Cujac. *Obs. VII.* 1. Unde mirum non est, quod adoptio per testamentum facta nonnumquam repetita, et more majorum vel lege curiata, vel per aes et libram iterum facta legitur. Augustus sane, testamento adoptatus a Caesare, eam adoptionem lege curiata confirmandam curavit, ut auctoritate legis adcederent, quae testamento nactus non erat: Appian. *Bell. civil. III.* 94. Et Tiberius, licet testamento nomen Augusti ferre jussus, ab eodem tamen post Caji et Lucii Caesarum mortem rite adrogatus fertur: Sueton. *Tiber. c.* 15. Imo quum libera republica mulieres adoptare nondum possent: solebant eae tamen jam eo tempore heredes ea lege instituere, ut nomen suum ferrent. Exemplum est apud Ciceron. *Epist. ad Att. VII.* 8. quod sane cum aliis argumento est, non veram fuisse hanc adoptionem, sed adoptionis simulacrum quoddam, quod praeter nomen et hereditatem nihil juris in adoptivum devolvit. Plura de hac adoptione per testamentum dabunt Briss. *de Form. VII. p.* 601. Huber. *Digress. I.* 2. 23. 2. et hujus filius amplissimus Zach. Huber. *Dissert. jurid. et philol. V.* 2. m).

§. 19.

Adoptivi olim in potestatem et gentem alienam transibant.

Ceterum patria potestas olim erat effectum adoptionis etiam stricte sic dictae. Unde et adoptivi cognomini suo, leviter inflexo, illius gentis, cujus ex sacris transierant, nomen adjiciebant, quamvis id non semper, nec eodem modo factum esse animadvertamus, quum aliquando patris naturalis et adoptivi nomen promiscue ferrent: Perizon. *Diss. I. p.* 97. et *Animadv. Histor. p.* 131. Spanhem. *de usu et praestant. numism. Tom. II. p.* 77. Quum Scipio Africanus minor ex Aemilia gente in Corneliam per adrogationem transiisset: vocatus est *P. Cornelius Scipio Aemilianus.* Et qui antea C. Octavius erat, adoptatus a Caesare, dictus est *C. Julius Caesar Octavia-*

---

m) Jo. Gu. Hoffmanni *singularia capita ex historia triumviratus;* in Fellenbergii jurisprud. antiqua T. II. p. 274. sqq. Dirksen *Vers. zur Krit. u. Ausleg. d. R. R.* p. 73. sqq. Nr. II. *Mühl.*

mus: Dio Cass. *XLVI.* 47. Solebant tamen etiam naturalis patris nomen nonnumquam suo adscribere, honoris caussa, imo eumdem adhuc patris vocabulo dignari in sermone familiari: Terent. *Adelph. V.* 7. *v.* 3. Exempla collegit V. C. Jac. Perizon. *Dissert. ad divin. constit. Deut. c.* 25. *v.* 5. 6. *p.* 89.

§. 20.

Justiniani mutatio.

At extremis temporibus Justinianus totum illum adoptionis ritum turbavit, jubens adoptatum ab alio, quam adscendente, non transire in alienam familiam et potestatem, et tamen jus successionis ab intestato consequi: *L.* 10. *princ.* §. 1. 2. *C. h. t.* Quo ipso in eam conditionem redacti sunt patres adoptivi, ut sine summa imprudentia adoptare non possent. De qua mutatione vid. Thomas. *Diss. adleg. c.* 1. §. 26. *p.* 40. *sq.* (et de Löhr in ipsius Grolmanique Magaz. T. III. Nr. XI.).

LIB. I. TIT. XII.

QUIBUS MODIS JUS PATRIAE POT. SOLVITUR.

Patriam potestatem ordinarie fuisse perpetuam, jam supra TIT. IX. ex Dionysio Halicarnasseo ostendimus. Nihilominus tamen proditi erant quidam modi, solvendi patriam potestatem, de quibus est hoc titulo agendum.

§. 1.

Patria potestas solvebatur I. morte naturali.

Et primo quidem MORS, quum omnia jura personalia tollat, non poterat non et liberos patria potestate liberare. Neque tamen morte avi nepotes liberabantur, si pater esset superstes, sed tunc in hujus potestatem recidebant, nisi is forte antea ab avo esset emancipatus. Vid. Gaji *Inst. I.* 6. *princ.* (seu: I. 127.) [a]). Quia enim patria potestas erat dominium Quiritarium, (vid. supra *Tit. IX.* §. 1.) non poterat non illud jure hereditario ab avo in patrem devolvi.

---

a) Poterat enim quis filium emancipare, et nepotes in potestate retinere, vel hos e sacris dimittere, retento in potestate sua filio, quod sollicite monetur §. 7. *Inst. h. t. Hein.*

§. 2.

Et II. civili.

Quum vero ex principiis juris Romani et ii, qui CAPITIS DEMINUTIONEM, vel maximam, vel mediam, fuerant passi, civiliter mortui viderentur: *L.* 63. §. *fin. D. Pro socio*, factum est, ut vel patre, vel filio capite deminuto, patria potestas solveretur. Erat enim haec propria civium Romanorum. Maxima vero capitis deminutio servos, media ἀπόλιδας efficiebat. Atqui servi et peregrini nec habere, nec esse poterant in patria potestate: Plin. *Epist. X.* 6.

§. 3.

Quae tamen jure postlim. et restitutione tollebatur.

Hinc captivitate, servitute poenae, aquae et ignis interdictione, deportatione, sive patris sive filii, potestas patria cessabat [b]). Priori tamen casu illa postliminio, (Gaji *Inst. I.* 6. 3.) posterioribus restitutione plenaria poterat recuperari: *L.* 1. *C. de Sent. pass.* Ant. Schult. *ad Gaji Inst. I.* §. 1. *p.* 47.

§. 4.

Nec non III. adoptione.

Exspirabat etiam potestas patria ADOPTIONE: non quod filius sui juris fieret, sed quod in aliam gentem aliaque sacra transiret. Vid. supra *Tit. XI.* 19.

§. 5.

Et IV. emancipatione.

Sed praecipuus modus, quo patria potestas quam sollemnissime solvebatur, erat EMANCIPATIO, quae ob triplicem, quae subinde facta est, mutationem, in VETEREM, sive *legitimam*, ANASTASIANAM, et JUSTINIANEAM dividitur: §. 6. *Inst. h. t.* [c]).

---

b) Ergo durante captivitate jus patriae potestatis non *in suspenso* erat, ut loquitur Ulp. *Fragm. X.* 4. §. 5. *Inst. h. t.* sed plane perimebatur; et postliminii demum jure recuperabatur, quia fingebatur, postliminio reversum numquam in captivitate fuisse: *d.* §. 5. *Inst. h. t. L.* 16. *D. de Capt. et postlim.* Hinc captivo patre, liberi valide nuptias contrahere, testari, hereditates adire poterant. Ubi vero pater postliminio patriam potestatem receperat, filii ex nuptiis illis procreati in potestatem avi veniebant, bona a filiis adquisita ejus erant, testamentaque eorum nulla erant; at nuptias rescindere pater non fere poterat. Thomas. *Diss. ad h. t. c.* 1. §. 5. *p.* 5. sq. *Hein.* Cf. L. 9. §. 1. L. 10. L. 11. *D. de ritu nupt.* L. 12. §. 3. *D. de captiv. et postlim. Mühl.*

c) Gerl. Scheltinga Diss. I. II. *de emancipationib.* Francf. 1730. 1731. 4. et in Fellenbergii jurispr. ant. T. II. p. 449 — 550. *Haub.*

§. 6.

Cur dicta emancipatio?

Vetus illa erat actus legitimus, et hinc certis adhibitis formulis et sollemnitatibus, coram eo magistratu, apud quem erat legis actio, explicanda. Quum vero leges Romuli ac Decemvirorum ter venumdandi filios potestatem indulsissent patribus, statuissentque simul, ut tertium manumissus filius sui juris fieret (*supra Tit. IX.* 6.): commodissimum visum est Romanis, trina venditione imaginaria liberos e potestate dimitti. Quum vero omnes venditiones rerum mancipi per mancipationem fierent, id est, adhibito aere et libra: vid. Aleand. et Schulting. *ad Gaji Inst. I.* 6. 3. *p.* 31. *sq.*; consequens erat, ut et illa liberorum, quamvis imaginaria, venditio eodem ritu fieret. Et hinc dicta est EMANCIPATIO, de cujus vocabuli usu et significatione conferendi Barn. Brisson. *de Verbor. signif.* et Jo. Frid. Gronov. *ad Senec. Epist.* 45. *p.* 27.

§. 7.

Emancipationis veteris ritus d). *Testes praesentes. Libripens. Antestatus* e).

Quoties ergo fiebat emancipatio, adhibendi erant non minus quam quinque testes Romani cives f), et puberes, et praeterea alius ejusdem conditionis, qui libram teneret aeneam, unde et LIBRIPENS adpellabatur, nec non alius, qui ANTESTATUS audiebat. Fit ejus mentio etiam a Prisciano *Lib. VIII.* [* *c.* 4.] *apud Putsch. p.* 792. ubi verba Livii: *Impubes* LIBRIPENS *esse non potest, neque* ANTESTARI: nec non in marmore apud Gruter. *p. MLXXXI. n.* 1. ubi narratur, donationem et mancipationem factam LIBRIPENDE CLAUDIO DATIVO, ANTESTATO CORNELIO VICTORE. Ex quo lapide adparet, diversum a *libripende* fuisse *antestatum.* Quum vero ANTESTARI fuerit, *tactis auriculis alterum testem advocare*, et dicere: MEMENTO, QUOD ET MIHI IN ILLA CAUSSA TESTIS ERIS: Horat. *Serm. I.* 9. *v.* 76. et ibi Acron et Porphyr. *in Schol.*, isque ritus non solum in jus vocationi, sed et mancipationibus adcederet g): non abs res suspicantur viri

---

d) Unterholzner von den Formen der Emancipation, in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W. T. II. Nr. V. Haub.*

e) Caeterum genuinus Gajus nusquam meminit *antestati. Mühl.*

f) Ita Gajus apud Boeth. *Comment. ad Top. Cic.* 5. sed tamen et *Latinos Junianos* testes admitti consuevisse, docet Ulpian. *Fragm.* XX. 8. *Hein.*

g) Certe etiam in testamentis, quae fiebant aere et libra, adhibitas fuisse

docti, ANTESTATUM vocatum, qui testes convocabat, eorumque fidem, tacta auricula [h]), obtestabatur: Merill. *Observ. VIII.* 37. Fr. Brummer. *de Leg. Cinc. c.* 13. 14.

§. 8.

IV. Pater naturalis. V. Pater fiduciarius.

Praesentem porro adesse oportebat non solum patrem *naturalem*, sed et emtorem filii, quem Gajus PATREM FIDUCIARIUM vocat [i]). Hic enim non idem videtur fuisse, ac antestatus, quum et ceteroquin emtor in mancipationibus ab antestato differret. Dictus autem pater *fiduciarius* a contractu FIDUCIAE, qui in tertia mancipatione interponebatur, vel ex novis legibus tacite interpositus censebatur: §. *ult. Inst. de Legit. adgn. success.* FIDUCIAM *autem*, (inquit Boeth. *Comment. ad Cicer. Topic.* 4.) *accipit, cuicumque res aliqua mancipatur, ut remancipet.*

§. 9.

VI. Trinae mancipationes. VII. Additum pactum fiduciae.

His ergo praesentibus, naturalis pater filium suum emtori mancipabat, id est, manu tradebat additis verbis: MANCUPO TIBI HUNC FILIUM, QUI MEUS EST. At ille contra ea: HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, ISQUE MIHI EMTUS EST HOC AERE, HAC AENEAQUE LIBRA: statimque, percussa libra, sestertium numum [k]) dicis caussa tradebat ei, a quo filium acceperat, quem deinde sollemniter manumittebat emtor. Quandoquidem vero ex

---

ὤτων ἐπιψαύσεις, *aurium tactiones*, patet ex Clem. Alex. *Strom. V.* p. 575. Conf. Brumm. *de Lege Cinc.* c. 13. 14. *Hein.*

h) Serv. *ad Eclog. VI. v.* 3. *Aures memoriae sacrae, id est, Minervae.* Cui ideo aures argenteas ex voto solvit quidam apud Gruter. *Inscr. p. m. LXI.* 1. Eo adludere Trebatium *L.* 21. *pr. D. de Furt.* censet V. A. Ev. Otto *de Jurispr. symbol. Ex. II.* c. 3. *p.* 144. *Hein.*

i) Nimirum Visigothorum Gajus. Nam genuinis Gaji institutionibus is, cui filius mancipatur, hoc nomine non appellatur. *Mühl.*

k) Apud Gajum est: *Unum aut duos numos.* Id vero procul dubio ab Aniano est. In mancipationibus semper requirebatur *numus unus, quatuor assium,* id est, sestertius. Testes sunt inscriptiones apud Gruterum, et Spon. *Miscell. p. CCXCII.* in quibus semper in mancipationibus mentio fit SESTERTII NUMI UNIUS. Testantur veteres auctores, veluti Vitruv. *Architect. I.* 4.: *Numo sestertio mancipio dedit.* Testatur ipsum jus nostrum: *L. ult. C. de Donat.* ubi conferri merentur Cujac. *Obs.* X. 37. *XIX.* 31. Ant. Augustin. *Emend. II.* 7. Frid. Brummer. *de lege Cinc.* c. 14. *Hein.*

principiis juris Romani filius, semel iterumque manumissus, in potestatem patris recidebat: Dionys. Hal. *II.* 27. non poterat non imaginaria ista venditio ter repeti. Ubi postrema fiebat mancipatio, contractus fiduciae adcedebat, paterque naturalis haec verba addebat: EGO VERO HUNC FILIUM MEUM TIBI MANCUPO, EA CONDITIONE, UT MIHI EMANCUPES, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TUAMQUE FIDEM FRAUDER: Cic. *de Officiis III.* 15. *ad Div. VII.* 12. Sigon. *de Judic. I.* 5. Ille contra statim, recepto sestertio, filium patri naturali remancipabat. Quod ideo a Romanis excogitatum fuerat, ut ne, si a fiduciario manumitteretur, hic jura patronatus retineret, et naturalem patrem hereditate excluderet: Gaji *Inst. I.* 6. *p. m.* 59. Remancipatum ergo sibi filium pater naturalis denique manumittebat, et quidem ordinario vindictae ritu, additis alapis. Unde emancipatio olim *μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων cum injuriis et alapis* facta dicitur: *Novell.* 81. *Praef.* Horum rituum omnium notitiam debemus Gajo *Inst. I.* 6. 3. sed pessime habito ab Aniano, unde pleraque ex doctorum virorum notis, et maxime Fr. Brummeri victuro opere *de lege Cincia*, vel emendanda, vel supplenda fuerunt [1]).

§. 10.

Circumstantiae temporis.

Poterant porro trinae istae mancipationes vel eodem die, iisdemque testibus, vel interjectis aliquot diebus, aliisque adhibitis testibus, seorsum fieri: Paull. *Receptt. Sententt. II.* 25. 2.

§. 11.

Unica mancipatio sufficiebat in emancipatione filiae et nepotum.

Opus quoque his sollemnitatibus ter repetitis erat dumtaxat in emancipatione filii, quum filiae et nepotes unica tantum mancipatione patria potestate exirent. Addebatur tamen et hic fiducia de remancipatione, ut ne pater naturalis spem successionis ab intestato amitteret; Gaji *Inst. l. c.* Ulpian. *Fragm. X.* 1.

§. 12.

Emancipatio Anastasiana.

Et haec est vetus illa ac sollemnis emancipatio, quae, ut aliae

1) Jam meliora haurire licet e genuinis Gaji institutionibus I. §. 132 — 137, licet partim mutilatis. *Mühl.*

formulae ac sollemnitates, displicere posteritati coepit. Quare ANASTASIUS Imperator novum invenit emancipandi modum, qui solum Principis rescriptum judici insinuandum exigeret, et omnia tamen veteris emancipationis effecta haberet: *L.* 5. *C. de Emanc. liber.* [Quemadmodum enim per rescriptum Principis aliquis redigi poterat in patriam potestatem: *L. ult. D. de Adopt.* rescripto merito et ea solvebatur: *L.* 35. *D. de Regul. jur.*]

§. 13.

Emancipatio nova vel Justinianea.

Deinde JUSTINIANUS, et has aboliturus ambages, Anastasianam quidem emancipationem non sustulit, sed tamen patribus permisit, ut statim adirent magistratum competentem, et coram eo, consentiente filio, filium se e potestate dimissuros esse, ostenderent: *L. ult. C. de Emancip. liber.* Idque hac fiebat formula: HUNC SUI JURIS ESSE PATIOR, MEAQUE MANU MITTO: Harmenop. *Prompt. I.* 17. 8. Sed posterioribus his speciebus nomen EMANCIPATIONIS vix quadrare, satis adparet.

§. 14.

Dignitas olim non solvebat patriam potestatem.

Postremus modus, quo patria potestas solvebatur, erat DIGNITAS. Et quamvis Dionysius Halic. *II.* 26. nullam dignitatem patria potestate liberasse contendat: jam ab antiquissimis tamen temporibus Flamines Diales et Virgines Vestales patria potestate liberabantur: Ulpian. *Fragm. X.* 5. Gell. *Noct. Attic. I.* 12. Id quod tamen non tam ob dignitatem, quam ideo potius factum videtur, quia tum Flamines Diales, tum Vestales virgines a Pontificibus manu capiebantur[m]). Quum ergo capti ex principiis juris Romani capite deminui dicerentur, et hinc jure patriae potestatis exirent: mirum non est, utrumque etiam hoc sacerdotium eam potestatem solvisse. De ritu capiendi Vestales vid. Dionys. Hal. *II.* 67. apud quem, quod obiter moneo, verbum *αἱρουμένων* Sylburgius parum adcurate vertit *optandi*, quum vertendum fuisset *capiendi:* Gell. *I.* 12. Lips. *de Vesta et Vestal.* 5. Flaminis Dialis capti meminit Liv. *XXVII.* 8. ubi conf. Jac. Guther. *de vet. jur. Pontif. I.* 32. Quin et

m) Non haec ratio valet; tum enim et Pontifices et Augures, qui quoque *capi* dicuntur Gellio *l. c.* 12. patria potestate exirent. *Cann.*

Flaminicae, id est, uxores Flaminum Dialium, patria potestate exibant, quod SCto demum coarctatum tempore Tiberii: Tacit. *Annal. IV.* 16. (Vid. quae ad §. 6. Tit. VI. adnotavimus. *Mühl.*)

§. 15.

Justinianus tamen patria potestate exire voluit Patricios.

At Justinianus postea et *Patriciatus* dignitatem immunem esse jussit a patrio imperio: *L. fin. C. de Consul.* §. 4. *Inst. h. t.* Ante Justinianum enim Patriciatum a patria potestate non liberasse, idque frustra ex Cassiodori *Var. VI.* 2. colligi, contra Vinn. *ad* §. 4. *Inst. h. t.* et Bachov. *in Disp. ad Treutl. Vol. II. Disp.* 2. *th. ult.* adcurate evicit V. C. Reinold. *Var. c.* 19. Cave vero hic intelligas antiquos illos patricios, quos in libera republica plebejis oppositos constat. Constantinus enim Magnus praecipuos rerum administros vocare solebat Patricios, ut se quasi Principum patres esse meminissent. Ii ipsos Praefectos Praetorio ordine anteibant: Zosim. *Hist. II.* 40. nec minor, quam horum, in imperio erat auctoritas. Quemadmodum enim Praefecti proponebant edicta, quae deinde in unum corpus collecta τῶν ἐπαρχικῶν nomine veniebant: ita idem jus erat Patriciis, quorum edicta collecta τὰ Ῥωμαϊκά dicebantur, sicuti ipsorum Principum βασιλικά. Vid. Cujac. *Obs. VI.* 10. Unde parum adcurate Dionys. Gothofred. in *Nomenclatore Graecar. jur. diction. ad Harmenopul. p.* 447. Ῥωμαϊκὰ τοῦ μαγίστρου λεγόμενα, *constitutiones Romani Imp. aut potius Commentarius magistri ad Romani constitutiones, aut certe liber a magistro, Romani nomine, compositus suisque titulis distinctus, aut potius aliud* Ῥωμαϊκά, *aliud* τὰ τοῦ μαγίστρου λεγόμενα. Ubi sane dum plures conjecturas repraesentat, a re plane aberrat Vir doctissimus [n]). Ceterum et posteris ea dignitas summa semper et splendidissima visa est. Vid. Cassiodor. *Var. VI.* 2.

§. 16.

Et Episcopos.

Idem beneficium deinde Justinianus cum Episcopis, quin et cum aliis, qui magistratuum honoratiorum dignitate pollerent, veluti cum *Consulibus, Consularibus, Praefectis Praetorio, et Urbi, Magistris militum* et *Patronis fisci* communicavit: *Novell. LXXXI.*

---

n) Cf. A. Gu. Crameri dispunct. jur. civ. (Suer. 1792) c. 5. „Ῥωμαϊκὰ τοῦ μαγίστρου quid?" *Mühl.*

§. 17.

De caussis emancipandi necessariis.

Adcedebant quaedam caussae, ob quas parentes etiam inviti cogerentur liberos e potestate dimittere, de quibus passim jureconsulti. Conf. Thomas. *Dissert. de usu pract. hujus tit. c.* 1. §. 15. 16. et quae nos diximus in *Elem. Jur. Civ.* §. 198.

ADPENDIX HUJUS TITULI. (*Mühl.*)

DE HIS,

QUI IN MANCIPIO SUNT.

Jam iis expositis, quae de potestate et manu dicenda erant, reliquum est, ut de mancipii jure et causis quaedam subjiciamus [a]).

§. 1.

Mancipii jus in quo constiterit.

Et qui in mancipio erant, licet proprie non essent servi, tamen servorum loco habiti sunt [b]). Poterant itaque mancipari sicut servi, iisdemque modis manumitti [c]), quo quidem facto velut patronorum jus consequebantur manumissores [d]). Acquirebant etiam ei, cujus in mancipio erant, rerum proprietatem, tum vero obligationes [e]); num possessio quoque per eos quaereretur? dubitabatur [f]). Caeteroquin longe alia eorum erat conditio, ac servorum. Nam nec possidebantur [g]), nec contumeliosi quicquam adversus eos agere licebat his, quorum in mancipio erant [h]), nec obligationum ab ipsis contractarum nomine eodem jure usi sunt creditores, ut ii, quibus cum servis aut filiisfamilias res erat [i]). Praeterea quum

---

a) Gaji inst. I. 49. 116. 123. 138 — 141. II. 86. 90. 96. IV. 79 — 81. — E. Böcking *de mancipii causis.* Berol. 1826. 8.

b) Gaj. I. 138.

c) Gaj. I. 117. 138.

d) Gaj. I. 166. et Ulp. in collat. LL. Mos. XVI. cap. 9. §. 2.

e) Gaj. II. 86. 90. III. 163.

f) Causam dubitationis Gajus affert hanc: „quia ipsas (personas) non possidemus;" inst. II. §. 90. — Vid. Savigny d. Recht d. Besitzes §. 26. p. 359. ed. XI.

g) Gaj. II. 90,

h) Gaj. I. 141. — — „alioquin injuriarum actione tenebimur."

i) Gaj. IV. 80. — — „quod vero ad personas, quae in manu mancipiove sunt — — — — —, nisi ab eo, cujus juri subjectae sunt, in solidum defendantur, bona, quae eorum futura forent, si ejus juri subjectae non essent, veneunt." — Neque vero noxae dari poterant; arg. eorum, quae ap. Gaj. leguntur IV. §. 75 — 80.

de manumissionibus illorum ageretur, locus non erat legibus, quibus manumittendi licentia coërcebatur [k]); quin etiam, invito eo, cujus in mancipio erant, *censu* libertatem consequi poterant, excepto eo, qui aut ex noxali causa mancipio datus est, aut quem pater ea lege mancipio dedit, ut sibi remanciparetur [l]). Denique manumissio non obfuit natalibus s. ingenuitati ipsorum [m]).

§. 2.

De causis mancipii.

In mancipio erant liberi homines, iique jure mancipati. Singulae autem mancipii causae ad duplex summum genus revocari possunt: nam aut vere id agebatur, ut servorum loco liberi homines apud eum essent, cui mancipabantur, aut *dicis causa* fiebat mancipatio. In priore genere inerant filiorum filiarumvefamilias et venditiones, serio animo factae, et noxae dationes, quas quidem solas, ut suo etiam tempore usu retentas, Gajus commemorat [n]). Ad alterum genus pertinebant mancipationes, quae contracta fiducia fieri solitae sunt. Jam vero *fiduciam contrahere* generatim significabat: rem aliquam vel hominem imaginariae venditionis specie ad alium transferre hac lege, ut, quod eo modo acceptum sit, quandoque remanciparetur, aliove modo e manu mitteretur [o]); unde fiduciaria actione cum accipiente agebatur [p]). Et de rebus quidem aut cum creditore pignoris jure fiducia contrahebatur, aut cum amico (i. e. depositario), quo tutius res apud eum esset [q]). De personis vero aut propter emancipationes, aut propter coëmtiones cum extraneo faciendas. Quoniam autem de utroque fiduciae genere jam supra a nobis expositum est [r]), nonnulla hic velut supplementorum loco monere

---

k) Gaj. I. 139.

l) Gaj. I. 140. „nam quodammodo tunc pater potestatem propriam reservare sibi videtur eo ipso, quod mancipio recipit."

m) Arg. §. fin. *I. de ingen.* L. 2. et 8. *C. de ingen. manumiss.* L. 10. *C. de patr. pot.*

n) *Inst.* I. 140. 141.

o) Universim de hoc argumento egerunt: F. C. Conradi *Exerc. I. II. de pacto fiduciae.* Helmst. 1732. 33. 4. (et in *script. min.* ed. ab L. Pernice Vol. I. Num. IV. p. 177 — 254). H. A. Zachariae comm. *de fiducia.* Gott. 1830.

p) V. Paulli *rec. sent.* II. Tit. 13. §. 5.

q) Gaj. II. 60.

r) Tit. X. §. 12. et Tit. XII. §. 7 — 11. — Cf. et Rudorff das Recht der Vormundsch. T I. §. 31. et infra not. t.

sufficiat. Jam in emancipationibus faciendis medio tempore inter mancipationes et remancipationes in mancipio erat homo extranei (patris fiduciarii). Hi vero, qui ex filio semel iterumve mancipato concepti erant, licet post tertiam mancipationem nascerentur, in avi erant potestate; in tertia mancipatione concepti, si quidem pater ipsorum ex mancipatione manumitteretur, in hujus potestatem cadebant, sin is, dum in mancipio esset, decederet, sui juris effecti sunt [s]). In *coëmtionibus*, quae *fiduciae causa* fiebant, primum mulier in manu erat coëmtionatoris, dein ejus in mancipio, cui, ipsa volente, manumissionis causa [t]) remancipata est [u]). — Caeterum Justinianus et liberorum noxae deditiones, et imaginarias venditiones in emancipationibus celebrandas sustulit [x]), quum jam antea coëmtionum usus abolevisset; unde sponte intelligi potest, quare factum sit, ut de manus mancipiique jure nihil legatur in Justinianei juris collectionibus.

LIB. I. TIT. XIII. USQUE AD XV. ET TIT. XVII. USQUE AD XX.

DE

TUTELIS TESTAMENTARIA, LEGITIMA, DATIVA.

Sequitur tertia personarum divisio, aut subdivisio potius personarum sui juris. Harum enim *quaedam* in TUTELA, *aliae* in CURATIONE sunt, *quaedam* NEUTRO JURE *tenentur: princ. Inst. h. t.* (Gaj. I. 142). Ipsa tutela curaque eorum, qui per aetatem vel imbecillitatem intellectus se ipsi defendere nequeunt, est juris gentium, et hinc apud omnes peraeque gentes recepta. Vid. Selden. *de uxore Hebr. II.* 3. Pufend. *Jur. Nat. et Gent. IV.* 4. Sed Romani in multis a simplicitate ista juris naturalis deflexerunt. Unde apud eos alia tutela IMPUBERUM, alia curatio MINORUM, aliorumque, qui rebus suis

s) Gaj. I. 135.

t) Etenim fieri non potuit, ut e manu patriaque potestate *recta via* manumitterentur homines. Vid. Theophil. paraphr. Inst. Lib. I. Tit. 12. §. 6. et Rudorff l. l. p. 234.

u) Gaj. I. 115. 195.

x) §. 7. *I. de noxalib. action.* — §. 6. *I. quibus mod. jus. pot. solv.* L. ult. C. *de emancipat.*

ipsi superesse non poterant, alia tutela FEMINARUM. De omnibus ex antiquitatibus Romanis nonnulla monenda [a]).

§. 1.

Tit. XIII. Tutela Romae antiquissima.

TUTELA IMPUBERUM tam antiqua est, ut et sub Regibus ejus exemplum reperiamus. Ancum enim Marcium filiis tutorem dedisse L. Tarquinium Priscum, patet ex Liv. *I.* 46. Quum ergo Tarquinius nec adgnatus fuerit, nec eo tempore leges de tutela dativa exstarent, adeoque ea tutela procul dubio testamentaria [b]) fuerit: sequitur, ut haec sit reliquis antiquior.

§. 2.

Tit. XIV. Lex XII Tabularum de tutela testamentaria.

Certe et legibus XII Tabularum ea tutelae species firmata est, prospectumque, ut patri de liberorum tutela in testamento disponendi facultas esset. Legitima verba ex Auctore ad Herennium, Cicerone, Ulpiano et Paullo ita restituit Jac. Gothofredus *de Legg. XII Tabb. V.* 1. PATER FAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER PECUNIAE, TUTELAEVE SUAE REI, ITA JUS ESTO [c]). *Legare* hic non solum singulas res testamento relinquere, sed et omne testamentarium negotium denotat, idemque adeo est, ac *testari*, seu *testamento statuere*, vel *decernere*. Est enim *legare*, sicuti syllabae primae quantitas docet, a Graeco vetusto λήχειν vel λήγειν, unde futurum λήξω, quod verbo

---

a) Ad universum locum de tutelae jure antiquo cf. J. G. Seger *Diss. Historia juris Romani liberae reipublicae de tutelis et curationib.* Lips. 1760. 4. et in opusc. Vol. I. p. 61 — 110. nec non v. Löhr *über die Röm. Begriffe von Tutel u. Curatel.* Wetzl. 1809. et in Ejusd. *Mag. für R. W.* u. s. w. T. III. Num. 1. p. 1 — 71. *Haub.* Passim etiam de antiquiore jure disputat A. A. F. Rudorff in libro: *das Recht der Vormundschaft.* T. I—III. Berl. 1832—1834. *Mühl.*

b) Testamenti factio et ante Romam conditam in Italia viguit. Sic Procas, rex Albanus, Numitori filio, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum silviae gentis legasse dicitur Livio *I.* 3. Exemplum Lucumonis in Tuscia, temporibus Romuli vel Numae viventis et testamento praetereuntis postumum nepotem, habet idem *I.* 34. *Hein.*

c) Wielingius in *Lectionibus juris L. II. c.* 17. tutelae mentionem in legibus XII tabb. non factam statuit, sed tutelam illam ex interpretatione prudentum inductam. Ego Heineccium sequor, quo tamen plures conjecturae ducunt. Fallitur Heineccius in interpretatione verborum *suae rei*, nec res mancipi fuere liberi. *Cann.* Imo incivile utique est, in rerum censu haberi liberos; Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 97. not. 228. Vid. etiam, quae de loci et lectione et interpretatione infra (ad not. d) observata sunt. *Mühl.*

λαγχάνω tribuunt Grammatici: λῆξις *hereditas*, et ληξίαρχος *magistratus Atheniensium.* In primis autem LEGARE Latinis erat legis modo disponere, mandare, legem dicere rebus suis, νομοθετεῖν, ut infra *ad titulum de Legatis* docebimus. *Super pecuniae tutelaeve* ἀρχαϊκῶς dicitur. Non enim raro antiqui exemplo Graecorum casum secundum pro sexto adhibebant. Sic in marmore Salernitanorum apud Grut. *Inscriptt. p. CCCXLIII.* 2.

ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO
PRIMARIO. VIRO. ET. EDITORI
MUNERIS. SUI. CUM. FERARUM
LIBYCARUM. QUI. VIXIT. ANN
XXX. DIGNISSIMO. FILIO
sic sic
CONSACRABERUNT

Pecunia porro non solum numos, sed et omnem substantiam testatoris, imo et jura complectitur. *Quidquid enim homines possident in terra, quorum domini sunt,* PECUNIA *vocatur, servus sit, vas, ager, arbor, pecus: quidquid horum est,* PECUNIA *vocatur,* inquit Augustinus *de doctrin. Christ. VI. p.* 585. *Tom. VI. Opp.* plane juridice, uti patet ex *L.* 222. *D. de Verb. signif.* Denique SUAE REI dum additur, id sane referendum ad ipsos liberos [d]), qui jure veteri erant in dominio Quiritario, adeoque RES MANCIPI. (*Lib. II. Tit. I.* §. 15.) Sensus ergo est: quamcumque legem paterfamilias in testamento suo dixerit, et quocumque modo disposuerit, et de rebus suis, et de ipsis bonis ac facultatibus eorum, (scilicet per substitutionem pupillarem), ita ratum post mortem futurum. Quum enim antea sub

d) Unde non est, quod lectionem hanc sollicitet V. C. Gerard. Noodt *Obs. II.* 19. ubi legi jubet: *Super tutela pecuniave sua,* additque, *tutelam suam* idem esse ac tutelam ejus, qui suus testatori heres sit. Nemo enim temere ita loqueretur. Nec obstat, tutelam non habere locum in liberis, dum sunt *res suae,* id est, in patria potestate constituti. Legat enim pater de tutela suae rei, sed in eum casum, quo liberi futuri sint capita libera. *Hein.* In legitimorum verborum restitutione Heineccius, praeter eos, quos allegat, auctores, maxime secutus est Florentinam Leg. 53. pr. *de verb. signif.* lectionem. At non est quod dubitemus, quin ita locus restituendus sit (ex Ulp. Fr. XI. 14.): *uti legassit super pecunia tutelave suae rei, ita jus esto* (Dirksen *Krit. u. Herstellung der Zwölf-Tafel Fragm.* p. 324 — 338), hoc quidem sensu: *uti quisque legem dixerit suae rei, sive super pecunia, sive super tutela, ita jus esto.* Vid. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 97. sq. not. 228. *Mühl.*

Regibus calatis comitiis testamenta fierent, adeoque heredum tutorumque institutio a populi magis arbitrio, quam voluntate testatoris, penderet: mutatum id est lege decemvirali, permissumque patrifamilias cuivis, de tutela pecuniaque suae rei, id est, liberorum suorum, liberrime disponere.

§. 3.

Tutelae testamentariae indoles.

Si quis ergo paterfamilias liberis, quos in potestate habebat, sive liberos, sive servos suos, hos tamen cum libertate, tutores dederat [e]): ii sine satisdatione atque inquisitione admittebantur, ipsosque excludebant legitimos, dummodo essent cives. Nam Latini Juniani, quamvis cum iis esset testamenti factio, tutores tamen dari non poterant per legem Juniam: Ulpian. *Fragm. XI.* 16. Quin vero fundamentum hujus tutelae testamentariae erat patria potestas: consequens erat, ut et nepotibus, qui in patris potestatem defuncto avo non essent recasuri, et exheredatis impuberibus tutores testamento constitui possent. Vid. *L.* 4. et 26. §. 2. et *L.* 31. *D. de Test. tut.* Et inde simul patet ratio, cur mater tutores testamento dare non posset: *L.* 2. *D. de Confirm. tut.* quamvis tutor ab ea datus confirmari soleret cum inquisitione, modo ea pupillum simul heredem instituisset: *L.* 4. *D. de Test. tut. L.* 4. *D. de Conf. tut. L.* 7. §. 1. *L.* 8. *D. eod.* Quae confirmatio et aliis casibus, quibus tutoris dationi vitii quid inesse videbatur, adcedere solebat, ceu JCti pluribus docent in libellis suis.

§. 4.

Tit. XV. Lex XII Tabb. de Tutela adgnatorum legitima.

Quum vero contingere posset, ut intestatus, saltem quod ad tutelam, decederet paterfamilias: iisdem legibus decemviralibus fuerat constitutum: AT SI INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, ADGNATUS PROXIMUS TUTELAM NANCITOR: Gothofred. *ad XII Tabb. V.* 4. (Vid. tamen quae monuit Schilling *Bem. üb. R. G. p.* 55). Et ab hac lege LEGITIMA dicta est tutela, ad quam adgnati ab ipsa lege vocabantur.

§. 5.

Origo hujus tutelae.

Quaenam sit hujus LEGITIMAE TUTELAE origo, eruditis nondum

e) Formulas, quibus in testamentis usi Romani, si tutores dare vellent, collegit Brisson. *de Form. VII. p.* 616. *Hein.*

liquet. Veteres legislatores mirifice hic discreparunt. Solon adgnatos a tutela prohibuerat, veritus procul dubio, ne hereditatem capere mallent, quam exspectare. Hinc potius cognatis credidit pupillos, nec proximis tamen semper, sed quoscumque Archontes idoneos judicassent: Diog. Laert. *I.* 56. Petit. *de legg. Attic. VI.* 7. Charondas contra, sejuncta educationis bonorumque cura, illam penes cognatos, hanc penes adgnatos esse voluit, quum nec illi tollendi e medio pupilli, nec hi dissipandarum facultatum ullam haberent caussam: Diod. Sic. *Biblioth. XII. p.* 81. Denique Lycurgus adgnatos proximos ad tutelam vocavit, forsan quod in tanta Spartanorum continentia et paupertate non admodum metuerentur insidiae. Exemplum sane legitimae adgnatorum tutelae Spartae receptae est apud Herodot. *I.* 65. ubi ipse Lycurgus dicitur ἐπιτροπεύσας Λεωβώτεω, ἀδελφιδέου μὲν ἑωϋτοῦ, βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων. *Tutor, et idem patruus Leoboti Spartiatarum Regis.* Add. Crag. *de Rep. Lac. II.* 11. Spartanos ergo imitati videntur Decemviri. Lacedaemoniorum sane non minus, quam aliorum Graecorum, instituta quaedam in XII tabulas migrasse, jamdudum observarunt Athenaeus *VI. p.* 273. Symmach. *Epist. III.* 11. Ammian. Marcellin. *XVI.* 5.

§. 6.

Tutela legitima occasionem dedit fraudibus heredipetarum.

Satisne vero prudenter eam Spartanorum legem civitate donarint Decemviri, alii viderint. Non sane tanta erat Romanorum, quanta Laconum, continentia, non idem utrobique divitiarum contemtus. Hinc tot iniquissimi heredipetae, quorum characterem egregie expresserunt Pers. *Sat. II. v.* 12. 13. Horat. *Serm. II.* 5. Juvenal. *Sat. V. v.* 98. *VI. v.* 38. *XII. v.* 93. Martial. *Epigr. VI.* 63. *VIII.* 17. Thomas. *Dissert. de injusto jure heredipet.* §. *XIV. sq.* Bynkersh. *de captator. institutt. p.* 303. *sq.* An religioni sibi duxerint homines tam lucri cupidi, pupillum, cujus proximi heredes erant, interimere? [cf. §. 3. *Inst. de Pup. substit.* Sueton. *Galb. c.* 9.] Unde mirum est, legislatoriam Decemvirorum prudentiam hac in re quosdam tantopere admirari.

§. 7.

Tit. XVII. Origo legitimae patronorum tutelae.

In iisdem porro XII tabulis erat constitutum: SI LIBERTUS INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, AT PATRONUS PATRO-

NIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECUNIA DUITOR: Gothofr. *ad XII. Tabb. VI.* 2. Et ex hac quidem lege, defuncto sine prole liberto, patronus [f]), vel, hoc praemortuo, ejusdem liberi in capita succedebant ab intestato, remotioresque excludebant: *L.* 23. §. 1. *D. de Bon. libert.* Ulpian. *Fragm. XXIX.* 1. Quum ergo jam dudum Romae valuisset regula: ***ubi successionis emolumentum, ibi et tutelae onus esse debere:*** aequum visum est Jureconsultis, ut etiam in tutela patronorum essent liberti eorumque liberi: *L.* 3. *pr.* et §. 1. *D. de Legit. tut.* Et hinc nata legitima PATRONORUM TUTELA, quam ***per consequentiam ex lege duodecim tabularum introductam***, recte ait Ulpian. *Fragm. XI.* 3.

§. 8.

Tit. XVIII. Origo legitimae parentum tutelae, Tit. XIX. ut et tutelae fiduciariae.

Diximus supra Tit. XII. §. 9. patrem naturalem, emancipantem liberos, ultimae mancipationi addidisse pactum *fiduciae:* EGO VERO HUNC FILIUM MEUM TIBI MANCUPO EA CONDITIONE, UT MIHI REMANCUPES, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TUAMQUE FIDEM FRAUDER. Diximus etiam, tunc emtorem, seu patrem fiduciarium, filium sibi mancipatum patri naturali remancipasse, a quo demum fuerit per vindictam manumissus. Diximus denique, id ideo factum esse, ut pater naturalis jura patronatus, conjunctamque cum iis spem succedendi ab intestato, retineret. Vid. supra *Lib. I. Tit. XII.* §. 8. 9. Quum ergo penes patrem, tamquam patronum, spes remaneret successionis: ex prudentum interpretatione deferenda etiam ei videbatur tutela legitima, si filius emancipatus adhuc esset impubes. Mortuo porro patre, fratres istius emancipati natu majores, si essent majorennes, ad tutelam vocabantur. Quum vero hi non essent fratris emancipati heredes ab intestato, tutela illa non poterat dici adgnati. Vocata ergo est FIDUCIARIA, ab illo pacto fiduciae, quod in emancipatione intercesserat. Quamvis ex Ulpiano pateat, olim non legitimam fratrum, sed ipsam parentum tutelam dictam esse *fiduciariam:* idque vel ideo concinnius sit vocabulum, quod pactum illud fiduciae non frater, sed pater emancipans interponeret. Ita tamen et Modestinus hanc tutelam vocat

---

f) Quippe proximus veluti adgnatus, uti diserte monet constitutio Graeca Justiniani, quam ex Basilicis restituit Cujac. *Observ.* XX. 34. quia adgnati videntur libertorum, qui illos manumiserunt.

L. 4. *D. de legit. tut.* (et Justinianus, in tit. *de fiduciaria tutela*). Vid. Ant. Schulting. *ad Ulpian. Fragm. XI.* 5. *p.* 595. Huber. *Digress. I.* 1. 4. g).

§. 9.

Tit. XX. Lex Atilia de tutore dativo quando lata.

Enimvero, quum non deessent casus, quibus et testamentarii et legitimi tutores deficerent: visum est Romanis, nova lege cavere, ut impuberibus tunc tutores a magistratibus DARENTUR. Factum ergo ea de re plebiscitum, quod LEGIS ATILIAE h) nomine in jure laudatur. Tempus hujus legis latae incertum est, nisi quod, eam ante annum ab U. C. DLXVII. conditam, doceri possit ex Livio

g) De fiduciaria tutela: Gebaueri *Exerc. V. ad Ord. Institt.* p. 304 — 334. et Zimmern *über fiduciaria tutela;* in Dessen u. Neustetel *Röm. rechtlichen Untersuchungen für Wissensch. u. Ausüb. Num.* 8. p. 142 — 154. *Haub.* Cf. Rudorff l. l. §. 31. — Fiduciariae tutelae nomen ex eo esse profectum, quod et emancipationes et coëmtiones cum extraneo contracta fiducia fierent, quis dubitet? Neque repugnabo, parentis quoque tutelam hoc nomine esse appellatam a veteribus. (Vid. Gaj. I. 172). At proprio quodam loquendi genere parentum tutela sejungitur a fiduciariis tutelis, i. e. ab iis, quae praeterea efficiuntur contracta fiducia. Et harum in numero inprimis erant quum extranei manumissoris, tum vero ejus tutela, cui a coëmtionatore manumissionis causa remancipata est mulier. (Gaj. I. 166. Ulp. *Fragm.* XI. 5. „Qui liberum caput, mancipatum sibi vel a parente vel a coëmtionatore, manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur." Quem locum falso allegat Auctor suae confirmandae sententiae causa, nimirum ab Ulpiano parentum tutelam dici *fiduciariam*. Frustra etiam Theophilo testimonium denuntiant, quasi is emancipantium parentum tutelae nomen tribuat fiduciariae, in pr. *I. de curatorib.* Qui quidem error e falsa verborum distinctione emanavit, jam ab ipso Reitzio correcta, in addend. et corrigend. P. I. praem. p. LXIX. Vid. Mühlenbr. *Doctrina pand.* Vol. III. §. 583. not. 7. Porro liberi quoque emancipatoris fiduciarii tutoris loco habiti (Gaj. I. 175.) eoque ipso nomine insigniti sunt (Vid. L. 4. D. *de legit. tut.* et Tit. inst. *de fiduc. tut.*) Jam vero tres illae fiduciariae tutelae species, quamvis inter se non prorsus similes, tamen omnes in eo conveniebant, quod multo uterentur minore jure fiduciarii tutores, quam legitimi. Contra, parens manumissor pleno gaudebat legitimorum tutorum jure, unde et nomen ipsi impertitum est legitimi tutoris. Cf. Gaj. I. 172. 175. L. 3. §. 10. D. *de legit. tut.* §. un. *I. de legit. parent. tut.* L. 5. C. *de dolo malo.* — Rudorff l. l. p. 238. sq. *Mühl.*

h) ATILIA, non ATTILIA, dicitur haec gens apud Livium, Tacitum, Ciceronem, et maxime in numis et marmoribus. Vid. Fulv. Ursin. *de famil. Romanorum ex numism. p.* 42. *edit. Patini.* Erat ea gens Romae nobilissima in tres potissimum divisa familias, quarum una *Regulorum*, altera *Serranorum*, tertia *Calatinorum* cognomen ferebat. Gentis totius seriem adcurate dedit Jac. Perizon. *Animadvv. Hist. c.* 1. *p.* 26. *Hein.*

XXXIX. 6. Vid. Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 13. Invenimus sane, *Atilium Longum* Trib. plebis fuisse anno U. C. CCCIX. *L. Atilium* anno CCCXLIII. Liv. *IX.* 30. sed neutrum hanc legem tulisse verosimile est, quoniam tunc nondum erat Praetor urbanus. Annum U. C. CCCCLX. quo Praetor fuit M. Atilius Regulus, huic legi adsignat Steph. Vin. Pigh. *in Annal. ad ann.* CCCCLX. sed et hunc non magis auctorem legis esse arbitramur: maxime quum Praetores plebiscita ferre non solerent. Procul dubio lata est anno CCCCXLIII. a L. Atilio Regulo, Trib. plebis, cujus meminit Liv. *IX.* 30.

§. 10.

Quid ea lege sancitum?

Hac vero lege cautum est, ut pupillis et feminis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor esset, tutor daretur a Praetore et majore parte Tribunorum plebis [i]). Exemplum est apud Liv. *XXXIX.* 9. ubi Fecennia Hispala *post patroni mortem, quia nullius in manu esset, tutorem a TRIBUNIS et PRAETORE petiisse* dicitur. Dictus ejusmodi tutor *Atilianus*, nec non *dativus*, a formula, qua uti Praetores solebant: DO TE TUTOREM: Brisson. *de Form. V. p.* 408. [k]).

§. 11.

Lex Julia et Titia.

Sed quum ea lex Romae tantum haberet locum: (Ulpian. *Fragm. XI.* 18.) annno U. C. DCCXXII. Augusto III. et M. Titio M. F. Rufo Coss. lata est lex Julia et Titia: Henr. Vales. ad *Excerpt. Peirescian. p.* 61. *Tacit. Ann. III.* 25. Quia enim antea diu in sola Sicilia fuerat moribus receptum, ut Praetores τοῖς ὀρφανοῖς καὶ γυναιξὶν ἐρήμοις συγγενῶν, *pupillis et feminis adgnatorum cura destitutis,* tutores darent: Diodor. Sic. in *Excerpt. Peiresc. p.* 397. factum est, ut illud jus hac lege etiam cum aliis provinciis communicare-

i) Id vero ideo videtur sancitum, quia aliquando una cum Praetore edicta conscribebant Tribuni, aut certe hi a Praetoribus in consilium adhibebantur. Vid. Cic. *de Offic. III.* 20. Ceterum hic id singulare est, quod plura Tribunorum plebis suffragia vincerent pauciora, quum alias singulis esset jus intercedendi turbandique reliquorum decreta. Observatum id jam a Fr. Hotomano et Arn. Vinnio *ad pr. Inst. de Atil. tut. Hein.* Cf. Ph. C. Huschke *de privilegiis Fescenniae Hispalae Scto concess.* Gott. 1822. 8. p. 52. Rudorff *l. l.* I. p. 342. sq. *Mühl.*

k) Caeterum veteres hunc in primis appellare consuerunt dativum tutorem, qui testamento tutor datus est. Gaj. I. 154. Ulp. XI. 14. *Mühl.*

tur, juberenturque Praesides etiam in provinciis tutores dare: Ulpian. *Fragm. l. c.*

§. 12.

Tutoris datio Consulibus SCto Claudiano injuncta.

Sed tamen haec tutoris datio non unam postea subiit mutationem. Quum enim Tribuni et Praetores negligentius forsan eo munere fungerentur: sancitum est SCto Claudiano, *ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur*: Suet. *Claud. c.* 23. Hinc ad Trajani usque tempora tutores a Consulibus datos legimus apud Plin. *Epist. IX.* 13. Horum vero simul erat inquirere in tutoris conditionem atque indolem, ne quid res pupilli detrimenti caperet: §. 3. *Inst. h. t.* Quaestiones in ista inquisitione propositas recenset Jac. Cujac. *in Papinian. ad L.* 5. *C. de Conf. tut. p.* 296.

§. 13.

Praetor tutelaris factus ab Antonino.

Mox tamen et Consulares istae tutelae displicuerunt. Unde jus dandi tutores Praetoribus constitutione restituit M. Antoninus Imp., ita tamen, ut singularem faceret *Praetorem*, quem ab officio *tutelarem* vel *pupillarem* adpellabat [1]): Jul. Capitolin. *vit. Marci* 10. §. 3. *Inst. h. t.* Haec Praetura satis diu Romae mansit. Nam ANICII AUCHENII BASSI, PRAETORIS TUTELARIS, mentio fit in marmore apud Reines. *Inscr. Class. VI. p.* 395. *n. IV.* Alia monumenta, in quibus hic Praetor laudatur, collegit Jos. Castalio *Var. Lect.* 20.

§. 14.

Praefectus et Praetor quando tutores dederint?

Paullo post moribus invaluit, ut Romae Praefectus urbi et Praetor secundum suam jurisdictionem; in provinciis vero Praesides, imo et Legati Procoss. ex speciali lege, id est, ex Oratione D. Marci, tutores ex inquisitione darent, [Schulting. *in Πρωτ. I.* 16. 6. *p.* 149.] qui tamen etiam inferiori magistratui vel ipsi civitatis Defensori id negotii dare poterant, si non adeo magnae essent pupillorum facultates: §. 4. *Inst. de Atil. tut. L.* 1. *pr.* §. 1. *L.* 3. *L.* 19. *pr.* §. 1. *D. de Tut. et cur. dat.* Erant autem *Defensores civitatum*, qui

1) De officio Praetoris tutelaris singularem librum scripserat Ulpianus, quem citat Modestinus *L.* 6. §. 13. *D. de Excusat.* Exstant ex eo tria fragmenta *L.* 3. 5. 9. *D. eod. tit.* nec non Paulus, ex quo nullae leges desumtae. *Hein.* Cf. Vat. Fragm. §. 232. *Mühl.*

et ἔκδικοι, et *Vindices* adpellati, similes Tribunis plebis Rom., eorumque erat plebis jura adversus magistratus tueri: *L. un. C. de Off. jurid. Alex.* Unde eos cum τοποτηρηταῖς, *servatoribus locorum, locorum judicibus, vicariis*, qui juris dicundi caussa a Praefectis Praet. mittebantur, non confundendos monet Cujac. *Observv. III.* 14. m). Quae loca cum *L.* 8. *D. de Tut. et curat. datis ab his*, diligenter, ut solet, contendit Ger. Noodt. *de Jurisd. II.* 8. *p.* 162.

§. 15.

Justiniani nova constitutio.

Denique Justinianus sanxit, si pupilli vel adulti facultates usque ad D. solidos valeant, ut Defensores civitatum una cum episcopo, vel alii magistratus, etiam non exspectata Praesidis jussione, vel Juridicus Alexandrinus n) tutores vel curatores darent: *L.* 30. *C. de Episc. aud.* §. 5. *Inst. de Atil. tut.*

§. 16.

Tutelae mulierum origo.

Haec tralatitia sunt. Antiquitatum vero studiosis porro est observandum, non solum *pupillos* tutelae, jure veteri Romano, subfuisse, sed et FEMINAS o). Et Athenis quidem idem fieri consueverat, ubi noti mulierum tutores, quos κυρίους adpellabant. Vid. Guil. Budaei *Comment. Graec. lingu. p.* 44. 45. Pfeiffer. *Antiqu. Graec. IV.* 5. *p.* 616. Salmas. *de mod. usurar. c.* 4. *p.* 165. Sane enim in negotiis omnibus a feminis Graecis adhibendi erant tutores: Cic. *pro Flacc.* 30. [*Dissert. nostra de marito tut. vel. curat. legit. c.* 1. §. 8. *sq.*] adeo ut contrahere non possent sine illis πέρα μεδίμνου κριθῶν, *ultra*

---

m) Observata tamen differentia, ut, si Praesides ipsi tutores darent, id fieret cum inquisitione: sin magistratus municipales, cum satisdatione. Qua de re infra. *Hein.*

n) Suberat hic Praefecto Augustali Aegypti: Strabo *Lib. XVII. p.* 1147. qui et observat, eum non Alexandriae, sed universae Aegypto jus dixisse. Hinc Juridicus Aegypti: Gruter. *Inscr. p.* CCCLXXIII. 4. habuit legis actionem: *L.* 1. *D. de Offic. Jurid.* tutoris dationem, *L.* 2. *D. eod.* et donatio apud eum insinuari poterat: *L. un. C. eod. tit.* Conf. Reines. *Inscr. XI.* 26. *Hein.*

o) Novissime hunc antiquitatis locum, cui et ipsi e Gajo nova lux adfulsit, egregie illustraverunt von Savigny *Beitrag zur Geschichte der Geschlechtstafel; Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. III. Num. 10. p. 328 — 348. von Löhr *von der Tutel über Weiber, ihrem Zwecke, ihrer Fortbildung und dem Verschwinden derselben;* in Dessen *Magaz.* T. III. Num. 12. p. 407 — 432. *Haub.* Rudorff l. l. I. §. 6. *Mühl.*

modium hordei, prout testantur Dio Chrysost. *Orat.* 75. et alii veteres, quos excitarunt Meurs. *Them. Att. II.* 9. et Salmas. *de mod. usur. c.* 10. *p.* 425. Nec agere vel conveniri Athenis poterat mulier sine tutore, et hinc illa vox praeconis in judiciis Atticis: ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος, *citatur haec mulier, ejusque tutor.* V. C. Ev. Otto *Diss. IV. c.* 1. §. 6. Inde itaque est, quod nonnulli istam mulierum tutelam e jure Attico in Romanum permanasse existimant: Schilter. *Exerc. ad Pand. XXXVIII.* 227. *p.* 691. Vinc. Gravina *de Legg. et Senatuscons. p.* 550. Sed praeterquam quod illam tutelam plane diversam a Romana fuisse, probatur a Meursio *Attic. Lectt. III.* 24. videtur etiam Romana propter infirmitatem consilii jam inde ab ipsa urbis origine recepta. Quamvis enim id non sequatur ex loco Plutarchi in *Numa* 10. ubi Vestalibus id privilegii concessisse Numa dicitur, ut a tutela essent immunes, (ex quo loco alias colligunt, mulieres jam tum ab eo tempore sub tutela fuisse) p) certius tamen id colligere licet ex loco Catonis apud Liv. *XXXIV.* 2. *Majores nostri nullam, ne privatam quidem rem, agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Adde et alterum locum Ciceron. q) *pro Muraena* 12.

p) Id privilegium Vestalibus non concessit Numa, quidquid dicat Plutarchus. Jus enim trium liberorum, quod ibidem ait Vestalibus concessum, Numae temporibus erat incognitum. Praeterea ad Augustum hoc Vestalium privilegium refert Dio Cass. *Lib. LVI.* 10. Just. Lips. *de Vesta et Vestal.* 12. Sed adde tamen, quae scripsimus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. L. I. c.* 2. *p.* 27. ubi Plutarchi locum una littera mutata ita emendavimus: *Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκαν* (pro *ἀπέδωκεν*) *ἱεραῖς παρθένοις, ὧν ἐστι καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ τἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου, διαγούσας, ὥσπερ αἱ τρίπαιδες. Tribuerunt* (*non Numa, sed Romani*) *Vestalibus ingentes honores, inter quos testamenta vel superstite patre nuncupandi jus, et sine tutore liberum suarum rerum arbitrium, ut, quibus tres sunt liberi.* Multa enim Plutarchum data occasione per *πρόληψιν* referre solere, ibidem ostendimus. *Hein.*

q) Verba Ciceronis sunt: *Nam quum permulta praeclare legibus essent constituta, ea Jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in* TUTORUM *potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur.* Locus hic ab ipsis interpretibus parum intellectus est. Fr. Sylv. *p. m.* 635. ait, Jureconsultos invenisse tutelas, quibus non mulieres sub tutorum, sed hi sub mulierum potestate essent. Sed haec numeris Platonicis obscuriora. Phil. Melanchth. *p.* 672. et Jo. Benignus *p.* 744. intelligunt tutelam maternam liberorum. Sed ea non est illorum temporum, ut patet ex *Nov. CXVIII.* 5. Joach. Camerarius *p.* 700. plane ἐπέχει. Sed certissimum est, intelligi tutores, ab ipsis mulieribus electos. Mulieres conventione in manum liberabantur a tutela, et filiarum familias loco ha-

§. 17.

Ea vel pupillaris vel perpetua.

Erat vero haec mulierum tutela vel PUPILLARIS vel PERPETUA: Boeth. *in Topica Cic.* 4. quarum hanc illi praeferebant veteres, teste Gellio *Noctt. Att. V.* 13. *Pupillarem* pubertas finiebat; *perpetua* ne majorennitate quidem exspirabat. *Pupillarum* tutores et gerebant, et auctoritatem interponebant. *Adultarum* vero negotiis tutores tantum auctoritatem interponebant, non vero gerebant. Hinc v. c. recte mulieri adultae poterat solvi: Cic. *Topic.* 11. At auctoritate tutorum opus erat, si illa lege aut legitimo judicio agere vellet, si se obligaret, si negotium civile gereret, si rem mancipi alienaret: Cic. *pro A. Caecin.* 25. Ulpian. *Fragm. XI.* 25. 27. Quin et nuptias contrahere, vel in manum convenire sine tutorum auctoritate non poterat: Cic. *pro Flacc. c.* 34. (Cf. Gaji inst. I. 192.)

§. 18.

Perpetua vel testamentaria, vel legitima vel Praetoria.

Erat porro perpetua illa tutela mulierum vel TESTAMENTARIA, vel LEGITIMA, vel PRAETORIA. Ista erat in potestate mariti, qui moriens uxori, quae in manum convenerat, tamquam filiaefamilias, tutorem dabat testamento [r]). Id quod non solum ex loco Ciceronis paullo obscuriore *pro Mur. c.* 12. sed et ex hoc testimonio clarissimo Livii *XXXIX.* 19. patet, ubi Hispalae Fecenniae SCto data dicitur *gentis enuptio*, et TUTORIS OPTIO, *quasi* ei VIR TESTAMENTO DEDISSET [s]). Vid. *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. II. c.* 11. *p.* 237. Illa

---

bebantur. Quum ergo paterfamilias jure posset testari de tutela: factum est, ut et morientes mariti testamentis de tutela uxorum disponerent, et ita quidem disponerent, ut iis darent optionem, quem vellent, tutorem sibi eligendi. Exemplum praeclarum est apud Livium *XXXIX.* 19. Hoc quum contra veteres leges invexissent Jureconsulti, *invenerunt genera tutorum, quae potestate*, id est, optione *mulierum continerentur. Hein.* Potius dixerim, de fiduciariis tutoribus, quae coëmtionibus cum extraneo celebratis fierent, hic cogitasse Ciceronem, siquidem aut dicis tantum causa illi quidem auctoritatem suam interponebant, aut cogi poterant, ut auctores fierent. Vid. Gaj. I. 190. II. 122. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 140. *Mühl.*

r) Caeterum non modo recta via tutorem maritus dare poterat uxori (Gaj. I. 149), verum etiam *optionem tutoris*, h. e. ut liceat mulieri tutorem sibi optare, aut in omnes res, aut in singulas (Gaj. I. 150). Dabatur vero aut plena optio, i. e. nullis additis limitibus, aut angusta, velut: „Titiae uxori meae duntaxat tutoris optionem *semel* do." (Gaj. I. 152. 153). *Mühl.*

s) Huschke *diss. cit.* (vid. §. 10. not. i.) p. 51. sqq. *Mühl.*

erat ordinaria; haec a Praetore Urbano et Tribunis plebis dabatur, si femina cum tutore legitimo lege aut legitimo judicio agere vellet, ut eo auctore ageret, vel tutorem legitimum non haberet, vel is pupillus esset. Nam et pupillis tutelam legitimam jure veteri delatam esse, jam Cujac. *Obs. XVII.* 28. demonstravit [t]). Quum vero legitima tutela, quasi res jure Quiritium propria, in jure posset cedi: is, cui tunc cedebatur, vocabatur *tutor cessitius* [u]); cujus jus tamen cessabat, simul ac legitimus, qui cesserat, vel obiisset, vel capite esset deminutus: Ulpian. *Fragm. XI.* 7. [x]). Fiebat autem illa cessio, ne adgnatus eo onere perpetuo obrueretur, et quidem plerumque alteri adgnato, si recte conjecit Jac. Gothofred. *ad L.* 2. *C. Theod. de Tutorib. et curat. creand.*

§. 19.

An mariti tutores uxorum?

Quaeri etiam solet, an et mariti tutelam uxorum suscipere potuerint? Adfirmat Scipio Gentilis ad *Apuleji Apolog. n.* 1020. Sed Domitiana erat quaestio, sive proponatur de iis, quae in manum convenerant, sive de illis, quae tantum erant in matrimonio. Illae non erant in tutela, sed in manu et mancipio maritorum, adeoque non magis poterant tutores habere, quam filiaefamilias, quum non essent capita libera. (Vide supra *Lib. I. Tit. X.* §. 6.) Hae sui juris et rerum suarum dominae erant, at in tutela non maritorum, sed adgnatorum, vivebant, quia sine horum auctoritate nihil poterat de tutela legitima deminui, ut paullo post demonstrabimus. Hinc apud Gruter. *Inscriptt. p. DLII. n.* 2. occurrit monumentum, quod mulier fecit SIBI, CONJUGI ET TUTORI SUO. Si uxores in tutela maritorum esse dicerentur: procul dubio id intelligendum esset improprie de iis, quae in manum convenerant, quemadmodum et hodie nonnum-

---

t) Vid. Gaj. inst. I. 177. 178. — Cf. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 53. 54. et Rudorff l. l. p. 198. 199. *Mühl.*

u) Est quidem apud Ulpian. *Fragm. XI.* 7. vox *cessicus*, sed procul dubio legendum *cessitius*, quemadmodum et tutela ibidem vocatur *cessitia*. Vid. Jo. van der Water *Observv. III.* 2. *Hein.* Vid. etiam Gaj. I. 169. — Caeterum pupillorum tutelam permissum non erat in jure cedere, sed tantum foeminarum (Gaj. I. 168. Ulp. XI. 8), excepta etiam fiduciaria; cujus quidem exceptionis hanc Gajus reddit rationem: *quoniam ipsi se oneri subjecerint, fiduciarii tutores*, Gaj. I. 172. — Cf. de hoc arg. Rudorff l. l. T. I. §. 28. Nr. II. p. 199. sqq. *Mühl.*

x) Quodsi cessitius moriebatur aut capite diminuebatur, ad eum revertebatur tutela, qui eam cesserat. Gaj. I. 170. Ulp. XI. 7. *Mühl.*

quam parentes a JCtis satis inconcinne naturales filiorum tutores adpellantur. Ex loco sane Ciceronis *pro Flacco* 34. y) maritalis ista tutela frustra colligi videtur a Schiltero *Exerc. XXXVII.* 229. Imo posterioribus temporibus tantum abest, ut maritus esse posset uxoris tutor, ut ne curationem quidem minorennis vel furiosae suscipere posset. Orationem D. Marci factumque eam in rem SCtum huic curationi obstitisse, novimus ex *L.* 14. *D. de Cur. fur. L.* 4. *et L.* 17. *C. de Excus. tut.* [*L.* 2. *C. Qui dare tutor.* Vid. *Diss. nostr. de marito legit. uxor. tut. I.* 4. 18. *sq.* quae exstat in *Opuscc. miscell. Sylloge I. p.* 189.]

§. 20.

A tutela nonnullae privilegio liberatae.

Sed obsolevit sensim ista mulierum tutela. Et primo quidem privilegium illustrioribus quibusdam feminis concessum, ut sine tutorum auctoritate res suas gererent. Virginibus Vestalibus eam libertatem indulserat non Numa, (ut ex Plutarcho in *Numa* 10. colligunt) sed Augustus: Dio Cass. *Lib. LVI.* 10. quo imperante etiam Octaviae et Liviae idem beneficium praestitit Senatus: Dio Cass. *LV.* 2.

§. 21.

Legis Papiae Poppaeae sanctio de tutela mulierum.

Neque tamen eo ipso plane sublata tutela mulierum: siquidem lege Papia Poppaea caverat Augustus, ut a Praetore urbis tutor daretur ei mulieri virginive, quam ex hac ipsa lege nubere oporteret, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupillum haberet. Vid. *Comm. nostr. ad. L. Jul. et Pap. L. II. c.* 13. *p.* 253. *sq.* Imo postea et Senatus censuit, in provinciis a Praesidibus ex eadem caussa dandos esse tutores: Ulpian. *Fragm. XI.* 20.

---

y) Locus Ciceronis est: *In manum, inquit, convenerat. Nunc audio. Sed quaero, usu, an coëmtione? Usu non potuit: nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coëmtione? Omnibus ergo auctoribus. In quibus certe Flaccum fuisse non dices. Relinquitur illud, quod vociferari non destitit, non debuisse, quum Praetor esset, suum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis.* Hic sane nihil habetur de tutela uxorum in maritos translata. Nec colligi id potest ex verbis; *nihil potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui.* De tutela enim legitima non deminuitur aliquid ita, ut maritus loco adgnatorum tutor fiat, sed ut uxor in manum conveniat, adeoque tutela ei plane non opus sit, vel ut marito dotem sine auctoritate tutorum constituat. *Hein.*

§. 22.

Privilegium indultum mulieribus, quae ter quaterve pepererant.

Eadem tamen lege Papia Poppaea invectum est jus trium et quatuor liberorum, quod etiam a tutela liberabat ingenuas, quae ter; libertinas, quae quater peperissent: Dio *Lib. LVI.* 10. (Gaji inst. I. 145). Ulpian. *Fragm. XXIX.* 2. et 3. *Fragm. jur. Dosith.* §. 15 (17). Id vero jus quum saepius etiam steriles et orbi utriusque sexus beneficio Principis impetrarent: Dio Cass. *LV.* 2. Plin. *Epist. II.* 13. *VII.* 26. *X.* 95. Paull. *Sententt. IV.* 9. 26. facile patet, rariores ex eo tempore factas esse mulierum tutelas.

§. 23.

An SCtum Claudianum tutelas mulierum sustulerit?

Successit Lex Claudia, qua tamen non omnis in universum sublata est tutela mulierum, sicut visum est Jac. Cujacio *ad L. un. C. Ubi tutor. vel curat.* et Marco Vertran. Mauro *de Jure trium liber.* 31. sed tantum *cessitia.* Nolebat enim Claudius tutelas mulierum aliis cedi, id quod antea fieri consueverat; sed oportebat proximos adgnatos eas ipsas administrare. Et ita intelligenda esse verba Ulpiani *Fragm. XI.* 8. erudite docet Ant. Schultingius *in Adnot. p.* 596. *sq.* z).

§. 24.

Quam diu duraverint?

Jam vero, consenescente libera republica, vis omnis muliebris tutelae penes legitimos tutores remanserat. Reliqui enim foeminarum tutores aut dicis tantum causa interponebant auctoritatem suam, aut inviti auctores fieri a Praetore cogebantur a); unde, quae fiduciae causa fiebat coëmtio, *tutelae evitandae* causa fieri

---

z) Lege Claudia legitimam *agnatorum* tutelam sublatam esse, jam Gaji (I. 157. 171.) testimonio probatur, eoque etiam luculenter confirmatur Cujacii conjectura, locum ex Ulpiano allatum sic restituentis: „feminarum autem legitimas tutelas Lex Claudia *sustulit,*" pro „*sustinet,*" quam quidem lectionem etiam Schultingius tuetur. Vitio igitur sublato lectionis, sua sponte corruit Auctoris sententia, Claudia lege modo *cessionem* legitimae tutelae prohibitam esse existimantis. (von Savigny *in d. Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. III. p. 342 — 344. Dirksen *Vers. zur Krit. u. Ausl.* p. 117). Caeterum non defuere, qui legis illius sanctionem ad impuberum quoque mulierum tutelam traherent, ut ex constitutionibus apparet. Vid. L. 2. Th. C. *de tutor.* L. 3. C. *de legit. tut.* Cf. von Savigny l. l. p. 345 — 347. Rudorff *Vormundsch. R.* I. p. 214. 215. *Mühl.*

a) Gaj. I. 190. II. 122. — cf. supra §. 16. in f. *Mühl.*

dicebatur [b]). Idque jus velut imaginariae tutelae a fiduciariis tutoribus primum coepit (ut quidem credere fas est), ac subinde ad alias tutelarum muliebrium species traductum est, excepta tamen legitima tutela. Quam ob rem Gajus legitimam mulierum tutelam, ut veram ac perfectam, ab alterius generis tutelis sejungere solet [c]); quo quidem in genere erant et testamentarii tutores, et optivi, quos ex mariti testamento sibi eligebat mulier (§. 18.), et Atiliani, qui petebantur a magistratu [d]). Posteaquam vero Lege Claudia prorsus erat e medio sublata legitima agnatorum tutela, non nisi patronorum et parentum legitimae tutelae vim aliquam habebant. *Mühl.* Mansit tamen imperfecta ea mulierum tutela sub Antoninis, quorum temporibus exemplum exstat Pudentillae, uxoris Apuleji, quae, tutore auctore, praedium emerat: Apulej. *Apol. II. p.* 327. Mansit tempore Ulpiani, quem ad Alexandri Severi tempora vixisse constat. Mansit sub ipso Constantino, ut adparet ex *L.* 2. *C. Theod. de Tut. creand.* Mansit denique sub Leone Imp., cujus constitutionem de tutela mulierum *L.* 3. *C. de Legit. tut.* a Triboniani interpolationibus vindicavit Schilter. *Exerc. XXXVII.* 239. Sensim tamen ex eo tempore obsolevit, adeo, ut Justiniani temporibus illius nec vola nec vestigium superesset [e]). Unde et multa in Pandectis et Codice latent fragmenta, quae, quum de tutela mulierum loquerentur, a Triboniano in sensum prorsus alium detorta videntur.

LIB. I. TIT. XVI.

DE

CAPITIS DEMINUTIONE.

Quia adgnationis jus capitis deminutione perimitur, et proinde etiam tutela legitima morte ista civili perit: visum est Triboniano, doctrinam illam de CAPITIS DEMINUTIONE loco licet plane alieno interserere, eamque subjicere *titulo XV. de Legitima adgnatorum tutela.* Nos, quum omnes tutelarum species conjunxerimus, jam et

b) Gaj. I. 114. 115. *Mühl.*

c) Gaj. I. 194. II. 122. — cf. Rudorff l. l. p. 56. sqq. p. 340. *Mühl.*

d) Gaj. I. 173 — 181. 195. Ulp. XI. §. 20 — 22. *Mühl.*

e) Vid. de Löhr *Mag.* III. *p.* 431. *sq.* et de Buchholz *ad Vat. Fragm.* §. 325. *Mühl.*

de capitis deminutione agemus, non quod eum ordinem putemus concinnum, sed quia Justiniani Institutiones sequi constituimus.

§. 1.

Origo capitis deminutionis quae?

Origo CAPITIS DEMINUTIONIS, quam nemo adhuc pro dignitate exposuit, a censibus Romanis videtur repetenda. Notum est, Serv. Tullium Regem universum populum Romanum in sex classes et CXCIII centurias descripsisse, in quibus constituendis non regionum urbis, aut communium sacrorum, sed opum et facultatum iniit rationem. Unde in *primam* classem conjecit, qui CM aeris, aut majorem censum haberent; in *secundam*, qui infra centum millia usque ad LXXV millia possiderent. *Tertiae* classis L millium censum esse voluit, *quartae* XXV millium, *quintae* XI millium. In *sextam* denique classem conjecti egeni et tenues, qui vel *proletarii* dicti, vel *capite censi*. Illi, quod propaganda tantum alendaque prole rempublicam juvarent, hi, quod praeter caput et nomen nihil admodum in censu profiterentur, id nomen adepti sunt: Liv. *I.* 42. *sq.* Dionys. Halicarn. *Antiq. Roman. IV.* 18. Gell. *Noctt. Attic. XVI.* 10. Quemadmodum ergo *capite censi* dicebantur, qui saltem jure libertatis et civitatis gaudebant, adeoque in censuales tabulas referri poterant: [Taubm. *ad Plaut. Captiv. Prolog. v.* 15.] ita servi, peregrini, filiifamilias, *capite destitui* dicebantur, quod non possent in censum suo nomine referri [a]). De servis certe reliqua est in jure nostro phrasis, eos *caput non habere:* §. 4. *Inst. h. t.* Et filiis familias opponi *libera capita*, ex *L.* 1. *D. de Tutel.* Gell. *V.* 30. Ulpian. *Fragm. XI.* 5. constat. Sed et *capitalis* poena Romanis dicebatur, non tantum illa, quae ultimum inferebat supplicium, sed quae censu eximebat, adeoque vel libertatem, vel civitatem perimebat: Barn. Brisson. *de Verb. signif.* voce *capitalis*. Qui ergo in tabulas censuales referebantur, omnes dicebantur CAPITA, nihilque apud Livium frequentius est loquutione: *Fuerunt censa civium* CAPITA *centum triginta duo millia, quadraginta novem:* Liv. *III.* 24. *Censa* CAPITUM *millia ducenta sexaginta duo, trecenta viginti duo:* Liv. *X.* 47.

---

a) Jam vero cum his conferantur, quae post locum Ciceronis *de republica* (II. 22.) repertum a viris doctis his de rebus disputata sunt, et vel maxime ab Ed. Huschkio in libro saepius laudato: *die Verfassung des Königs Servius Tullius.* Cap. IV. *Mühl.*

et alibi passim. Quoties vero quis quacumque de caussa e tabulis censualibus delebatur; toties *caput de civitate dicebatur eximi*, ut loquitur JCtus *L.* 2. *D. de Publ. jud.* et inde ejusmodi status mutatio CAPITIS DEMINUTIO adpellabatur. Hinc recte Claudius apud Livium *XLV.* 15. contendit, *movere omnibus tribubus, nihil aliud esse, quam libertatem civitatemque eripere*, et CENSU EXCLUDERE.

§. 2.

Et quotuplex?

Hanc capitis deminutionem Jureconsulti in MAXIMAM, MEDIAM ET MINIMAM dividunt [b]), pro triplici hominis statu, qui Romae poterat mutari.

§. 3.

Maximam patiebantur I. incensi.

Qui non civitatis tantum, sed et ipsius libertatis fecerat jacturam, is deminutionem capitis MAXIMAM dicebatur passus: §. 1. *Inst. h. t.* Et hoc quidem contingebat I. *incensis*, id est, iis, qui censum vel militiam subterfugerant, quos jam Serv. Tullius vinctos et caesos trans Tiberim venumdari jusserat [c]): Dionys. *IV.* 15. Cic. *pro A. Caecina* 24. Ulpian. *Fragm. XI.* 11. Id quod per fictionem quamdam contigisse, quum alias libertas adimi nemini posset, egregie docet Ger. Noodt *Probab. III.* 12. *p.* 85.

§. 4.

II. Capti ab hostibus.

Deinde maximam istam capitis deminutionem patiebantur II. *capti ab hostibus.* Nam et hi, quum essent in servitutem detrusi, omnia et libertatis, et civitatis, ipsaque adgnationis jura amittebant. Poterant tamen ab his pristina jura recuperari *jure postliminii*, si in civitatem revertissent: Cic. *in Topic.* 8. Fingebatur enim tunc, eos,

---

b) Equidem nonnumquam veteres duplicem tantum faciunt capitis deminutionem, MAJOREM et MINOREM: *L.* 1. §. 4. *D. de Suis et legit. hered. L.* 5. §. 3. *D. de Extraord. cognit.* Sed in verbis esse differentiam, in re nullam, luculenter ostendit Ger. Noodt *Observ. II.* 22. *p.* 468. *sq. Hein.*

c) Quando itaque Liv. I. 44. ait: *Censu perfecto, quem maturaverat metu legis, de incensis latae, cum vinculorum minis mortisque edixit, ut omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo Martio adessent:* Procul dubio intelligit mortem istam civilem. Non enim credibile est, acrioris supplicii metu lustrum, quam ipsum censum, maturasse Servium. *Hein.* Cf. Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 574. 75. *Mühl.*

qui capti fuerant, semper in civitate fuisse: §. 5. *Inst. Quib. modis patr. pot. solv.* d). POSTLIMINIUM vero id jus adpellabatur, non ideo, quod captivus ex hostico ad *limina* vel fines imperii revertisset, ut ait Tribonianus *d.* §. 5. *Inst.* quamvis eam ἐτυμότητα erudite defendat Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 39. *p.* 327. *sqq.* e), sed a limine, aedium parte. Reversi enim ex captivitate, non per limen admittebantur in aedes, si jam diem eos obiisse nunciatum fuerat, quia id mali ominis putabatur, sed post limen per tegulas et impluvium intro se ipsos demittebant, teste Plutarcho *Quaestt. Roman.* 5. [* *Vol. VII. p.* 73. *sq. Opp. Plutarchi ex edit.* Reiskii.]

§. 5.

III. Servi poenae.

Ejusdem conditionis habebantur III. *servi poenae*. Quicumque enim atroci sententia ad extremum supplicium, veluti ad ignem, ad metalla, bestiasve depugnandas fuerant damnati, libertatis simul ac civitatis jura amittebant. Hinc Tertullianus *Apolog. c.* 27. *Vice rebellantium ergastulorum, ceu carcerum vel metallorum, vel hoc genus* POENALIS SERVITUTIS *erumpunt adversum nos.* Et Plinius *Epist. X.* 40. haec refert: *In plerisque civitatibus, maxime Nicomediae et Niceae, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera poenarum,* PUBLICORUM SERVORUM *officio ministerioque funguntur, atque etiam, ut publici servi, annua accipiunt.* Quaedam alia de hac servitute habent Cujac. *Observ. XV.* 22. et Gothofr. Arnold. *Hist. Christ. damnat. ad metall.* §. *VIII. apud* Thomas. *Hist. Sap. et Stultit, T. III.* 1693. *p.* 130. Eam quoque servitutem per fictionem natam docet Ger. Noodt *Probab. III.* 12. *p.* 86. Capitali enim supplicio veteri jure nemo civium plecti poterat. Commisso vero flagitio, quod morte expiandum videbatur, Quaesitores non civem capitis damnabant, (nec enim fas erat), sed civem esse negabant, servumque vocabant poenae, ut vitam non tamquam civis amitteret, sed tamquam servus: *L.* 29. *D. de Poen. L.* 6. §. 6. *D. de Injusto, rupto, irrito facto testam.* Attamen hi quoque pristina jura recuperabant, si per omnia

d) Huic fictioni opponitur altera legis Corneliae, qua fingebatur apud hostes mortuus, in civitate decessisse. De quibus fictionibus praeter Alteserram erudite egit Cujac. ad *Juliani Digest. p.* 293. *T. VI. Opp. Hein.* Cf. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 285 — 287. et Mühlenbr. *contin. commentarii Glückiani* Vol. XXXIX. p. 23 — 26. *Mühl.*

e) Et optimis rationibus, ut nobis quidem videtur. *Mühl.*

in integrum, principali indulgentia, restituerentur: Paul. *Receptt. Sententt. IV.* 8. 24. Postea vero hanc servitutem poenae, quatenus cognatorum interesse visum, abolevit Justinianus: *Nov. XXII.* 8. [f]).

§. 6.

IV. Liberti ingrati.

Porro hanc miseram conditionem subibant IV. *liberti ingrati*, quos Claudius Imp. revocabat in servitutem: qua de re dictum supra ad *Lib. I. Tit. VI.* §. 9.

§. 7.

V. Qui se venumdari passi.

Nec minus libertatem amittebant V. *majores XX annis*, qui se pretii participandi caussa venumdari passi fuerant, de quibus itidem jam dictum: *Lib. I. Tit. III.* §. 7. 8.

§. 8.

VI. Mulieres servili amore bacchantes.

Nec melioris conditionis erant VI. ingenuae mulieres, quae in servi alieni amplexus ruebant [g]). Quod si enim domino invito, et hoc, vel pupilli tutore, vel procuratore domini, ter denunciante, in eodem contubernio perseverassent; *ancillae*, sive, illo consentiente, *libertae* efficiebantur, decreto et adjudicatione Praetoris. Vid. Paul. *Sententt. Rec. II.* 21. *A.* 1. *p. m.* 305. Tertull. *ad uxor. II.* 8. Auctor hujus juris Claudius Imperator fuit, ut patet ex Tacito *Ann. XII.* 53. [h]), ex quo simul discimus, Pallantis liberti id esse inventum, cui ideo insignia Praetoria et centies quinquagies sestertium decrevit Senatus: Plin. *Hist. Nat. XXXV. c. penult.* et alter Plinius *Epist. VIII.* 5. Denique Senatusconsultum illud in usum revocavit Vespasianus, si ita intelligendus locus Suetonii *Vesp.* 11. [i]). At

---

f) Meliora de *poenae servitute*, ejusque et origine et vi ac potestate, invenies apud Marezoll: *über die bürgerl. Ehre* (Giess. 1824) Buch I. Abschn. II. §. 2. p. 24 — 35., qui quidem invictis argumentis docuit, falsum id esse, quod vulgo existimant, capitali supplicio veteri jure neminem civium plecti potuisse, tum vero, servitutem istam poenae sub imperatoribus demum usu invaluisse, diversamque fuisse conditionem hujusmodi servorum et publicorum. *Mühl.*

g) Tales mulieres notat Petron. *Sat. p.* 127. *Quaedam feminae sordibus calent, nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos. Harena aliquas adcendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio, scenae ostentatione traductus. Ex hac nota domina est mea. Hein.*

h) Vid. et Gaji *Inst.* I. 91. et 160. Ulp. XI. §. 11. *Mühl.*

i) Nisi forte dicere malis, Vespasianum ea de re ad Senatum retulisse,

hanc quoque poenam sustulit non Alexander Severus, uti visum est Strauchio *Diss. Justin. XI.* 39. (nam *L.* 3. *C. de Lib. caus.* de maribus servarum, non de feminis servorum amore calentibus agit), sed Justinianus *L. un. C. de SCto Claud. toll.* parum certe prudenter, siquidem ingenuis mulieribus viam eo ipso ad impares et impudicas valde conjunctiones munivit: Cujac. *Obs. XXI.* 16. [k]).

§. 9.

Mediam patiebantur I. exsules.

Minore sive media capitis deminutione civitatis tantum jura, salva libertate, perimebantur [l]), adeoque ii, qui erant in hanc conditionem delapsi, *ad peregrinitatem redigebantur* [m]): §. 2. *Inst. h. t.* Et hujus quidem conditionis habebantur I. *exsules*, quibus aqua et igni fuerat interdictum. Magna scilicet Romae erat inter *exsilium* et *relegationem* differentia [n]). Illa jura civitatis perimebat, quum relegatus ea salva haberet. Hinc Ovid. *Trist. II. v.* 137.

Quippe relegatus*, non* exsul*, dicor in illo:*
Parcaque fortunae sunt data verba meae.

Quam differentiam alibi ita describit *Trist. V. Eleg.* 11. *v.* 15. 18. 21. *sq.*

Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Nil nisi me patriis jussit abesse focis.
Ipse relegati*, non* exsulis*, utitur in me*
Nomine: tuta suo judice caussa mea est.

---

non tamquam Imperatorem, sed tamquam Consulem, aut, si mavis, Senatorem laticlavium. Consulatum sane gessit sub Claudio: Suet. *Vesp. c.* 4. fortasse cum Barca Sorano, quem eo ipso anno U. C. dcccv. quo SCtum illud factum, Cos. designatum fuisse refert Tacit. *Ann. XII.* 53. Et hinc facile conciliari poterunt Tacitus et Suetonius, quorum ille Claudio, hic Vespasiano hoc SCtum tribuit. Ingeniosa haec est observatio Petri Fabri *Semestr. I.* 25. *p.* 140. *sq.* uti pleraque, quae faber ille edolavit. *Hein.*

k) Andr. Guil. Crameri *diss. de SC. Claudiano.* Kil. 1782. 4. et recogn. in Ejusd. Lib. sing. *Dispunction. jur. civ.* c. 13. *Haub.* Add. Zimmern *R. G.* §. 199. *Mühl.*

l) Ad §. 9—11. Heineccius usus non est praeclaro opere, cui titulus: Nic. Antonii *libri tres de exsilio, s. de exsilii poena antiqua et nova, exsulumque conditione et juribus.* 1) Antverp. 1659. f. 2) auct. in Thes. Meerm. T. III. p. 1 — 190. E recentioribus scriptoribus laudasse sufficit Pet. Adr. Regneri van Ouwenaller *Diss. de exsilio soloque apud Romanos interdicendi modis.* L. B. 1783. 4. Joh. Valer. Francke *über ein Einschiebsel Tribonian's beim Ulpian, die Verbannung nach der grossen Oase betreffend.* Kiel 1819. 8. *Haub.*

m) Unde nec toga amplius iis licebat uti: Plin. *Epist. IV.* 11. Suet. *Claud. c.* 15. De ipsa peregrinitatis conditione conf. Briss. *Ant. select. I.* 13. 15. *Hein.*

n) Antiquissima inter gentes poena, ut quis communione patriae, civitatis,

Cf. *L. 2. D. de Publ. judic.* Ad exsilium quod attinet, cives ad illud adigebantur AQUAE ET IGNIS INTERDICTIONE, qui ritus paullo altius videtur repetendus.

§. 10.

Quid aquae et ignis interdictio?

Antiquissimum hoc erat juris Romani principium, neminem posse invitum jura civitatis amittere. Cicero *pro domo c.* 29. *Quum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem, possit amittere, nisi ipse* AUCTOR *factus sit* [o])*: quod tu ipse potuisti in tua caussa discere.* Idem juris publici axioma multis verbis inculcat Cic. *pro A. Caecin. c.* 33. docetque, ideo Aretinorum proscriptionem, Sulla vivo, irritam fuisse, quod contenderat Cicero, *civitatem adimi non potuisse.* Quamvis itaque civitatis juribus nemo invitus privaretur: attamen ea statim amittebantur, simul ac quis in aliam se civitatem adscribi passus esset, quum ex veteri jure duarum civitatum civis nemo esse posset. Idem *pro domo c.* 81. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 6. *p.* 11. [qui tamen id sub Imperatoribus, et quidem jam sub Trajano mutatum esse docet *ibid. p.* 21.] Unde notum est ex Nepote *Attic.* 3., noluisse Atticum Athenis civitatis jura suscipere, ne Romanam civitatem amitteret. Quod si ergo quemquam e civitate ejectum vellent Romani: eum non vi expellebant, quod ex principio supra adlato fieri non poterat, sed illi tecto, aqua, et igni interdicebant. Quibus necessariis vitae subsidiis ademtis, ultro exsilium eligere cogebatur damnatus. Quum itaque a nemine recipi posset: necessario in aliquam civitatem exteram se conferebat, eoque demum facto, civitatis jura amittebat. Hinc denuo Cicero *pro domo c.* 30. *Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli caussa, venerant. Id autem ut esset faciundum, non ademtione civitatis, sed tecti, et aquae et ignis interdictione faciebant.* Ergo si adcurate loqui velis, non aquae et

---

sacrorum privaretur. De ejus origine, quae ad ipsa Caini tempora refertur, erudite egit Ev. Feith. *Antiquitatt. Homeric. II.* 9. *Hein.* De origine aquae et ignis interdictione: de Winckler *Emendationes quaedam Heineccianae;* in obss. jur. antiqui num. 15. Opusc. min. Vol. I. P. II. p. 443. sq. *Haub.*

o) Contra et licebat de capite jus dicentibus *solum vertere*, sibique ipsis exsilii poenam irrogare. Idque fecerunt P. Corn. Scipio Africanus, qui Linternum, T. Annius Milo, qui Massiliam sponte exsulatum abiit. Plutarch. *in vita Scip.* Ascon. Ped. *in Arg. orat. pro Milone.* Cic. *pro Caecina c.* 34. *Hein.*

ignis interdictione eximebatur caput de civitate, ut ait Paullus *L.* 2. *D. de Publ. judic.* (poterat enim, si vellet, in civitate mori), sed adscriptione in aliam civitatem, in quam exsul discesserat: Barn. Brisson. *Ant. Rom. III.* 5. *p.* 48. Quae observatio, ne cui sola λογομαχία videatur, tanti profecto momenti est, ut Cicero oratione laudata neget, se aquae et ignis interdictione civitatis jura amisisse, quia nulli se populo adjunxisset, sed delituisset apud amicos. Addantur Ulr. Huber. *Digress. I.* 3. 8. *p.* 192. *sq.*

§. 11.

II. Deportati.

Deinde huic aquae et ignis interdictioni addebatur p) DEPORTATIO, qua ipsa quoque jura civitatis eodem modo amittebantur. Auctor illius instituti Augustus q), cui, ab exsulibus hinc inde dispersis periculum imperio suo metuenti, Livia suaserat, ut illos patria extorres insulis includeret. Ita enim apud Dionem LV. 20. Livia: *τί γὰρ ἂν ἀδικήσειέ τις ἐς νῆσον κατακλεισθεὶς, ἢ καὶ ἐν ἀγρῷ, πόλει τέ τινι, οὐχ ὅπως ἄνευ πλήθους οἰκετῶν ἢ χρημάτων, ἀλλά καὶ μετὰ φρουρᾶς ὢν, ἄν γε καὶ τούτου δεήσῃ; Quid enim mali fecerit is, qui in insulam conclusus, aut in agro, vel in urbe aliqua, non modo sine copia servorum et pecuniarum, sed etiam sub custodia, si hoc res exigeret, haberetur?* Ex-eo tempore invaluit deportatio, quam denuo constitutione quadam firmavit Augustus, apud eumdem Dion. Cass. *LVI.* 27. Et hinc postea nihil fuit ista in insulas deportatione frequentius r). Tacit. *Ann. III.* 68. *VI.* 30. *IV.* 21. *IV.* 13. Fiebat vero

---

p) Non enim *deportatio* in locum illius aquae et ignis interdictionis successit, ut JCti ajunt: *L.* 2. §. 1. *D. de Poen. L.* 3. *D. ad Leg. Jul. pecul.* Mansit potius illa antiqua aquae et ignis interdictio etiam post inventam deportationem: Tacit. *Ann. VI.* 30. Adjecere tantum Imperatores, ut exsules isti non, ubi liberet, sed in certa quadam insula, viverent: Huber. *Digress. I.* 3. 9. *p.* 195. *Hein.* Vid. et Schilling *Bem.* p. 390. sq. not. 1085. *Mühl.*

q) Non Julius Caesar, uti ex Suet. *Jul. Caes. c.* 66. probare satagit Oisel. *ad Gaji Inst. I.* 6. 1. *p. m.* 47. Supplicium enim, quod militibus minatur Caesar, non fuit deportatio, (non enim eos in certam insulam missum iri ait), sed poena quaedam extraordinaria. Haec enim sunt Caesaris verba: *Desinant quidam quaerere ultra, aut opinari, mihique, qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima nave impositos, quocumque vento, in quascumque terras jubebo avehi.* Frequentatum postea hoc supplicium inflictumque delatoribus a Tito: Suet. *Tit. c.* 8. et Trajano: Plin. *Paneg. c.* 34. Imo et Christianis a tyrannis, quemadmodum docuit Causaub. *ad Suet. Jul. p.* 92. *Hein.*

r) Distinguenda tamen haec deportatio a *relegatione in insulam,* qualis fuit

deportatio ita, ut rei compedibus vincti impositique navibus, servis publicis, qui eos deportarent, traderentur. Oisel. *ad Gaji Inst. I.* 6. 1. *p. m.* 47. Molesta in primis erat vel relegatio vel deportatio in Gypsum, Aegypti Insulam, in quam tempore Justiniani et Juridicus Alexandriae et Praeses Thebaidos relegare poterant: Cujac. *Obs. XX.* 31. itemque in Gyaros, fumo notabiles: Arrian. *Diss. Epict. I.* 25. et *II.* 6. Steph. *de Urbib. p.* 280. et Oasin inter Aegyptum et Cyrenas, muscis et culicibus famosam; de quibus locis Cujac. *Obs. VIII.* 27. Omnes autem exsules teste Lactantio *Div. Inst. II. perinde habebantur, ac si essent, qui eam sententiam exceperant, morte mulctati.* Unde et diem, quo quis ab exsilio redierat, NATALEM vocabant, tamquam quo vitam primum recepisset: Cic. *post redit. in Senat. c.* 11. itemque *alterius vitae initium:* Id. *Epist. ad Att. IV.* 1. Quin Cotta ab exsilio revocatus se bis genitum vocat in oratione apud Sallust. *in Fragm. p.* 500. Ita et Athenienses patriae restitutos exsules δευτεροπότμους, quasi *secunda fata orsos*, adpellasse, observat vir, cui haec debemus, doctissimus, Jo. Frid. Gronov. in *Diatrib. ad Stat. Papin. c.* 12. *p.* 69.

§. 12.

Minima capitis deminutio s).

MINIMA denique capitis deminutio jura familiae atque adgnationis tollebat. Quum enim census fieret secundum facultates, ut supra dictum: patriis facultatibus cum jure familiae amissis, aut in alium translatis, capitis quaedam deminutio fieri credebatur. Id vero factum esse *in manum conventione, adoptione*, et *emancipatione*, ex jure notum est, quamvis de emancipatione, an ea inter capitis deminutiones referenda sit, subdubitent JCti tum veteres, tum recentiores. Paullus sane non ideo capite deminui putabat, quod ex patria potestate exirent: (ita enim potius fiebant capita libera), sed quod emancipatio vetere ritu fieri haud posset, nisi *deduceren-*

---

illa, quam passus est Ovidius, in Pontum relegatus. Conf. *L.* 7. *D. Si quis caution. in judicio sistendi caussa fact. non obtemp.* Suet. *Tiber. c.* 1. Huic opponitur *lata fuga,* cujus mentio fit *L.* 5. *D. de Interd. relegatis et deport.* Ammian. Marcell. *XIX.* 12. ut Julio Capitol. *vit. Marci Anton. c.* 26. et Vulcatio Gall. *vit. Avid. Cassii c.* 9. vocatur: *exsilium et libera vagandi potestas. Hein.*

s) Franc. Car. Conradi *comm. de minima capitis deminutione ;* Lib. II. parerg. num. 2. p. 163 — 193. *Haub.* A. H. E. F. a Seckendorff *de capitis deminutione minima.* Colon. 1828. 8. *Mühl.*

tur in imaginariam servilem caussam: L. 3. §. 1. *D. de Cap. minut.* Attamen ne sic quidem omnia in aprico sunt. Si enim ob hanc caussam emancipatio est species capitis deminutionis: cur non maxima potius, quam minima vocatur? Vid. Huber. *Digress. III.* 6. Thomas. *Schol. et nov. addit. ad* Huberi *Praelect. Inst. p.* 47. [Imo cur ejus adhuc meminit Justinianus §. 3. *Inst. h. t.* quum jam pridem vetus illa emancipatio sublata esset ab Anastasio *L.* 5. *C. de Emanc.* Sed dubiae fidei sunt verba *d.* §. 3. quae ideo uncinulis includuntur in quibusdam editionibus.]

LIB. I. TIT. XXI.

DE

AUCTORITATE TUTORUM [a]).

Tutorum erat AUCTORITATEM interponere, quemadmodum curatorum, CONSENSUM commodare. De qua TUTORUM AUCTORITATE quum singulari titulo agat Imperator: de ea quoque nonnulla ex antiquitatibus Romanis videntur adnotanda.

§. 1.

Origo auctoritatis tutorum. Quando tutor dictus administrare et gerere?

Antiquissimum hoc erat juris Romani principium, *alieno nomine agere posse neminem: princ. Inst. de Iis, per quos agi possit*, neque *promittere, tertium quid facturum daturumve:* §. 3. *Inst. de Inutil. stipul.* Ergo nec tutor pupilli nomine quidquam aut agere aut promittere poterat. Quum tamen lubrica pupillorum aetas consiliique infirmitas non paterentur, pupillis liberam permitti rerum suarum administrationem: tutoribus plus potestatis concedendum, distinguendumque existimabant Romani, infansne esset pupillus, an istos infantiae annos superarit. Si infans esset, tutor omnia agebat, non pupilli, sed suo nomine [b]). Prospiciebat pupillo ejusque matri de alimentis et cultu exhibitionis: *L.* 13. §. 2. *D. de Administr. et peric. tut.* Pupillo herede cum cretione instituto, bonorum possessionem

---

a) Cf. ad universum hunc locum von Löhr *comm. laud.* ad init. Tit. XIII—XV. sqq. *Haub.* Rudorff *l. l.* T. II. §. 120 — 122. *Mühl.*

b) Negotia autem infantis, quae non admittebant procuratorem, quomodo peragenda fuerint? vid. de Löhr in Ejus Grolmanique *Mag.* III. num. 1. §. 9. *Mühl.*

petebat: *L.* 11. *D. h. t.* hereditatem enim cernere et adire pupilli nomine non poterat, quia cretio et aditio erant actus legitimi: *L.* 4. 5. *C. de Jure delib.* Jac. Gothofr. *Comm. ad C. Theod. tit. de Cretione p.* 330. Denique bonorum pupilli curam ita gerebat, ut *loco domini* haberetur: *L.* 27. *D. h. t.* Et id quidem tutoris munus, quo tum personae pupilli, tum bonorum ejusdem curam gerebat, vocabatur GESTIO vel ADMINISTRATIO: Cic. *Topic. c.* 11. Quamvis tam late plerumque hoc vocabulum accipiatur a Jureconsultis, ut et *auctoritatem* complectatur.

§. 2.

Quando interponere auctoritatem?

Sin infantiae annos superasset pupillus, ipse omnes actiones legis, omnesque contractus poterat explicare, ita tamen, ut tutor praesens, perfecto negotio, statim AUCTOR fieret, et hinc ista sollemnis adprobatio vocabatur AUCTORITAS. Quemadmodum enim populus jubebat, Senatus AUCTOR fiebat: Liv. *I.* 17. ita pupillus agebat et contrahebat, tutor interponebat AUCTORITATEM [c]), sine qua validum haud erat negotium, si quando deterior eo ipso fieret pupilli conditio: *princ. Inst. h. t.* aut si adeunda esset hereditas, aut petenda bonorum possessio, aut suscipienda ex fideicommisso hereditas: §. 1. *Inst. h. t.* Ad ea enim, quae sollemnitatem juris desiderabant, explicanda tutore auctore opus esse, ait Paullus *L.* 19. *D. de Auct. tut.*

§. 3.

Interponebatur ea sollemni formula.

Non ergo auctoritas erat nuda adprobatio, nec jussus; sed actus legitimus et sollemnis, certaque formula explicandus. Unde et conditionem non admittere dicitur: *L.* 8. *D. h. t.* Procul dubio, ubi pupillus v. c. in cretione hereditatis verba legitima pronunciaverat, interrogabatur tutor: AUCTORNE ESSET, UT PUPILLUS HEREDITATEM ADIRET CERNERETQUE? eoque adfirmante, rata erat pupilli actio. Sane eodem modo auctor fiebat, qui adrogabatur ab alio: Cic. *Orat. pro domo c.* 29. Et interrogationis hoc in negotio factae diserte meminit Paullus *L.* 3. *D. de Auct. et consensu tut. et curat.*, [forte et Terent. *Eunuch. II.* 3. *v.* 98.] quamvis eam non existimet absolute necessariam. Interponebatur vero auctoritas statim in ipso negotio: sed ita tamen, ut non prius auctor fieret tutor, quam pupillus id

---

c) Cf. Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 404. *Mühl.*

egisset, a quo substantiam capiebat negotium. Et hinc est, quod *auctoritas* PERFECTO NEGOTIO *interponi* dicitur in *L.* 25. §. 4. *D. de Adquir. hered.* ubi praeter necessitatem rescribi: *provecto negotio,* contra Jac. Gothofredum (*Comm. ad L.* 29. *D. de R. I.*) docuimus in *Elem. jur. civil.* [*sec. ord. Inst.*] §. 250. Disputavit de eadem quaestione Cujac. *Obs. XIII.* 31.

§. 4.

Quid consensus curatoris?

Unde simul adparet, quid interfuerit discriminis inter CONSENSUM curatoris, et tutoris AUCTORITATEM. Sine hac actus erat nullus, sine illo rescindendus d)). Illa interponenda erat statim a tutore praesente: §. 2. *Inst. h. t.* quod esset actus legitimus, qui non admittebat procuratorem, conditionem et diem. Hinc interjecto demum tempore adcedere poterat.

§. 5.

Quid tutor Praetorianus?

Si negotium inter tutorem et pupillum, vel mulierem intercederet: auctoritatem adhibere non poterat tutor. Nullus enim tutor poterat in rem suam auctor fieri: *L.* 1. *pr. D. h. t.* Solebat ergo tunc a Praetore alius tutor dari, qui *Praetorianus* vel *Praetorius* vocabatur, ideo, quod a solo Praetore, non adhibita in consilium majore parte Tribunorum plebis, dabatur. Meminit ejus ipse Imperator §. 3. *Inst. h. t.* multoque luculentius Ulpianus *Fragm. XI.* 24. *Moribus tutor datur mulieri, pupillove, qui cum tutore suo lege, aut legitimo judicio agere vult, ut auctore eo agat, (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest), qui Praetorianus* e) *tutor dicitur; quia a Praetore Urbis dari consuevit.* Unde inter Triboniani emblemata, [quamvis necessaria, propter receptum a Justiniano principium: tutorem habenti tutorem non dari,] referunt tutoris in curatorem mutationem: *L.* 3. §. 2. *L.* 4. et 5. *D. de Tutel. L.* 24. *D. de Testam. tutel. L.* 9. §. 4. *D. de Tutel. et ration. distrah. L.* 1. 2. 3. *ult. C. de In lit. dand. tut. vel curat.* quemadmodum jam observavit Hub. Giph. *ad* §. *ult. Inst. h. t.* f)).

---

d) Quae quidem sententia et nostra aetate a scriptoribus quibusdam defenditur, velut a Marezollio in *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* II. num. XII. et Rudorff *l. l.* §. 123. Vid. tamen quae contra disputata sunt in Mühlenbruchii *doctr. Pand.* §. 591. not. 5. et a Büchelio in Ejusd. *civilrechtl. Erört.* II. p. 84. sq. *Mühl.*

e) Pro *Praetorianus* et in Institutionib. et in Theophilo est *Praetorius. Cann.*

f) Caeterum *tutor* Praetorianus non dabatur, nisi si negotia tutori expe-

§. 6.

Is postea mutatus in curatorem.

Nimirum postea invaluit, ut loco tutoris Praetorii adjungeretur curator, quoad actio illa duraret, vel etiam perpetuus: *Novell. LXXII.* 2. Quamvis id contingat paullo rarius, quia jure novissimo pupilli debitor vel creditor, vel is, quem cum pupillo litem habiturum suspicio est, tutor fieri non potest: *Nov. LXXII.* 1. *Nov. XCIV.* et *Auth. Minoris debitor C. Qui dari tut.*

LIB. I. TIT. XXII.

QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

Quibus modis finiatur tutela, satis adcurate ad hunc titulum docent interpretes. Et de morte quidem et capitis deminutione nullum est dubium: at de pubertate et aliis nonnullis modis, quibus tutelam olim finitam constat, nonnulla ex antiquitatibus monenda videntur.

§. 1.

Locus Institutionum de ritu antiquo aestimandi pubertatem.

Ad PUBERTATEM quod attinet, ipse Tribonianus hoc titulo antiquitatum Romanarum prae se fert notitiam, dum observat, veteres pubertatem non solum ex annis, sed ex habitu corporis in masculis voluisse aestimari. [V. Illustr. a Ludewig *Diss. de aetate puber. et major. c.* 4. §. 14. *p.* 80.] Quod quum Justinianus indignum judicarit castitate suorum temporum, statuisse eum, sancta promulgata constitutione, ut masculi completo anno aetatis XIV. puberes; feminae duodecimo viripotentes haberentur: *princ. Inst. h. t.* [a]).

---

dienda essent cum pupillo ejusmodi, quae per extraneas personas explicari non possent (vid. Gaj. I. 184. et Ulp. *l. l.*); alioquin *curator* adjungebatur, accommodate ad regulam illam: tutorem habenti non esse dandum tutorem. Cf. v. Löhr *l. l.* p. 64 — 68. *Mühl.*

a) Ipsa illa sancta Justiniani constitutio exstat: *L. ult. C. Quando tut. esse des.* INDECORAM OBSERVATIONEM *in examinanda marium pubertate resecantes, jubemus, quemadmodum feminae post impletos XII annos omni modo pubescere judicantur, ita et mares post excessum quatuordecim annorum puberes existimentur,* INDAGATIONE CORPORIS INHONESTA *cessante. Hein.* Ad §. 1 — 4. Andr. Guil. Crameri *Pr. de pubertatis termino ex disciplina Romanorum.* Kil. 1804. 4. *Haub.* Dirksen *Beitr. zur Kunde d. R. R.* p. 51 — 55. (§. 1. num. I.) p. 155 — 158. (num. 3.). Zimmern *R. G.* §. 120. *Mühl.*

§. 2.

Jam diu ante Justinianum certi anni pubertatis erant praefiniti.

Sed Tribonianum hic antiquitatis prodere ignorantiam, multi existimant. Neque enim Justinianus primus istos pubertatis terminos fixit, jam dudum quippe in jure receptos. Sane duodecim annorum puellas jam viripotentes esse Augustus lege Papia Poppaea censuerat, ut patet ex Dione Cass. *Lib. LIV.* 16. δώδεκα καὶ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. *Duodecim annos puellis ad nuptias sufficere statuit.* Adde sis *Comm.* nostrum *ad L. Jul. et Pap. Popp. Lib. II. c.* 5. *p.* 177. *sq.* Quatuordecim vero anni ad pubertatem masculorum jam secundo post Christum seculo requirebantur etiam ex mente Proculejanorum: Tertull. *de veland. virg.* 11. *et de anima* 38. Macrob. *Saturnal. VII.* 7. et *in Somn. Scipion. I.* 6. [b]).

§. 3.

Numquam veteres pubertatem inspectione corporis explorarunt.

Deinde nec alterum videtur per omnia verum esse, quod veteres Romani masculorum pubertatem *indecora observatione, inhonestaque indagatione explorarint*, ut loquitur Imperator *L. ult. C. Quando tut. esse des.* Nulla enim istius indecorae inspectionis vel vola vel vestigium apud antiquos occurrit [c]). Et quamvis Huberus *Digress. III.* 14. *p.* 210. et vir amplissimus, Corn. van Bynkersh. *Observ. III.* 24. excusandum putent Justinianum, credantque, si non in quaestione de finienda tutela, at certe in nuptiis nonnumquam isti inspectioni locum fuisse: tamen ne id quidem satis, ut opinor, excusat Imperatorem. Non enim quaestionem de viri potentia, qualis aliquando in nuptiis occurrit, tractat in *d. L. ult.* quippe ad quam definiendam sola aetas parum faceret, sed quaestionem de tutela finienda. Nec verosimile est, Triboniano Imperatoris sui constitutiones

---

b) Quin et leges id docere poterant Tribonianum, veluti *L.* 2. *princ. D. de Vulg. et pupill. subst. L.* 5. *D. Qui testam. fac. poss. L.* 4. *C. eod.* ex quibus patet, saltem Ulpiani et Diocletiani temporibus eosdem pubertatis annos fuisse definitos. Neque tamen dubito, quin olim antiquissimis reipublicae temporibus quinto decimo demum aetatis anno exacto puberes habiti sint adolescentes. Tunc enim eos togam virilem sumsisse, non anno XVII., ut vulgo existimant, nec anno XIV., ut visum Lipsio *ad Tacit. p.* 312., docet Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. II.* 4. *Hein.*

c) At vid. Quinctil. *declam.* 279. et cf. Dirksen *l. l.* p. 54 et p. 156. Zimmern *l. l.* p. 428. sq. not. 14. Vid. et infra, quae ab ipso Heineccio tum a Cannegietero ad §. 4. observata sunt. *Mühl.*

tam fuisse parum familiares, ut sanctam illam, quam tantopere laudat, legem in Institutionibus aeque, ac Codice, ad materiam de tutela fuisset relaturus, si illa de singulari tantum casu nuptiali egisset. Quare adhuc probabile videbitur plerisque, Tribonianum hic cum larvis pugnasse, ritumque abolevisse, cujus numquam Romanis in mentem venerit. Vid. Jac. Raevard. *Varior. IV.* 10. *p.* 667. *T. I. Opp.*

§. 4.

[*Origo hujus erroris.*]

Ut ergo adpareat, quid in errorem induxerit Justinianum, sciendum est, non convenisse inter antiquos Jureconsultos, quos pubertati terminos figerent. Quum plerique in Stoicorum scholis profecissent, hi vero adolescentum pubertatem XIV, puellarum viripotentiam XII annis aestimarent: (Plut. *Placit. Philos. V.* 24.) eamdem sententiam plerique JCti, et in primis Proculejani, amplectebantur. Sed aliud longe videbatur Cassio Longino, cujus sectarii non annis, sed habitu corporis, aestimandam esse pubertatem arbitrabantur. Denique Priscus Javolenus quasi conciliaturus utramque sententiam, eum demum puberem esse dicebat, in quem et numerus annorum, et habitus corporis concurreret. Diserte Ulpian. *Fragm. XI.* 28. *Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui* HABITU CORPORIS *pubes adparet, id est, qui generare possit: Proculejani autem eum, qui quatuordecim annos explevit: verum Priscus eum puberem esse, in quem utrumque concurrit, et* HABITUS CORPORIS, *et numerus annorum* d). Eamdem controversiam JCtorum, sententiamque Prisci Javoleni in animo habuit Servius, qui ad illa Virgilii *Aen. VII. v.* 53.

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis,

addit: *Non est iteratum, sed* SECUNDUM JUS *dictum, in quo et* ANNORUM *ratione, et ex* HABITU CORPORIS *aetas probatur.* Idem ad Virgil. *Eclog. VIII. v.* 34. *Bene cum annis jungit* HABITUM CORPORIS, *nam et* IN JURE *pubertas* EX UTROQUE *colligitur.* Ex quibus patet, Servium in Prisci discessisse sententiam. Denique Isidorus *Orig. XI.* 2. Cassianorum sententiam amplexus: *Quidam*, inquit, *ex annis pubertatem aestimant; id est, eum puberem esse, qui quatuordecim annos expleverit: quamvis tardissime pubescat. Certissimum autem, puberem*

---

d) Vid. et Gaj. I. 196. et cf. Dirksen *l. l.* p. 52 — 55. *Mühl.*

esse, qui EX HABITU CORPORIS *pubertatem ostendat, et generare jam possit.* In tanta ergo Jureconsultorum incertitudine ex sententia Em. Merillii *Obs. V.* 16. saepe parentes testamentis solebant definire annum, quo puberes haberi deberent liberi, modo annum decimum quartum, ut *L.* 49. *D. de Legat.* 1. modo decimum octavum, ut *L.* 101. §. 1. *D. de Cond. et demonstr.*, modo decimum sextum, ut *L.* 34. §. 2. *D. de Legat.* 3. Unde lux adfulget loco Paulli Gal. IV. 2., ubi heres tutoribus subesse dicitur ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρός. Quum vero Justinianus, aut Tribonianus potius, animadverteret, pubertatem nonnullos HABITU CORPORIS aestimari velle: facile sibi persuasit, etiam usu receptam olim fuisse hanc Cassianorum vel Prisci sententiam, quum tamen multa hujus generis disputarint veteres JCti, quae in forum numquam admissa constat, quaeque ad jus constituendum magis, quam constitutum, pertinuerunt. Fingamus itaque, Cassianos censuisse pubertatem aestimandam esse φυσικῶς, ex inspectione τῶν αἰδοίων, quum tamen *habitus corporis* et alio modo naturalem generandi facultatem prodat: non tamen ullo veterum testimonio constat, id in foro esse frequentatum, vel ullum judicem umquam fuisse tam Cassii, vel Prisci sententiae addictum, ut adolescentem, qui curatorem peteret, vestibus spoliari inspicique nudum jusserit. At credidit id tamen Justinianus, et hinc rem constitutione abolevit, quam nemo veterum in foris Romanorum deprehendit [e]).

§. 5.

Finiebatur etiam tutela feminarum conventione in manum.

Feminarum tutela perpetua non pubertate, sed aliis quibusdam modis finiebatur, veluti CONVENTIONE IN MANUM. Quum enim ea, ut supra diximus, esset capitis deminutio, qua in manum et potestatem mariti redigebantur mulieres: non poterat non tutela finiri, dummodo omnes tutores fierent auctores: Cicero *pro Flacco* 34. Boeth. *ad Topica Cic.* 3.

---

e) Interim non nego, Graecis ejusmodi inspectionem usitatam fuisse, de qua Scholiastes et Florens Christianus ad Aristophan. *in Vesp. v.* 578. nec non Gundlingiana *Part. XXIV.* 2. §. 7. *p.* 347. *sq.* Sed nondum demonstratum, de exploratione pubertatis quidquam cautum fuisse in XII tabulis, ut verosimile fiat hunc ritum Athenis Romam migrasse. *Hein.* Vellem cogitasset Heineccius, nudam corporis inspectionem a moribus Romanorum non alienam fuisse: nudi inspecti milites, servi: sed haec latius alias probabimus. *Cann.*

§. 6.

Ut et jure trium liberorum, (tum vero tutoris abdicatione).

Finiebatur etiam mulierum tutela JURE TRIUM vel QUATUOR LIBERORUM, quemadmodum supra LIB. *I.* TIT. *XIII.* *n.* 22. observavimus. Nam constat ex Ulpian. *Fragm.* *XXIX.* 3. ingenuis feminis *tribus;* libertabus opus fuisse *quatuor liberis,* si tutela exire vellent. *Hein.* Praeterea tutori licuit, se *abdicare tutela*, i. e. dicere, nolle se tutorem esse; quo quidem facto desiit esse tutor [f]). Quae tutelae abdicatio neque cum cessione tutelae commiscenda est (vid. Tit. XIII—XX. §. 18.), neque cum excusatione tutorum, qua pupillorum tutores uti necesse habebant, ut a tutela liberarentur [g]). *Mühl.*

LIB. I. TIT. XXIII.

DE

CURATORIBUS [a]).

Quemadmodum *tutores* personis, ita CURATORES rebus dabantur [b]), quorum origo erit ex antiquitatibus repetenda.

§. 1.

Curatores quotuplices?

Curatores aut LEGITIMI erant, aut HONORARII. Illi legibus XII Tabularum, hi edicto Praetoris debebant originem: Ulpian. *Fragm. XII.* 1. *Testamentarii* non erant, quia Lex XII Tabularum patrifamilias *de tutela*, non autem *de curatione* legare vel testamento disponere permiserat. [Nec pater testari poterat super tutela vel familia liberorum in eum casum, quo ipsi liberi testamentum condere possent. Simile quid in substitutione pupillari animadvertimus: *L.* 7. *L.* 14. *D. de Vulg. et pup. substit.*]

---

f) Ulp. *Fr.* XI. 17. *Mühl.*

g) Rudorff *l. l.* I. §. 40. p. 311. sq. Num. III. *Mühl.*

a) Cf. Jo. Glieb. Segeri *diss. brevis curarum historia.* Lips. 1763. 4. et in opusc. Vol. I. p. 111—143. *Haub.*

b) Sic alias plerique recentiorum, propter ea, quae leguntur §. 4. *I. qui test. tut. dari possunt* et *L.* 14. *D. de testamentaria tut.* „quia personae, non causae vel rei (tutor) datur." Quae tamen, quomodo intelligenda sint, vid. de Löhr *l. l.* p. 15—24. de Savigny: *Beruf unserer Zeit für Gesetzgebung* p. 103. sqq. Rudorff *l. l.* I. p. 46. sqq. *Mühl.*

§. 2.

Curatio furiosorum et prodigorum.

Ex legibus XII Tabularum c) curatores accipiebant FURIOSI et PRODIGI. Quam legem decemviralem ex Cicer. *Quaest. Tusc. III.* 11. et *de Invent. II.* 59. ita restituit Gothofredus *ad XII Tabb. Tab. V.* SI FURIOSUS AUT PRODIGUS EXSISTAT, AT EI CUSTOS NEC ESCIT, AGNATORUM GENTILIUMQUE IN EO PECUNIAVE EJUS POTESTAS ESTO d). Quamvis adhuc quaeri possit, utrum ex verbis Decemvirorum, an ex eorumdem interpretatione nata sit prodigorum curatio.

§. 3.

Prodigis curator datus post interdictionem bonorum.

Quum vero initio et prodigi et furiosi ipso jure adgnatorum gentiliumque curationi subessent: *L.* 1. *pr. D. de Cur. furios.* prodigi postea tum demum curatorem accipiebant, si postulantibus adgnatis (vid. Valer. Max. *VIII.* 6.) iis a Praetore interposita sententia bonis esset interdictum: *L.* 1. *D. de Cur. furios.* Ulp. *Fragm. XII.* 2. Unde Horatius *Sermon. L. II. Sat.* 3. *v.* 217. *sq.*

— — – *Interdicto huic omne adimat jus*
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

Ex quo simul patet ratio, cur furor contractus statim ab initio reddiderit irritos, quamvis furiosus adgnatorum curationem nondum subiisset, prodigus vero, priusquam ei esset bonis interdictum, valide contraxerit.

§. 4.

Formula interdicendi bonis.

Formulam, qua bonis interdicebat Praetor, servavit nobis Paulus *Receptt. Sententt. III.* 4. *A.* 7. QUANDO TIBI BONA PATERNA AVITAQUE NEQUITIA TUA DISPERDIS, LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PER-

---

c) Verosimile tamen est, eum morem jam ante leges XII Tabularum Romae viguisse. Moribus sane ista furiosorum prodigorumque curatio tribuitur: *L.* 1. *D. de Curat. furios.* et apud Paul. *Receptt. Sentent. III.* 4. Quod quum intelligi haud possit de moribus, post ea tempora demum receptis: (siquidem Ulp. *d. L.* 1. *de Cur. furios.* hanc curationem quidem ex XII Tabulis arcessit, sed initium tamen ejusdem tribuit moribus), procul dubio jam sub regibus dati furiosis sunt curatores. Est ea sententia Jac. Cujacii, Jac. Gothofredi, aliorumque virorum doctorum, quam male impugnat V. C. Jan. a Costa *ad* §. 1. *Inst. de J. N. G. et C. et* §. 3. *Inst. h. t.* Vid. Schulting. *ad Paul. l. c. p.* 341. *Hein.*

d) Cf. Dirksen *Kritik u. Herstellung d. XII Tafel-Fragm.* p. 369—380. *Mühl.*

DUCIS: OB EAM REM TIBI EA RE e) COMMERCIOQUE INTERDICO. Quo facto statim adgnatorum, aut, hisce deficientibus, gentilium f) curationi committebatur prodigus. Exempla sunt apud M. Senec. *Controv. III. Praef.* Val. Max. *III.* 5. *VIII.* 6. Dion. Cass. *LVII.* 23.

§. 5.

Quomodo haec curatio finita?

At tum furiosus tum prodigus, recepta mentis vitaeque sanitate, curatione liberabatur, quamvis et hic prodigo decreto Praetoris esset opus: Paul. *Receptt. Sententt. III.* 4. *A.* 12. *p.* 343. et *ibi* Schulting. *L.* 1. *D. de Cur. furios.* Henr. Bern. Reinold. *Var. c.* 41. *p.* 291.

§. 6.

Origo curationis minorum g).

Quum ergo initio furiosis ac prodigis tantum obtruderentur curatores: factum inde est, ut cum aliquo famae detrimento conjuncta videretur curatio. Iniquum enim habetur, *ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem: L. 2. D. Si a parente quis manumiss.* Ergo praeter furiosos et prodigos nemo invitus accipiebat curatorem, et ne minor quidem, quamvis infirmum esset in tam lubrica aetate consilium, cujusquam curationi suberat, antequam *lex Laetoria* h) ea in re adolescentibus prospiceret. Quando lata sit ea lex, nondum constat. Antiquissimam esse, vel ex eo patet, quod jam Plautus *Pseudol. I.* 3. *v.* 69. ejus meminit sub nomine legis *quinavicennariae.* Quum ergo M. Laetorius Plancianus anno U. C. CCCCXC. Tribunus plebis fuerit, et postea anno CCCCXCVII.

---

e) Legunt nonnulli AERE. Cujac. *ad Paul. l. c.* Jac. Menard. *ad Cicer. Act. Verrin. V.* sed nihil hic mutandum esse, docent V. A. Cornel. van Bynkersh. *Obs. III.* 21. Schulting. *ad Paul. l. c. p.* 342. *Hein.*

f) Qui sint adgnati, qui gentiles, infra Lib. *III.* Tit. *II.* explicabitur. Jam nota originem adagii, quod in homines stultos dicitur: *ad adgnatos et gentiles.* Vid. Varr. *de Re rust. I.* 2. Columell. *X.* 1. Horat. *Sat. II.* 3. *Hein.*

g) Jo. Hier. Hetzer (potius Jo. Chph. Regneri) *Diss. ad Leg. Laetoriam.* Lips. 1749. 4. et in Fellenbergii *jurisprud. antiqua.* T. II. p. 591 — 623. *Haub.* Zimmern *R. G.* §. 121 et 237. Van Boelens *diss. de lege Laetoria et const. D. Marci de cura minor.* Groning. 1828. Burchardi *die Lehre v. d. Wiedereinsetzung in den vor. Stand* (Goett. 1831) §. 13. Rudorff *l. l.* I. §. 13. et inprimis de Savigny *von dem Schutz der Minderjährigen im Röm. Recht u. insbesondere von der Lex Plaetoria.* Berl. 1833. *Mühl.*

h) Legend. *Plaetoria.* Vid. *Tab. Heracl.* lin. 111. 112. Hugo *R. G.* p. 394. sq. ed. XI. *Mühl.*

Praeturam gesserit: verosimillimum est, hoc anno latam esse legem Laetoriam. Vid. Gundling. *Pand. Lib. IV. Tit. IV.* §. 5. Ceterum hac lege cavebatur, ut adolescentibus viginti quinque annis minoribus, (eum enim minorennitatis terminum haec lex finiverat: *L.* 2. *C. Theod. de Donat.*) petentibus curatores, caussa cognita, darentur: Jul. Capit. *Vit. Marci Ant. c.* 10. [i]). Deinde et eadem lege vindicabatur circumscriptio adolescentum, rescissis versutorum hominum fraudibus, qui lucrum aliena ex imbecillitate captabant: Cic. *de Offic. III.* 15. Sed et stipulationes ab adolescentibus, et actiones creditorum adversus minores hac lege Laetoria sublatae sunt. Unde Suetonius *in libris Praetorum* apud Priscian. *Lib. XVIII. Laetoria, quae vetat minorem annis XXV stipulari.* Et apud Plautum *l. c.* Callidorus adolescens:

Perii, an non tum lex me perdit quinavicennaria?
Metuunt credere omnes.

Denique et restitui haec lex minores laesos voluit, sed non nisi dolo aliorum circumventos: Cic. *de Offic. III.* 15. [k]). Quod beneficium postea Praetorem latius interpretatum novimus.

§. 7.

Ea demum edicto Praetoris inducta.

Ex eo ergo tempore, quum quibusdam tantum minoribus, petentibus puta ac caussam probantibus, curatores darentur, adeoque existimatio adolescentum ea curatorum datione etiam post legem Laetoriam laedi videretur: postea edixit Praetor, se non modo in integrum restituturum minores [l]), *quoties lubrico aetatis capti essent:*

---

i) Cf. Hugo *R. G.* p. 396. sq. not. 6. *Mühl.*

k) Hoc, ni fallor, nihil quicquam differt ab eo, quod paulo ante dixit Auctor: Plaetoria lege vindicari circumscriptionem adolescentum *rescissis versutorum hominum fraudibus.* Praetermisit autem Heineccius de publico judicio loqui, quod harum fraudum vindicandarum causa Lege Plaetoria comparatum est, quod quidem a Cicerone appellatur *judicium publicum rei privatae; de Nat. deor.* III. 30. *Mühl.*

l) Talis restitutionis si jam mentio fit apud Terent. *Phorm. Act. II. sc.* 4. satis adparet, jam seculo ab U. C. sexto Praetorem id jus condidisse. Sed vereor, ne ibi Terentius potius de restitutione patris, quo absente filius uxorem duxerat, quam filii, qui se a Phormione ad id coactum dicebat, loquatur. Verba Comici sunt *v.* 9. *sqq.*

— — ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur. quod TE ABSENTE *hic filius*

(quod beneficium TUTELA MINORUM dicitur: *L. 1. pr. D. de Min.*) sed et curatores iisdem daturum, dummodo eos a se peterent: *L. 13. §. 2. D. de Tut. et curat. dat.* Unde proprie curatio minorum sine caussae cognitione data ex edicto Praetoris derivanda est. Videtur sane jam ab illo tempore frequentior fuisse minorum curatio, nec finita tutela ulli temere minori permissa administratio bonorum, nisi curatoribus constitutis. Huc enim pertinent illa Maecenatis apud Dion. Cass. *Lib. LII.* 20. ubi inconveniens esse ait, minores viginti quinque annorum adolescentes Senatores legi. *Πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν καὶ σφαλερόν ἐστι, τὰ μὲν οἰκεῖα μηδενὶ πρὸ ταύτης τῆς ἡλικίας ἐπιτρέπεσθαι, τὰ δὲ δημόσια καὶ νεωτέροις τισὶν ἐγχειρίζεσθαι; Quomodo enim non turpe et noxium sit, quum nemini ante id aetatis suorum bonorum administrationem concedatis, iis, qui eam nondum attigerint, rempublicam vos credere?* Idem Praetor etiam curatores dabat libertinis prodigis, itemque ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipabant bona. His enim curator ex lege dari non poterat, sed iis, qui ab intestato heredes facti essent[m]) patri: Ulpian. *Fragm. XII.* 13.

§. 8.

Quid M. Antoninus sanxerit?

Demum et M. Antoninus Philosophus statuit, ut omnes minores, salva existimatione, acciperent curatores, caussa non cognita. Jul. Capitolin. in *vita Marci c.* 10.: *De curatoribus vero, quum ante non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, caussis non redditis.* Juvabit hunc locum a plerisque male intellectum, et qui me quoque huc usque decepit, expendere paullo adcuratius. Paucissimi enim, si nonnulli, vident, quid sanxerit Marcus Antoninus, et qua in re ejus constitutio a lege Laetoria discreparit. Lege XII Tabularum soli furiosi et prodigi accipiebant curatores. Hinc igno-

---

Egit, restitui in integrum, aequom est et bonum:
Et id impetrabis. dixi. Hein.

Edictum de integri restitutione minorum non jam liberae reipublicae temporibus propositum fuisse, probabilibus rationibus demonstravit Burchardi *l. l.* p. 210 — 215. *Mühl.*

m) Lex ergo XII Tabularum de prodigorum curatione intelligenda tantum de illis prodigis, qui jure civili ab intestato parenti erant heredes. Vid. Jac. Gothofred. *ad XII Tabb. Probat. Tab. V. p.* 98. *Hein.* Latius hoc probat Ritterus ad *Historiam Juris* Heineccii *Lib. I.* §. 99. *Cann.*

miniosa quodammodo erat curatio, et proinde invitis minoribus curatores non obtrudebat lex Laetoria, sed petentibus eos, caussa cognita, dari jubebat. Quamvis enim vulgo ex loco hoc Julii Capitolini colligant, lege Laetoria tantum *adolescentibus dementibus et lascivis* datos esse curatores, uti ipse quoque in antecedentibus editionibus scripseram: facile tamen patet, ita nihil novi sanxisse legem Laetoriam, quum jam pridem furiosis et prodigis prospectum esset XII Tabulis, nec dubitari posset, quin adolescentibus lascivis et dementibus hujusmodi curatores dari deberent, quum et majores XXV annis in curatione sint, si dementes vel lascivi esse viderentur. Itaque non est hic sensus Julii Capitolini. Potius inter se contendit jura de curatione, ante Antoninum recepta, et quae ab isto Imperatore sint invecta. *Antea*, inquit, curatorum non nisi tria genera erant, *quum non nisi ex lege Laetoria* minoribus petentibus, et caussam probantibus, *vel* secundo *propter lasciviam* prodigis, quibus Praetor bonis interdixerat, *vel propter dementiam* furiosis et mente captis curatores *darentur*. Quid vero Marcus Antoninus? Is *ita statuit*, ut non solum petentes, *sed omnes adulti curatores acciperent, etiam non redditis caussis*. Ex hac demum paraphrasi perspicue patet, quid lex Laetoria, quid M. Antoninus Imp. jusserit, quidque sibi velit Julius Capitolinus. [Quam si vidisset quidam, non dixisset, sat scio, me non inspexisse locum Capitolini in Marco.] [n]).

§. 9.

An ex eo tempore curatores invitis adolescentibus dati?

Nimirum lex Laetoria dare voluerat curatores adolescentulis petentibus et caussam probantibus; Praetor se petentibus curatores promiserat daturum, etiamsi caussa non reddita; Marcus denique Antoninus statuit, ut et omnes acciperent, nec caussae redderentur. *Atqui*, inquies, adhuc Justiniani aevo *inviti adolescentes curatores non accipiebant:* §. 2. *Inst. h. t.* An itaque cum Raevardo *Var. I.* 17. inscitiae arguemus Tribonianum, jus antiquum pro novo et recepto obtrudentem? An cum Vultejo ad *d.* §. 2. *Inst. h. t.* eum locum de cura-

---

n) Ge. Conr. Crusii *diss. ad constitutionem D. Marci de curatoribus minorum quinque et viginti annis*. Lugd. 1712. 8. et in Fellenb. *jurispr. antiq.* T. II. p. 575 — 589. Quae sub finem hujus §phi ex ed. Genevensi accesserunt uncinulis inclusa, spectant ad Ernestii indicem legum v. *Laetoria*. De ipsa controversia vid. Hugo *R. G.* p. 395. sq. *Haub.* Tum vero, qui supra allegati sunt scriptores ad §. 6. not. g. *Mühl.*

tore in litem interpretabimur? Neutrum ego facere ausim. Utrumque enim verum videtur, non invitos accepisse curatores, et omnes tamen accepisse. Prius non solum Justinianus dicit, sed et alii JCti Antonino juniores confirmant: *L.* 13. §. *ult. D. de Tut. et cur. dat. L.* 2. §. *pen. et ult. D. Qui pet. tut.* Posterius ex verbis Julii Capitolini clarum est. Servavit itaque Marcus Antoninus vetus illud principium, curatorem dari oportere non invitis, sed petentibus: at invenit tamen modum, quo omnes petere cogerentur. Non prius enim rerum suarum administrationem a tutoribus recipiebant adolescentuli, quam petitis constitutisque curatoribus [o]). Luculenter id patet ex *L.* 33. §. 1. *D. de Admin. et per. tut. L.* 28. §. 1. *eod. L.* 31. *eod. L.* 1. §. *ult. D. de Min.* Sunt, qui nobis obvertunt exempla adolescentum, qui sine curatorum auxilio res suas dicuntur administrasse: *L.* 7. §. 2. *D. de Min. L.* 3. *C. de In int. rest.* Verum ea loca non ad jus, sed ad factum, pertinere, nemo non videt. Nam et impuberes aliquando negligentia eorum, qui tutores petere debuissent, sine custodibus erant, uti ex toto *titulo D. Qui pet. tut. vel. cur.* colligimus: nec tamen inde sequitur, ut in arbitrio impuberum fuisse existimemus, sine tutoribus agere mallent, an custodibus subesse. Sed plura hanc in rem habes in *Elem.* nostris *jur. civ.* §. 271. *sq.* et in *Additionibus* nostris *ad Vinn.* §. 2. *Inst. h. t. p.* 116. *sq.* [p]).

§. 10.

Cura minorum quando finita?

Finiebatur curatio minorum anno aetatis XXV circumacto: *L.* 3. §. 3. *D. de Minor.* Quum enim longissimum vitae humanae tempus centum annis circumscriberent Jureconsulti: *L.* 76. *D. de Judic.*

---

o) Erat et alius modus cogendi adolescentes, ut curatores peterent, quod nimirum iis actio et exceptio in foro denegaretur. Neque enim stare in judicio poterant sine curatore: *L.* 1. §. 2. *D. de Admin. et per. tut. L.* 1. 2. 3. *C. qui legit. pers. stand. in judic. Hein.*

p) A vero longe aberrat Heineccius, sequutus Crusium aliosque: inviti minores curatorem non accipiebant, praeterquam in litem. Scio, quo pacto priora verba torqueant eruditi, sed in interpretandis iis, quae in fine adjiciuntur, longe a sensu, quem verba ferre possint, recedunt. Nos in lite unice cogi posse adolescentes arbitramur, et facile caussam odorabuntur juris periti: nec contra facit, quod dicantur minores alibi *debere* accipere curatores. Cogitent velim varias illius verbi significationes. *Cann.* Caeterum etiam Savignius (*comm. laud.*) Heineccii sententiam fere amplexus est eamque novis confirmare argumentis studuit. *Mühl.*

L. 56. D. de Usufr. eo in quatuor aetates diviso, juventuti XXV annos putabant adsignandos, uti acute conjicit Gundlingius *ib.* §. 4. Id quod eadem lege Laetoria factum esse, non modo inde patet, quod *Quinavicennaria* a Plauto dicitur, verum etiam ex *L. 2. C. Theod. de Donat.* manifestum est. Nonnumquam tamen juvenes impetrabant *veniam aetatis*, quod beneficium Principes dabant adolescentibus XX, puellis XVIII annorum, si frugi esse probarentur: *L. 2. C. de His, qui ven. aet.*

§. 11.

Quid actor et adjutor?

Ipse tutor, si valetudine impeditus negotia pupilli, maxime in judicio, gerere non posset, nec curatorem, nec procuratorem constituere poterat. Hunc enim solus constituebat dominus: *L. 1. pr. D. de Procur.* Quare nova invenienda erant nomina. Rogatu ergo tutoris ejusque periculo Praetor ei substituebat alium, qui, si ad agendum esset datus, ACTOR; sin ad alia negotia, ADJUTOR vocabatur: *L. 24. D. de Administr. tut.* et *L. 13. §. 1. D. de Tutel.* Actores non, ut Theophilus existimat, ideo dicti sunt, quod *ad acta* constituerentur, sed ab *agendo*, unde et *πραγματευταί* dicuntur Graecis. Translatum vero hoc nomen est ad vicariam tutelam ex institutis veterum domesticis. Domi enim e servis quemquam praeficere solebant rei familiari, qui et ipse ACTOR, vel *πραγματευτής*, nec non *διοικητὴς πάσης οὐσίας* vocabatur: *L. 8. pr. D. Fam. ercisc. L. 40. §. 7. D. de Statu lib. L. 41. §. 4. D. de Fideicomm. libert.* [Reines. *Inscriptt. XI.* 65. *p.* 631. et *Epist. ad Rupert. p.* 235. *sq.*] Et talem se esse simulabat Leonidas apud Plaut. *Asin. II. 4. v. 52. sq.*

Nam si sciat noster senex, fidem non esse huic habitam,
Succenseat, cui omnium rerum ipsus summam credidit q).

Talis quoque est, quem describit Lucas *c.* 12. *v.* 44. Add. Raevard. *Var. Lectt. V.* 20. et Wower. *ad Petron. p.* 149. qui *actores et dispensatores*, vel *arcarios* adcurate distinguit. Sed et in fundos mitti solebant servi, qui ceteris tamquam vicarii dominorum imperarent, fundumque domino colerent, et hi ipsi etiam dicti *actores: L. 32. D. de Pign.* Plin. *Epist. III.* 19. Paul. *Receptt. Sententt. III.* 56. 47. 48. Quemadmodum ergo qui in aedibus vice domini rem familiarem

---

q) Reizius hunc versum sic legendum putat: *succenseat, cui omnium rerum ipsus semper credit. Cann.*

curabat, ACTOR dici consueverat: ita idem nomen convenire eis visum est, qui pro tutore agerent. Vid. Melch. Goldast. *Adnot. ad* Dosithei *Sentent. et Epist. Hadr. III.* 10. *p.* 868. *edit.* Cl. Schultingii.

LIB. I. TIT. XXIV.

DE

SATISDATIONE TUTORUM VEL CURATORUM.

De satisdatione tutorum et curatorum jure antiquo nihil fuerat proditum: unde et nullum hujus rei vestigium in universa antiquitate exstat. Quum tamen pupilli magnum inde caperent detrimentum: de satisdatione quoque cavere coeperunt leges, de eaque paucis hic est agendum.

§. 1.

Satisdationis hujus origo.

Satisdatio haec inventa est a Praetoribus, quorum in edicto legebatur: REM PUPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE, TUTOREM VEL CURATOREM SATISDARE JUBEBO. arg. *rubr. D. Rem pupill. salv. fore. L.* 5. §. 1. *D. de Legit. tut.* Cavebant vero ex eo tempore non tutores testamentarii, quippe quorum fidem ipse testator probaverat, nisi unus reliquis vellet in administratione praeferri: *pr. Inst. L.* 17. *pr. D. de Test. tut.*, nec ex dativis, qui a magistratibus majoribus cum inquisitione erant dati: sed partim legitimi, partim e dativis illi, qui a Duumviris aliisque minoribus potestatibus fuerant dati: *L. ult. C. de Magistr. conv.* Et huc pertinet formula: TUTOREM DO, SI SATISDEDERIS: Brisson. *de Form. V. p.* 408.

§. 2.

Senatusconsulta sub Trajano et Antonino ea de re facta.

Confirmavit id SCto quodam Trajanus, qui et actionem dedit contra Duumviros, si vel non exegissent a tutoribus et curatoribus cautionem, vel minus idoneos admisissent fidejussores. Qua de re Dioclet. et Maximianus Augusti *L.* 5. *C. de Magistr. conv. In magistratus municipales, tutorum nominatores, si, administrationis finito tempore, non fuerint solvendo, nec ex cautione fidejussionis solidum exigi possit, pupillis quondam in subsidium indemnitatis nomine actionem utilem competere ex SCto, quod auctore Divo Trajano, Parente*

nostro, factum est, constitit. Eam actionem deinde D. Pius etiam ad ipsos magistratuum heredes extendit, si culpa magistratuum lata intercessisset: *L.* 6. *D. de Magistr. conven. L.* 2. *C. eod.*

§. 3.

Quomodo satisdatum?

Ipsa satisdatio fiebat oblatis fidejussoribus, (nec enim alia poterat esse cautio Praetoria: *L.* 7. *D. de Stipul. Praet.*) a quibus vel ipse pupillus, si fari posset, vel, si non posset, servus sive proprius, sive publicus, vel tabularius stipulabatur, REM PUPILLI SALVAM FORE: Ulpian. *L.* 2. *D. Rem. pup. salv. fore: Si pupillus absens sit, vel fari non possit, servus ejus stipulabitur: si servum non habeat, emendus ei servus est: sed si non sit, unde ematur, aut non sit expedita emtio: profecto dicemus, servum publicum apud Praetorem stipulari debere.* Solebat et Praetor nonnumquam dare, cui fidejussores stipularentur: *L.* 3. *eod.* Nimirum servus proprius stipulatione sua domino, id est, pupillo adquirebat: §. 1. *Inst. de Stip. serv.* Nec minus publicus servus recte stipulabatur pupillo, quia erat in dominio reipublicae. Publico vero nomine et alteri stipulari licebat: *L.* 3. *D. de Praetor. stip. L.* 1. §. 4. *D. Ut legator.* Jac. Gothofr. *Comment. ad tit. de Reg. jur. p.* 322. Dicitur ejusmodi stipulatio facta τῷ ταβουλαρίῳ apud Theoph. §. 3. *Inst. de Adopt.* Quam loquutionem eleganter explicat Amaya *ad L.* 3. *C. de Tabul. scrib. logograph.* Formula stipulationis procul dubio fuit: FIDE TUA PROMITTIS, REM PUPILLO SALVAM FORE? FIDE MEA PROMITTO.

LIB. I. TIT. XXV.

DE

EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM[a]).

Tutela jure Romano erat munus publicum: *princ. Inst. h. t.* Quemadmodum vero alia munera, excusationibus prolatis, amoliri a se poterant cives et municipes: ita etiam proditae fuerunt EXCU-

---

a) Jani Thom. Guil. van Alphen *Diss. exhib. Selecta quaedam juris publici et privati.* (L. B. 1792. 4.) c. 2. p. 27—50. *Haub.* Add. Ant. Augustini *ad Modestinum s. de excusationibus lib. singul.* (in Ottonis *thes.* IV. p. 1559 sqq.) Zimmern *R. G.* §. 241. 242. — Cf. *Vat. Fr.* §. 123 — 247. *Mühl.*

SATIONES, quibus tutelam et curationem possent recusare. Imo et caussae erant, propter quas arcebantur a tutela etiam illi, qui eam non recusarant, quas ipsas quoque excusationibus tutorum et curatorum adcensent JCti, quibus EXCUSARI dicuntur, etiam qui non admittuntur vel prohibentur: *L.* 1. §. 3. *D. de Postul.* [b]). Propria itaque JCtis est haec vocabuli notio, et tam ab usu remota, ut Graeci, quum verba *παραιτεῖσθαι, ἀπολογεῖσθαι, προφασίζεσθαι* illam non exhaurire animadverterent, verbum Latinum *ἐξκουσατεύειν* adoptare non dubitarint: Harmenop. *Promtuar. II.* 5. 6. *I.* 30. 80. Add. V. A. Corn. van Bynkersh. *Obs. IV.* 11. *p.* 385. *sq.* et *Elem.* nostra *jur. civ. sec. ord. Institt.* §. 288. Ex quo simul patet, in *L.* 11. *D. de Decurion.* non esse, quod pro EXCUSARE rescribamus EXCURIARE cum Cujac. *Obs. XXVI.* 38. Unde jam excusationes merito in VOLUNTARIAS, NECESSARIAS et MIXTAS distinguuntur.

§. 1.

Excusabat I. numerus liberorum.

Prima caussa, eaque VOLUNTARIA, est NUMERUS LIBERORUM, quorum *tres* Romae excusant, in Italia *quatuor,* et in provinciis *quinque: pr. Inst. h. t.* [c]). Hoc quum ad famosum illud jus trium, quatuor et quinque liberorum pertineat: quale illud fuerit, ex antiquitatibus Romanis erit paullo altius repetendum.

§. 2.

Cur Romani a nuptiis et procreatione liberorum abhorruerint?

Plurimi Romanorum, dici non potest, quantum a nuptiis abhorruerint. Caussae hujus rei variae, amores furtivi [d]), luxuria matronarum, de qua eleganter Plaut. *Mil. Glorios. III.* 1. *v.* 92. *sq.* [et Juven. *Sat. VI. v.* 25.] et praecipue illa orbitatis praemia, quae

---

b) Caeter. vid. de Löhr *Arch. f. civ. Pr.* XI. p. 2. 3. Zimmern *R. G.* §. 240. ibiq. not. 4. 5. Mühlenbr. *doctr. Pand.* III. §. 578. not. 17. *Mühl.*

c) *Vat. Fr.* §. 168—170. §. 191—199. ibiq. de Buchholz *in not.* Rudorff *l. l.* T. II. §. 92. *Mühl.*

d) Hanc caussam ipse observat Augustus Imp. apud Dion. Cass. *LVI.* 7. ubi invectus in caelibes: *Οὐ γὰρ δὴ δήπου μοναυλίᾳ χαίρετε, ἵν' ἄνευ γυναικῶν διάγητε· οὐδὲ ἔστιν, ὅστις ὑμῶν ἢ σιτεῖται μόνος, ἢ καθεύδει μόνος, ἀλλ' ἐξουσίαν καὶ ὑβρίζειν καὶ ἀσελγαίνειν ἔχειν ἐθέλετε. Neque enim adeo vos solitudo vivendi capit, ut absque mulieribus degatis, ac neque vestrum quisquam est, quin mensae lectique sociam habeat: sed licentiam libidini ac lasciviae vestrae exercendae quaeritis. Hein.*

toties celebrant veteres. Colebantur ejusmodi μισογάμοι ab omnibus, viaque ipsis ad honores et commoda patebat, nemine illis negante suffragium, ob hereditatem, quam quisque spe devoraverat. Unde lepide senex ille Periplectomenes apud Plaut. *Milit. Glorios. Act. III. sc.* 1. *v.* 111. *sqq.*

Quando habeo multos cognatos, quid opus mihi sit liberis?
Nunc bene vivo, et fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet:
Morte mea mea bona cognatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet, assunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Eos pro liberis ego habeo. Quin mihi mittunt munera.
Sacrificant? dant inde partem mihi majorem, quam sibi:
Abducunt ad exta: me ad se ad prandium, ad coenam vocant.
Ille miserrumum se retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis. At ego haec mecum mussito:
Bona mea inhiant: certatim mittunt dona et munera.

[Quin et securi sibi videbantur caelibes et orbi. Hinc Caesellius Jurisconsultus apud Valer. Max. *VI.* 2. 12. ait, senectutem et orbitatem sibi natura dicaciori et faceto magnam praebere licentiam.] Sed et de suo tempore conqueritur Plin. *Hist. Nat. XIV. Prooem. coepisse orbitatem in auctoritate summa et potentia esse, captationem in quaestu maximo.* Et Seneca *Consolat. ad Marciam* 19. *In civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos ejurent, et orbitatem manu faciant.* Addi merentur Petron. *Sat. p.* 106. ubi Romanorum mores sub Crotoniatarum nomine sale satirico defricat, ut et Tacitus *Annal. XIII.* 52. *de Moribus Germ.* 20. Ammian. Marcellin. *XIV.* 19. Denique et erant, qui philosophiae caussa abstinebant a matrimonio, exemplo veterum, Thaletis, Pythagorae, Democriti, Platonis, Zenonis Cittiei, Epicuri. Ita sane et recentiores in orbe Romano philosophi sibi putabant faciundum, veluti Apollonius Tyanensis, Epictetus, Plotinus, Porphyrius, Proclus. Vid. Philostrat. *Vit. Apollon. I.* 10. Marin. *vit. Procli c.* 17. *p.* 59. et ibi Cl. Fabric. Quae quum ita se haberent, non mirum profecto est, adeo abhorruisse Romanos a nuptiis quaerendisque liberis, ut praemiis essent ad conjugia ineunda invitandi. Fusius haec illustravimus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Lib. I. c.* 2. *p.* 35. *sq.*

§. 3.

Poenae caelibatus et praemia foecunditatis in libera republica.

Equidem jam libera republica et poenas caelibatus, et foecunditatis praemia fuisse, certissimum est. Legum ejusmodi et a senatu et a populo conditarum meminit ipse Augustus oratione ad caelibes apud Dion. Cass. *Hist. LVI.* 7. Solebant et Censores dare operam, ne caelibes essent in urbe, atque hinc mulctam exigere ab iis, qui, nulla ducta uxore, ad senectutem pervenissent. Ea mulcta dicebatur *aes uxorium.* Festus sub voce *uxorium p.* 478. Uxorium *pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, aes populo dedit.* Qua in re rigida in primis ac severa fuit censura M. Furii Camilli et M. Postumii Albini Regillensis, anno U. C. CCCL. de qua Plutarch. *vit. Camilli c.* 2. et Valer. Max. *II.* 9. 1. Ita et anno DCCXXII. Q. Caecilius Metellus Macedonicus omnes uxores ducere coegit liberorum quaerendorum caussa, et tum habuit orationem, cujus partem servavit Gellius *Noctt. Attic. I.* 6. quaeque digna visa Augusto, quam in senatu repeteret, quum suaderet Legem Juliam de maritandis ordinibus: Suet. *Aug. c.* 89. Nonnumquam Censores caelibes etiam in quatuor tribus urbanas, ceteris inhonestiores, maritos et parentes in rusticas, tamquam nobiliores, describebant: Liv. *XLV.* 15. [e]). Nec poenis tantum, sed et praemiis propositis, ea in re utebantur veteres, et in primis honoribus cives invitabant ad ducendas uxores, ceu patet ex insigni oratione P. Scipionis, Censoris, anno U. C. DLIIII. apud Gell. *Noctt. Att. V.* 19. ubi etiam ille pravus mos reprehenditur, *quod filius adoptivus patri adoptatori inter* PRAEMIA *patrum prodesset.*

§. 4.

Praemia πολυπαιδίας a Julio Caesare proposita.

At paullo post tamen et Julio Caesari legibus promovenda visa est πολυπαιδία civium. Jam in Consulatu, quem cum Bibulo gessit, agrum Campanum divisit extra sortem XX millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent. Suet. *Jul. Caesar. c.* 20. Appian. *de Bellis civil. II.* 10. Postea, ubi bellum civile detonuerat, acto censu, tantam deprehendit in urbe solitudinem, ut teste Appiano *de Bellis civil. II.* 102. dimidio minus capitum censeretur, quam ante bellum civile. Unde denuo praemia proponenda existimabat iis, quibus

---

e) Cf. Huschke *Verf. d. Kön. Serv. Tull.* p. 541. sq. *Mühl.*

plures essent liberi: Dio Cass. *Hist. XLIII.* 25. Suet. *Jul. Caes. c.* 42. Sed eo paullo post interfecto, non diu admodum leges istae saluberrimae viguerunt.

§. 5.

Prima Augusti rogatio de poenis caelibatus et praemiis πολυπαιδίας.

At multo magis haec cura Augusti subiit animum, qui tamen nonnisi post multa molimina solitudini isti invenit remedium. Primum id egit anno U. C. DCCXXV. quo censum cum Agrippa, tamquam Praefectus morum, egit: Grut. *Inscriptt. p. CCXXX.* Nam ex eo demum tempore sexto inito consulatu potentiae securus, quae in triumviratu jussa fuerant, abolevit, deditque jura, queis pace et principe uterentur. *Arctiora ex eo vincula, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti:* Tacit. *Annal. III.* 28. Ex quibus tamen verbis Lips. *in Excurs. ad* Tac. *Ann. Lib. III. litt. C.* male colligit, jam sexto illo consulatu Augustum rogationem ad populum tulisse. Incertum enim hoc esse ostendimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. I. c.* 3. *p.* 41. Saltem, si quid sexto consulatu egit Augustus, tum quidem nihil profecisse videtur.

§. 6.

Lex Julia de maritandis ordinibus.

Decennio post A. U. C. DCCXXXVI. denuo eamdem rem egit, lata celeberrima illa lege JULIA *de maritandis ordinibus,* qua et innuptis arctiores poenas statuit, et nuptiis liberorumque procreationi proposuit praemia: Dio Cass. *Hist. LIV.* 16. Dici non potest, quantis cum difficultatibus tunc colluctandum fuerit Augusto. Quamvis enim orationem Metelli, de qua supra, in Senatu haberet: Suet. *Aug. c.* 89. *Epit. Liv. LIX.* magno tamen Patrum consensu ei occlamatum est, teste Dione Cassio. At sequutum tamen SCtum de ferenda lege, de quo Horat. *in illo Carm. Saeculari v.* 17. *sqq.*

Diva, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novae feraci
LEGE MARITA.

Sed licet tum Augustus tam certus esset de successu hujus rogationis, ut legis hujus in antecessum meminerit in luculenta Inscriptione apud Grut. *p. CCCXXVIII. n.* 1. quam nos supplevimus illustravimusque *in Comment. ad L. Jul. et Pap. ibid. p.* 43. *sq.* legem tamen

perferre ne tum quidem potuit, prae tumultu recusantium: Sueton. *Aug. c.* 34. Eoque respicit Propertius *II.* 6. *v.* 1. *sq.*

Gavisa es certe SUBLATAM, *Cynthia*, LEGEM,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; – — — –

Repetitis tamen aliquoties rogationibus, ita demum perlata est, ut ademta lenitave parte poenarum, auctisque praemiis, vacatio triennii concederetur: Sueton. *Aug. c.* 34. Triennio vero illo circumacto, denuo biennii data est vacatio, adeoque lex illa de maritandis ordinibus demum anno DCCLVII. Sex. Aelio Cato et C. Sentio Saturnino Coss. perlata, annoque DCCLXII. in legem Papiam Poppaeam transfusa, vires suas exserere coepit: Dio *LVI.* 10. [f]).

§. 7.

Lex Papia Poppaea et praemia πολυπαιδίας.

Nimirum vicerat caelibatus orbitatisque amor, adeo, ut A. U. C. DCCLX. equites Romani magnopere de abroganda hac lege laborarent. Paullo post Augustus insignes illas habuit orationes tam ad caelibes, quam ad conjuges, quas servavit Dio Cass. *LVI.* 2—9. Suet. *Aug. c.* 35. Denique anno U. C. DCCLXIII. ferri jussit LEGFM PAPIAM POPPAEAM, quae in jure nostro etiam LEX JULIA et PAPIA adpellatur, quia in eam Juliae istae rogationes pleraeque confluxerant. Tulerunt hanc legem ad populum M. Papius Mutilus et Q. Poppaeus Secundus, Consules suffecti [g]), quorum neuter vel uxorem habebat, vel liberos: Dio Cass. *LVI.* 10. ex quo, quam fuerit haec lex necessaria, facile intelliges. In ea capita haud pauca agebant de praemiis πολυπαιδίας. Sic e pluribus candidatis praeferebatur is, qui plures sustulisset liberos: Tacit. *Annal. XV.* 19. Plin.

---

f) Cf. cum his, quae de harum legum aetate hoc in loco dicta sunt, Chr. Fr. Wenckii *observat. ad jurisprudent. elegantiorem fac.* cap. II. in opusc. a Stiebero edit. p. 232—237. *Mühl.*

g) In plerisque fastis hoc par Consulum desideratur. Sed rem expediunt fragmenta Capitolina apud Pighium *Annal. p.* 19. in quibus hujus anni Consules ita recensentur: C. POPPAEUS. Q. F. Q. N. SABINUS. Q. SULPICIUS. Q. F. Q. N. CAMERINUS. EX. K. JUL. M. PAPIUS. M. F. M. N. MUTILUS. Q. POPPAEUS. Q. F. Q. N. SECUNDUS. Exstant quoque utriusque numi apud Golzium *in Fast. p.* 229. *sq.* ubi tamen Poppaeus non *Secundus*, sed SECUNDINUS cognominatur. De gente Papia videndus Patin. *de famil. Rom. p.* 329. et de utraque *Comment. noster ad L. Jul. et Pap. Lib. I. c.* 4. *Hein.*

Epist. VII. 16. E Consulibus quoque prior sumebat fasces, qui collegam liberorum multitudine anteibat: Gell. *Noctt. Att. II.* 15. Latini porro ob filium filiamve anniculum anniculamve, Latinae vero ob ternos partus jus Quiritium consequebantur: Ulp. *Fragm. III.* 1. Liberti ob multitudinem liberorum ab operis, ingenuae et libertae a tutela liberabantur: *L.* 37. *D. de Oper. libert.* Plutarch. in *Numa* 10. Dio *Hist. LVI.* 10. *Fragm. Regul. ex vetere JCto* §. 6. Ulpian. *Fragm. XXIX.* 2. 3. Juvabant etiam liberi in hereditatibus et solidi capacitate: Ulp. *Fragm. tit. XV. XVI.* Imo et honoratior in theatro locus dabatur iis, qui plures haberent liberos: Gothofred. *ad Leg. Pap. Popp. c.* 7. *sq. p.* 280 [h]). In primis vero hac lege fuerat cautum, ut, qui secundum hanc legem liberos tres, Romae natos, superstites, qui quatuor in Italia, qui quinque in provinciis haberet, omnium munerum personalium immunitatem haberet: *pr. Instit. h. t. L.* 1. *et ult. C. Qui num. lib. L.* 18. *D. de Excus. tut.* [i]).

§. 8.

Jus liberorum trium, quatuor, quinque.

Hinc ergo natum famosum illud jus trium, quatuor et quinque liberorum, quod tamen et liberis orbi, imo et steriles nonnumquam, beneficio principum, obtinebant. Exempla sunt apud Plin. *Epist. II.* 13. *VII.* 16. *X.* 95. imo et in inscriptionibus, veluti in illa apud Grut. *p. MLXXXI.* ubi laudatur STATIA·IRENE, JUS LIBERORUM HABENS, et in aliis, in quibus litterae J. L. H. id est, JUS LIBERORUM HABENS: Brummer. *de lege Cinc.* 14. Apud eumdem Grut. *p. CCCXXII. n.* 8. mentio fit Albiae Flaminicae, CUI IMP. JUS COMMUNE [k]) LIBERORUM CONCESSIT, et *p. DCXXXI. n.* 2. Persicus libertinus sepulcrum se condidisse testatur C. CORNELIO. PERSICO. F. HABENTI EQUUM PUBLICUM, et CORNELIAE, ZOZIMAE, MATRI EJUS, HABENTI JUS QUATUOR LIBEROR. BENEFICIO CAESAR. Plura de hoc jure commentatus est M. Vertranius Maurus singulari libro *de trium liberorum jure* [l]), in quo tamen multa potius, quam bona et solida, reperies.

---

h) De legis Jul. et Papiae Popp. historia et argumento universim etiam cfr. Hugo *R. G.* p. 753—765. ed. XI. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 299—316. *Mühl.*

i) Impugnat hanc auctoris sententiam Rudorff *l. l.* II. p. 133. sq. *Mühl.*

k) Legendum forsan JUS COMMUNIUM LIBERORUM, ob quod solidum capiebant inter se conjuges: Ulp. *Fragm. XVI.* 1. *Hein.*

l) Librum hunc frustra a se bibliothecis quaesitum, ait Brummer. *ad leg.*

§. 9.

Professio liberorum apud Praefectum aerarii.

Quinam liberi profuerint ad capienda πολυτεκνίας praemia, de eo copiose satis disputant Jureconsulti. Nos addimus, ne fraus legi fieret, cautum fuisse a Marco Antonino Imperatore m), ut professio liberorum intra diem tricesimum fieret apud Praefectum aerarii, alterumque exemplum tabularum domi, alterum apud aerarium adservaretur: id quod idem Imperator etiam in provinciis fieri jussit: Jul. Capitolin. *vit. Marc. Anton. c.* 9. Et huc pertinet exemplum Gordiani, de quo idem Jul. Capitolin. *Gord. c.* 4. nec non lepida illa adulteri excusatio apud Juvenal. *Sat. IX. v.* 84. *sqq.*

Tollis enim, et LIBRIS ACTORUM *spargere gaudes*
Argumenta viri: foribus suspende coronas,
Jam pater es: dedimus, quod famae opponere possis,
Jura parentis habes, propter me scriberis heres.

Adde Brisson. *Antiqu. Rom. I.* 5. *p.* 7. (et Trekell ad Brisson. *Antiq. opp. min. p.* 10. *Haub.*).

§. 10.

Fisci et aerarii, ut et rationis Caesaris differentia.

Voluntariis porro excusationibus adcensenda II. ADMINISTRATIO REI FISCALIS. Libera republica reditus omnes publici influebant in aerarium. At sub Imperatoribus separatae erant rationes *fisci* atque *aerarii*, τοῦ βασιλικοῦ καὶ τοῦ ταμείου. Hoc ad populum, ille ad Principem pertinebat. Hinc saepe cum in jure, tum apud auctores junguntur *jura fisci* et *populi*: Paul. *Receptt. Sentent. V.* 12. *L.* 1. *D de Bon. dam.* Lamprid. *Alex. Sev. c.* 12. Hanc differentiam primus Augustus, vel certe Tiberius, reperit. Sane sub Tiberio diversum a fisco fuisse aerarium, patet ex Tac. *Ann. VI.* 2. A fisco iterum distincta erat *ratio Caesaris*, id est, privatum Principis patrimonium

---

Cinc. 14. Sed facile eum reperire potuisset in *Tractatu Tractatuum T. VII.* nec ignotum est, eum nuper *Thesauri jur. Rom. Otton. T. III. p.* 967. *sqq.* insertum esse. *Hein.*

m) Ita rem refert Jul. Capitolinus *vit. Marc. Ant. c.* 9. Sed tamen jam ante ea tempora clarorum virorum ortus in acta publica referebantur, ut ex Sueton. *Tiber. c.* 5. et *Calig. c.* 8. patet. Juvenal. *Sat. IV. v.* 82. *sq.* Fortassis ab omnibus et ob liberales caussas id fieri jussit Antoninus, quod antea illustriores tantum familiae facere consueverant. Plura nos in *Comment. ad L. Jul. Pap. Li. II. c.* 9. *p.* 213. ubi et de *natalis* et *censualis professionis* discrimine, quarum mentio fit in *L.* 6. *C. de Fid. instr.* et *L. ult. C. Sine censu vel reliq. Hein.*

de quo *L.* 6. §. *ult. D. de Jure fisci* n). Unde toties memorantur PROCURATORES HEREDITATUM PRIVATI PATRIMONII, et similes, apud Fabrett. *Inscr. c.* 3. et Phil. a Turre *in Monum. vet. Ant. c.* 6. Ut jam non commemorem, quae ex Gruteri et Reinesii Thesauris eam in rem depromi possint. At senescente jam sub Principibus imperio, nullum erat amplius inter fiscum et aerarium discrimen, nisi quod publica pecunia *sacrarum largitionum*; privatum Principis patrimonium *privatarum rerum* nomine veniret. Unde tituli *C. de Comit. sacr. larg.* et *de Com. rer. privat.* Jam Dioni sane *Lib. LIII.* 16. vix liquet, quid inter Augusti et publicum intersit aerarium, et Glossae recentiores promiscue scribunt: *Ταμεῖον, fiscus, aerarium.* Paucissimi sane Principes Helvium Pertinacem imitabantur, qui, quo minus Imperatoriis possessionibus nomen suum inscriberetur, prohibebat, non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorum et publicas: Herodian. *Hist. II.* 4.

§. 11.

Aerario qui praefuerint?

Aerario initio praeerant Quaestores, quos Tacitus *Annal. XI.* 22. et Ulpianus *L. un. pr. D. de Offic. quaest.* Gracchani Junii auctoritate paene tam antiquos faciunt, quam ipsam urbem. Sed eosdem a Valerio Poplicola demum creatos, scribit Plutarchus *vit. Valer. Popl. c.* 12. Imo Pomponius eos ipsis Tribunis plebis Aedilibusque recentiores facit: *L.* 2. §. 22. *D. de Orig. jur.* Sed quemadmodum de Pomponio hic non multum laboramus: ita Ulpiano facile conciliabis Plutarchum, si, Quaestores jam sub regibus fuisse, Valerium vero illum magistratum, a Tarquinio Superbo abrogatum, restituisse reipublicae, dixeris. Quod et Tacitus *l. c.* non obscure indicat, qui simul monet, Consulibus initio mansisse potestatem Quaestores deligendi, donec eum quoque honorem populus mandarit. Initio duo creati, ut rem militarem comitarentur: dein duo additi, qui Romae curarent, mox duplicatus numerus, stipendiaria jam Italia, et adcedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Sullae viginti creati, supplendo Senatui, cui ille Dictator judicia tradiderat. Prolixe haec omnia Tacitus *l. c.* His ergo aerarii potissimum cura demandata fuerat a populo: Ascon. Pedian. *in Verrin. II. p.*

---

n) Vid. Unterholzneri *Verjährung durch fortgesetzten Besitz* (Bresl. 1815.) §. 13. Nr. 3. *Mühl.*

70. *sq.* At A. U. C. DCCIX. aerarii administratio, jubente Caesare, a Quaestoribus ad Aediles translata: Dio Cass. *XLIII.* 48. Augustus, ubi aerarium militare instituerat, ejus curam demandabat viris praetoriis, quos primum a Senatu lectos, deinde sorte ductos, ac demum ab ipso Imperatore nominatos, constat: Suet. *Aug.* *c.* 35. Quaestoribus porro curam aerarii Saturni reddidit Claudius: Suet. *Claud.* *c.* 24. Denique administratio aerarii jussu Neronis fuit penes Praefectos aerario o), qui tamen etiam de caussis fiscalibus judicabant: Gell. *XIII.* 23. Tacit. *Annal.* *XIII.* 28. Jac. Guther. *de Offic. Dom. Aug. III.* 32. Quum vero ab Augusti temporibus duplex esset aerarium, *Saturni* alterum, ita dictum a templo Opis et Saturni, in quo custodiebatur, alterum *militare:* duo quoque erant Praefecti aerario, vel diversa saltem officia, uni aliquando personae demandata. Exemplum suppeditat marmor apud Gruter. *Inscriptt.* *p.* *MXXVIII.* *n.* 5.

§. 12.

Qui fisco et patrimonio Caesarum?

Fisco praeerant Procuratores, Advocati, Patroni fisci, quorum passim in jure nostro mentio fit. Sunt etiam PRAEFECTI FISCI GERM. CAES. IMP. apud Grut. *Inscriptt.* *p.* *CCCCXCVIII.* *n.* 10. A COMMENTARIIS FISCI ASIATICI, apud Reines. *Insc.* *Class.* *IX.* 33. PROCURATORES FISCI ASIATICI apud eumdem *Class.* *IX.* 60. Imo creare Nerva coepit *Praetorem fiscalem,* qui de rebus fiscalibus jus diceret: *L.* 2. §. 32. *D. de Orig. jur.* Patrimonia Principum Procuratores Caesarum administrabant. Denique postremis temporibus fiscum Comes sacrarum largitionum; patrimonium principis Comes rerum privatarum administrabat, de quibus videndi Gutherius *de Offic. Dom. Aug. III.* 1. 16. 25. 32. et, qui egregia multa hanc in rem collegit, Gundlingius *Diss. de Principe herede c.* 4.

§. 13.

Rei fiscalis administratio excusationem dedit voluntariam.

Quicumque ergo res fiscales administrabant, excusari poterant a tutela, non tam quia bona eorum fisco obligata erant, ut pleris-

o) Quum vero ex lege Papia in aerarium et paullo post in fiscum etiam influerent vicesimae hereditatum: iis administrandis praefuerunt PROCURATORES XX. HEREDITATIUM et PROMAGISTRI XX. HEREDITATIUM, quorum mentio fit in marmoribus apud Gruter. *p.* *CCCCXXXVII.* *n.* 7. *CCCCXXVI.* *n.* 5. *CCCCLIV.* *n.* 8. *Hein.*

que videtur: quam quod privilegio se possent defendere. Hinc dicitur, *excusari eos posse* §. 1. *Inst. h. t.* eos *vacationem habere L.* 10. *C. h. t. privilegio defendi l. ult. C. Qui dari tut. poss.* Unde patet, non *necessariam* fuisse hanc excusationem, sed *voluntariam:* Thomas. *Not. ad Inst. h. t. p.* 110.

§. 14.

Potestas, quae a tutela excusat, quid?

Eadem de caussa excusantur III. QUI CUM POTESTATE SUNT. Potestas vero diversimode accipitur ab antiquis. Nonnumquam magistratibus urbanis opponuntur potestates in provinciis apud Sueton. *Claud. c.* 23. *Jurisdictionem de fideicommissis, quotannis et tantum in Urbe, delegari magistratibus solitam, in perpetuum atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Nonnumquam etiam in ipsa urbe a magistratibus sejungebantur potestates. In urbe enim erant, qui jus dicerent, quamvis non essent magistratus ordinarii, veluti *Praefectus annonae, Praefectus vigilum,* quos magistratus ideo esse negat Pomponius *L.* 2. §. 33. *D. de Orig. jur.* etiam hi dicebantur habere potestatem. Porro potestas distinguitur aliquando ab imperio, adeoque tribuitur iis magistratibus, qui neque vocationem, neque prehensionem habebant, veluti Quaestoribus. Vid. infra *Lib. IX. Tit. VI.* §. 5. Nulla harum significationum hic invenit locum. Cum potestate enim hic esse dicuntur, quicumque sunt cum imperio, id est, magistratus majores, vel majoribus auspiciis, et lege curiata creati: Gell. *Noctt. Attic. XIII.* 15. *L.* 1. *pr. D. Si quis jus dicenti non obtemp.* Huber. *Praelect. ad Instit. L.* 25. 4. Unde ne Aedilitas quidem excusabat: *L.* 17. §. 4. *D. h. t.* Nam Aediles nec coërcere poterant, nec jubere in carcerem duci, nec prehensionem habebant, sed ipsi in jus vocabantur: Gell. *Noctt. Att. XIII.* 15. p). Postremo tamen participes hujus beneficii generatim facti sunt Senatores: *L.* 15. §. 3. *h. t.* imo et ἄρχοντες τῶν πόλεων, id est, Duumviri: *L.* 6. §. 16. *h. t.*

---

p) Aedilitas excusabat, quod ipsa l. c. indicat; et vid. §. 3. *Inst. de Excusat.* Adde Otton. de Aedil. colon. et mun. Antiquissimis temporibus Aediles in jus vocari potuere, sed dein id mutatum, quod indicat Varro apud Gell. Prehensionem et tribuunt Aedilibus ob locum Livii *L. XXXIX. c.* 14. Vid. de eo d'Arnaud in *Conject. var. L. II. c.* 10. *Cann.* Caeter. vid. Schulting et Smallenberg not. ad *Dig.* T. IV. p. 465. et Rudorff *l. l.* T. II. p. 81. sq. *Mühl.*

§. 15.

De aliis excusandi caussis.

De V. PAUPERTATE: VI. TRIUM TUTELARUM ONERE, ut et VII. IMPERITIA LITTERARUM nihil est, quod ex antiquitate monendum sit. At quum VIII. et PROFESSIO LIBERALIUM ARTIUM excusarit, hujus quae fuerit Romae conditio, ostendendum erit paullo adcuratius [q]).

§. 16.

Professio artis grammaticae.

Grammatici, quos initio LITTERATOS, vel LITTERATORES adpellabant [r]), serius Romae docuerunt. Ludimagistris, qui primis litterarum elementis imbuebant pueros, semper quidem procul dubio usi fuerant Romani; sed ab his diversi Grammatici erant, id est, poëtarum interpretes: Suet. *l. c.* Unde et in jure nostro a ludi litterarii magistris discernuntur: *L.* 1. *pr. et* §. 6. *D. de Extraord. cognit.* Grammaticam olim Romae ne in usu quidem, nedum in honore fuisse, rudi scilicet ac bellicosa tum civitate, docet Sueton. *de Illustr. Gramm.* 1. ex quo etiam discimus, mediocre ejus exstitisse initium, profitentibus eam artem nonnisi semigraecis, imo et libertinae conditionis hominibus. Sane L. TITINIUS L. F. AMAZON GRAMMATICUS memoratur apud Reines. *Inscr. Class. I.* 228. *p.* 216. M. POMPILIUS M. F. FORTUNATUS GRAMM. apud Gruter. *Inscr. p. MXXXV. n.* 6. ut alia jam exempla praetermittam, quae et ipse Suetonius suggerit. Primus hoc studium in urbem intulerat Crates Malleotes, qui missus ad Senatum ab Attalo Rege, inter secundum et tertium bellum Punicum, quum fracto crure decumberet, adsidue disserendo, Romana ingenia excitavit. Sequuti eum sunt alii, praecipue post Q. Metelli tempora, post quae adeo sensim crevit grammatices honor, ut ne clarissimi quidem viri ab ea se abstinerent, et aliquando super viginti celebres scholae in urbe florerent: Suet. *de Illust. Gramm.* 3. Sed plerique docebant privatim, aut certe magno virorum illustrium aere conducti. Primus centena in annum sestertia

---

q) Ern. Th. Gaupp *de professoribus et medicis eorumque privilegiis in jure Romano.* Vratisl. 1827. 8. Rudorff *l. l.* II. §. 99. *Mühl.*

r) Teste Sueton. *de Illustr. Gramm.* 4. ubi erudita sunt, quae adnotavit Is. Casaub. *p. m.* 732. *Hein.* Add. Jo. Tob. Krebsii *Prolus. de Finibus Grammatici regundis, num. VII. in Opuscc. acadd. et scholastic. denuo recognit.* (Lips. 1778. 8.) *p.* 191. *sqq. Haub.*

accepit Verrius Flaccus sub Augusto et Tiberio: Suet. *de Illustr. Gramm.* 17. Postea sensim invaluit, ut et Grammatici publicis invitati stipendiis docerent: Ael. Spartian. *Vit. Hadr.* 17. adeo ut stipendium eorum ordinarium temporibus Luciani essent μύριαι δραχμαί, id est, sestertia quadraginta, aurei quadringenti, vel mille coronati monetae Belgicae. Vid. Gronov. *de pecun. vet. Lib. IV. c.* 11. *p.* 729. Imo et annona iis quotannis coepit distribui, quam aliquoties iis deminutam restitutamque esse, patet ex Symmachi *Epist. I.* 33. Cassiodor. *Epist. IX.* 21. ut et *L.* 11. *C. Theod. de Medic. et Professor. Lib. XIII. Tit. III.*

§. 17.

Professio rhetorices.

Serius multo, imo et difficilius Romae recepti sunt rhetores, quippe quos anno U. C. DXCII. C. Fannio Strabone et M. Valerio Messala Coss. SCto; deinde anno U. C. DCLXI. a C. Domitio Ahenobarbo et L. Licinio Crasso censorio edicto, urbe expulsos esse constat: Suet. *de clar. Rhet.* 1. Postea et rhetoricam privatim docere coeperunt plures, quorum aliquot recenset Sueton. *de clar. rhet.* 3. *sq.* Primus, ut diserte notat Euseb. *in Chron. n.* MMCIV. publice Romae docuit, salariumque e fisco accepit Quinctilianus, isque sub Domitiano. At jam Vespasianum Latinis Graecisque rhetoribus annua centena, id est, aureos mille e fisco constituisse, tradit Sueton. *Vespas. c.* 18. Posteriores Imperatores ea in re modo liberaliores, modo tenaciores fuerunt. Sub Marco enim rhetorum stipendium fuere drachmarum decem millia: Lucian. *Eunuch. p.* 161. *T. IV.* id est, aurei CCCXXXIII. et regales *IV.* ut rationes init Theod. Marcil. ad Suet. *Vesp. c.* 18. vel CCCC., uti Gronovius. Tatianus, qui sub Commodo floruit, sexcentos aureos philosophis scribit datos, ex quo et salaria rhetorum sexcentorum aureorum fuisse videntur: Theod. Marcil. *ad Suet. Vespas. l. c.* Imo Eumenius rhetor liberalitate Principis salarium sexcentorum millium nummum sese accipere gloriatur, in *Orat. pro restaur. schol.* 11. qui ex Gronovii calculo conficiunt *XLV* millia florenorum Hollandicorum.

§. 18.

Professio philosophiae.

Eadem paene Romae philosophorum fata fuerunt. Ii quoque cum rhetoribus pulsi A. U. C. DXCII. Idem saepius factum, quum

antea, tempore Catonis, tum etiam sub Domitiano: Suet. *Domit. c.* 10. sub quo Epictetus quoque Roma excedere jussus est. Interea tamen semper privatim floruit philosophiae studium. Primus philosophis stipendia et honores concessit Antoninus Pius: Jul. Capitolin. *vit. Anton.* 11. [Herodian. *Histor. I.* 2.] ut et post eum D. Marcus, qui, uti ipse serio philosophabatur, ita omnis generis doctoribus annuam mercedem constituebat: Xiphilin. *LXXI. p.* 815. Hoc quoque salarium annuum ordinarie DC aureorum fuisse, ex Tatiano colligimus cum Casaub. *Not. ad Sueton. Vespas. c.* 18. At nonnullis tamen minus datum est. Luciani enim tempore singula philosophorum genera acceperunt decem millia drachmarum, id est, CCCC aureos: Lucian. *Eunuch. p.* 161. *T. IV.* Tantumdem datum fuit Theodoto Sophistae apud Philostr. *Vit. Sophist. Lib. II. c.* 2. *p.* 566. *edit. Olear.* Tantumdem destinatum etiam Chresto, apud eumdem *Lib. II. c.* 11. §. 1. *p.* 591.

§. 19.

Professio medicinae.

Medicina Romae sero coli et in aliquo pretio haberi coepit. Servos ac libertos artem hanc fecisse, negat quidem Carolus Sponius *dans les Recherches d'antiquité Dissert. XXVII.* sed eum artis suae amore falli, satis patet ex Sueton. *Calig. c.* 8. Quinctil. *Inst. Orator. VII.* 2. Senec. *de Benef. III.* 24. Varro *de re rust. I.* 16. Ipsi lapides nobis plura exempla servant. Apud Reinesium *Inscr. Class. XI.* 8. est Q. CLODIUS, Q. L. NIGER, MEDICUS OCULARIS. Apud Grut. *p. MCXI.* 6. Fabrett. *Inscr. c.* 4. *p.* 300. Spon. *Misc. Erud. Ant. p.* 143. et Malvas. *Marm. Felsin. p.* 219. TIBERIUS (ILLUSTRIUS), TI. CAES. AUG. SER. CELADIANUS MEDICUS OCULARIUS. Alia marmora, quae Gruterianus Index in titulo: *officia domus augustae et privatae* facile unicuique suggeret, hic praetermittimus. Imo et servas et libertas fecisse medicinam, patet ex marmoribus apud Gruter. *Inscr. p. DCXXXVI.* ubi occurrit JULIA, Q. L. SABINA, MEDICA, MINUCIA, C. L. ASTE, MEDICA, SENTIA ELIS, MEDICA. Tales etiam erant obstetrices, quae medicamenta dare solebant: *L.* 9. *pr. D. ad L. Aquil.* veluti SUAVITAS, L. AGREPINAE, OBSTETRIX, apud Gruter. *Inscr. p. DCXXXVI. n.* 4. Ceterum primus medicos civitate donavit Julius Caesar: Suet. *Jul. Caes. c.* 42. Augustus vero Antonii Musae, liberti, opera e gravi ac periculoso morbo restitutus, Musae jus aureorum annulorum, universo medicorum ordini immunitatem dedit: Dio

Cass. *LIII.* 30. Hinc multis Vespasiani, Hadriani, aliorumque rescriptis firmatum est illud privilegium: *L. ult.* §. 30. *D. de Mun. et hon.* Postea quum nimis multi medicinam professi immunitate fruerentur, certum definiri numerum placuit: *L.* 6. §. 2. *D. de Excusat.* Alexander porro medicis annonam addidit: Lamprid. *Alex. c.* 42. Posteriores vero Imperatores eorum immunitatem auxerunt plurimis constitutionibus, quae exstant in *C. Theod. tit. de Medic. et profess.* Brisson. *Ant. Sel. II.* 3. qui etiam sequente capite ostendit, χειρούργους simul fuisse plerosque medicos. Hinc et *vulnerarii*, vel *vulnerum medici* vocantur: Plin. *Hist. Nat. XXIX.* 1. nec non *medici chirurgi* in Marmore hoc apud Manut. *Orthogr.* 243.

CARESTAE CONSERVAE. ET.
CONJUGI
GELADIUS. ANTINOUS. DRUSI. MEDICUS CHIRURG
BENE. MERENTI. FECIT. EA
VIXIT. ANN. XVII.

Apud Grut. *Inscr. p. CCCC. n.* 7. laudatur MEDICUS CLINICUS. CHIRURGUS. OCULARIUS. Celebres etiam fuere *iatraliptae*, seu medici unguentarii, de quibus Plin. *Hist. Nat. XXIX.* 1. [Add. Aegid. Menag. *Amoenitatt. jur. civ. c.* 35. et V. C. Lampii *Dissert. de privileg. medicorum c.* 1. Barn. Brisson. *de Verbor. signif. p.* 810. *edit. nov.*] s).

§. 20.

Professio jurisprudentiae.

Jurisprudentiae studium Romae semper floruit. Primus tamen illud publice professus est Tiberius Coruncanius: *L.* 2. §. 35. *D. de Orig. Jur.* Quem deinde alii sequuti sunt, qui vero, ut Cicero ait in *Oratore ad Brutum c.* 42. *nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponebant, sed eodem tempore et discentibus satisfaciebant, et consulentibus.* Sic Q. Scaevola, *quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.* Cic. *Brut.*

---

s) Plura de conditione, qua medici apud Romanos usi sunt, scripta indicavit Trekell *ad Brissonii Antiquitt.* II. 3. Opp. min. p. 36 — 39. Luculentissima est Henr. Lampii *Diss. hist. jurid. de honore, privilegiis et juribus singularibus medicorum.* Groning. 1736. 4. (etiam in supplem. ed. Genev. ad finem hujus §. paucis commemorata); recentissimus Guil. Wagneri Tract. *de medicorum juribus atque officiis*, cujus P. I. (*de medicorum apud diversas gentes statu atque conditione*) prodiit Berol. 1819. 4. *Haub.* Inprimis vid. et Gauppii *comment.* supra (ad §. 15.) alleg. *Mühl.*

c. 89. Vid. supra *Prooem. n.* 42. 43. Neque tamen certi quidam atque ordinarii erant juris professores, sed, ut quisque studiorum suorum habebat fiduciam, ita consulentibus aeque, ac discentibus, se videtur dedisse. Postremo et Jureconsulti publice, certo stipendio conducti, Romae docere coeperunt, eaque schola juridica Romana, in occidente unica, tam frequens fuit, ut ex omni occidente eo juvenes confluerent. Sic Rutilii Numat. *Itinerar. Lib. I. v.* 209. *sq.*

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus Romani discere jura fori.

Constantius in *vita S. Germani c.* 3. *Ut in eum profectio litterarum plena confluerent: post auditoria Gallicana intra urbem Romam* JURIS *scientiam plenitudini perfectionis adjecit.* Plura de hac schola Romana juridica dabunt Jo. Savaro *ad Sidon. Apollin. Epist. I.* 6. ubi Sidonius Romam *domicilium legum* vocat, Franc. Juret. *ad Symmach. Epist. IX.* 83. et Dadin. Alteserra *Rer. Aquit. III.* 5. [t]).

§. 21.

Qualis fuerit Romae schola publica.

Florentissima ergo Romae fuit schola, in auditorio Capitolino, in qua Theodosii et Valentiniani aevo docuerunt rhetores Latini tres, grammatici Latini decem, sophistae Graeci quinque, grammatici Graeci decem, philosophus unus, jurium professores duo: Conring. *Antiq. Acad. Dissert. I. p.* 22.

§. 22.

Quales scholae per provincias.

In provinciis quoque floruerunt scholae, Augustoduni, Burdegali, Tholosae, Narbonae, Mediolani, Carthagine, et in plerisque civitatibus honoratioribus, in quibus tamen nonnisi rhetores et grammatici utriusque linguae docuisse videntur: Conring. *l. c. p.* 16. *sq.* In oriente alia quodammodo fuit scholarum conditio. Alexandriae enim jam inde ab Antoninorum aetate floruit schola ἰατροσοφιστῶν, id est, medicorum, tantae celebritatis, ut ad commendationem medici illud satis esse videretur, si fuisset Alexandriae aliquamdiu commoratus: Ammian. Marcellin. *Hist. XXII.* 16. Conring. *Medicin. Hermet.* 9. Beryti vero Constantinopoli etiam jus civile traditum. Et Beryti quidem jam seculo tertio exeunte studia

---

t) Cf. de Savigny *Gesch. d. Röm. R. im Mittelalter.* I. Cap. VI. *Mühl.*

juridica floruerunt: *L.* 1. *C. Qui aetat. vel profess. se excus.* eamdemque scholam eodem seculo medio observante Menagio *Amoenitatt. jur. civ. c.* 24. magnopere celebravit Gregorius Thaumaturg. *Paneg. in Origen. p.* 186. Tanta sane hujus scholae fuit celebritas, ut eam μητέρα τῶν νόμων, *matrem legum* adpellare non dubitet Eunap. *vit. Proaeres. p.* 150. τὸ ἕδος χαρίτων, *Gratiarum sedem*, Joannes in *Anthol. Lib. I. c.* 68. *epigr.* 29. πόλιν ῥωμαϊκωτέραν, καὶ τῶν νόμων τούτων παιδευτήριον, *civitatem plane Romanam, et legum Romanarum Gymnasium* Gregorius Thaumaturg. *l. c.* δίκης πέδον, ἄστυ θεμίστων, *juris domicilium, urbem Jureconsultorum.* Non. *in Dionysiac. Lib. XLI. v.* 145. *legum* denique *nutricem* Justinianus: *Constit. Omnem* §. 7. *ad Antecess.* Beryto evocari consuevisse juris peritos, qui adsiderent magistratibus, ut sine favore et odio cognoscerent, ex vetere chirographo observat Jac. Gothofred. ad *L.* 1. *C. Theod. de Adsess. domest.* Docebant ibi Antecessores quatuor, prout ex *d. Const. Omnem, ad Antecess.* colligit Menag. *Amoenitatt. Jur. civ. c.* 24. *p.* 134. Sed urbs, quae in jure nostro *pulcherrima* et *splendidissima*, imo *metropolis* vocatur, paullo post Justiniani tempora terrae motu eversa est: Agath. *II. p.* 285. Quam ruinam epigrammate non uno defleri videas in *Anthol. I.* 68. *Epigr.* 19. *et sq.* Constantinopoli juris professores duos reliquis addidit Theodosius, philosophiae vero doctorem adjecit Justinianus, ut adeo schola Constantinopolitana Romae illi per omnia fuerit similis: Conring. *Antiq. Acad. Diss. I. p.* 21. *sq.* Alibi, quam Romae, Constantinopoli et Beryti jus Romanum doceri, et maxime Alexandrinos et Caesarienses antecessores juris habere, vetuerat Justinianus: *Const. Omnem* §. 7. *ad Antecess.* Et tamen paullo post se legalium studiorum caussa Alexandriae commoratum esse, testatur Agathias *Lib. II. p.* 48.

§. 23.

Immunitas a tutelis professoribus concessa.

Omnes ergo grammatici, rhetores et medici Romae docentes, aut in patria has artes exercentes, qui intra numerum erant, a tutela et cura habebant vacationem: §. 14. *Inst. h. t. L.* 6. §. 1. *D. h. t.* et *tit. C. de Profess. et medic.* Iisdem et philosophi adcensentur: *L.* 6. §. 5. *D. h. t.* nec non Jureconsulti Romae docentes: *L.* 6. §. 12. *D. eod.* imo omnes ubique artium professores: *L.* 6. *C. de Profess. et med.* Minus vero eo privilegio gaudebant hydraulae, poetae, alii-

que, quibus nullis in scholis publicis erat locus: Vinn. *Comm. ad* §. 16. *Inst. h. t. p.* 139. [multo minus mechanici et ludorum magistri, qui a professoribus diserte discernuntur: *L.* 1. *pr.* et §. 6. *D. de Extraord. cognit.*] [u]).

LIB. I. TIT. XXVI.

DE

SUSPECTIS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS [a]).

Non solum *excusari*, sed et *removeri* a tutela et curatione nonnulli poterant, si vel dolose vel segniter pupillorum minorumque res administrare et curare dicerentur, vel ulla malae fidei in eos caderet suspicio. Tales dicebantur SUSPECTI, et de his ad hunc titulum agendum.

§. 1.

Suspecti crimen e XII Tabulis.

SUSPECTI crimen ex lege XII Tabularum descendere, ipse adgnoscit Imperator *princ. Inst. h. t.* ut et Ulpianus *L.* 1. §. 2. *D. de Susp. tut.* nec obscure id testatur Cic. *de Offic. III.* 15. In iis tabulis ex Jac. Gothofredi sententia cautum fuerat: SI TUTOR DOLO MALO GERIT, VITUPERATO, QUANDOQUE FINITA TUTELA ESCIT, FURTUM DUPLIONE LUITO [b]). Quamvis vero *suspecti* vocabulum in hac lege, si ita concepta fuit, non occurrat; praecipue tamen veteribus

---

u) Caeterum ad munera publica tutelarumque vocati, licet excusationes non haberent, tamen *potiorem* nominando intra idem temporis spatium, quod excusationibus constitutum erat, avertere poterant onus, dummodo causas et allegarent et probarent, quare potiores habendi essent nominati, neque aut patris testamento dati, aut in earum personarum numero essent, quae lege Julia et Papia excipiebantur. Vid. *Vat. Fr.* §. 157 — 167. §. 206 — 219. §. 242. et cf. Pauli *sent. rec.* II. 28. 29. *L. un. C. de potioribus ad mun. nominand.* — Al. Aug. de Buchholtz *ad oration. D. Severi de potiorib. nominand.* Regiom. 1824. 8. et Ejusd. *Exc. VI. ad Fragm. Vat.* Zimmern *R. G.* §. 242. p. 911. sqq. Rudorff *l. l.* II. p. 7 — 15. et §. 97 — 105. p. 159. sqq. *Mühl.*

a) Jo. Vollenhove Diss. *de suspectis tutoribus et curatoribus.* L. B. 1732. 4. et in Ger. Oelrichs *Thes. N. Dissertt. Belgic.* Vol. I. T. I. p. 189 — 258. *Haub.* Des. d'Hauw Diss. *de suspectis tutorib. et curatorib.* Brug. 1825. 4. Rudorff *l. l.* T. III. §. 193 — 200. *Mühl.*

b) Vid. Dirksen *Krit. u. Herstellung d. Zwölf-Tafel-Fragm.* p. 599—604. *Mühl.*

suspicio esse dicebatur, ubi dolus malus videbatur metuendus. Hinc Terentius *Eunuch. Act. III. scen.* 3. *v.* 8. *sq.*

— — — *Jam tum erat suspicio*
Dolo malo haec fieri omnia.

Quum ergo de eo tutore in lege ageretur, qui minus ex fide tutelam gereret: Jureconsulti eum vocarunt SUSPECTUM, quemadmodum et actionem ipsam *crimen suspecti* c) adpellabant: *Inst. princ. h. t.* Quamvis autem ex XII Tabulis sit hoc crimen: Decemviri tamen illud, sicut et alia jura, ab Atheniensibus acceperant, apud quos nota erat ἡ τῆς ἐπιτροπῆς γραφή, quam cuivis instituere licebat adversus tutorem, qui pupillum ulla adfecerat injuria: Jul. Pollux *Lib. VIII. c.* 6. *Segm.* 35. d).

§. 2.

Quinam suspecti fieri potuerint? quinam postulare?

Suspecti postulari poterant omnes tutores, sive dati ex lege Atilia, sive testamentarii, sive legitimi: *L.* 1. §. 5. *D. h. t.* Imo et patroni huic judicio erant obnoxii, ita tamen, ut eorum famae parceretur: *L.* 1. §. 5. *D.* §. 2. *Inst. h. t. L.* 9. *D. de Obsequ. par. et patr.* id quod etiam in adgnatis observari, ipsius pupilli videbatur interesse: unde et his potius curator adjungi solebat: *L.* 9. *D. h. t.* Praeterea et omnes postulare suspectos poterant promiscue, unde et *quasi publica* erat haec adcusatio: §. 3. *Inst. h. t. L.* 1. §. 6. *D. h. t.* Quamvis enim vere publicum non esset hoc judicium, quum caussa ne criminalis quidem haberetur, et hinc apud magistratus, qui jurisdictione tantum gaudebant, e. g. apud Praetorem, institueretur: in multis tamen imitabatur judicia publica. Praeterquam enim quod cuivis e populo adcusandi jus esset; vocabula etiam ejusmodi adhibebantur, quorum alias in publicis tantum judiciis erat usus, ut puta, *crimen, adcusatio,* quae omnia κατ' ἀναλογίαν in hac caussa usurpantur: Huber. *Praelectt. ad Inst. I.* 26.

§. 3.

Suspectis interdicebatur administratione. Eorumdem remotio et infamia.

Suspectis hac actione factis primo omni administratione tutelae interdicebatur, et interim dabatur curator: *L.* 7. *C. h. t.* Deinde, si

c) Crimen hic est idem ac adcusatio, quare et Theophilus κατηγορίαν vertit. Vid. Brisson. *de Verb. sign.* sub voce *crimen p.* 276. *Hein.*

d) Cf. Meier u. Schömann *attischer Process.* p. 291 — 296.

eos vel dolo malo, vel culpa sua, parum diligenter tutelam gessisse, adpareret, removebantur; ab eaque interdictione et poena nec promissa satisdatio liberabat: §. 12. *Inst. h. t.* Praeterea et infamis erat tutor, quotiescumque doli culpaeve latae fuerat convictus: §. 6. *eod.* Commune id hoc judicium habet cum omnibus reliquis, quae occasione tutelae oriuntur, veluti actionibus *tutelae* et *de distrahendis rationibus.* Hinc *turpe tutelae judicium* memorat Cicero *pro A. Caecina c.* 3. Idem *pro Q. Roscio Comoedo c.* 6. *Si qua sunt privata judicia summae existimationis, et paene dicam capitis, tria haec sunt, fiduciae, tutelae, societatis. Aeque enim perfidiosum et nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam; et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit: et socium fallere, qui se in negotio conjunxit.*

§. 4.

Poena tutorum quorumdam extraordinaria.

Nonnumquam etiam, si dolum insignem aliaque delicta intervenisse adpareret, tutores tam nefarii ad Praefectos urbi remittebantur, extra ordinem puniendi: §. 10. *Inst. h. t.* maxime si libertus tutor filios vel nepotes patroni fraudasset: §. 11. *eod.* Quum enim merum in urbe imperium non esset penes Praetores, sed penes Praefectum urbi, cujus erat animadvertere in crimina, quae intra urbem, vel centesimum milliare extra eam, committerentur: Tacit. *Annal. VI.* 11. Dio Cass. *LII.* 42. Suet. *Aug. c.* 37. *L.* 1. *princ.* §. 3. 4. 10. *D. de Offic. Praef. urb.* oportebat omnino Praetorem reos animadversione vel supplicio dignos ad Praefectum urbi remittere. Qua remissione opus non erat in provinciis [e]), ubi Procoss. et Praesides et jurisdictione et imperio mero gaudebant. Insigne hujus severitatis exemplum statuit Galba, Lusitaniae Praeses, qui *tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, cruce adfecit: implorantique leges, et civem Romanum se testificanti, quasi solatio et honore aliquo poenam levaturus, mutari, multoque praeter ceteras altiorem et dealbatam statui crucem jussit:* Sueton. *Galb. c.* 9.

§. 5.

Actio de distrahendis rationibus.

Ceterum ab hoc judicio diversa erat actio *de distrahendis ratio-*

---

e) Praeterquam si quid contingeret in municipio. Tunc enim ea juris municipalis ratio erat, ut reus mortis ad Praesidem remitteretur. Et ita locum Joannis Evangelistae *c.* 18. *v.* 31. explicat Huber. *Dissert. I.* 3. *sq. Hein.*

nibus [f]), quae finita demum tutela contra tutorem, qui furtim aliquid subtraxerat, dabatur in duplum: *L.* 55. §. 1. *D. de Adm. et peric. tut.* quo pertinent ultima legis XII tabularum verba: QUANDOQUE FINITA TUTELA ESCIT, FURTUM DUPLIONE LUITO. Sed de ea actione satis multa notant doctores, nihil ut a nobis jam addendum videatur.

---

f) Seu potius: *actio distrahendis rationibus.* Vid. Corn. v. Bynkershoek *Obs. jur. rom.* VI. 8. Rudorff *l. l.* III. p. 2. sq. *Mühl.*

ADPENDIX
LIBRI I.

DE

JURE ANTIQUO CIVIUM ROMANORUM, LATINORUM, ITALIAE, PROVINCIARUM, NEC NON CONDITIONE PEREGRINORUM.

Liber primus Institutionum totus agit de divisionibus personarum ratione status. Quum vero personarum status maxime triplex in jure Romano traderetur, LIBERTATIS puta, CIVITATIS et FAMILIAE: Tribonianus nonnisi eas attulit divisiones personarum, quae ad libertatis familiaeque statum pertinere videbantur. De civitatis statu nihil disseruit, forsan, quod ea, quae huc pertinent, jura tantum non omnia everterat Antonini Caracallae constitutio, de jure civitatis cum omnibus orbis Romani incolis communicando: *L.* 17. *D. de Statu hom.* At quamvis excusari mereatur Tribonianus: nos tamen forsan non aeque videremur excusandi, si tam praeclaram antiquitatum Romanarum partem, quae tot juris nostri veterumque auctorum locis tam egregiam lucem adcendit, intactam plane praetermitteremus. Juvabit itaque post Car. Sigonii, Ez. Spanhemii, aliorumque luculentissimas commentationes [a]) ea de JURE CIVIUM ROMANORUM, LATINORUM, ITALORUM, PROVINCIALIUM, deque statu et conditione PEREGRINORUM hic conjunctim exhibere, quae ad illustrandum jus Romanum quam maxime facere videbuntur.

---

a) Haud pauci de hac re egregios ediderunt commentarios. Caroli Sigonii et Ez. Spanhemii aeterna atque eximia opera nemini ignota sunt. His addendi Alex. ab Alex. *Genial. Dier. IV.* 10. Onuphr. Panuin. *de Imp. Rom.* 5. Selden. *de Synedr. II. p.* 62. Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. p.* 194. Petr. Jos. Cantelius *de Rep. Rom. p.* 208. et alii. *Hein.* Capitalis liber, e quo plurima, in hac Adpendice ab Heineccio adlata, sunt emendanda, est Alb. Diet. Trekell *Selectarum Antiquitatum Romanarum Pars I., in qua potissimum agitur de jure civitatis, Quiritium, Latii, Italico etc.* Hag. Com. 1744. 8. Auctor in universo hoc loco juravit fere in verba Car. Sigonii et Ez. Spanhemii. *Haub.*

§. 1.

In Romano imperio alii erant cives, alii Latini, alii Italici, alii provinciales.

Ex quo Roma initio per Latium, tum per Italiam, ac denique per universum paene terrarum orbem arma victricia circumtulit: quadripartita esse coepit hominum huic imperio subjectorum differentia. Alio enim jure CIVES, alio LATINI, alio ITALICI, alio denique PROVINCIALES utebantur [b]). Priores tres gradus conjungit Claudius Imp. apud Tacit. *Annal. XI.* 24. *Omnia, Patres conscripti, quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebeji magistratus post patricios; LATINI post plebejos: ceterarum ITALIAE gentium post Latinos.* Habes hic CIVES, ex quibus Patricii, et plebeji magistratus creati: habes LATINOS et ITALICOS, ita conjunctos, ut intelligas, *civitatem jure Latii*, hoc *jure Italico* praestitisse. Omnium postremae conditionis erant PROVINCIALES, quos ideo Italicis postponit Suet. *Vespas.* c. 9. *Amplissimos ordines, et exhaustos caede varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit, supplevitque, — honestissimo quoque ITALICORUM ac PROVINCIALIUM adlecto.*

§. 2.

Peregrini qui fuerint?

Quicumque civitatis jure non fruebantur, ii veteribus HOSTES, et paullo post, inflexa in deterius hujus vocabuli significatione,

b) Jam sententiam hanc Sigonii, de quadripartita *hominum imperio Romano subjectorum* differentia, omnium eruditorum plausu eliminavit de Savigny duabus commentationibus docte atque eleganter scriptis, altera: *über die Entstehung und Fortbildung der Latinitaet als eines eigenen Standes im röm. Staate* (Zeitschr. f. gesch. R. W. T. V. Nr. V.), altera: *über das jus Italicum* (ibid. Nr. VI). Et is quidem invictis argumentis docuit, *tripartitam* fuisse hominum liberorum, imp. Rom. subjectorum, conditionem: *civium, peregrinorum*, et, qui medium inter cives et peregrinos obtinebant locum, *latinorum; jus* autem *Italicum* non singulorum hominum, sed *locorum* fuisse jus. (Vid. quae, Savignium secutus, Hauboldus infra notavit ad §§. 24. 74. sqq. 97. sq.). Unde multa sua sponte concidunt atque emendanda sunt ex his, quae hac in adpendice tradidit Auctor, Sigonii maxime amplexus sententiam. Quae vero hujus sententiae confirmandae causa a Tacito Suetonioque retulit Heineccius loca, ea de magistratuum capessendorum jure, tum vero de exterorum in civium numerum allectione intelligenda sunt. Aderat quidem discrimen aliquod inter ipsos urbis Romae incolas cives, atque eos, qui aut Italiam aut provincias incolebant, velut, quod Romae tres, in Italia quatuor, in provincia quinque excusarent liberi a munerum onere (pr. J. *de excus. tut. et cur.*); quod tamen Italorum privilegium nihil quicquam pertinebat ad jus Italicum, de quo quaerimus. *Mühl.*

PEREGRINI vocabantur: Cic. *de Offic. I.* 12. Festus sub voce *hostis: Lib. VIII. p.* 175. [* ex edit. Andreae Dacerii.] c).

CAP. I.
DE JURE QUIRITIUM ET CIVITATIS.
§. 3.

Olim omnes, qui Romam commigrarunt, promiscue cives facti.

Ac primo quidem, quum nova urbs non admodum adflueret civibus, promiscue jura civitatis impetrabant, quicumque vel in urbe, vel in agro Romano lares figere constituerant: Liv. *I.* 8. Imo tantum erat Romuli studium amplificandi civitatem, ut et hostes devictos plerumque in urbem transferret, agroque adsignato, in curias adscriberet. Hunc in modum civitatis jura communicavit cum Caeninensibus, Camerinis, Antemnatibus, Crustuminis, ac postremo etiam cum Sabinis: Dionys. Halic. *Antiquit. Rom. II.* 35. *sq.* 46. Liv. *I.* 13. Unde Claudius apud Tacit. *Annal. XI.* 24. *At conditor noster, Romulus, tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Sequuti sunt hoc exemplum ceteri Reges, qui Albanos, aliosque populos devictos Romam transtulerunt, ac civitatis fecerunt participes: Liv. *I.* 29. 33. Qua de re Cicero *pro Cornel. Balbo c.* 13. *Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, et populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator hujus urbis, Romulus, foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere.* Sic initio, ut recte observat Dionysius *IV.* 23. ἅπασι τοῖς ξένοις ἐπέτρεψαν τῆς πόλεως μετέχειν, *quoslibet exteros admittebant ad jus civitatis*, ne iis quidem exclusis, qui e justa servitute fuerant manumissi. Hos enim omnes e Servii Tullii instituto cives Romanos factos, et in quatuor urbanas civium Romanorum tribus descriptos esse, ex eodem adparet Dionysio. Non segnius aliquamdiu, libera jam republica, providerunt Romani, ut civitatis jura cum quamplurimis communicarentur, maxime post captam et incensam a Gallis urbem, quam ut tanto splendidius instaurarent, novos et peregrinos cives adsciverunt ex Vejentibus, Capenatibus et Faliscis, iisque agri partem adsignarunt, teste Livio *VI.* 4. Et sane prudenter id provisum a Romanis. Quum enim

c) Varro de *Lingua latina Lib. IV. pr. Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, ut* HOSTIS. *Nam tum eo verbo dicebant* PEREGRINUM, *qui suis legibus uteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant* PERDUELLEM. *Haub.*

Romanae reipublicae salus in armorum vi posita videretur, quae nulla esse poterat sine numerosa civium multitudine, merito de augendo civium numero quam maxime fuere solliciti, ut luculenter ostendit Dionys. Halicarnass. *II.* 16. et *III.* 44.

§. 4.

Postea et aliis, qui in oppidis suis manebant, jus civitatis datum. Unde alii cives ingenui, alii municipes.

Postea factum est, ut praeter eos, qui domicilium in urbe vel agro Romano constituerant, quive in urbanas vel rusticas tribus fuerant descripti, etiam peregrinis aliorum oppidorum, et qui in iis remanebant, incolis, aut victis etiam, nec tamen in urbem abductis hostibus, modo singulis, modo universis, jus Romanae civitatis Senatus populique judicio atque auctoritate deferretur. Sic Dionysius Halic. *II.* 16. observat, Romanos captas urbes non exscidisse, sed in alias misisse colonos, ἐνίαις δὲ καὶ πολιτείαν μεταδιδόναι, *aliis civitatem dedisse.* Quo pertinent etiam illa Livii *XXVI.* 24. *Jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in civitatem atque aequum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam cives, mallent.* Quicumque ergo adepti Romanae civitatis jura in oppidis suis manebant, ii MUNICIPES dicebantur (Gell. *N. A. XVI.* 13.). Simul ac vero Romae fortunarum suarum sedem collocabant, CIVES INGENUI erant, quemadmodum eos vocat Cicero *in Bruto c.* 75. Sic M. Porcius Cato, quamdiu Tusculi est commoratus, municeps fuit; ubi Romam commigravit, civis Romanus, quamvis jam ante jure civitatis Romanae etiam in municipio suo frueretur: Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 1. *p.* 16. Ex quo patet, alios fuisse *cives* INGENUOS, sive optimo jure cives, alios MUNICIPES. Illi Romae domicilium, tribum et honorum petitionem fuerant consequuti: hi, tametsi tribum atque honorum petitionem adepti essent, tamen domicilio carebant.

§. 5.

Municipum duplex erat patria, sed Roma tamen patria major.

Illi, (tametsi alias civis Romanus plurium civitatum civis esse haud posset), tum in municipio suo, tum Romae magistratus recte gerebant, ideo quod non tam duarum diversarum civitatum, etsi aliqua inter eos privati juris esset varietas, quam unius, cives censebantur: Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 6. *p.* 35. *sq.* Duplex

ergo municipibus erat patria: altera, in qua nati; altera, qua excepti erant, quamvis haec veluti major esset, et illa in hac contineri videretur, ut praeclare ostendit Cicero *de Legg. II.* 2. quem locum totum adscribere licebit. Interrogaverat Atticus, cur Cicero Arpinum *germanam patriam suam* adpellarit? Cui Cicero: *Ego mehercule et illi,* (Catoni) *et omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam* NATURAE, *alteram* CIVITATIS; *ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita, quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Et quibusdam interjectis: *sic nos et eam patriam dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus, sed necesse est, caritate eam praestare, qua reipublicae nomen universae civitatis est: pro qua mori et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo* [d]), *dum illa sit* MAJOR, *et haec in ea contineatur.* Hinc saepe fiebat, ut unus idemque et Romae et in municipio suo summos honores gereret. Ita Milo, dum jam Romae Consulatum petebat, Dictator erat Lanuvii in patria naturali: Cicero *pro Milone c.* 34. 37. Et Ciceronis filius Aedilis apud municipes suos Arpinates patris voluntate factus est, teste eodem Cicerone *Epist. ad Div. XIII.* 11. Imo ipse Hadrianus jam Imperator veteri ritu in patria sua Quinquennalem se creari passus est: Spartian. *vit. Hadr. c.* 19. Inter municipes tamen et cives ingenuos aliquam fuisse privati juris varietatem, paullo post docebimus.

§. 6.

Hinc porro civitate donati etiam Latini quidam, sed non eodem jure.

Postea, ubi major paullatim dignatio Romanae civitatis esse coepit: jus civitatis parcius datum, et vix cum quibusdam Latii populis vel ad augendam rem Romanam, vel honoris caussa communicatum est: Liv. *VIII.* 13. et 14. Ejus beneficii Latinorum populis ac Hernicis dati primus auctor Sp. Cassius, tertium Consul circa annum U. C. CCLXVII.: Dionys. Hal. *VIII.* 69. At quum Consul

---

d) At post *negabo* punctum ponendum, et verba: *dum illa — contineatur* omittenda. Absunt enim non solum a Bruxiano, Casselano et Viennensi codice, sed inustam etiam interpolationis notam prae se ferunt. Cf. Jo. Aug. Goerenz ad h. l. ex *editione M. T. Ciceronis Philosophicorum omnium*, quam ille curavit, *Vol. I.* (*Lipsiae et Londini* 1809. 8.) *p.* 111. *Cann.*

ille popularis, et de adfectata tyrannide suspectus, tam late hoc populi Romani beneficium interpretaretur, ut Latinis et Hernicis cum jure civitatis etiam jus suffragii datum contenderet: solebant deinde Romani jus civitatis ita dare, ut pro diverso sociorum in populum Romanum studio, modo jus suffragii simul concederent, modo illud disertis verbis exciperent. Primi sine jure suffragii civitatem acceperunt Caerites [e]): Strabo *Geogr. V. c.* 2. §. 3. Gell. *Noctt. Att. XVI.* 13. Mox et Campanis equitibus, Fundanis et Formianis eadem lege data civitatis jura: Liv. *VIII.* 14. nec non Acerranis: Liv. *VIII.* 17. Anagninis, Liv. *IX.* 43. aliisque pluribus, de quibus adcurate Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 7. *p.* 39. Contra ea Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, aliique in civitatem ita accepti sunt, ut et jure ferendi suffragii, et capiendi in urbe muneris gauderent: unde et ejusmodi oppida veluti *κατ' ἐξοχὴν* MUNICIPIA dicta, ut docet Ulpian. *L.* 1. §. 1. *D. Ad municip.* [f]).

§. 7.

Qui in Latinis civitatibus magistratus gesserant, fiebant cives.

Invaluit praeterea, ut etiam a *jure Latii* via pateret ad jura civitatis iis omnibus, qui in patria, Latio donata, magistratus gesserant: Appian. *de Bell. civil. II.* 26. Strabo *IV. c.* 1. §. 12. Quod jus Trajani adhuc aevo valuit, ut patet ex verbis Plinii *Paneg. c.* 39. *His quoque, quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit* etc.

---

e) Inde factum, ut Censores eos, quos suffragii jure privabant, *in Caeritum tabulas referre* dicerentur: Gell. *l. c.* Q. Asconii Pediani *Commentationes in aliquot M. Tullii Ciceronis Orationes p.* 20. [* ex editione, quae prodiit *Lugd. Batav.* 1675. 12.] De his intelligendus Horatius *Epist. I.* 6. *v.* 62. *sq.*

— — — — , *Caerite cera*
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei. Hein.

Sunt tamen, qui *in Caeritum tabulas referri* ex eo dictum existiment, quod primi fuerint Caerites, i. e. Caere oppidi incolae, qui notae causa suffragio privarentur, quum antea optimo jure cives fuissent; velut Huschke *Verf. des Königs Servius Tullius* p. 531 sq. Eundemque vide de eo: quaenam et similitudo et dissimilitudo fuerit inter *aerarium fieri* et *in Caeritum tabulas referri*, ibid. p. 495 et p. 533. sq. *Mühl.*

f) De civitate variis populis Latinis data vid. Dukerus *ad Liv.* VIII. c. 14. §. 2. 8. 10. c. 17. §. 12. IX. c. 43. §. 23. T. II. p. 720. 722. sq. 735. 1015 — 1017. *Haub.*

§. 8.

Civitatem quoque impetrabant Latini, si stirpem domi reliquissent, aut aliquem adcusassent repetundarum.

Postremis reipublicae temporibus latius paullatim diffusum est illud Romanae civitatis beneficium. Quum enim paullo ante quibusdam tantum Latii urbibus jus civitatis Romanae summi beneficii loco concederetur: lata deinde lex est, ut e sociis ac Latini nominis promiscue, qui stirpem ex se domi reliquerant, cives Romani fierent: Liv. *XLI.* 8. g). Adcessit altera lex anno DCLXIII. a Servilio Glaucia, de repetundis lata, ut Latinis esset jus civitatis consequendae in illius civis seu Senatoris locum, qui adcusatus ab iis repetundarum, a Romanis fuisset damnatus: Cicero *pro Balbo c.* 24.

§. 9.

Civitas cum omnibus Latinis et Italis communicata legibus Julia et Plotia.

Primus L. Julius Caesar h), occiso jam, ut videtur, collega P. Rutilio Lupo, anno U. C. DCLXIII. lata lege Julia, civitatem sociis ac Latini nominis dedit, qui flagrante bello Italico in fide manserant: Appian. *Bell. civ. I.* 49. Cicero *pro Balbo c.* 12. Vell. Paterc. II. 16. 17. Postea confecto tristi illo bello sociali, vel anno U. C. DCLXV. Cn. Pompejo Strabone et L. Porcio Catone Consulibus, ut patet ex Ascon. Pedian. *ad Orat. Cic. pro C. Cornel.* vel sequente anno DCLXVI. L. Cornelio Sulla et Q. Pompejo Rufo Coss. i) lata

---

g) Stirpis domi relinquendae necessitas quomodo sit intelligenda, disquisivit Dukerus *ad Liv.* XLI. c. 8. §. 9. 10. T. V. p. 567. sq. *Haub.* Add. Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 529. sq. atque ibi vel maxime de loci Liviani lectione not. 24. *Mühl.*

h) Non leviter errat editor Ciceronis orationum Parisiensis novissimus, qui hanc legem Juliam latam putat a Sex. Julio Caesare, Consule A. U. C. DCLXII. Multoque gravior error est Ant. Augustini *de Legg. et SCC. p.* 120. *T. I. Thes. Ant. Rom.* qui Caesarem Dictatorem hujus legis auctorem fingit. Sex. Julio Caesari tribuere videtur Appianus *de Bell. Civ. I.* 49. Sed quum Sex. Julius Caesar A. U. C. DLXIII. cum L. Marcio Philippo; L. Julius Caesar vero anno sequente cum P. Rutilio Lupo Consulatum gesserit: verosimilius est, hunc legem tulisse, et quidem collega Rutilio jam occiso. Unde simul patet, cur a solo Julio lex nomen acceperit, nulla collegae facta mentione. Vid. Schwarz. *de jure Ital.* §. 3. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 13. *p.* 30. *Hein.*

i) Minime vero subsequente Cinnae Consulatu, ut tradit Flor. *Epit. Liv. Lib. LXXX. Hein.* In aetate et sententia legis Plautiae a nostro dissentit Mazochius *Comment. in tabb. Heracleenses* P. II. p. 489. not. 170. sq. ubi in eo elaboravit, ut ostenderet, legem A. U. 664. (secundum aeram Capitolinam) conditam spectasse non ad omnes socios, sed ad peregrinos, qui legi paruissent. *Haub.*

lege Plotia a M. Plautio Silvano et C. Papirio Carbone Tribunis plebis civitas communicata cum omnibus sociis Latini nominis, imo et peregrinis illis, *qui foederatis civitatibus adscripti fuissent: si tum, quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent: et si sexaginta diebus apud Praetorem essent professi:* Cicero *pro Archia Poeta c.* 4. Postremi arma posuerant Lucani et Samnites, sed et hos tamen civitate donari placuit A. U. C. DCLXX.: Flor. *Epit. Liv. LXXIV.* 56. ex quo loco etiam constat, novis his civibus per universam Italiam jus suffragii fuisse datum. Et initio quidem in octo novas k), id est, postremas tribus urbanas collecti fuerant: Vellej. *II.* 20. postea in veteres *XXX* post irritos P. Sulpicii, Tribuni plebis, et C. Marii conatus translati sunt a C. Cinna Consule: Appian. *de Bellis civil. I.* 64. Freinsh. *Supplem. Liv. LXXIX.* 1. Ex quo tempore aequo per omnia jure usi sunt cives Romani veteres et novi per universum Latium et Italiam, adeo ut et jus petendi honores habuerint, (Cic. *pro Sulla c.* 7. 8.) et jus census, (Onuphr. Panv. *ad Fast. consul. anno* DCLXVIII.) jus sacrorum publicorum: Noris *Cenotaph. Pis. Diss. I. c.* 5. *p.* 72. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 10. *p.* 59. *sq.*

§. 10.

Paullo post et Gallis Cisalpinis civitas data.

Italia tunc a supero mari Arimino et Ancona, seu Rubicone fluvio, ab inferiore Luca terminabatur: reliquum tractum ad Alpes usque Galli Cisalpini et Veneti insederant. Galli porro in Cispadanos et Transpadanos dividebantur. Priores civitate donati Cispadani, utpote Italiae propiores: Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 11. *p.* 61. Postea et Transpadani civitatis jura obtinuerunt una cum Venetis. Nam quum antea Latii jus impetrassent a Pompejo Strabone: Ascon. Pedian. *in Ciceron. Pison. p.* 156. ipsum civitatis jus eis dedit C. Julius Caesar A. U. C. DCCVII.: Dio Cass. *Hist. XLI.* 36. Unde non mirum, Galliam hanc Cisalpinam ab eo tempore TOGATAM dici coepisse. Tam pleno enim jure fuerant civitatis jura consequuti, ut et ad suffragia ferenda petendosque honores non minus, ac reliqui cives, admitterentur: Sueton. *Caes. c.* 9. Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 13. *p.* 76.

---

k) Vel potius in *decem*, ut ingeniose conjicit Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 678. not. 85. *Mühl.*

§. 11.

Ut et aliis quibusdam gentibus.

Extremis reipublicae temporibus non intra Alpes stetit datae civitatis Romanae beneficium: sed et cum multis aliis gentibus est communicatum. Exemplo esse possunt universi Gaditani in ulteriore Hispania, quos secundo Consulatu civitate donavit Caesar: Dio Cass. *Hist.* *XLI.* 24. Idem pro lubitu deinde quasdam alias civitates Hispaniae hoc ingente beneficio ornavit: Dio Cass. *XLIII.* 39. Quemadmodum et medicis aliisque [1]) ea jura concessit: Suet. *Caes. c.* 42. imo et Siculis omnibus civitatem, inaudito exemplo, testamento legaverat, quod legatum lata lege confirmavit Antonius: Cic. *Epist. ad Div. XIII.* 30. *Philipp. I.* 10. Verumtamen ea lex Antonii non valuisse videtur. Sane sub Augusto adhuc plerasque Siciliae civitates Latini juris fuisse, discimus ex Plin. *Hist. Nat. III.* 8.

§. 12.

Augustus parce civitatem, sed quibusdam tamen dedit.

Sub Imperatoribus multo magis prolati sunt Romanae civitatis fines. Augustus, Suetonio quidem teste, *Aug. c.* 40. *civitatem Romanam parcissime dedit, et manumittendi modum terminavit. — Et Liviae, pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit, adfirmans, se facilius passurum, fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanae vulgari honorem.* Idem leges haud paucas dedit, quibus aditus sordidis hominibus intercluderetur ad civitatem. Quales praecipue sunt lex Aelia Sentia et Fusia Caninia, de quibus supra suo loco actum. Vid. Sueton. *Aug. c.* 40. Imo inter extrema mandata ejus, Tiberio et S. P. Q. R. data, etiam hoc erat, μήτ' αὖ ἐς τὴν πολιτείαν συχνοὺς ἐσγράφωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τοὺς ὑπηκόους ᾖ. *Ne multos jure civitatis donarent, quo magnum inter ipsos et subjectos discrimen remaneret:* Dio Cass. *LVI.* 33. Quibusdam tamen Augustum jura civitatis dedisse, patet, ex Suet. *Aug. c.* 47. Idque in primis etiam discimus ex ejus numis, in quibus laudantur Hispaniae municipia, de quibus Jo. Vaillantius *de Colon. num.* et Ez. Spanh. *Diss. de praest. numism. V. p.* 768. *et Orb. Rom. I.* 2. 18. *p.* 47. *sq.* Eadem liberalitate etiam Tiberius et Cajus Cali-

---

1) i. e. (referente Suetonio l. l.) medicinam Romae professis et liberalium artium doctoribus, quo libentius et ipsi urbem incolerent, et caeteri appeterent. *Mühl.*

gula civitatem quibusdam dederunt, ut ex numis et inscriptionibus idem docuit Ez. Spanhemius.

§. 13.

Liberalior ea in re Claudius.

Claudius Imperator varie se gessit in concedenda negandave civitate. Quosdam civitatem Romanam usurpantes in campo Esquilino securi percussit: Suet. *Claud. c.* 25. Idem tamen Latinis naves mercaturae caussa fabricantibus jus Quiritium dedit: Suet. *ibid. c.* 18. 19. Ulpian. *Fragm. III.* 1. et 6. Quin non solum Galliae Comatae primoribus, sed et universae Galliae Comatae jus ferendi suffragia petendique honores dedit. Qua de re Tacit. *Annal. XI.* 23. Seneca *de Benef. VI.* 19. Imo multis eum confertim jura civitatis ac sine discrimine dedisse, ac venalia prope illa ejus libertos habuisse, testatur Dio Cass. *Lib. LX.* 17. Unde lucem capit vox illa Tribuni militum *Actor.* 22. 28. ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Magna equidem pecuniae summa comparavi mihi hoc jus civitatis (hanc civitatem),* quam egregie illustrat Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 16. *p.* 94. *sq.*

§. 14.

Quibusnam Nero, Galba, Otho, Vitellius, et Vespasiani civitatem dederint?

Nero, postquam in musicis et curulibus apud Olympiam agonibus victor fuerat a judicibus proclamatus, universam Achajam libertate, judices pecunia grandi donavit et civitate Romana: quod beneficium etiam iis, qui Pyrrhicham saltaverant, concessit: Suet. *Ner. c.* 12. Galba *civitatem Romanam raro dedit,* teste Suet. *Galb. c.* 14. dedit tamen Bargiacensibus, Laccobrigensibus, Deobrigensibus et Talabrigensibus, imo et Vesontinis et Cluniensibus, si fides numis sub Galba cusis, in quibus haec oppida Hispaniae et Galliae MUNICIPIA dicuntur: Claud. Chifflet *Vesont. I.* 28. Harduin. *Num. Urb. p.* 120. Vaillant. *de Colon. T. I. p.* 105. Othonem constat praeter quasdam alias largitiones Lingonibus universis civitatem Romanam dedisse: Tacit. *Hist. I.* 78. Vespasianum Stobienses [m]) in Macedonia civitate donasse, constat ex numo apud Spanhem. *Diss. de Num. prov.* 676. et Plin. *Hist. Nat. IV.* 10. Sed et filii saepe jus civitatis veteranis, liberis, posterisque eorum dederunt, ut patet ex

---

m) Eos tamen sua aetate juris Italici fuisse, tradit Ulp. L. 8. §. 8. *D. de Censib. Hein.* Cf. de Savigny *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. V. p. 264 — 266. *Mühl.*

marmoribus apud Gruter. *Inscriptt. p. DLXXIII. n.* 1. 2. *p. DLXXIV. n.* 5. 6. et *p. DLXXV. n.* 1.

§. 15.

Trajani et Hadriani in danda civitate liberalitas. An Hadrianus auctor constitutionis, qua civitas cum orbe Romano communicata?

Hispaniae potissimum Trajanus favit, ipse Hispanus. Unde in ejus numis occurrunt municipia Italicense, Inlipense, Albense, Urgaonense. Quibus ex marmore apud Gruter. *Inscriptt. p. CLXII. n.* 3. addendi Icaeditani, Lancienses oppidani, Talori, Interamnienses, Colarni, Lancienses, Trascudani, Aravi, Meidubrigenses, Arabrigenses, Banienses, Paesures, quos omnes a Trajano demum civitate donatos, non vana divinatione conjicit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 18. *p.* 108. *sq.* Idem Princeps singulis quibusdam subinde civitatis jura dedit rogatu amicorum, ut patet ex Plin. *Epist. X.* 22. 6. 107. 108. Quin quum vicesimas hereditatum antea pendere cogerentur novi cives, eos hoc onere primum Nerva, deinde et Trajanus liberavit. Quod Principis beneficium collaudat Plin. *Paneg. c.* 37. Hadrianus sequutus Trajanum *Latium multis civitatibus dedit: tributa multis remisit,* ut loquitur Spartian. *v. Hadriani c.* 21. At datae ab eo civitatis in numis et lapidibus nulla usquam fit mentio, nisi quod in marmore sub eo legantur MUNICIPES. MUNICIPI T. AELI. HADRIANI AUG. CIVILITANI: Gruteri *Inscriptt. p. CCCLXII. n.* 1. Unde Civilitanos ab eo civitate donatos, colligit Spanh. *ibid. p.* 109. Sunt quidem, qui Hadrianum auctorem putent celeberrimae illius constitutionis de civitate cum universo orbe Romano communicata: *L.* 17. *D. de Statu hom.* quos in eum errorem induxit Chrysostom. *ad Act. Apost.* 25. *p.* 875. *Tomo IV. edit. Savil.* Sed hos rationem fugere, paullo post clarissime adparebit.

§. 16.

An ea constitutio tribuenda Antonino Imperatori?

Aeque fallitur Justinianus Imperator, qui celebrem illam constitutionem Antonino Pio tribuit *Nov.* 78. 5. quamvis eum ante Spanhemium tantum non omnes caeca fide sequuti sint [n]). At quam-

---

n) Contrarium tamen ante Spanhemium observarunt Wesembec. *Paratit. ad tit. D. de Statu hom. num.* 5. Petit. *Leg. Attic. p.* 136. Vales. *in Not. ad Excerpta Dionis p.* 108. *sq.* [* ex editione, quae prodiit *Parisiis* 1634. 4.] Claud. Salmas. *de modo usur. c.* 19. *p.* 854. *sq.* Rupert. *ad L.* 2. *D. de. Orig. jur. c.* 1. *p.* 17. 18. *Hein.*

quam amplificatum esse ab Antonino civium numerum, vel ex numo praecipuae raritatis constat, in quo AMPLIATOR CIVIUM dicitur: discrimen tamen civium, Latinorum, Italicorum, provincialium, etiam post Antonini Pii tempora superfuisse, quum ex aliis locis adparet, tum ex inscriptione apud Gruter. *p. CCCCVIII. n.* 1. ex qua simul discimus, Antoninum Carnis et Catalis propter Aedilitatis gradum, apud Tergestanos gestum, jura civitatis Romanae dedisse.

§. 17.

An eam Marcus Imperator ediderit?

Non minus errant, qui cum Aurelio Victore in *vita Marci c.* 16. M. Antoninum hujus constitutionis auctorem faciunt, ad quam sententiam etiam Casaub. *ad Spartian. Hadr.* 21. paullo videtur proclivior. Nam superfuisse sub hoc Principe inter cives et peregrinos discrimen, patet ex celeberrima Lugdunensium Epistola apud Euseb. *Ecclesiast. Histor. V.* 1. ubi ajunt: *ὅσοι μὲν ἐδόκουν πολιτείαν ῥωμαίων ἐσχηκέναι, τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλάς· τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπεν εἰς θηρία. Quicumque cives Romani reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis.* Atqui scripserunt haec Lugdunenses extremis Marci Imperatoris annis: adeoque inde recte colligi videtur, M. Antoninum non sustulisse illud discrimen, quod inter cives ac peregrinos intercessit. Illud tamen certissimum est, tam liberalem in dando civitatis jure fuisse M. Antoninum, ut Aristides Rhetor. *Orat. in Romam p.* 213. *sq.* [* ex editione Sam. Jebb, quae prodiit Oxonii 1722. 4.] scribere non vereatur: *ξένος δ'οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος. Nec peregrinus censetur quisquam, qui vel magistratu vel fide dignus est. καὶ τὸ Ῥωμαῖον εἶναι ἐποιήσατε οὐ πόλεως, ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινοῦ τινός. Jam Romanum nomen non urbis alicujus est, sed generis totius:* et quae sunt hujus generis alia: Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 2. *p.* 119. *sq.*

§. 18.

An ea tribui possit Commodo, Pertinaci, Juliano, Pescennio, Severo?

Non minus liberaliter jura civitatis Romanae plurimis dedisse videntur Commodus, Pertinax, Didius Julianus, Pescennius Niger, Severus. Sed nec hos tamen discrimen illud sustulisse luculenter ostendit Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 3. *p.* 129. *sq.*

§. 19.

Verus auctor est Caracalla.

Verus ergo famosae illius constitutionis auctor est Antoninus Caracalla, qui primus edixit, ut, *in orbe Romano qui essent, omnes cives efficerentur: L.* 17. *D. de Statu hom.* Occasionem datae hujus legis docent *Excerpta Dionis Valesiana p.* 745. Jam pridem Augustus vicesimam hereditatum o) induxerat, locupletando aerario militari, quod vectigal ex hereditatibus dependebatur: de quo jam pridem luculenter egerunt Valesius ad illum Dionis locum, Salmas. *de modo usur. c.* 19. Petr. Burmannus *de vectigal. populi Romani c.* 11. et jam ante hos Jac. Cujac. *Observ. V.* 16. *XI.* 24. Pendebant istud vectigal ex Augusti instituto heredes extranei, Romani cives, qui hereditatem adibant, nisi vel pauperes essent hereditates, vel ipsi heredes adgnationis jure ex lege XII tabularum hereditates sortirentur: Dio Cass. *LV.* 25. Postea mitiores Principes quibusdam cognatis vicesimae vacationem subinde dederunt: Plin. *Paneg. c.* 37. At Caracalla, quum largitionibus stupendis eluvionem fisco intulisset, duplicato illo onere, decimam loco vicesimae induxit, cujus decimae praeter Excerpta Dionis meminit etiam Ulpianus *apud Auctorem Collat. Leg. Mos. et Rom. tit.* 16. *fin.* Ut ergo vectigal istud a quamplurimis dependeretur, omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, *λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δέ, ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῄ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, specie quidem honorem eis tribuens, sed re vera, ut fiscum suum augeret: quippe quum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent:* ut ait Dio in *Excerptt. Vales. p.* 745. Ceterum quamvis successor Caracallae, Macrinus, decimam illam, civibus tam molestam, aboleret: jus tamen civitatis orbi Romano semel datum non ademit, unde sensim exolevit in orbe Romano antiquum illud inter cives et peregrinos discrimen.

§. 20.

Constitutio ea ad ingenuos, non item ad libertinos pertinuit.

Illud adhuc monendum, ad solos ingenuos pertinuisse Antonini Caracallae constitutionem, non ad libertinae conditionis homines: *Nov. LXXVIII.* 5. Unde etiam post eam constitutionem salvum

---

o) De vicesima hereditatum inprimis conferendus Wielingius *Lection. juris civilis.* II. 32. *Haub.*

mansit discrimen inter libertinos cives, Latinos Junianos, et dedititios, ut ex Salviani *adversus avarit. Libro III.* 7. animadverterunt Jac. Cujac. *Observ. IV.* 3. et Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 5. *p.* 147. *sq.* p).

§. 21.

At cum his quoque civitatem communicavit Justinianus.

Exposuimus hactenus, duce eruditissimo Spanhemio, datae civitatis Romanae historiam, ostendimusque, ita paullatim esse factum, ut civitas primum omnibus, qui Romae aut in agro Romano domicilium constituebant, deinde aliquot in Latio municipiis, tum toti Latio, mox universae Italiae, aliquot porro extra Italiam vel privatis, vel oppidis, vel provinciis, et postremo omnibus in orbe Romano ingenuis daretur. Justinianus tamen, ut fuit admodum liberalis, sublato illo libertinorum discrimine, *titulis C. de Lat. et Dedit. lib. toll.* et Novella *LXXVIII.* 2. 5. ad ipsos quoque libertinae conditionis homines hoc beneficium protulit; adeoque omnes in orbe Romano viventes aequo jure agere voluit.

§. 22.

Jura civitatis sensim cepere incrementa.

Proximum est, ut ipsa jura civitatis paullo adcuratius exponamus. Et ea quidem observandum sensim magis magisque aucta fuisse atque amplificata. Jam sub regibus cives gaudebant libertate, jure connubiorum, patrio, legitimi dominii, testamenti, forsan et nexus atque usucapionis. Jus quoque iisdem erat suffragia ferendi in creandis magistratibus, ferendis legibus, bellis decernendis. Pulsis postea regibus, motisque iis imperio, paullatim provocatio concessa ad populum: magistratus, connubia, sacerdotia cum plebe communicata, adeoque optimo jure cives esse coeperunt Romani: Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 1. *p.* 4. *sq.*

§. 23.

Aliud fuit jus Quiritium, aliud jus civitatis.

Duobus vero maxime summis capitibus constitit civitas Romana, quorum alterum jus quiritium, alterum jus civitatis ad-

p) Vid. tamen quae ex Hauboldi epicrisi notata sunt ad Lib. I. Tit IV. V. §. 16 not. b., tum vero a Wenckio ad ejusd. Hauboldi Pr. *de constit. Antoniniana*, in opusc. T. II. p. 369. sqq. nec non a Stiebero in praefatione, quam volumini secundo opusculorum Hauboldianorum praemisit p. XLII—XLV. *Mühl.*

pellatum est. Quamquam enim haec promiscue nonnumquam ponunt auctores veteres, veluti Ulpianus *Fragm. III.* 1. et 4.: tamen, qui adcuratius loquuntur, haec cum cura distinguunt. Plinius *Epist. X.* 22. *Ago gratias, Domine, quod et JUS QUIRITIUM libertis necessariae mihi feminae, et CIVITATEM ROMANAM Harpocrati, iatraliptae meo, sine mora indulsisti.* Et *Epist. X.* 4. *Quare rogo, des ei CIVITATEM ROMANAM. Est enim peregrinae conditionis, manumissus a peregrina. — Item rogo, des JUS QUIRITIUM libertis Antoniae Maximillae.* Manifesto hic distinguuntur *jus Quiritium* et *civitas Romana*, inter quae hoc interest, quod illud ad ea, quae juris sunt privati, pertinet; haec ea, quae juris publici sunt, continet: Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 9. *p.* 57. Carol. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 6. *sq.* et *de antiquo jure Ital. II.* 3. Quod quum non animadvertant viri quidam eruditissimi, in eum prolapsi sunt errorem, ut jus Quiritium in istis Plinii locis vel idem esse cum jure Latii existiment, vel illud cum ipsis juribus civitatis confundant: a quo lapsu nec ipse V. C. Christophorus Cellarius sibi satis cavit *in Adnotationibus suis ad Plinium* q). [In alia tamen omnia nuper ivit Franc. Car. Conradi in *Diss. de jure Quiritium a civitate Romana non diverso. Helmstad.* 1742.] r).

§. 24.

Quae jura utrumque complexum sit?

Nonnulla, quae tum ad jus Quiritium, tum ad civitatem Romanam pertinent, summatim his verbis complectitur Cicero *Orat. II. de Leg. Agrar.* 27. *Vos, Quirites, retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum die-*

---

q) De jure Quiritium late disputavit Jo. Henr. Mylius in *Dissertat. ad Theophili Lib. I. tit.* 2. §. 2. et *tit.* 5. §. 4. Corn. Val. Vonckius in *Observv. misc. p.* 104. *sqq.* Alb. Dieter. Trekell in *Selectis jur. civ. Antiquitatt. P. I. c.* 4. §. 25—37. Omnia haec iterum edidit et editioni novissimae Theophili adjunxit G. O. Reitzius *Tom. II. p.* 1090. *sqq. Cann.*

r) Post Heineccium vero Trekellus *l. l. c.* 4. §. 36. sq. p. 130—134 et Fr. Car. Conradi in comm. (cujus mentionem fecit supplementum §. 23. exeuntis) praestiterunt, ut, explosa antiquiori sententia, sub *jure Quiritium*, maxime apud Plinium *Epp.* X., intelligatur id, quod *Latinis* ad plenam juris civitatis communionem deest; quum e contrario Plinius *civitatis* vocabulo usus fuerit, quoties *peregrinis* hoc beneficium ab Imperatore expetiit; quamquam fatendum est, aliis in locis innumeris *jus Quiritium* et *jus civitatis* promiscue usurpari. Paulo aliter rem expedivit Andr. Guil. Cramerus Pr. *de juris Quiritium et civitatis discrimine.* Kil. 1803. 4. *Haub.* — Cf. A. Th. Platzmanni Sp. *juris Romani testimoniis de militum ho-*

rum, ceterorum omnium commodorum. At si adcuratius singulas utriusque juris partes consideres: jus civitatis in jure census, militiae, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum et sacrorum; jus Quiritium in jure libertatis, gentis, connubiorum, patrio, legitimi dominii, hereditatis atque usucapionis fuit situm: Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 13. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 1. 2. *p.* 4. s). De singulis nunc paullo distinctius agendum, ordiendumque a jure Quiritium.

§. 25.

Cives Romani erant liberi a potestate dominica.

Primo ergo omnes cives Romani erant LIBERI: eaque LIBERTAS eos non solum a dominorum potestate, sed et a tyrannorum imperio, magistratuum potentia, libidine creditorum, civiumque potentia tutos praestabat t). Nullus ergo civis Romanus servus fieri poterat, nec ingenuitatem aut libertatem amittere, nisi aut captivitate, aut dolosa venditione, aut iis modis, de quibus supra *Lib. I. Tit. III. n.* 5. *sq.* et *Tit. XVI. n.* 3. *sq.* actum est: quamvis et in his

nesta missione, quae in tabulis aeneis supersunt illustrati (Lips. 1818. et magnis accessionibus locuplet. in Hauboldi opusc. Vol. II. p. 783. sqq.) Cap. III. §. 3. p. 840. sq. *opusc. Haub.* et quae ibid. tum ab ipso Hauboldo, tum a Wenckio not. V. observata sunt. Vid. et Stieberi praef. ad Vol. II. horum opusculor. p. LXXXII — LXXXIV. *Mühl.*

s) Rem paucis sic tene. *Jus civitatis* partim ad *jus publicum,* sed potissimum ad *jus privatum* spectavit. Nam *hujus* quidem sunt *jus connubii* et *jus commercii;* quibus qui carent, nullo modo in civium numero habentur. *Illius* sunt *jus suffragiorum* in comitiis et *jus honorum,* quibus qui gaudent, *optimo jure cives* vocantur; ut tamen non minus civium loco sint, qui utraque juris publici praerogativa destituuntur, licet negentur esse optimo jure cives. Auctor hujus doctrinae, jam ob simplicitatis laudem in primis commendabilis, rursus celebrandus est Savignius, tum in commentationibus ad §. 1. commemoratis, tum in *Geschichte des R. R. im Mittelalter* T. I. c. 2. p. 22. (ed II. p. 44.), quibus addenda Ge. Christ. Burchardi Diss. *de infamia ex disciplina Romanorum* (Kil. 1819. 4.) §. 7. p. 32. sq. ubi in primis discrimen civium optimo et non optimo jure ex iisdem ejusdem magistri principiis egregie explicatur. *Haub.*

t) Cave ergo confundas libertatem juris gentium cum libertate juris Quiritium, quae nulli competit nisi civibus Romanis. Cic. *pro Caecina c.* 33. *Qui enim potest jure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?* Hinc tribubus omnibus moti libertatem dicebantur amittere, etiamsi haud fierent servi: Liv. *XLV.* 15. Imo hinc intelligenda *L.* 5. §. 3. *D. de Extracognit.* ubi media capitis deminutione, et speciatim aquae ac ignis interdictione, etiam libertas amitti dicitur, quod de libertate juris gentium falsum; de libertate juris Quiritium verissimum est. Cf. Ger. Noodt *Observ. II.* 21. *p.* 469. *Hein.* Cf. C. E. Jarcke *Darstellung des censorischen Strafrechts der Römer.* Bonn 1824. p. 77. sqq. *Mühl.*

plerumque fictionem quamdam adhibitam esse observat Ger. Noodt *Probab. III.* 12. *p.* 85. *Hoc* enim *juris erat a majoribus proditum, ut nemo civis Romanus, aut* LIBERTATEM, *aut civitatem, posset amittere, nisi ipse auctor factus esset:* inquit Cicero *pro domo c.* 29. Sed de ingenuorum libertinorumque conditione satis superque suis locis dictum est, nihil ut hic addendum a nobis videatur, praeter id, eamdem libertatem cives immunes a verberibus tormentisque praestitisse. Quum enim servilis ista poena videretur, non poterat major civi Romano injuria fieri, quam si quis verberibus dirisque quaestionibus in ejus corpus saeviisset. Exemplum est apud Ascon. Pedian. *in Ciceron. orat. pro Cornelio p.* 128.

§. 26.

Liberi quoque a dominatu tyrannorum.

Nec minus immunes erant cives Romani ab impotente regum dominatione. Lege enim tribunicia, lata a Junio Bruto, Tribuno Celerum, ac paullo post primo Consule, fuerat cautum, ut nemo Romae regnaret, obstrictis simul jurejurando civibus, eos neminem passuros Romae regnare: Dionys. Halic. *IV.* 85. *V.* 1. Liv. *I. ult.* *II.* 1. Qua lege tribunicia quum omni tyrannidi via occlusa esset: mirum profecto non est, gentem Juniam praecipue de ea esse gloriatam, numisque suis caput Libertatis praetulisse, cum inscriptione LIBERTAS: Car. Patin. *Famil. Rom. p.* 139. Adcessit postea eodem anno Lex Valeria, qua cautum, ut indicta caussa interficeretur, qui regni occupandi iniisset consilia, idque impune ferret percussor, si indicia sceleris demonstrasset: Plutarch. *vit. Poplic.* 12. Liv. *II.* 8. Pro his legibus dici non potest quanta certamina per quingentos annos adierit populus Romanus, quamvis impedire haud potuit, quo minus eae demum a L. Sulla, ac deinde a Julio Caesare convellerentur, ab Augusto vero ejusque successoribus penitus exstinguerentur, siquidem hi, adspernati in speciem regium nomen, titulo Principum omnia magistratuum legumque munia ad se traxerunt: Tacit. *Annal. I.* 1.

§. 27.

Liberi a licentia magistratuum.

Eadem porro libertas cives immunes praestabat a duriore magistratuum imperio. Latae hanc in rem fuerant leges Valeriae a P. Valerio Poplicola Consule, de quibus Livius *II.* 8. *Latae deinde*

leges, non solum quae regni suspicione Consulem absolverent, sed quae adeo in contrarium verterent, ut popularem etiam facerent: inde cognomen factum Poplicolae est. Paullo distinctius rem referunt Plutarch. *vit. Poplic.* 11. et Dionys. Halic. *V.* 19. ex quibus constat, prima lege fuisse cautum, NE QUIS ROMAE MAGISTRATUM GERERET INJUSSU POPULI: QUI SECUS FAXIT, EJUS CAPUT SACRUM ESSET: altera provocationem concessam a magistratibus ad populum, neque permissum cuiquam, supplicio extremo, aut flagris, aut mulcta animadvertere in provocantem, donec populus ea de re ivisset in suffragia. Posterior lex quum omnium minime placeret Patriciis, quippe fundamenta ἀριστοκρατίας, quam adfectabant, penitus subvertens, variis artibus aliquamdiu elusa, atque hinc relatione non una restituenda visa est. Retulerunt ergo eamdem A. U. C. CCCIV. L. Valerius Poplicola Potitus et M. Horatius Barbatus Coss. teste Livio *III.* 55. Retulit tertium alter M. Valerius Corvus anno U. C. CCCCLII. Qua de re idem Livius *X.* 9. *Tertio ea* (de provocatione lex) *tum post reges exactos lata est, semper a familia eadem. Caussam renovandae saepius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant.* Quum ne sic quidem consultum populo videretur, semper in contrarium nitentibus Patribus: quartum de provocatione populum rogavit M. Porcius Laeca, qui etiam graviore poena animadvertendum statuit in eos, qui civem Romanum vel verberassent vel necassent: Liv. X. 9. Cujus legis *Porciae* insigne monumentum exstat numus gentis Porciae, in quo vir paludatus, medius inter togatum provocantem et lictorem virgas minantem, conspicitur, addita inscriptione: PROVOCO: Car. Patin. *de Famil. Rom. p.* 229. *edit.* Patin. [u]). Porciam legem, quum et ipsa vetustate obsolevisset, denuo in usum revocavit C. Sempronius Gracchus, ut ex fragmento orationis Gracchanae apud Gellium *Noctt. Attic. X.* 3. acute colligit Car. Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I.* 6. [x]). Sed nec *leges sacratae* hic praetermittendae, latae A. U. C. CCLX. Sp. Cassio Viscellino et Postumo Cominio Aurunco II. Coss. quum plebs,

u) Cur non illa Porcio Catoni sit tribuenda, non video, imo et pluribus rationibus ductus credo: licet aliter olim Augustino aliisque visum fuerit. Neque Heineccio adcedo adfirmanti, Porciam legem a Graccho in usum revocatam, quum vetustate obsolevisset. Ex fragmento orationis Gracchanae id non adparet. *Cann.*

x) De provocatione ad populum Fr. Car. Conradi Diss. *Jus provocationum ex antiquitate Romana erutum* (Lips. 1723. 4.) c. 2. et in Collect. Dissertt. histor.

pertaesa usurariae iniquitatis, in montem sacrum secessisset. Pace enim facta hac lege, ut plebi sui essent magistratus, quibus auxilii latio adversus Consules esset; neve cui Patrum capere eum magistratum liceret: Liv. *II.* 33. Brutus, primus Tribunus plebis, leges tulit, primo ut ne parricida esset, qui eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit: Dionys. Halic. *VI.* 89. deinde, ut Tribuni plebis sacrosancti haberentur, eosque qui violarint, sacri essent: Id. *ibid.* Tertia lex jussit Tribunos plebis nonnisi e plebe creari. Adcessere duae aliae leges, ne de capite civis Romani, nisi comitiis centuriatis, agi posset, neve privilegia irrogarentur: Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 6. *p.* 84. Eaeque leges omnes dictae sunt *sacratae*, non modo quia cives per omnia sacra jurarant, utique se his legibus sempiternis usuros, addita imprecatione, ut earum observatoribus superi et inferi essent propitii, transgressoribus vero contraria omnia adciderent: Dionys. Hal. *VI.* 89. verum etiam, quod loco poenae adjectum esset, eos, qui secus fecissent, cum pecunia familiaque Deo alicui sacros futuros y): Festus sub voce *Sacratae.* Omnes enim leges hujusmodi sanctione poenali munitas SACRATAS dici consuevisse, observat Jac. Perizon. *Animadvv. Hist. p.* 418. *sq.*

§. 28.

Remedia adversus magistratuum insolentiam.

Hisce legibus satis tuti erant cives Romani ab omni magistratuum tyrannide. Primo enim, si quid contra leges auderent magistratus, maximum cuique remedium erat in provocatione ad populum. Deinde de capite civis Romani nonnisi universus populus in comitiis centuriatis judicabat, et tunc facile erat, vel innocentibus se a calumniatorum artibus defendere, vel poenam meritis promissa

---

antiq. juridd. p. 265 — 288. (in opusc. min. ab L. Pernice edit. Vol. I. p. 13 sqq.). De lege vero Porcia Dukerus *ad Liv.* X. c. 9. §. 4. T. III. p. 36. et F. C. Conradi Comm. *M. Horatius ad populum provocans in numo gentis Porciae;* Lib. I. Parerg. num. 3. p. 57 — 71. *Haub.*

y) De hac poena Dionys. Halic. *II.* 10. *Ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδήτινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις, κατονομάζειν. Mos erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, praecipue Diis inferis.* Festus sub voce *sacrae: Homo* sacer *is est, quem populus judicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari: sed qui occidit, parricidii non damnatur: Ex quo quivis homo malus atque improbus* sacer *adpellari solet.* De hoc supplicio quaedam habet Raevard. *ad XII Tabb. c.* 4. *p.* 22. *Hein.*

barba, lacrimis, cultuque tristiore populum ad misericordiam flectere, eoque modo effugere periculum. Denique nulli magistratui licebat civem Romanum vel verberibus, vel supplicio adficere. Immanissimas etiam eorum sententias vox illa quiritantium compescebat: CIVIS ROMANUS SUM. Saepe eo respicit Cicero *in Orat. adv. Verrem V.* 54. *Plagis confectum dico a lictoribus tuis civem Romanum ante oculos tuos concidisse. Ob quam caussam, Dii immortales? tametsi injuriam facio communi caussae et* JURI CIVITATIS. *Quasi enim possit esse ulla caussa, cur hoc cuiquam civi Romano jure adcidat.* Et eadem *Oratione V.* 57. *Cervices in carcere frangebantur indignissime civium Romanorum, ut jam illa vox et imploratio:* CIVIS ROMANUS SUM, *quae saepe multis in ultimis terris opem inter barbaros et salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem et supplicium maturius ferret.* Plura ejus generis exstant apud Ciceronem *Verrin. V.* 62. *sq.* Nec ignota sunt exempla Pauli Apostoli *Act. XXII.* 25. *sqq.* et martyrum Galliae apud Euseb. *Ecclesiast. Histor. V.* 1. qui se illa voce CIVIS ROMANUS SUM, a virgarum ignominia, vel ab extremo supplicio eripuerunt.

§. 29.

Tribunorum plebis auxilium.

Sed non solum in legibus Romanis civibus maximum praesidium erat positum adversus magistratuum insolentiam: verum etiam in tribunicia potestate. Si quis enim eorum libertatem violare non vereretur: Tribunos plebis adpellabant, qui ipsis omnem ferebant opem, neque patiebantur, civi cuiquam fieri ullam injuriam. Plena ejusmodi exemplorum est Romana historia; et quamvis negari haud possit, ista potestate non semel abusos esse Tribunos plebis: saepe tamen etiam insignia justitiae atque aequitatis specimina edebant, qualia sunt, quae Valer. Max. *Lib. VI. c.* 5. refert quamplurima [z]).

§. 30.

Libertas civium Rom. a saevitia creditorum.

Porro et adversus creditorum saevitiam tuti erant cives Romani. Immanis erat lex XII tabularum, quae cives Romanos obaeratos creditoribus addicebat, a quibus et vinciri, et eorum corpus,

z) Conradi Diss. laud. *Jus provocationum* etc. c. 3. sect. 1. l. l. p. 288 — 302. (ap. Pernice: p. 39. sqq.) *Haub.*

id est, bona secari, et in partes dividi poterant [a]): Gell. *Noctt. Attic. XX.* 1. Et quamvis servi haud fierent hunc in modum addicti et nexi: in servitute tamen erant, servisque ipsis tractabantur durius. At contra hanc immanitatem auxilio civibus fuit lex Poetelia, qua cautum est A. U. C. CCCCXXVII. C. Poetelio, L. Papirio Coss. *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus, obnoxium esset:* Liv. *VIII.* 28. Varro *de Lingua Lat. VI.* 5. *p.* 58. Successit ergo ex eo tempore in addictionis illius locum possessio et venditio bonorum, de qua nos alibi ex instituto egimus (Vid. infra Lib. II. Tit. XVII. sqq. §. 11.). Qua de re Q. Septimii Florentis Tertulliani *Apologeticus c.* 4. *Sed et judicatos in partes secari a creditoribus leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est; et in pudoris notam capitis poena conversa est, BONORUM adhibita PROSCRIPTIONE. Suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere.* Quin adcessit demum beneficium cessionis bonorum ex lege Julia: de quo plura Jureconsulti, et nos infra *Lib. III. Tit. XXX.* §. 8.

§. 31.

Libertas suffragandi data per leges tabellarias.

Postremo et hoc ad libertatem civium quam maxime pertinebat, quod libere, ut vellent, darent suffragia. Quamvis haec libertas magis ad jus publicum videatur referenda. Id eis attulere leges tabellariae, seu de tabellis, quas Cicero ideo *Agrar. II.* 2. *vindices tacitae libertatis; in Cornel. I. p.* 969. [* *Ciceronis Orationum Tom. III. p.* 2. *ex edit.* Graev.] *principium justissimae libertatis* adpellat. Quum enim antea viva voce in comitiis suffragia ferrentur, idque nonnumquam cum periculo videretur conjunctum: primus A. Gabinius Trib. pleb. A. U. C. DCXIIII. lege cavit, ut populus non voce, sed tabella, suffragium ferret, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne adpellaret: Cic. *de Leg. III.* 16. Successit biennio post altera lex tabellaria, lata a L. Cassio, Tribuno plebis, M. Aemilio Lepido Porcina et C. Hostilio Mancino Coss., ut et judices et populus sententias non voce dicerent, sed tabellis ferrent, excepto judicio perduellionis: Cic. *de Amicit. c.* 12. *de Legg. III.* 16. Ascon. Pedian. *in orat. Cornelianam p.* 133. 139. *et Verrinam II. p.* 71. 236. *sq.* Cujus

a) Dicemus ea de re, tum de his, quae porro leguntur hoc in loco, infra *Lib. III. Tit. XXX.* §. 2 — 8. *Hein.*

legis insigne monumentum est numus gentis Cassiae, in quo civis occurrit, tabellam littera A. notatam cistae immittens, cum lemmate LONGINUS III. V. et Fulv. Ursin. *de Famil. Rom. p.* 67. Eodem pertinuit tertia lex Papiria, lata a C. Papirio Carbone, Tribuno pleb. A. U. C. DCXXI. P. Popillio Laenate et P. Rupilio Nepote Coss., qua cautum denuo, ut in jubendis legibus vetandisque populus tabella suffragia ferret: Cic. *de Legg. III.* 16. Successit quarta anno U. C. DCXXX. a Coelio Caldo, Tribuno plebis, lata, ut etiam in perduellionis judicio, quod Cassia lege exceptum erat, populus non voce, sed tabella, sententiam ferret: Cic. *de Legg. III.* 16. Quam ipsam quoque legem egregie illustrat numus apud Patin. *de Famil. Rom. p.* 79. quo praeter alia litterae L. D. in tabella conspiciuntur. Significant illae LIBERO, DAMNO. Haec enim verba loco Cassianorum ABSOLVO, CONDEMNO in crimine perduellionis adhibita esse discimus ex Caesare *de Bellis civil. III.* 83. ex quo loco patet, tertiam quoque tunc adhibitam esse tabellam, quam imponebant urnae, qui pecunia mulctandum reum judicabant. Quae omnia eo pertinebant, ut tanto majore cum libertate suum quisque ferret suffragium. Unde denuo Cicero *pro Plancio c.* 6. *Populo grata est* TABELLA, *quae frontes aperit hominum, mentes tegit: datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant: promittant autem, quod rogentur* b).

§. 32.

Jus gentilitatis c).

Sequitur alterum, quod ad jura Quiritium pertinuit, JUS GENTILITATIS. Diviserat Romulus cives in duas gentes, quarum unam *patres*, alteram *plebem*, nominavit. Illos ex iis adlegerat, qui in civitate genere, virtute, atque opibus antecellebant; plebis nomine reliquos omnes adpellaverat. Quemadmodum vero e plebe *plebeji:* ita ex patribus *patricii* nascebantur. Utrosque inter se devinxerat in-

b) Caeterum his de rebus jam supra Tit II. §. 9. expositum est. *Mühl.*

c) Imperfectam, quae hoc in loco prodita est, gentilitatis notionem, intactam relinquimus, quum de ipso gentilitatis jure prorsus nihil dixerit Auctor, alibi de eo ex professo, ut ajunt, loquuturus: Lib. III. Tit. 2. §. 2. Quem in locum nos quoque differemus, quae emendanda esse addendaque nobis videbuntur. Quae vero de aucto patriciorum numero omninoque de extraneorum in patres cooptatione Heineccius hic protulit, ea, ut ab hujus operis indole aliena, plane silentio praetermittimus, satis habentes, lectorem, qui plura melioraque his de rebus scire cupiat, ad eos ablegare scriptores, qui hac nostra aetate iisdem operam dederunt; vid. quae supra ad Tit. II. §. 29. a nobis notata sunt. *Mühl.*

stituto jure illo patronatus, de quo supra plura diximus. Ad jura utriusque gentis quod attinet: de illis praecipue observandum, plebis jura quemque cum ipsa civitate impetrasse; patricium autem, nisi lege ad populum lata, neminem fieri potuisse. Bis patricios legit Romulus, semel ex Albanis, ac deinde ex Sabinis: Dionys. Hal. *Ant. Rom. II.* 8. Eumdem morem postea sequuti ceteri reges, qui subinde ex gentibus devictis, ac in civitatem receptis, patriciorum numerum suppleverunt: Idem *Ant. Rom. III.* 67. et *IV.* 42. Suet. *Aug. c.* 2. Libera republica L. Junius Brutus, primus Cos., patricios legit: Liv. *II.* 2. Sexennio post Appius Claudius e Sabinis Romam commigrans, lege Consulari patricius factus est: Dionys. Halic. *V.* 40. Liv. *IV.* 3. et *X.* 8. Postremo C. Julius Caesar lege Cassia, et Augustus lege Saenia [d]), ac denique Claudius Imp. patricios, jam magna ex parte exstinctos, suppleverunt: Tacit. *Annal. XI.* 25. Suet. *Jul. Caes. c.* 41. Ceterum ad gentilitatis jura pertinebat, quod soli patricii auspicia ex instituto Romuli haberent: Liv. *VI.* 41. Id quod tamen de avium dumtaxat inspectione et tripudio intelligendum, siquidem de coelo servare etiam plebejis licebat: Cic. *in Vatin. c.* 7. Quum enim, fatente Cic. *de Divin. II.* 33. hanc avium reliquorumque signorum observationem retinerent Romani *tantum ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates reipublicae*, id est, ad plebem deludendam, continendamque in officio: periculosum videbatur, plebejos ad haec mysteria admittere, quibus jus magistratus et sacerdotia capiendi erat ademtum. Nimirum et hoc jure ex instituto

d) Sed quaenam illa lex Saenia? In priore editione de Sentia suspicatus sum. Sed errorem ademit Lips. *ad Tacit. p.* 285. Observat ille ex Dione, Augustum patricios supplevisse τῆς βουλῆς ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι, *jubente Senatu*, et quidem anno U. C. DCCXXV. Atqui Consul suffectus in Fastis adparet L. SAENIUS. Nam in fragmento veterum Fastorum apud Gruterum *Inscriptt. T. I. p. CCIC. num.* 1. fere sub fin. ita legimus:

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIUS
K. JUL. C. ANTISTIUS
BELLUM. ALEXANDR.
EID. SEPT. M. TULLIUS
K. NOV. L. SAENIUS
EX. K. JAN. AD. K. JAN
L. CORNELIUS. Q. VETTIUS. II. VIR
L. CASSIUS. C. GEMINIUS. NIGER. Q

Quis ergo dubitarit, ab eo SCtum tulisse nomen? Tacitus ergo pro SC. *legem Saeniam* dixit. *Hein.*

Romuli gaudebant patres, ut soli Senatum, sacerdotia, magistratus, judicia ac totam denique rempublicam tenerent. Sed paullo post ea omnia paullatim cum plebe communicata sunt, nisi quod Interreges, Flamines Diales, Martialis et Quirinalis, Rex Sacrificulus, et Salii ad extrema usque reipublicae tempora ex patriciis lecti sunt: quemadmodum et comitia tributa, tribunicia potestas [e]) et Aedilitas plebeja perpetuo in possessione plebis permanserunt. Reliqua, quae hac de re dici possent, a Carolo Sigonio explicata sunt *de ant. jure civ. Rom. L. I. c. 7.*

§. 33.

Jus connubiorum inter solos cives, nec omnes tamen promiscue, fuit.

Pars haud postrema juris Quiritium fuit JUS CONNUBIORUM, de quo quum titulo de nuptiis uberius actum sit, jam pauca quaedam addemus [f]). Romani ea in re ab institutis plerarumque gentium discesserunt, quod ne iis quidem, qui ejusdem civitatis erant, connubii jus promiscue darent. Praeterquam enim, quod lege XII tabularum vetita essent inter patricios et plebejos connubia: Dionys. Halic. *X.* 60. Liv. *IV.* 4. etiam, sublata illa lege, saepe inter ipsos vicinarum regionum, aut eorum, qui sub eodem gentis nomine vulgo continebantur, populorum cives prohibita sunt connubia. Sic inter Latinos connubia commerciaque nulla esse patiebantur Romani: Liv. *VIII.* 14. Idem de tribus Hernicorum populis patet ex eodem Livio *IX.* 43. Devicta Macedonia, et in quatuor regiones divisa, id etiam edixerant decem legati, *neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suae esse:* Liv. *XLV.* 29. Quod callido consilio invenerant Romani, ne mutuis adfinitatibus et commerciis juncti inter se, ac colligati, eo promtius adversus rempublicam consociarentur. Imo ne cum omnibus quidem civibus Romanis connubii jus erat civibus. Libertinas, quamvis cives, duci olim haud potuisse ab ingenuis civibus, patet exemplo Hispalae Fecenniae, cui haec potestas SCto data est: Liv. *XXXIX.* 19. Sic et Campani, qui pridem civitatis jura fuerant

---

e) Semel tamen duos patricios inter Tribunos fuisse, refert Liv. *III.* 65. *Hein.*

f) Multa praeclara de indole connubii deque lege Canuleja, qua illud cum plebe communicatum, disputavit Eman. Duni in opere: *Origine e progressi del cittadino e del governo civile di Roma,* Lib. I. c. 3. et 6. T. I. p. 45 — 62. nec non p. 96 — 157. *Haub.* Cf. et Bethm. Hollwegii diss. *de causae probatione* p. 7. sq. et Hasse *Güterrecht d. Ehegatten* §. 14 — 16. *Mühl.*

consequuti, postea demum impetrarunt, *ut sibi* CIVES *Romanas ducere uxores liceret; et, si qui prius duxissent, ut habere eas, et ante eam diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent:* Liv. *XXXVIII.* 36. Qua de re plura disserit Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 22. *p.* 357.

§. 34.

Cum peregrinis et barbaris nullum connubium.

Quum itaque ne inter omnes quidem ejusdem civitatis jus connubii esset: multo magis cum aliis, civitatis Romanae exsortibus, connubia erant interdicta. Unde Seneca *de Benef. IV.* 35. *Promisi tibi filiam in matrimonium. Postea peregrinus adparuisti: non est mihi cum externo connubium.* Solebat tamen etiam peregrinis primum a populo; postea a Senatu ac demum a Principe concedi jus connubii, per modum lege solutionis vel privilegii. Qua de re fusius diximus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Popp. Lib. II. c.* 18. *p.* 321. *sq.* Adde supra *Libro I. Tit. X.* §. 15. Si quis vero, non impetrato illo beneficio, peregrinam duxisset: nati ex ejusmodi nuptiis liberi, tamquam hybridae, ac novum genus hominum, habebantur, neque multo melioris, quam servi, erant conditionis, uti patet exemplo militum Romanorum, qui Hispanas mulieres duxerant, apud Liv. *XLIII.* 3. Ex quo vero cum omnibus in orbe Romano civitas fuerat a Caracalla communicata: promiscua quidem inter eos esse coeperunt connubia [g]), sed prohibita tamen matrimonia cum barbaris [h]): *L. un. C. Theod. de Nupt. gentil. Lib. III. Tit.* 14. Quam tamen Valentiniani Senioris legem non diu valuisse, multis exemplis docent Jac. Gothofredus *in Commentario ad illam legem, p.* 306. *Tom. I.* et, qui plura addidit, Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 22. *p.* 368. *sq.*

§. 35.

Lex Papia Poppaea de connubio Senatorum cum libertinis.

Alia quaedam de prohibitis inter cives nuptiis statuit Augustus lege Papia Poppaea, cujus primo capite prohibitae nuptiae inter

---

g) Caeterum vid. quae ad Tit IV. V. §. 16. not. b. observata sunt. *Mühl.*

h) Cum peregrinis demum civibus connubium fuit, si id concessum esset: valuit idem jus regnante Philippo Arabe. Valentinianus et Valens capitis supplicium proposuerunt barbaris nuptiis, sive Romanus barbaram duceret, sive barbarus Romanam. Lex illa Valentiniani non abrogata est a Justiniano, ut putat cum Gothofredo Heineccius, sed omisit Imperator ille hanc in Codice, non quod nuptias probaret, sed quod poenam et crudelitatem legis improbaret. *Cann.*

Senatorem ejusve filios nepotesve et libertinas, lenas, a lenone manumissas, easque, quae artem ludicram exercuissent, vel filias eorum, qui ejusmodi artem fecissent: *L.* 44. *pr. D. de Rit. nupt.* Dio Cass. *LIV.* 16. Quum enim jam M. Antonio hoc vitio datum fuerit, quod libertini factus esset gener: Cic. *Philipp. II.* 28. multo minus dignum videbatur seculi Augustei felicitate, senatorium sanguinem ipsarum libertinarum, lenarum, ac meretricum commixtione contaminari. Scenicas vero uxores, praeter artis infamiam, etiam id indignas senatoriis nuptiis reddebat [i]), quod pleraeque simul turpissimis se libidinibus in ipsa scena prostituebant, quemadmodum ex Plauti *prologo Casin.* ostendit Lipsius *Elector. I.* 11. Rem omnem adcuratius exposuimus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Popp. L. II. c.* 1.

§. 36.

Libertinas ducere olim non licuit: at permisit lex Papia Poppaea.

Ad reliquos quod attinet ingenuos, licebat iis libertinas uxores ducere per legem Papiam Poppaeam: *L.* 22. *D. de Ritu nupt. L.* 15. *C. de Nupt.* Quod ideo receptum, quia tum major erat libertinarum, quam ingenuarum, copia: Dio Cass. *Hist. LIV.* 16. Quo fit, ut et vetera marmora saepe meminerint conjugii civium cum libertabus. Reinesii *Inscriptt. antiquar. Class. XIV. p.* 759. *num.* CXXXI.

D. M.
C. SALVIUS. RESTITUTUS
FECIT. SIBI. ET
SALVIAE. NYMPHIDIAE
LIBERTAE. SUAE. ET CONJUGI
OPTIMAE. B. M. DE. SE. ET
NICERO. L. L. Q. S. P. Q. S.

---

i) Eam legem latius interpretatus D. Marcus, nuptias Senatorum cum feminis ejusmodi non solum injustas, verum etiam irritas, esse jussit, cujus SCti mentio fit *L.* 16. *D. de Sponsal.* Et hinc inter Senatorem et ejusmodi personas nuptiae esse negantur *L.* 42. §. 1. *D. de Ritu nupt.* adeo, ut hae ne uxores quidem fiant: *L.* 34. §. 3. *eod.* sed statim sint dimittendae: *L.* 43. §. 10. *D. eod.* Quae omnia ex hoc SCto esse, satis constat. Postea Constantinus M. hanc legem non solum a Senatoribus, sed et ab aliis viris perfectissimis servari voluit: *L.* 1. *C. de Natur. lib.* (Falso enim in textu legitur *Senatores, seu* PRAEFECTI pro PERFECTI.) Quam legem per omnia firmavit Marcianus Imp. *L.* 7. *C. de Incest. et inutil. nupt. Nov. Marcian. post Cod. Th. Tit. IV.* At sublata demum illa est per *L.* 23. *C. de Nupt.* non a Justiniano quidem, ut inscriptio prae se fert, sed a Justino, quem Justinianus, tum adhuc Nobilissimus Caesar, ad edendam istam

Et alibi *p.* 760. *num. cxxxv.*

D. M.
SEPTIMIAE
TYCHAE. QUAE
VIXIT. ANNIS
XXXVI. SEPTI
MIUS. JULIA
NUS. CONJU
GI. ET LIBERT
KARISSIMAE.

Adde *Class. XIV. p.* 772. *num. clxxii.* Grut. *Inscriptt. p. DLXVII. num.* 8. *p.* 939. *num.* 4. *p. DCCCCXL. num.* 3. *p. DCCCCLVII. num.* 7. in quibus saepe laudantur LIBERTAE. ET CONJUGES. OPTIMAE. BENEQUE. MERENTES. KARISSIMAE. FIDELISSIMAE. DULCISSIMAE. AMANTISSIMAE. INCOMPARABILES. Prohibitae tamen manserunt nuptiae inter libertum et patronam, patronive uxorem, vel filiam, quas adfectantes liberti et damnatione ad metalla puniebantur, nisi patrona esset vilioris conditionis: *L.* 13. *D. de Rit. nupt.* Paul. *Receptt. Sententt. II.* 19. 7. Et hinc rarissimi exempli est inscriptio apud Fabrettum *p.* 289. *num.* 221.

JUNIAE · FESTIVAE
PATRONAE · ET · UXORI · KARISS
C · JUNIUS · MERCURIUS

Cui tamen similes deprehendisse mihi videor apud Gruterum *Inscriptt. p. DLXXXII. num.* 4. et Reinesii *Inscriptt. Class. XII. p.* 659. *num. XXIV.* Sed quamvis lex Papia permitteret, ut libertinae ducerentur uxores: non poterant tamen duci LENAE, A LENONE LENAVE MANUMISSAE, AUT IN ADULTERIÓ DEPREHENSAE, QUAEVE ARTEM LUDICRAM FACERENT, FECISSENT: *L.* 43. *D. de Rit. nupt.*

§. 37.

An eadem lex Papia prohibuerit nuptias sexagenariorum et quinquagenariarum?

Plerique existimant, eadem lege Papia Poppaea prohibitas

---

constitutionem induxerat, quia ipse cum Theodora, muliere scenica, et parum integrae famae, nuptias adfectabat: Procop. *Anecdot. p.* 45. et ibi Nic. Alemannus. Ipse Justinianus paullo post ea de re aliquoties tum ad SS. Episcopos, tum ad magistratus rescripsit: *L.* 33. *C. de Episc. audient. Novell. LXXXIX.* 15. *CXVII.* 6. *LXXVIII,* 3. *LI.* Vid. Nic. Alemann. *Not. ad Procop. Anecdot.* 41. et *Comment.* nostr. *ad L. Jul. et Pap. L. II. c.* 2. *Hein.*

nuptias sexagenariorum masculorum et quinquagenariarum feminarum, idque colligunt ex fragmento Senecae apud Lactant. *Inst. Divin. I.* 16. Ulpiani *Fragm. XVI.* 1. et *L.* 27. *C. de Nupt.* Quibus auctoritatibus commotus Jac. Gothofredus hoc caput legis Papiae Poppaeae commentus est: SEXAGENARIO MASCULO, QUINQUAGENARIAE FEMINAE NUPTIAS CONTRAHERE JUS NE ESTO: Jac. Gothofr. *ad Leg. Pap. Popp. II.* Sed luculenter evicit V. C. Jac. Perizonius *Diss. ad Leg. Vocon. p.* 153. *sq.* caput illud de sexagenariis et quinquagenariis non esse ex lege Papia Poppaea, sed ex SCto quodam, facto temporibus Tiberii. Res patet ex luculento loco Suet. *Claud. c.* 23. *Capiti Papiae Poppaeae legis, a Tibero Caesare, quasi sexagenarii generare non possent, addito, obrogavit.* Mira quidem in turbando hoc Suetonii loco est criticorum solertia [k]: sed constanter hanc lectionem prae se ferunt meliores codices, nec ipse sensus ullam postulat emendationem. Optimus Suetonii interpres est Ulpianus *Fragm. XVI.* 3. 4. ubi Jureconsultus: *Qui,* inquit, *intra sexagesimum, vel quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis* LEGIBUS *post hanc aetatem liberatus esset, perpetuis tamen poenis tenebitur ex* SENATUSCONSULTO PERNICIANO: *sed* CLAUDIANO SENATUSCONSULTO *major sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.* §. 4. *Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium adpellatur: et* SENATUSCONSULTO CALVITIANO *jubetur non proficere ad capiendas hereditates et legata et dotes. Itaque, mortua muliere, dos caduca erit.* Ex his ergo locis egregia lux adfunditur Suetonio. Discimus enim inde I. quid in lege Papia Poppaea de sexagenariis et quinquagenariis fuerit cautum, videlicet, sexagenarios masculos et quinquagenarias mulieres ob aetatem a poenis legis liberos liberasve fore. Discimus II. quid *addiderit* huic capiti Tiberius. Quum enim animadvertisset, multos ad hanc aetatem pervenire, qui legi numquam antea paruissent: statuit, ut sexage-

---

k) Cujacius et Torrentius plane ejiciunt Tiberium et locum ita refingunt: *Capiti Papiae Poppaeae legis, quasi sexagenarii generare non possent, edicto obrogavit.* Pulmannus pro *edicto* habet *edito.* Jac. Gothofredus *Not. ad L. Pap. Popp.* reliqua admittit, sed pro *edicto* legi jubet *adaucto.* At nullam harum emendationum vel textus admittit, vel adcuratiores codices, qui teste Casaubono praeferunt: *addito obrogavit,* vel quantivis pretii locus Ulpiani, ut in sequentibus adparebit. *Hein.*

nariorum et quinquagenariarum nuptiae non irritae quidem essent, sed nihil tamen ad effugiendas caelibatus poenas proficerent. Id quod sancitum est SCto PERNICIANO, vel, ut Cl. Perizonius *p.* 156. mavult, PERSICIANO, ita dicto a Paullo Fabio Persico, qui tertio ante excessum Tiberii anno Consul fuit cum L. Vitellio [1]). Discimus III. qua in re CLAUDIUS Tiberii legi obrogaverit. Perpetuis enim poenis illis exemit sexagenarios, dummodo quinquagenariis duxissent minores, quandoquidem ex ejusmodi matrimonio proles adhuc sperari poterat. Denique et hoc IV. inde discimus, postremo adcessisse SC. CALVITIANUM, vel, ut Perizonius mavult, CALVISIANUM [m]), quo cautum, ut quod seni masculo, ducenti juvenculam, dedisset SCtum Claudianum, non item valeret de nuptiis vetulae cum viro juvene, quippe nullam spem prolis facturis [n]). Sed et haec jura una litura delevit Justinianus *L.* 27. *C. de Nupt.* Vid. *Comment. nostr. ad L. Jul. et Pap. L. II. c.* 3.

§. 38.

Concubinatus origo.

Si quas personas uxores ducere haud possent cives Romani: eas tamen CONCUBINAS habere poterant: *L.* 1. §. 2. *D. de Concubin.* Concubinatus enim per leges nomen adsumserat: *L.* 3. §. 1. *eod.* *νόμος ἐγένετο, pro lege habebatur,* teste Clemente Alexandrino *Paedagog. III.* 3. Illum *οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσιν, sapientes leges*

---

l) Iste sane Fabius plerumque *Persicus,* non addito nomine gentili, adpellatur. Vid. Seneca *de Benef. II.* 21. et lapis apud Gruterum *Inscriptt. p.* DII.

...... NON. MAGIS. SUNT. PAENITENDI.
SENATORES. QUAM. PAENITET. PERSICUM. NOBILISSIMUM.
VIRUM. AMICUM. MEUM. INTER. IMAGINES. MAJORUM. SUORUM.
ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE. ....

m) Nullus in fastis post Claudii tempora occurrit Calvitius: at sub Nerone et sequentibus Imperatoribus multi laudantur Calvisii. *Hein.* Ante Perizonium *Calvisianum,* non *Calvitianum,* dicendum esse SCtum illud, docuit A. Augustinus *de SCtis p.* 1329. ed. Graev. Incerta est hujus SCti aetas, licet Heineccius in *Commentat. cit.* ad tempora Neronis id referat. *Cann.*

n) Neque ullo igitur tempore jus obtinuit, ut *irritae essent* sexagenariorum et quinquagenariarum nuptiae, quemadmodum cum aliis quamplurimis, qui aut ante Perizonium scripserunt, aut excellentissimam hujus viri disputationem non adtenderunt, etiam Glückius existimat, in commentar. *de Pandect. ser.* T. XXIII. §. 1208. p. 150. Nr. III. Fraudi fuerunt viris doctis, quae in constitutione quadam Justiniani (L. 27. C. *de nupt.*) leguntur his verbis: „Sancimus, nuptias, quae inter masculos et foeminas majores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis lege Julia vel Papia prohibita sunt — — nullo modo — — impediri.“ Quae, quomodo intelligenda sint? vid. Perizonius diss. laud. (in *dissert. Triade*

permittunt: Id. *ibid.* o). Leges nimirum Julia et Papia Poppaea, quas κατ' ἐξοχὴν νόμους vel *leges* esse dictas jam Lipsius *Excurs. ad Tacit. Ann. III. Lit. C.* observavit. Ante celeberrimam sane illam legem *concubina* et *pellex* pari passu ambulabant, nec altera altera erat honestior: post illam autem *pellex* erat, quae cum aliquo, cui uxor erat, corpus miscebat, quae autem cum aliquo, cui uxor non esset, vivebat, ea honestiore nomine vocabatur *amica* vel *concubina: L.* 144. *D. d. V. S.* p) *convictrix*, Gruteri *Inscriptt. p. DCCXCV. num.* 8. γλυκυτάτῃ σύμβιος, Idem *p. DCCLXXX. n.* 9. *uxor gratuita*, id est, quae per coemtionem haud convenerat in manum q), Idem *p. DCCCXXI. n.* 5. *sodaliciaria*, Gruter. *p. DCII. n.* 5. *amica, cum qua quis sine mendacio vivebat, L.* 35. *D. de Aur. arg. mund. leg.* r). Hinc honestum ex eo tempore erat concubinae nomen: *L.* 144. *D. de V. S.* licita cum ea consuetudo: *L.* 5. *C. ad SCtum Orphit.* adeo, ut ab uxore solo delectu et animi destinatione, Paul. *Receptt. Sententt. II.* 20. 2. et dignitate differret: *L.* 49. §. 4. *D. de Legat.* 3., imo uxoris loco haberetur: *L.* 144. *de V. S.*, tamen haec conjunctio dici non poterat *legitima*, quia lex concubinas quidem habere permittebat, non tamen initam cum iis consuetudinem eadem effecta habere patiebatur, quae tribuit matrimonio. Id quod contra Cujacium recte docuit Em. Merill. *Obs. III.* 15. et *Variant. Cujac. I.* 34.

§. 39.
Quae concubinae esse potuerint?

In concubinatu vero esse poterat, quaecumque non poterat esse uxor, vel in quam stuprum non committebatur: *L.* 1. §. 1. *D. de*

Daventr. 1679. p. 163.) et Heineccius *ad Leg. Jul. et P. P.* Lib. II. C. 3. §. 8., licet alter ab altero hac in re dissentiat, quod Perizonius prohibitionem istam (i. e. poenalem sanctionem) ad ipsam Legem Jul. et P. P. referendam esse opinetur, contra vero Heineccius de SCtis ad legem Pap. Poppaeam factis loqui imperatorem sibi persuasum habeat. *Mühl.*

o) De concubinatu: Henr. Cannegieteri *Rescripta Boxhornio c.* 20 — 22. *adj. Dion. Catonis Distichis de moribus* p. 445 — 458. ed. Amst. 1754. Sal. Rendorp Diss. *ad L.* 144. *D. de V. S. L.* B. 1789. 4. *Haub.*

p) At vero *concubinae* nomen honestius esse dixit Massurius nomine *amicae* in *l. l.* Fallitur Wielingius in *Lectt. i. c. II.* 9., qui *amicae* vocabulum honestius putat, et verba *L.* 144. *de V. S.* transponenda credidit. *Cann.*

q) Unde confici queat, ita *uxorem gratuitam* dici, non video: ego illam interpretor, quae nihil dotis ad maritum attulit. *Cann.*

r) *L. c. amica* dicitur, quae amicitia juncta est, non concubina. Falluntur omnes juris interpretes in hac lege exponenda. *Cann.*

Concub. Quod tamen recte intelligendum. Non enim quas honestas, et jus illud, quod impressum mentibus nostris circumferimus, a toro virorum arcebat, cum iis concubinatum inire licebat, uti sibi persuasit Cujacius *Obs. V.* 6. sed cum illis tantum, quae per leges mere civiles uxores esse non poterant [s]). Hinc fas erat ingenuo concubinam habere, judicio publico damnatam: *L.* 1. §. 2. *D. de Concub.* mulierem quaestuariam: *L.* 16. *D. de His, quae ut indign.* obscuro loco natam: *L.* 3. *pr. D. de Concub.* ancillam: *L.* 38. *pr. D. de Reb. auct. jud. poss.* mulierem provincialem, in qua quis officium administrabat: *L.* 5. *D. de Concub.* etiam senem, et cujuscumque aetatis, modo esset matura viro: *L.* 1. §. 4. *eod.* At non poterat quis in concubinatu habere feminam quamcumque, si haberet justam uxorem: Paul. *Receptt. Sententt. II.* 20. 1. *L. ult.* §. 2. *de Divort.* Nec plures simul concubinas habere licebat, quia semper infamis Romanis videbatur vita, *inter stupra concubinarum, et oscula* vel *mollia concubinarum et spadonum agmina,* transacta, qualem in Sophonio Tigellino et Fabio Valente reprehendit Tacit. *Histor. I.* 72. *III.* 62. in Commodo Imperatore Ael. Lampridius *vit. Commodi c.* 5. Et Justinianus mulieres, quae uni viro corpora praebent eodem tempore, non *concubinas,* sed πορνευομένας dicendas, indignasque concubinarum juribus judicat: *Nov. XVIII. c.* 5. Minime omnium inter eas personas honestus erat concubinatus, quas sanguinis propinquitas vel adfinitas a matrimonio arcebat, ut passim docet Ulpianus: *L.* 1. §. 3. *D. de Concub. L.* 56. *D. de R. N.*

§. 40.

An et ingenuae honestae?

Sed adjecimus tamen, ne tunc quidem locum concubinatui fuisse, si femina esset talis, ut in eam stuprum committeretur. Stuprum vero committitur in virginem vel viduam ingenuam, vitaeque

---

s) Male intellectus Cujacii locus ab Auctore, quasi dixerit ille, licuisse civi Romano eodem tempore et uxorem et concubinam habere. Nihil profecto minus. Idem dixit vir magnus, at plane et dilucide, quod Heineccius hoc in loco et sequenti, obscurius tamen, refert (melius in comment. ad L. Jul. et P. P. Lib. II. c. 4. §. 4.), nimirum cum ingenua concubinatum constitui non posse, nisi vel testatione interposita, vel sine testatione, si obscuro loco nata sit, vel vulgo quaestum fecerit, aliove modo honestae foeminae jus et nomen amiserit; id quod ita obtinuit, ne temere concubinatus contraheretur cum ejusmodi muliere, quacum nuptiis jungi honestius visum est. — Cf. G. Jordens Disp. I. *de legitim.* (in Fellenbergii *Jurispr. antiqua* T. II. Num. XVII.) Cap. III. §. 8. *Mühl.*

integram: *L. 6. §. 1. D. ad L. Jul. de adult.* non autem in obscuro loco natam, ludionis, lenonis, arenarii filiam, vel quae quaestum corpore fecerat: *L. 3. pr. D. de Concub.* Unde et Ovidio *Art. amator. Lib. I. v.* 33. amplexus hujusmodi muliercularum sunt *Venus tuta concessaque furta*, quia, qui cum tali femina rem habuerat, stupri reus haud erat ex Lege Julia de adulteriis. Hae ergo et in concubinatu esse poterant: non feminae ingenuae et honestiores. Hinc, si hae cum viris essent, aut uxores praesumebantur, aut stupri reus uterque erat, si se negaret vivere in matrimonio, *nec tamen mulier testationem interposuisset, se sua sponte in concubinatu vivere: L. 3. pr. D. de Concub.* Cui legi male vulgo obverti *L. 24. D. de R. N.* et *L. 31. pr. D. de Donat.* satis perspicue ostendimus in *Comment. ad Leg. Jul. et Pap. Popp. L. II. c. 4. p.* 172. *sq.*

§. 41.

Quinam concubinas adsciverint?

Quamvis autem et licita nec inhonesta Romanis videretur haec consuetudo, ac vere inaequale esset matrimonium: *L. 3. C. de Natur. lib.*, tamen nec ipsae concubinae uxorum dignitate et juribus fruebantur, nec liberi inde nati legitimi erant, sed naturales, quorum de conditione supra *Tit. X.* quaedam notavimus. Hinc et ii fere, qui jam ex justo matrimonio liberos procrearant, patriaeque et Priamo fecerant satis, concubinam solebant in lectum adsciscere, ne liberis inducerent novercam, spemque hereditatis iis, nihil tale meritis, interverterent. Sic Vespasianus Imperator post uxoris excessum Caenidem, Antoniae libertam, revocavit in contubernium, et paene justae uxoris loco, id est, in concubinatu habuit: Suet. *Vespas. c.* 3. Idem fecit Antoninus Pius: Jul. Capitol. *vit. Anton. c.* 8. idem et Marcus Antoninus, recti exempli Imperator, qui, amissa uxore, concubinam sibi adscivit procuratoris sui filiam; *ne tot liberis novercam superduceret:* Id. *vit. Marci c.* 29.

§. 42.

Fuere concubinae similes uxoribus ad morganaticam.

Talis utique fuit veterum Romanorum concubinatus. Unde ii cum larvis pugnant, qui audito concubinae vocabulo, statim sibi aut prostibulum aliquod, aut plane pellicem, animo concipiunt. Id vero non magis verum est, quam si quis idem judicium ferendum putaret de uxoribus *ad morganaticam,* quas Principes et viri illustres

ea lege adsumunt in torum, ut nec ipsae mariti dignitate, nec liberi reliquorum liberorum juribus fruantur: *II. Feud.* 29. His uxoribus per omnia fere similes erant concubinae Romanorum, postquam *mos et lex maculosum edomuerat nefas*, et Augustus concubinatum a pellicatu secreverat.

§. 43.

Quando legibus interdictus concubinatus?

At iste concubinatus paullatim evanuit, postquam Christiana pietate indignus videri coepit. Primus eum subruere conatus est Constantinus M. sed ita, ut obliqua quasi via procederet, nec, se id agere, prae se ferret. Quum enim ita inolevisset ista consuetudo, ut impar sibi prope videretur ei abolendae; id agebat potissimum, ut cives uxores, quam concubinas, habere mallent. Hinc primo liberis naturalibus quidquam relinqui vetuit, sicuti colligimus ex *L.* 1. *C. Theod. de Natur. lib.* t). Deinde ideo adinvenit legitimationem per subsequens matrimonium, non in futurum tamen valituram, ne parentibus occasio deesset signandi tabulas, et concubinas justis sibi nuptiis jungendi: Des. Herald. *Rer. Quotid. I.* 4. 2. Denique ne viri dignitatibus fulgentes alios exemplo corrumperent, durissimam illam *L.* 1. *C. de Nat. lib.* edidit, qua concubinas a viris illustribus, clarissimis, spectabilibus, perfectissimis, haberi vetuit. Nec successus forsan defuisset illis Constantini M. consiliis, si successoribus ista potuisset probare. Sed hi facilius tulerunt concubinatum, adeo, ut nulla eorum constitutio, isti conjunctioni opposita, in codicem relata sit a Justiniano, sed hic ipse potius concubinatum adhuc *licitam* vocarit *consuetudinem: L.* 5. *ad SCtum Orphit.* in eaque *caste vivi posse* scripserit: *Nov. XVIII. c.* 5. Primus ergo in Oriente eum subruisse videtur Leo Sapiens: *Nov. Leon. XCI.* In Occidente eum multo diutius mansisse, satis ostendunt leges veteres Francorum, Langobardorum, Germanorum, de quibus fusius a nobis actum in *Elementis juris Germanici* [*Tom. IV. Opp.*].

§. 44.

Leges Romuli et XII Tabularum de divortiis.

In titulo de nuptiis adcuratius egimus de diversis ritibus nup-

---

t) In edit. Wenckii: L. 2. *eod.* — Cf. et Jordens Diss. I. *de legitim.* C. III. §. 11. *Mühl.*

tiarum per CONFARREATIONEM, COEMTIONEM et USUM, deque potestate maritorum in uxores; de quibus multa potius, quam optima, collegit Carolus Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I.* Quare de DIVORTIIS tantum nonnulla adjiciemus [u]), maxime quum eam doctrinam in Institutionibus suis praetermiserit Justinianus. Divortium maritis quidem permiserat Romulus, at non uxoribus, ut tradit Plutarch. *vit. Romuli c.* 22. [x]). Sed nec illis quidem, eodem teste Plutarcho, sine caussa sontica licebat uxoribus mittere nuncium, verum si constaret, eas aut stuprum esse passas, aut venenum parasse, aut liberos clavesve subjecisse. Forsan et temulentia inter caussas divortii sonticas fuit, quippe quam maritus, caussa cum cognatis cognita, severe vindicare in uxore consueverat: Dionys. Hal. *II.* 25. [y]). Eadem lex deinde migrasse videtur in duodecim tabulas, secundum quas, addita caussa, justum fieri potuisse divortium, colligitur ex *L.* 43. *D. ad Leg. Jul. de Adult.* et praecipue ex loco Ciceronis *Philipp. II.* 28. *Nolite, nolite quaerere: frugi factus est: mimam illam suam suas res sibi habere jussit, ex XII tabulis: caussam addidit, exegit.* Quamvis enim hoc *caussam addidit* suspectum videatur P. Victorio *Var. Lectt. II.* 2. et Mur. *Var. Lectt. V.* 8. et quidem ob locum Nonii *IV.* 152. in quo legitur: *claves ademit, foras que exegit:* Grammaticos tamen saepe ex auctoribus fragmenta non integri sensus exscribere, et hinc emendationem auctorum ex fragmentis illis periculosam semper esse, prudenter monuit eruditissimus Perizonius *Animadvv. Hist. c.* 9. *p.* 371. *sq.* [z]). Utcumque se res habeat, videtur

---

u) Zach. Huberi Diss. *de ritu ac licentia veterum divortiorum apud Romanos; ad illustrandum Suetonii locum insignem in vita Jul. Caes. c.* 43. in Ej. Dissertt. juridd. et philologg. P. II. num. 4. p. 127 — 168. et repet. in ed. Amstelod. Dissertt. Lib. II. n. 3. p. 288 — 312. Ge. Aug. Marche Diss. *historia juris civilis de divortiis.* Lips. 1764. 4. *Haub.* K. Wächter *über Ehescheidungen bei den Römern.* Stuttg. 1822. 8. Hasse *Güterr. d. Ehegatten* §. 40 — 57. p. 129 — 203. Zimmern *Gesch. d. R. Privatr.* §. 152 — 155. Klenze *die Freiheit d. Ehescheidung nach älterem R. R.* in *d. Zeitschr. f. gesch. R. W.* VII. Num. II. *Mühl.*

x) Vid. Dirksen *Gesetze d. Röm. Könige* in Ej. *Versuchen zur Krit. u. Ausl. der Quellen d. R. R.* num. 6. Cap. 4. p. 298 — 300. *Mühl.*

y) At mirum in modum inter se dissentiunt, qui locis Plutarchi et Dionysii interpretandis operam dederunt. Cf. Wächter *comm. laud.* p. 19 — 26. p. 62 — 77. Hasse *l. l.* p. 131 — 135. et p. 475 — 492. Klenze *l. l.* p. 27 — 35. *Mühl.*

z) At quam parum faciat Ciceronis locus ad probandum, ipsis duodecim tabularum legibus de divortiorum jure quidquam sancitum fuisse, ostenderunt Hasse *l. l.* p. 135 — 141. et Dirksen *Zwölftafelgesetze* p. 296 — 302. Klenze *l. l.*

sane lex XII tabularum non promiscue ac sine caussa concessisse repudium, siquidem veteres auctores saepe ejusmodi caussarum meminerunt [a]): Naevius apud Festum sub voce *sonticum p.* 441.

Sonticam esse oportet caussam, quamobrem perdas mulierem.

Et Varro apud Non. *II.* 73. *Betere est ire. Varro* τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον: *A se, annos multos quod parere non posset, eam betere foras jussit.* Si sine justa et sontica caussa factum a marito erat divortium, Romulus teste Plutarcho sanxerat, τῆς οὐσίας αὐτοῦ τὸ μὲν τῆς γυναικὸς εἶναι, τὸ δὲ τῆς Δημητρὸς ἱερόν, *ut ejus bona partim cederent uxori, partim Cereri sacra essent: vit. Romul. c.* 22.

§. 45.

Divortiorum origo et frequentia sequiore aevo.

At quamvis divortia viris permitterent leges: non tamen ullum Romae exstitit exemplum ante annum ab U. C. circiter quingentesimum, quo primus uxorem ob sterilitatem dimisit Sp. Carvilius Ruga: Dionys. Halic. *Ant. Rom. II.* 25. Plutarch. *Romul. c.* 22. et in *Numa c.* 17. Valer. Max. *II.* 1. 4. Gell. *Noctt. Att. IV.* 3. et *XVII.* 21. [b]). At postea frequentissima Romae fuere divortia, et quidem non solum ob caussas alicujus momenti, veluti sterilitatem: *L.* 60. *L.* 62. *D. de Donat. int. vir. et ux.* Suet. *Ner. c.* 35. simultates cum

---

p. 38. n. 1. (Cf. et Hugo *R. G.* XI. p. 149. not. 2.). Nec magis id colligi potest e L. 43. D. *ad Leg. Jul. de adult.*, licet hic locus e Gaji comment. ad XII. Tabb. L. L. desumtus sit. Wächter *l. l.* p. 68. not. *) et Dirksen *l. l.* p. 296. sq. *Mühl.*

a) Non solebat antiquitus uxori dari repudium, nisi caussa cognita in concilio cognatorum: Val. Maxim. *II.* 1. 4. et 8. Quin jusjurandum praestari solebat, jubentibus Censoribus, divortium ex justa caussa esse factum: Gell. *Noctt. Att. XVII.* 21. Solebant praeterea istae caussae ipsumque factum divortium in acta referri: Seneca *de Benef. III.* 16. *Quia vero nulla sine divortio acta sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt.* Adde Lips. *ad Tacit. Ann. V. p.* 231. *Hein.* Caeterum Naevii locus ad divortia non pertinet. *Cann.* De eo vero, quod in f. huj. §. ex Plutarcho affert Auctor, cf. Wächter *l. l.* p. 20. sq. et Hasse *l. l.* p. 482. sqq. *Mühl.*

b) Inter se dissident veterum testimonia de tempore, quo factum fuerit Sp. Carvilii Rugae divortium. Plerique illud referunt ad annos ab U. C. 520 — 523., Plutarchus ad a. 230. Quomodocunque autem res se habeat, id tamen vix credere licebit, primum omnium Carvilium Romae divertisse. Potius dicendum (in quo et omnes consentire videntur, qui nostris temporibus hac de re scripserunt), incidisse quaedam in hocce divortium, unde effectum sit, ut tamquam res vel maxime insignis memoriae proderetur, sive ea ad causam spectarent divertendi, sive ad rationem ac modum, quo consilium perfecit Carvilius, sive ad dotium

socru: Sueton. *Aug. c.* 62. morum perversitatem. Idem *ibid. c.* 62. impudicitiam: Plutarch. in *vit. Caton. major. c.* 24. et *Pompeji c.* 53. Sueton. *vita Claud. c.* 7. 26. verum etiam ob caussas levissimas. Facile enim vel ob levem tantum suspicionem domo ejiciebatur uxor, quamvis innocentissima [c]). Papiriam sane quum dimitteret Paullus Aemilius, mirantibus amicis, et caussam quaerentibus, nullam certam attulit, sed se tamen ab ea laesum, significavit: Plutarch. *vit. L. Paulli c.* 5. Nonnumquam caussa interserebatur quidem, sed levis, et quae vix mereri videbatur tantam animadversionem. Sic C. Sulpicius Gallus extrusit uxorem, quod foris nudo capite versata esset; Q. Antistius Vetus, quod cum libertina vulgari secreto colloquuta; P. Sempronius Sophus, quod ludos spectasset, se ignorante: Val. Max. *VI.* 3. 12. *sq.* Cicero ipse, (at quam honestatis studiosus?) Terentiam ob aes alienum nova dote exsolvendum, et Publiliam, quod Tulliae morte laetari visa esset, domo exegit: Plutarch. *vit. Ciceron. c.* 41. Alii propter senectutem abjiciebant uxores: *L.* 62. *de Don. inter vir. et ux.* alii, quia jam cum alia fuerat transactum. Quo pertinent illa Juvenalis *Sat. VI. v.* 147. *sq.*

— — — — — , *exi*
Ocius, et propera: sicco venit altera naso.

Imo quum, dimissa ob mores graviores uxore, maritus dotem lucraretur [d]): fiebat aliquando, ut viri data opera male moratas domum

---

jus, quod quidem in posterum invaluit; id quod innuere videtur Gellius in priori loco (IV. 3.). Cfr. Hugo *R. G.* XI. p. 149. sq. not. 2. de Savigny *über die erste Ehescheidung in Rom* (recit. in scient. Ac. 1814.) in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. V. num. VII. Zimmern in Ej. et Neustetelii *röm. rechtl. Unters.* num. XIV. Wächter *l. l.* p. 79 — 87. Hasse *l. l.* p. 133 — 135. Klenze *l. l.* p. 23 — 25. p. 41. sq. *Mühl.*

c) Julius Caesar Pompejam uxorem ob adulterii cum P. Clodio, qui sacra Bonae Deae in Caesaris domo polluerat, suspicionem dimittens, dixit: *meos tam suspicione, quam crimine, judico carere oportere:* Sueton. in *Jul. Caes. c.* 74. *Hein.*

d) An umquam jure antiquiori fieri potuerit, ut *propter mulieris mores* dotem omnem lucraretur maritus? merito dubitatur (Vid Hasse *l. l.* p. 181. not. 256.). At jam Ciceronis temporibus *liberorum nomine retentiones* fiebant. (*Top.* c. 4. „Si viri culpa factum est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen *pro liberis manere* nihil oportet"). Haud vero ita multo post legibus (an Julia et Papia Poppaea?) divortiorum poenae accuratius constitutae sunt, de iisque judicio de moribus disceptatum est. (L. 19. D. *de V. O.* L. 11. in f. C. *de repud.* Cfr. Wächter *l. l.* p. 162. sq. Hasse *l. l.* §. 49. 50. 51. Glück *Erläut. d. Pand.* XXV. p. 345. sq.). Nam si divortium factum esset culpa mulieris (h. e. si aut sine causa ipsa divertisset, aut marito divortium faciendi causam praebuisset),

ducerent, dummodo bene dotatae essent. Sic C. Titinnius, Minturnensis, Fanniam uxorem impudicam de industria duxerat, ut eo crimine repudiatam dote spoliaret. Quod exemplum, latamque a C. Mario sententiam referunt Plutarch. in *vita Marii c.* 38. et Valer. Max. *VIII.* 2. 3. Denique etiam nonnumquam bona gratia a se invicem discedebant conjuges, et tunc plerumque uxor non solum dotem recipiebat, sed et dona et munera, a marito data, lucrabatur. Unde Ovid. *de Remed. Amoris v.* 669. *sqq.*

Tutius est aptumque magis DISCEDERE PACE,
Quam petere a thalamis litigiosa fora.
Munera, quae dederas, habeat sine lite jubeto:
Esse solent magno damna minora malo.

§. 46.

Etiam uxoribus licuit a viris divertere.

Ceterum quum olim maritis tantum jus esset dimittendi uxores, uti ex Romuli lege observat Plutarchus in *vita Romuli c.* 22. idque jus adhuc vigeret temporibus Plauti, prout ex ejus *Mercat. Act. IV. Scen.* 6. constat: postea etiam uxores coeperunt a viris divertere, idque tam frequenter, ut graviter scribat Seneca *de Benef. III.* 16. *Numquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam et nobiles feminae, non Consulum numero, sed maritorum, annos suos computant? et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii?* Et Juvenal. *Sat. VI. v.* 229. *sq.*

---

singulorum liberorum nomine sextae retinebantur ex dote, non plures tamen, quam tres sextae. Praeterea propter mores (sc. improbos) mulieres *graviores* (i. e. adulterium) sexta dotis pars retinebatur a marito, leviorum nomine octava. Mariti vero mores hoc modo puniebantur: Eam quidem dotem, quae tribus pensionibus annuis (annua, bima, trima die) reddenda erat, propter graviores mores praesentem reddere necesse habebat, propter leviores, senum mensum die (i. e. semestribus spatiis, pro annuis). In ea autem dote, quae praesens reddi solebat, tantum e fructu erat restituendum, quantum in reliquis dotibus praesens solutio efficiebat. (Ulp. *Fragm.* Tit. VI. §. 9 — 13. Quem quidem locum varie explicant interpretes. Cfr. Hugo *R. G.* XI. p. 928 — 930. et *civ. Mag.* IV. p. 396. Wächter *l. l.* p. 165 — 169. Hasse *l. l.* §. 52. Glück *Pand.* XXV. p. 326. et XXVI. p. 326 – 328. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 369 — 375. Vid. et Ejusd. *Animadversion. crit. ad Ulp. Fragm. Sp.* II. p. 64—66.). At longe aliter res impp. Christianorum constitutionibus definita est (vid. L. 2. Theod. Cod. *de repud.* L. 11. Justin. C. eod. Nov. 117. c. 8. §. 2. Wächter *l. l.* p. 239 — 254. Glück *Pand.* XXVII. §. 1272.), quod tamen latius prosequi hujus non est loci. *Mühl.*

— — — *sic fiunt octo mariti,*
Quinque per auctumnos: — — — —

Et Martialis *Epigr. VI.* 7.

Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est.
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quae nubit toties, non nubit: adultera lege est.
Offendor moecha simpliciore minus.

Nec gravioribus opus erat caussis, si uxor a marito, quam si hic ab illa, sese sejungeret. Saepius enim et mulieres sine caussa divertebant a viris. Exemplum habes in Ciceronis *Epist. ad Div. VIII.* 7. ubi Coelius ad Ciceronem: *Paulla Valeria, soror Triarii, divortium sine caussa, quo die vir e provincia venturus erat, fecit. Nuptura est D. Bruto.* Soli libertae non licebat per legem Papiam Poppaeam a patrono discedere, cui erat matrimonio copulata, ceu ipsa legitima verba docent, quae servavit Ulpianus *L. ult. D. de Divort.* quaeque diligentius interpretati sumus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Popp. Lib. II. c.* 12. *p.* 244.

§. 47.

Sollemnitates in divortiis olim observatae.

Fiebat olim divortium non sine sollemnitate. Quemadmodum enim uxores in manum conveniebant per *confarreationem:* ita sejungebantur alio sacrificio, quod DIFFARREATIO adpellabatur. Festus sub voce *diffarreatio p.* 280. DIFFARREATIO *genus sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio. Dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.* In usu erat hoc sacrificium adhuc Plutarchi aetate, quoties inter Flaminem Dialem et Flaminicam fiebat discidium nuptiarum. Quum enim antea Flaminibus nefas esset, uxores a se dimittere: rescripto id primus permisit Domitianus, teste eodem Plutarcho *Quaestt. Roman.* 50. Qui et haec addit: οἱ δὲ ἱερεῖς παρεγένοντο τῇ τοῦ γάμου διαλύσει, πολλὰ φρικώδη καὶ ἀλλόκοτα, καὶ σκυθρωπὰ δρῶντες. *At sacerdotes reliqui, qui interfuerunt, quum ejusmodi matrimonium dissolveretur, multa horrenda, inaudita et tristia fecerunt.* Unde patet, triste admodum ac mali ominis fuisse hoc diffarreationis sacrificium, in quo multos ritus ac caerimonias tristiores adhiberi oportuerit. *Coëmtione* contractae nuptiae REMANCIPATIONE solutae videntur Jac. Raevardo *de Legg. XII. Tabb. c.* 22. *p.* 99. *sq. T. I. Opp.* Praeterquam enim, quod nihil tam naturale est, quam

unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est: *L.* 35. *D. de Reg. jur.* omniaque, quae in jure contrahuntur, contrario jure pereunt: *L.* 100. *D. eod.* remancipationis hujusmodi disertis verbis meminit Festus sub voce *remancipatam p.* 403. *Remancipatam Gallus Aelius esse ait, quae mancipata sit ab eo, cui in manum convenerat.* Ita sane Catonem Uticensem uxorem Marciam, praesentem despondisse Hortensio, refert Plutarch. in *Catone c.* 25. Et Tiberium Neronem Liviam uxorem etiam praegnantem Augusto cessisse, ex Tacit. *Ann. V.* 1. et Dionis *Lib. XLVIII.* 44. novimus. Id quod remancipationis ritu factum esse, non dubitaverim. Convenisse enim Liviam in manum, ex verbis Dionis colligas: ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπέρ τις πατήρ. *Elocavit illam ipse maritus, tamquam filiam.* Usu denique quaesita uxor, si vellet a viro divertere, usurpatione rescindebat matrimonium, si, nondum circumacto anno, a viro trinoctium abfuisset: Gell. *Noctt. Att. III.* 2. Macrob. *Saturn. I.* 3. [e]).

§. 48.

Ritus sequiore aevo usitati.

At postea invaluit, ut, paucioribus adhibitis caerimoniis, quae *legitimae observationis* vocabulo veniunt in *L.* 35. *D. de Don. int. vir. et uxor.* dissolverentur matrimonia, quas summatim recensebimus. Primo confringebantur tabulae dotales, ut patet ex Tacito *Ann. XI.* 30. et Scholiasta Juvenalis *ad Sat. IX. v.* 75. Deinde adimebantur claves. Quemadmodum enim novae nuptae, ingressae domum mariti, claves in signum communicati cum ea dominii tradebantur: Barn. Brisson. *de Ritu nupt. p.* 232.: ita, clavibus ademtis, dirimebantur connubia: Cic. *Philipp. II.* 28. Petr. Victor. *Var. Lect. II.* 2. Tum porro dicebantur sollemnia verba. His enim omnino opus fuisse, vel inde patet, quod Cicero *de Orat. I.* 40. ait: *Certis quibusdam* VERBIS, *non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium* [f]). Verba vero illa haec erant: RES TUAS TIBI HABETO. Vel TUAS RES TIBI

e) Male hoc in loco Auctor interpretatus est, quae de mulieris per trinoctium absentia apud veteres leguntur. Neque enim rescindendi matrimonii causa hujusmodi discessiones fiebant, verum eo consilio, ne usu mulieres in manum convenirent mariti (Gaj. I. 111.), quemadmodum et alibi recte observavit Heineccius; (in tit. *de nuptiis* §. 14.). Quae usu contractae erant justae nuptiae, similiter ut hae, quae coëmtione, per remancipationem dissolvebantur. Vid. Wächter *l. l.* p. 73. not. **. *Mühl.*

f) Vid. Hasse *l. l.* p. 28. sqq. not. 24. *Mühl.*

AGITO: *L.* 2. §. 1. *D. de Divort.* Barn. Briss. *de Form. VIII. p.* 722. g) eaque pronunciare solebat libertus: *L.* 9. *D. de Divort.* Juvenal. *Sat. VI. v.* 146. *sqq.*

Collige sarcinulas, dicet LIBERTUS, *et* EXI:
Jam gravis es nobis, et saepe emungeris; EXI
Ocius, et propera: sicco venit altera naso.

Solebant ergo nuncium mittere conjugi, eaque speciatim dicebatur renunciatio matrimonii. Imo et libellus dabatur, cui eadem procul dubio verba inscripta. Quo libello jam oblato, locus quidem erat poenitentiae, si conjux repudiatus consentiret: *L.* 7. *D. de Divort.* non si huic placeret conditio. Tunc enim dissolutum censebatur matrimonium, libello etiam nondum tradito: *L.* 6. *C. de Repud.* Car. Sigon. *de ant. jure civ. Rom. I.* 9. *p.* 132. Denique Augustus, (qui et alias divortiis modum imposuit, teste Sueton. *Octav. c.* 34.) lege Julia de adulteriis cavit, ut divortium fieret adhibitis praeter libertum septem testibus, civibus Romanis, puberibus; alias pro irrito haberetur: *L.* 9. *D. de Divort.* Barn. Brisson. *ad Leg. Jul. de Adult. c.* 28. *p.* 123.

§. 49.

Quid repudium?

Sed haec omnia ad *divortium* inter conjuges pertinent. Latius patebat REPUDIUM, quod etiam sponsus sponsae, vel haec illi dare solebat. Paulus *L.* 191. *D. de Verb. signif. Inter divortium et repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest: non recte autem sponsa divortisse dicitur.* Et Modestinus *L.* 101. §. 1. *D. eod. Divortium inter virum et uxorem fieri dicitur; repudium vero sponsae remitti videtur: quod et in sponsae personam non absurde cadit* h). In repudio sponsae mittendo sollemnia erant verba: TUA CONDITIONE NON UTOR: *L.* 2. §. 2. *D. de Divort. et repud.* Tantum autem abest, ut hic caussa aliqua sontica opus esset, ut ex sponsalibus, quantumvis stipulatione firmatis, nulla oriretur civilis actio, sed infinita esset repudiorum licentia: *L.* 1. *C. de Sponsal. L.* 2. §. 1. 2. *D. de Divort. L.* 2. *C. de Repud. L.* 2. *C. de Inutil. stipul.* Nec contrarium evincitur ex loco Servii Sulpicii apud Gell. *Noctt. Att. IV.* 4. Actio enim illa ex sponsu, cujus ibi meminit Sulpicius, non ad Ro-

---

g) Wächter *l. l.* p. 111. sq. *Mühl.*
h) De verbi signif. vid. Wächter *l. l.* p. 59. sq. *Mühl.*

manos, sed ad Latii incolas, pertinebat [i]). Attamen et ab orbis Romani incolis certas repudii caussas observari voluerunt Theodosius et Valentin. *L.* 8. *C. de Repud.* et Justinianus *L.* 10. 11. *C. eod.*

§. 50.

Jus patrium, legitimi dominii, testamenti, hereditatis, usucapionis.

Sufficiant haec de tertio jure Quiritium, id est, de jure connubiorum. Quartum fuit PATRIUM, de quo tamen vix est, quod hic addamus, quum supra *Lib. I. Tit. IX.* de patria potestate, civibus Romanis propria, adcurate nos agere meminerimus, quemadmodum et de adoptione, legitimatione, emancipatione, aliisque, quae huc pertinent, uberius suis locis disseruimus. Idem de quinto dicendum. Quot modis enim jure Quiritium rerum adquiratur DOMINIUM, et quaenam fuerint ejus dominii effecta, statim dicemus *Lib. II. Tit. I.* De sexto quoque, id est, de jure TESTAMENTORUM plenius agemus *Lib. II. Tit. X. sq.* De septimo, seu de jure HEREDITATUM LEGITIMARUM *Lib. III. Tit. 1.* et sequentibus, de octavo denique, id est, de USUCAPIONE *Libro II. Tit. VI.* plura monebimus, nihil ut hic de illis addendum praeterea videatur. Progrediemur ergo ad ea jura civium Romanorum, quae ad jus publicum potius spectant, et κατ' ἐξοχὴν CIVITATIS jura adpellantur.

§. 51.

Jus census.

Prima civium Romanorum praerogativa, quae ad jus publicum pertinet, est JUS CENSUS. Census qualis Romae fuerit, et a quonam sit institutus, diximus supra, ubi de capitis deminutione actum est (§. 1.). Auctor nimirum hujus moris Servius Tullius, Rex, qui primus jussit cives omnes in sua quemque classe et centuria, dato jurejurando, apud eum, penes quem jus esset censendi populi, nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum servorumque suorum profiteri, praetereaque aetatem omnium, regionem, quam habitarent, et fortunarum suarum aestimationem deferre. Hoc autem jus censendi primum Regum, deinde Consulum et Dictatorum, ac postremo

---

i) Quid? quod ne apud Latinos quidem ad perficiendum matrimonium actio dabatur, sed judex pecunia litem aestimabat, seu quanti interfuit uxorem accipi aut dari eum eamve condemnabat, qui quaeve fidem datam retractarat; ut ex ipso Gellii loco manifesto apparet. Vid. et Noodt. *ad Pand. tit. de sponsalib.* opp. T. II. p. 374. *Mühl.*

Censorum fuit. Quae omnia ideo instituta sunt, ut de civium, qui arma ferre possent, numero, pecuniaeque magnitudine, qua belli sumtus sustinentur, et totius reipublicae viribus tanto certius constaret. Unde de Servio Tullio Florus *I.* 6. *Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus: summaque regis sollertia ita est ordinata respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur; ac sic maxima civitas minimae domus diligentia contineretur.*

§. 52.

Censu etiam jus civitatis adquiri potuit.

Quicumque jure nomina dabant Censoribus, eaque inscribenda curabant tabulis censualibus, eo ipso jus civitatis consequebantur, adeo ut et servi, non modo manumissi, verum etiam cives viderentur, si nomina, consentiente domino, profiterentur apud Censores, ac deinde lustro interessent: Ulp. *Fragm. I.* 8. Cic. *de Orat. I.* 40. (Vid. supra Tit. IV. V. §. 3.). At adultiore jam civitate, non promiscue omnibus licuit in tabulas censuales irrepere. Quum enim plerique socii ac Latini nominis hoc modo jus civitatis furtim consequi studerent, nominibusque tabulis censualibus inscriptis deinde Romam commigrarent: conquesti sunt A. U C. DLXIV. M. Aemilio et C. Flaminio Coss. legati sociorum Latini nominis, *magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse.* Quo intellecto Senatus Q. Terentio Culleoni, Praetori, negotium dabat, *ut eos conquireret, et, quem C. Claudio, M. Livio Censoribus, postve eos Censores, ipsum parentemve ejus apud se censum esse, probassent socii, ut redire eo cogeret, ubi censi essent:* Liv. *XXXIX.* 3. Quamvis ergo tunc ea conquisitione duodecim millia Latinorum domos redire cogerentur: paullo post tamen A. U. C. DLXXVI. iterum auditae sunt legationes sociorum et Latini nominis, conquerentium, *cives suos Romae censos plerosque eo demigrare. Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.* Re vero expensa paullo adcuratius, prodiit edictum, *qui socii ac nominis Latini, ipsi majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio Censoribus, postque ea, apud socios nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem ante Kalendas Novembres redirent:* Liv. *XLI.* 8. 9. Id jus aliquamdiu viguit, siquidem et L. Postumium Consulem anno U. C. DLXXX. pro concione legimus

edixisse, *ut, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii Consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in suis civitatibus censerentur:* Liv. *XLII.* 10. Quum ne sic quidem fraudes istae impedirentur: in eamdem sententiam anno DCLVIII. a L. Licinio Crasso et Q. Mucio Scaevola Coss. lata est lex *Licinia* et *Mucia*, ut socii et Latini nominis in suae quisque civitatis jus redigerentur [k]). Verum ea lege ita alienati sunt animi principum Italicorum populorum, ut ea vel maxime caussa fuerit conflati paullo post belli Italici: Cicero *pro Corn. Balbo* 21. *de Offic. III.* 11. [* *Fragm. Orat. pro C. Corn.* apud Ernestium in *Fragm. Cic. p.* 1045.] Ascon. Pedian. *ad eamd. Orat. p.* 131. ex edit. quae prodiit *Lugd. Bat.* 1675. 12.

§. 53.

Census Romae, professio in provinciis.

Quum vero census fierent Romae: oportebat cives, qui nomina fortunasque profiteri cuperent, eo commigrare. Hinc P. Scipio in oratione, quam Censor ad populum habuit, inter alia, quae contra majorum instituta fierent, etiam hoc reprehendit, *quod absentes jubeantur censeri, ut ad censum nemini necesse sit venire:* Gell. *Noctt. Attic. V.* 19. [l]). In provinciis non census habebatur, sed fiebat *professio censualis: L. ult. C. Sine censu vel reliqu.* Qua de re vetus fragmentum Jureconsulti, quod ex codice Rumpfiano edidit Salmas. *de modo usur.* 19. *p.* 878. Ἀλλ' ἐν τῇ πόλει Ῥωμαίων μόνῃ ἀποτίμησιν

k) Exstitit etiam in eamdem rem lex quaedam Papia, cujus disertis verbis meminit Cicero *pro Balbo c.* 23. Valer. Max. *III.* 4. 5. Unde fallitur Steph. Vin. Pighius in *Observatt. ad* Valer. Max. *l. c.* qui hanc legem plane explodendam putat. Nec minus errat Car. Sigon. *de antiquo jure Ital. III.* 1., qui eamdem confundit cum lege Papia *de peregrinis*, de qua infra agemus. Hac enim lege non omnes peregrini ejiciebantur, sed socii et Latini nominis, qui Romam commigraverant, domum redire jubebantur, ceu exemplis a Valerio Maximo et Cicerone adlatis patet. Quum vero lex Claudia prima fuisse videatur, qua ea de re actum est, eaque lata sit anno DLXXVI. post legem vero Liciniam Muciam, latam anno DCLVIII. statim bellum Marsicum exarserit, quo composito dataque Latinis civitate, lege hujusmodi non amplius opus fuit: latam esse oportet hanc legem inter annum DLXXVI. et annum DCLVIII. Quumque porro ex hac lege damnatus sit M. Perpennae Cons. pater, idque factum sit brevi post mortem filii, quae in annum DCXXIV. incidit: facile patet, non multum ante hunc annum legem hanc Papiam conditam esse: Vid. *Comment. nost. ad Leg. Jul. et Pap. Popp. L. I. c.* 1. *p.* 11. [*Tom. VIII. Opp.*] *Hein.*

l) De censu Romanorum inprimis cfr. Huschke *Verfassung des Serv. Tull.* Cap. X. p. 509. sqq. *Mühl.*

ἄγεσθαι δεδήλωται, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις μᾶλλον ἀπογραφαῖς χρῶνται. Quae ita redduntur in fragmento Latino, quod edidit Pithoeus: *Sed in civitate tantum Romana censum agi declaratum est: in provinciis autem magis professionibus utuntur* m). Ex quibus simul patet, qualis fuerit illa ἀπογραφή, cujus meminit Lucas 2, 2. Agebantur hae ἀπογραφαὶ initio per Equites Romanos, ceu ex Gruteri *Inscriptt. p. CCCLV. n.* 6. colligit Reines. *Inscriptt. p.* 270. *sq.* Talis est LEG. AUG. CENS. ACC. HISP. CIT. nec non DISPENSATOR AD CENSUS PROVINCIAE LUGDUNENSIS apud Eumd. *Class. IX. p.* 586. *n. XCIX.* Ab aliis auctoribus vocantur *censitores*, veluti a Lactant. *de mort. perseq. c.*23. quibus additos legimus ministros, susceptores, dictos *Ducenarios*, horumque *adjutores*, itemque *scribas*, *chalcologos*, *adcensos*, *compulsores*, de quibus apud Gruterum *Inscriptt. p. CCCCXXXIV. n.* 3. et *p. CCCCIII. n.* 5. [**p. CCCCLXXXIII. n.* 3.] Reines. *Comm. ad Inscriptt. XXVI. Class. II.* in primis *p.* 271. Postremis temporibus censitorum munus personale, nec admodum honorificum fuisse, discimus ex *L.* 1. §. 2. *L.* 17. §. 9. 16. *D. de Mun. et honor.* Permultum ergo inter censum urbanum et provincialem intererat. Quamvis enim etiam provinciales illae professiones nonnumquam census nomine veniant, ut vel ex Digestorum et Codicis titulis *de Censibus* et *Censitoribus*, nec non ex Lactant. *de mort. persequutor. c.* 23. intelligimus: vel maxime tamen eo differebant, quod Romae tantum censerentur cives, ut reipublicae vires civiumque facultates paterent, ac deinde veteri ritu lustrum adcederet. In provinciis vero census novum onus et nova tributa in solum et capita adferebat: Amm. Marcellin. *Hist. XIX.* 11. Post Antonini tamen Caracallae constitutionem supra explicatam parum inter censum professionemque provincialem videtur interfuisse. Lustralis enim census jam a Vespasiani temporibus ab usu recesserat n), teste Censorino *de die nat. c.* 18. At non ideo etiam census Romae et in provinciis obsolevit, qualem etiam Ulpiani tempore, licet sine lustro, conditum, ex multis juris nostri locis discimus.

---

m) Vid. de Savigny *über die Röm. Steuerverfassung unter den Kaisern*, in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. VI. num. V. p. 374. *Mühl.*

n) Lustralem tamen censum Romae egit Decius Imperator, ut auctor est Trebell. Pollio *Valerian.* 1. et 2. Sed ultimum, ac longo repetitum intervallo fuisse illud exemplum, notat illic Is. Casaubonus. *Hein.*

§. 54.

Quid lustrum?

Quum vero olim censui Romae adcedere consueverit *lustrum:* id quoque, quale fuerit, ex antiquitatibus Romanis videtur explicandum. Peracto scilicet censu, populus jubebatur armatus adesse in campo Martio, ubi lustrabatur sue, ove et tauro, quae animalia ter circum exercitum agebantur ab iis, quibus essent fausta nomina: Cic. *de divin. I.* 45. ac dein immolabantur Marti: Liv. *I.* 44. Varro *de re rust. II.* 1. Dionys. Halicarn. *Ant. Rom. IV.* 22. Unde et sollemne istud sacrificium dictum SUOVETAURILIA, a sue, ove et tauro, vel, ut alii malunt, SOLITAURILIA; sed priorem vocis formam confirmat apud Gruter. *Inscript. p. CXXI. n.* 1. RUJUS. (KUJUS.) OPER. PERFECTI. CAUSA. LUSTRUM. MISSUM. SUOVETAURILIB. MAJORIBUS. Hujus lustri quam maxime habebant rationem Jureconsulti, quum plerisque non a censu, sed a lustro potius, jura novorum civium Romanorum initium capere viderentur: Cicer. *de Orat. I.* 40. Hinc vetus fragmentum Jureconsulti apud Pithoeum (seu potius: in *Fragm. jur. Dosith. de manumissionib.* §. 19.): „*Magna autem dissensio est inter peritos, utrum hoc tempore vires accipiant omnia, in quo census, an in eo tempore, in quo lustrum conditur. Sunt enim qui existimant, non alias vires accipere, quae aguntur in censu, nisi haec dies sequatur, qua lustrum conditur; existimant enim, censum descendere ad diem lustri, non lustrum decurrere ad diem census. Quod ideo quaesitum est, quoniam omnia, quae in censu aguntur, lustro confirmantur.*" Add. Cujac. *Obss. III.* 22. o).

§. 55.

Poena incensorum.

Quemadmodum vero census proprium jus erat civium Romanorum: ita et graviter animadvertebatur in eos, qui illum subterfugissent, quippe quos, publicatis bonis, verberatos veniisse, tradunt Dionys. Hal. *IV.* 22. Cic. *pro A. Caecin. c.* 34. Ulpian. *Fragm. XI.* 11. Qua in re fictionem quamdam intercessisse, supra diximus ad titulum *de capitis deminutione*, §. 3.

§. 56.

Jus militiae antiquum.

Alterum jus civitatis Romanae erat JUS MILITIAE. Quum enim

o) Est hoc fragmentum Dositheanum *de manumissionib.* §. fin. — Vid. et quae de suovetaurilium ritu ejusque et origine et interitu disputat Huschke *Verfass. d. Serv. Tull.* p. 581. sq. cf. ibid. p. 130. not. 38. *Mühl.*

Romana militia lecta partim legionibus, partim auxiliis constaret: in legiones nemo jure adlegebatur, nisi civis Romanus. Imo ne cives quidem omnes idonei videbantur legionarii: sed oportebat hos esse ingenuos, et in quinque classibus censos. Unde excludebantur libertini, capite censi, histriones, ex qua hominum colluvie, nonnisi cogente necessitate, et in re trepida, legebantur milites, ut satis adcurate docent Just. Lips. *de milit. Rom. I.* 2. *p.* 14. Carol. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 15. *p.* 172. *sq.* ubi etiam rationem habendi delectum ex Polybio egregie explicant. Alii erant socii, qui olim ex Italis et sociis Latini nominis, et posteaquam hi jus civitatis impetrarant, e provincialibus et exercitibus regum, sociorum populi Romani, arcessebantur. Si qui ex aliis gentibus adsciscerentur, ii levioris armaturae milites dicebantur. Vid. Savil. *de milit. Rom. p.* 334. *sq.* Cives sacramento militari adstricti, (cujus formula est apud Gell. *Noctt. Attic. XVI.* 4. ubi addendus Lips. *de milit. Rom. I.* 6. *p.* 45. *sq.*) tamdiu militabant, donec vel missionem sive HONESTAM, sive CAUSSARIAM impetrarent, vel IGNOMINIAE caussa ab excercitu abesse juberentur. Ista missio dabatur iis, qui vel legitima confecerant stipendia, vel majores erant quinquaginta annis p). Illa ob morbum adfectamque valetudinem; haec ob crimina admissa dabatur: de quibus omnibus Sigon. *l. c. p.* 18. ipsique JCti ad *tit. D. de Re militari.*

§. 57.

Quid in his mutatum sub Imperatoribus.

Enimvero haec omnia mutata sunt, ex quo rempublicam invaserant Principes. Jam Augustus non civibus modo, verum etiam Latinis et Italis necessitatem militiae remiserat, inventa militia mercenaria: Herodian. *Hist. II.* 11. et ideo plerasque legiones conscripserat e provincialibus; praetorianas, et quae ad urbis adhibebantur custodiam, ex Italis: Schel. *Not. ad Hygin. de castramet. p.* 13. Idque eo magis invaluit post datam ab Antonino Caracalla orbi Romano civitatem. Ex eo enim tempore, quae antea legiones ex Romanis tantum civibus, vel urbanis, vel Italiam provinciasve habitantibus, constabant, eae ex provincialibus plerumque deligebantur:

---

p) Th. Al. Platzmanni *Juris Romani testimoniis de militum honesta manumissione quae in tabulis aeneis supersunt illustrati specimen.* Lips. 1818. et multis accessionibus locupl. in Vol. II. opusc. Haub. p. 783 — 896. *Mühl.*

quae auxilia vero e sociis olim seu provincialibus arcessebantur, ea e nationibus barbaris, quae vel pretio, vel sponte in eam se militiam dabant, conscribebantur: Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 21. *p.* 349. Imo adeo a veteri instituto desciverant Romani Principes, ut postremis temporibus integras legiones e barbaris conscriberent. Talis est *legio Ziannorum* apud Ammian. Marcell. *XXVI.* 1. *legio Gruthungorum* apud Claudian. *in Eutrop. IV.* 58. Imo talis magna pars exercitus Theodosiani, de cujus conditione et laxa disciplina queritur Zosim. *Hist. IV. c.* 30. 31. Quo magis mirandum, prostituta barbaris militia, libertinae tamen conditionis homines tam severe ab omni, etiam palatina, militia exclusisse Valentinianum *III.* Imp. *L.* 3. *C. Theod. de Libert.*

§. 58.
Jus tributorum q).

Sequitur tertium, quod ad civitatem Romanam pertinuit, jus tributorum et vectigalium. *Tributum* erat pecunia, populo imperata, quae tributim a singulis exigebatur r). Quae vero pecunia alio quocumque nomine pendenda erat, *vectigal* solebat adpellari: Varro *de Lingu. Lat. IV.* 16. *p.* 29. Sam. Petit. *Var. Lect. II.* 1. Tributorum tria genera erant, unum, quod *in capita*, alterum, quod *ex censu* conferebatur, tertium, quod imperatum extra ordinem, adeoque *temerarium* dictum s). Tributum *in capita*, (quod postea etiam *tributum capitis*, *capitulare*, ut et *pecunia pro capitibus*, dici coepit, teste Lindenbrogio *ad Ammian. Marcell. p.* 50.) sub primis Romanorum regibus in usu fuit, adeo ut, quum regi opus esset pecunia, aequo pauperes ac divites onere premerentur: Dionys. Halic. *IV.* 22. Invento autem censu, tributum illud capitis desiit, civesque

---

q) Scriptoribus de re vectigali nunc addendi praecipue Diet. Herm. Hegewisch *Histor. Versuch über die Röm. Finanzen.* Alt. 1804. et Rud. Bosse *Grundzüge des Finanzwesens im Röm. Staate.* T. I. II. Braunschw. u. Leipz. 1804. *Haub.* De Savigny *über die Röm. Steuerverfassung unter den Kaisern*; recit. in scientiarum Acad. Berol. 1823. et emend. in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. VI. num. V. (cf. et Ejusd. *comm. üb. das Jus Italicum, ibid.* T. V. p. 254. sq.), unde multa sunt ex his emendanda, quae passim hac in adpendice de publicorum redituum in orbe Romano ratione traduntur. *Mühl.*

r) Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* Cap. IX. p. 488. sqq. *Mühl.* Tributi ex censu quantitatem eruit Dukerus *ad Liv.* XXXIX. c. 44. §. 3. T. V. p. 395. *Haub.* Cf. C. L. F. Schultz *Grundlegung zu einer geschichtl. Staatswissenschaft der Römer.* Köln. 1833. §. 67. 68. *Mühl.*

s) Huschke *l. l.* p. 490. *Mühl.*

coeperunt tributa conferre pro suo quisque censu: qua de re Livius *I.* 43. ***Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitantur partes, tribus eas adpellavit; ut ego arbitror, a tributo: nam ejus quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.*** Tarquinius Superbus veterem tributa exigendi rationem restituit; auxitque in tantum, ut pro suo quisque capite decem penderet denarios: Dionys. Halic. *IV.* 43. Ejurato regno, Valerius Poplicola Servii institutum revocasse, eumque in finem Quaestores creasse videtur. Imo pauperes aliquamdiu tributorum onere sunt exsoluti, donec decrevit Senatus anno U. C. CCCXLIX. ut plebi, quae eo usque suis sumtibus militaverat, stipendium quotannis ex aerario solveretur. Hoc enim facto coacti sunt omnes tributum ex censu quotannis in stipendium militare conferre: Liv. *IV.* 59. 60. Hinc magna subinde certamina inter patres et plebem de conferendis tributis, quae saepe a Tribunis impedita, saepe a Senatu remissa, nec raro ob necessitatem reipublicae aucta sunt, ut refert Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Roman. I.* 16. *p.* 197. *sq.* Quin indicta saepe tributa temeraria, propter periculi magnitudinem, veluti post urbem a Gallis captam, item bello Punico secundo, Valerio Levino et M. Claudio Marcello Coss. quando ipsae matronae aurum et ornamenta sua conferre non dubitabant: Festus sub voce *tributum p.* 468. Liv. *XXVI.* 36. Postremo annua tributa plane remissa sunt A. U. C. DLXXXVI. postquam L. Paullus e praeda Macedonica incredibilem vim auri intulerat in aerarium: Cic. *de Offic. II.* 22. Plin. *Hist. Nat. XXX.* 3. idque ad Consulatum usque Hirtii et Pansae mansisse, tradit Plutarchus *vit. Paulli c.* 38. Post ea tempora tributi collati frequentissima fit mentio, et sub Imperatoribus eo res rediit, ut multa invenirentur nova tributa locupletando aerario, et non solum provinciis a populo *stipendia;* a Principe *tributa* imponerentur [t]): Theoph. §. 40. *Inst. de Rer. divis.* Cujac. *Obss. VII.* 3. verum etiam durior subinde hac in re fieret conditio civium Romanorum.

§. 59.

Jus vectigalium, qualia erant portoria.

Diversa a tributis erant VECTIGALIA: Cujac. *Obss. VII.* 4. quae

---

t) Gaji *Inst.* II. 21. „Stipendiaria (praedia) sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae proprie populi Romani esse intelliguntur. Tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae proprie Caesaris esse creduntur." — Cf. *Vat. Fragm.* §. 61. L. 27. §. 1. D. *de verb. signif.* De Savigny *Steuerverf. unter den Kaisern, l. l.* p. 353. not. 1. Cf. Schultz *l. l.* §. 70. *Mühl.*

vel *portorii*, vel *decumarum* et *scripturae*, vel *salis*, vel *vicesimae* nomine exigebantur. *Portoria* pecuniae erant, quae portitoribus pendebantur, id est iis, qui mercedes pro mercibus in portum vel per pontem devehendis exigebant: Hirt. *Bell. Alex.* 13. *L.* 60. §. 8. *D. Locat. conduct.* Jul. Caes. *Bell. Gall. III.* 1. Sed illa portoria, lege lata, civibus in urbe ac per Italiam remisit Q. Metellus Nepos: Dio Cass. *XXXVII.* 51. Postea tamen peregrinarum mercium portoria denuo instituit Jul. Caesar, teste Suetonio *Jul. c.* 43. Eaque diutissime exacta sunt sub Imperatoribus sequentibus, quippe quae primum penitus remisisse legimus Helvium Pertinacem: Herodian. *Hist. II.* 4. quamvis illa restituta esse a successoribus, ex *L.* 21. *pr. D. de Don. int. vir. et ux.* intelligamus.

§. 60.

Decumae et scriptura.

Decumae exigebantur a civibus Romanis, vel Latini nominis sociis, qui in Italia, aut extra illam publicos agros arabant. Id enim fiebat ea lege, ut frumenti decimas penderent. Sin vero quis silvis vel pascuis publicis hoc modo frueretur, pecunia, quae inde ad rempublicam redibat, *scriptura* adpellari consuevit. Solebant scilicet Romani agros, hostibus bello ademtos, si culti essent, civibus, sin inculti, Italicis hominibus per Censores locare, ea lege, ut decimam frumenti [u]), quintam reliquarum frugum praestarent; e pascuis vero certum penderent stipendium. Postea quum divites pleraque ad se rapuissent: A. U. C. CCCLXXVII. a C. Licinio Stolone lata est lex, *ne quis plus quam quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris possideret:* Liv. *VI.* 35. *VII.* 16. Aurel. Victor. *de vir. illustr. c.* 20. Sed quam parum ea lex valuerit, vel inde patet, quod non multo post ipse ille Licinius Stolo a M. Popillio Laenate ex sua lege X millibus aeris est damnatus, quod M jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset: Liv. *VII.* 16. Hinc eamdem legem postea A. U. C. DCXX. retulit Tiber. Sempronius Gracchus, Tribunus plebis, cujus tamen sanctionem mox elusit Senatusconsultum, quo agri vendi jussi sunt: unde denuo divitibus cesserunt solis. Quare denique Sp. Thorius, Tribunus plebis, lege lata sanxit, ne agri amplius dividerentur, sed possessores in

---

u) Nomen hinc ortum est decumatibus agris, quos Galli, Marcomannis in Bojohemiam profectis, Rhenum transgressi in illis Sueviae partibus occupaverunt, ubi hodie Virtemberg. Ducatus: Tacitus *de moribus Germaniae c.* 29. *Hein.*

iis relicti vectigalia pro iis penderent, eaque pecunia plebi distribueretur. Cujus legis fragmenta ex antiqua tabula aenea edidit Car. Sigon. *de antiquo jure Ital. II. 2. p.* 638. (ap. Spangenberg. *antiquit. Rom. monum. legal. p.* 10. *sqq.*). Denique alius Tribunus totum illud vectigal nova lege sustulit: Appian. *de bellis civ. I.* 27. Quumque solus superesset ager Campanus: eum quoque divisit Jul. Caesar Consul: Sueton. *Jul. c.* 20. Unde ex eo tempore conquestus est Cicero *Epist. ad Att. II.* 16. *Portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, vectigal nullum superesse domesticum, praeter vicesimam* [x]).

§. 61.

Annonae salariae.

Tertium vectigalis genus ex sale redibat. Instituerant enim Romani post exactos statim reges, ut sal non a privatis venderetur, sed minoris e publico acciperetur: Liv. *II.* 9. Bello autem Punico secundo vectigal novum a Censoribus Claudio Nerone et Livio Salinatore, maxime tamen ab hoc, institutum ex salaria annona [y]), ut testatur Liv. *XXIX.* 37. Sal enim hi Censores sextante Romae; pluris in conciliabulis; et alibi alio pretio praebendum locaverunt, eoque novo vectigali locupletarunt aerarium. Sed et hoc vectigal demum ab usu recessit, ut patet ex verbis Ciceronis paullo ante relatis, quamvis, quo tempore id factum, haud adeo liquidum sit: Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 16. *p.* 207.

§. 62.

Vicesimae.

Diutius Romae in usu fuit quartum genus vectigalis, quod *vicesima* dictum. Ejus origo referenda in annum U. C. CCCXCVIII. quo *Cn. Manlius legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi aerario additum esset, auctores fuerunt.* Liv. *VII.* 16. Quoties ergo servus manumittebatur, vel herus, vel libertus pendebat vicesimam: Arrian. *Diss. Epictet. II.* 1. §. 26. *Ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὑτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησε. τί; ἔστρεψε τὸν αὑτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. Ἄλλο οὐδέν; Ναί. καὶ εἰκοστὴν*

---

x) Cf. Schultz *l. l.* p. 433. *Mühl.*

y) Et inde alteri Censori Salinatoris cognomen haesit. Errat ergo Bulenger. *de vectigal. P. R. c.* 15. qui Salinatorem non introduxisse, sed restituisse hoc vectigal existimat. Vid. V. C. Burmann. *de vectigal. P. R. c.* 6. *p.* 116. *Hein.* Dukerus *ad Liv.* XXIX. c. 37. §. 4. T. IV. p. 391. sq. *Haub.*

αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. *Quando quis servum suum apud Praetorem vertit, num ista vertigine nihil egit? Enimvero egit aliquid. Quid autem? Servum suum vertit apud Praetorem. Numquid praeterea? Imo et vicesima solvenda erit.* Similis est locus apud eumdem Arrianum *Diss. Epictet. IV.* 1. 33. [z]). Tardius tamen ab Augusto id etiam ad servos venales prolatum videtur, pro quibus vicesima quinta [a]) pendenda erat ab emtore, si Tacito *Annal. XIII.* 31. fidem habemus. Aurum vicesimarium in sanctiore aerario [b]) ad ultimos reipublicae casus servari consuevit: Liv. *XXVII.* 10.

§. 63.

Nova vectigalia ab Imperatoribus inventa.

Oppressa per Principes republica, multa nova inventa sunt vectigalia, quibus locupletaretur aerarium. Unde de Augusto Sueton. *c.* 49. *Aerarium militare cum vectigalibus novis instituit.* Talis erat centesima rerum venalium, quam A. U. C. DCCLIX. instituerat Augustus, teste Dione Cass. *LV.* 39. Quamvis enim ibi tantum quinquagesimae mancipiorum venalium meminerit Dio: fieri tamen potuit, ut reliquarum rerum venalium centesimam instituerit. Ejus enim mentionem facit Tacitus, additque, hanc centesimam Tiberium primum firmasse: Tacit. *Ann. I.* 78. postea, ut populo aliquid daret, ducentesimam induxisse: Id. *Annal. II.* 42. denique quum iterum in usum revocasset centesimam, eamdem Italis remisisse Cajum Caligulam: Dio Cass. *LIX.* 9. Ex quo loco patet, in Suetonii *Calig. c.* 16. auctore Casaubono, rescribendum esse: *centesimam auctionum Italiae remisit,* quum vulgo ibi legatur *ducentesimam* [c]). Ceterum non aliud hoc erat vectigal, quam centesimus rerum in auctione venalium numus, qui inferebatur aerario militari, ut recte docet Lips.

---

z) De vicesima manumissionum: Dukerus *ad Liv.* VII. c. 16. §. 7. T. II. p. 532. *Haub.*

a) Tacit. *Ann. XIII.* 31. hujus vicesimae quintae meminit: sed ex Dionis *Hist. LV.* 39. constat, Augustum, auctorem hujus vectigalis, non quintam et vicesimam, sed quinquagesimam, τὸ τέλος τῆς πεντηκοστῆς, a servis venalibus exegisse. Alterutrum ergo errasse dixeris, nisi forte aliquis ex Augusti successoribus hoc vectigal auxerit. *Hein.*

b) Huic vectigali colligendo praefectus aliquis fuit, qui adpellabatur *Vicesimarius* vel εἰκοστώνης: si sequamur emendationem in verbis fragmenti Traguriani Petronii, quam repraesentat V. C. Burmann. *de vectig. P. R. c.* 10. *p.* 192. *Hein.*

c) Casaubono adcedit Petr. Burmannus *de Vectigal. c.* 5. *p.* 70. *Cann.* At prorsus nova ratione hanc rem explicare instituit Schultz *Staatsw.* p. 535 — 540. *Mühl.*

ad *Tacit. Annal. II. p.* **104.** *sq.* Saepissime tamen illius vectigalis quantitas videtur vel aucta, vel imminuta. Nam et quinquagesimae fit mentio. Imo Theodosius et Valentinus Augusti constituerunt, ut nundinis quibusque ex qualibet negotiatione mercium fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, et similiter emtor dimidiam inferret. Idque est vectigal SILIQUATICUM, de quo Cassiod. *Var. IV.* 19. *id rebus omnibus nundinandis providam definivisse antiquitatem,* ait. Ipsam constitutionem Theodosianam quum jam pridem in lucem protraxerit Cujacius *Obs. XVI.* 22. mirandum sane est, virum doctissimum, Guid. Pancirolum *Thesaur. Var. Lect. III.* 31. *p.* 494. existimare, siliquaticum in fructibus constitisse, e. g. siliquis, similibusque, eosque fructus loco numorum fuisse praestandos. Siliqua hic est vicesima quarta pars solidi aurei, seu ejusdem semiuncia: Gronov. *de pec. vet. L. IV. c.* 18. adeoque satis grande hoc vectigal fuisse animadvertimus. Est et vectigal QUADRAGESIMAE, sive litium, sive portorii loco solvendum, cujus meminere Quinctilianus *Declam.* 35. Symmach. *Epist. V.* 62. 65. imo et Sueton. *Vespas. c.* 1. Ei praefectum legimus QUINCTIONEM, AUG. LIB. TABULARIUM XL. GALLIAR. apud Reines. *Inscr. Class. IX. p.* 563. *n. XXXVI.* Paullo obscurius est vectigal *ansariae,* ut in *L.* 1. *C. Hermog. de Jure fisci* vocatur, vel *ansarii* et *fovencularii,* vel *foriculiarii,* quorum meminit elegans marmor Romanum apud Jan. Gruterum *Inscriptt. T. I. p. CXCIX. n.* 6. [*et commentario illustratum a Cajetano Marinio *Iscrizioni antiche delle ville e de' palazzi Albani num.* 26. *p.* 28—31.]

IMP CAESAR M AURELIUS
ANTONINUS AUG
GERMANICUS SARMAT ET
IMP CAESAR L AURELIUS
COMMODUS AUG
GERMANICUS SARMATIC
HOS LIMIDES (sic) CONSTITUI JUSSERUNT
PROPTER CONTROVERSIAS QUAE
INTER MERCATORES ET MANCIPES
ORTAE ERANT UTI FINEM
DEMONSTRARENT VECTIGALI
FORICULIARI TE ANSARII (sic)
PROMERCALIUM SECUNDUM
VETEREM LEGEM SEMEL DUM
TAXAT EXIGUNT . . . .

Disserit de his vectigalibus Jac. Cujac. *Obs. XIV.* 3. sed ita, ut lectores non multo reddat certiores, itemque V. C. Petrus Burmannus *de vectig. pop. Rom. c.* 5. *p.* 73. *sq. edit. nov.* Mirum est vectigal pro *umbra platani* exactum, de quo Plin. *Hist. Nat. XII.* 1. multoque mirabilius τὸ ἀερικὸν, quod pro caeli aërisque usu pendebatur, de quo quaedam haud protrita habet idem laudatus Cujac. *Obs. X.* 7. Buleng. *de vectigal. pop. Rom. c.* 17. et Burmann. *c.* 12. *p.* 209. *ed. nov.* Denique etiam novis illis vectigalibus vel maxime adcensenda vicesima hereditatum, de qua jam ante §. 19. aliquid notavimus.

§. 64.

Jus suffragiorum d).

Pergimus ad jus SUFFRAGIORUM, quod et ipsum ad jura civium Romanorum pertinuit. Comitia Romulus instituerat, civibusque libera permiserat suffragia, quoties vel lex ferenda, vel creandus magistratus, vel bellum denique decernendum videretur: Dionys. Halic. *II.* 14. Quum vero initio curiatim suffragia ferrentur in comitiis curiatis: postea centuriata comitia invenit Servius Tullius, quibus id consequutus est, ut ditiorum praevalerent suffragia, quum in comitiis curiatis turba egenorum civium optimates et ditiores facile numero suffragiorum obrueret: Dionys. Hal. *IV.* 20. *sq.* Et ex eo tempore fere dicis tantum et auspiciorum caussa rogationes curiatim perlatae, et denique ipsa illa comitia adumbrata sunt per XXX lictores: Cic. *de leg. agrar. II.* 12. Qua de re tamen haud levis fuit virorum doctissimorum altercatio, Nicolai scilicet Grucchii et C. Sigonii, quorum scripta eristica repetita editione vulgavit vir de his litteris immortaliter meritus, Jo. Georg. Graevius *Tomo I. Thes. Ant. Rom.* e). Denique etiam tributa inventa sunt comitia, quibus

d) De huj. §.phi argumento jam satis multa ad Tit. II. huj. lib. atque ibi vel maxime ad §. 6. sqq. observata sunt. *Mühl.*

e) Quaestio inter hos viros doctissimos fuit de lege curiata. Nic. Grucchius existimat, patricios magistratus olim binis comitiis esse creatos, centuriatis et curiatis: plebejos itidem binis, tributis et curiatis: denique, quum obsolevissent curiata comitia, magistratus omnes binis comitiis creatos, centuriatis et tributis. Negat id Car. Sigonius, magistratus tantum unius generis comitiis creatos existimans, Consules nimirum centuriatis, alios magistratus patricios curiatis, ita tamen, ut deinde iterum de iisdem magistratibus judicatum sit, populusque priora comitia reprehendere potuerit. Ergo de Consulibus bis putat comitis, sed non aliis quam centuriatis, judicatum, de aliis quoque bis, sed nonnisi curiatis. Ab eruditorum vero senatu jam pridem secundum Grucchium fuit judicatum, uti

populus per tribus, quarum demum XXXV erant, ferebat suffragia, eaque coeperunt A. U. C. CCLXIII. A. Sempronio, M. Minucio Coss. Quemadmodum vero centuriata comitia nonnisi a majoribus; ita tributa a minoribus aeque ac majoribus magistratibus haberi poterant. In his suffragium ferebant omnes, qui erant tribubus adscripti, praeter impuberes, aerarios, et sexagenarios, quos depontanos ideo dictos, alibi observavimus. Aliquando unus idemque civis in duplici tribu ferebat suffragia, si se dedisset alteri in adoptionem. Tunc enim et patris naturalis tribum retinebat, et tribui patris adoptivi adscribebatur. Hinc Augustus in lapide Brixiensi apud Gruterum *p. CCXXVI. n.* 3. vocatur C. JULIUS, C. F. FAB. SCAPT. CAESAR. AUGUSTUS, quia tribui Fabiae et Scaptiae erat adscriptus: Suet. *Aug. c.* 40. et ibi Torrent. De his comitiis plura Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I.* 17. *p.* 212.

§. 65.

Illud sub Imperatoribus mutatum.

Sed illud suffragiorum jus primus imminuit Jul. Caesar, Dictator perpetuus, comitia cum populo ita partitus, ut, exceptis Consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciaretur, pro altera parte, quos ipse dedisset: Sueton. *Jul. c.* 41. Augustus quidem populo restituit suffragia, reducto pristino comitiorum jure, et multiplici poena coercito ambitu: Sueton. *Aug. c.* 40. at sub Tiberio denuo ademtum fuit populo jus suffragiorum, et ad solum Principem ac Senatum traductum, seu, ut ea de re Tacitus *Ann. I.* 15. *tum primum e campo comitia ad patres translata:* Dio Cass. *Hist. LVIII.* 20. Reddita quidem esse populo a Cajo illa suffragiorum jura, tradit idem Dio *Hist. LIX.* 9. sed Suetonius *Calig. c.* 16. tantum *tentasse eum*, ait, *comitiorum more revocato, suffragia populo reddere.* Certe nec sub ejus successoribus in ferendis legibus aliisque rebus majoribus populi suffragia valuisse, jamdudum observarunt viri docti [f]): Justus Lips.

---

observat V. C. Jo. Graevius *praefat. T. I. Antiq. Rom.* [In hunc locum consuli meretur docti cujusdam Jurisconsulti Neapolitani Adnotatio, quae exstat in ultima *Ciceronis Editione Genevensi Tom. VI.* qui prodiit 1745.] *Hein.* Quaestio universa pendet ex interpretatione loci difficillimi apud Cicer. *Or. II. de lege agraria* cap. 10. sq. de qua nunc vid. Schulze *von den Volksversammlungen der Römer* (Gotha 1815.) p. 288 — 293. junct. *Einleitung* p. 4. ubi Grucchii partibus accedit. *Haub.* Vid. et Huschke *Verfassung des Serv. Tull. p.* 407 — 412. *Mühl.*

f) Retenta quidem aliquamdiu sunt comitia; sed dicis causa, et tamquam

Excurs. ad Tacit. Annal. I. 15. Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 336. Unde et leges illas de ambitu suo aevo obsolevisse fatetur Modestinus *L.* 1. *D. ad Leg. Jul. de ambitu: quia ad curam Principis magistratuum creatio pertineat, non ad populi favorem.*

§. 66.

Jus honorum et quidem sacerdotiorum.

Quintum jus civium Romanorum fuit jus HONORUM, sive magistratuum, sive sacerdotiorum, quippe quos nemo nisi civis Romanus gerere poterat. Si quis enim, civitatis expers, honores ad se rapuisset: re comperta, honorum gradum cum toto civitatis jure amittebat, ut docet exemplum M. Perpennae apud Valer. Max. *III.* 4. 5. g). Honores partim in sacerdotiis, partim in magistratibus, erant positi. Utrique ex instituto Romuli proprii erant patriciorum, quia voluerat Romulus *ἱερᾶσθαι τοὺς εὐπατρίδας καὶ ἄρχειν, ut et sacra*

---

priscae libertatis simulacra. Solebant enim magistratus, a Principe vel Senatu designati, in campum Martium prodire cum necessariis, ibique coram populo, more veteri congregato, a praecone pronunciari. Qua de re Dio Cass. *LVIII.* 20. qui, ubi de perpetuo Tiberii in creandis Consulibus modo egisset, statim addit: *καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸν δῆμον καὶ ἐς τὸ πλῆθος, οἱ προσήκοντες ἑκατέρῳ, τῆς ἀρχαίας ὁσίας ἕνεκα, καθάπερ καὶ νῦν, ὥστε ἐν εἰκόνι δοκεῖν γίγνεσθαι, ἐσιόντες ἀπεδείκνυντο. Deinde ad populum et plebem hi suis quique cum necessariis dicis causa, sicuti nunc etiam, ut imago quaedam prisci ritus exhiberi videretur, prodeuntes renunciabantur.* Et hinc intelligitur, quaenam sint illa *comitia consularia*, quorum sub Imperatoribus etiam fit mentio apud Sueton. *Vitell. c.* 11. *Vespas. c.* 5. *Domitian. c.* 10. Add. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 338. *Hein.* Retenta certe sunt comitia post tempora Tiberii: probant illud verba Plinii in *Panegyric. c.* 63. 64. et 77. Vellem itaque exposuisset Heineccius, exposuissent alii, quid haec Taciti verba designent *comitia e campo ad patres translata:* dicas enim, illud his tradi, exstincta plane fuisse populi comitia tempore Tiberii. Puto, *comitia* apud Tacitum notare non exteriorem comitiorum speciem, sed ipsam vim, dum a patribus designabantur, qui in comitiis seu campo civium suffragiis crearentur sine repulsa aut ambitu. Eo sensu et expono Suetonium in *Caes. c.* 41.: *comitia cum populo partitus est. Cann.* Jam vero omnium consensu eruditorum id esse probatum videtur, comitia, de quibus loquitur Tacitus, non esse intelligenda de legum ferendarum potestate, sed de magistratuum creandorum jure. Vid. Hugo *R. G.* XI. p. 326. lin. 26. sqq. p. 412. lin. 28. sqq. p. 730. not. 1. Schulze *Volksversamml. d. Römer* p. 172. sqq. Dirksen *civ. Abh.* I. p. 172. et *Versuche* p. 213. Walter *Röm. R. G.* p. 281. sq. *Mühl.*

g) Non tamen acta ejusmodi magistratus, jure haud facti, rescindebantur, ut patet exemplo Barbarii Philippi Praetoris: *L.* 3. *D. de Offic. Praetor.* De quo memorabili exemplo exstat singularis viri eximii, Jac. Gothofredi, Dissertatio, quam *de electione magistratus inhabilis* inscripsit. *Hein.*

curarent, et magistratus gererent patricii: Dionys. Hal. *II.* 9. Ejectis regibus, post multas lites, quum sacerdotia, tum magistratus, sensim coeperunt cum plebe communicari. Et sacerdotia quidem patriciis eripuit Lex Ogulnia, de qua fusius Liv. *X.* 6. Manserunt tamen patricii in possessione aliquot sacerdotiorum, quae numquam a plebejis sunt gesta, veluti Regis sacrorum, Flaminum majorum, Saliorum Palatinorum, Potitorum, Pinariorum, Lupercorum, Curionum, non autem Virginum Vestalium, ut sibi persuasit Paull. Merula *de Leg. Rom. II.* 11. Virgines enim Vestae etiam ex gentibus Manilia, Terentia, Coelia, plebejis captas esse, ex marmoribus apud Gruterum *Inscript. p. CCCX. n.* 1. 2. 5. *CCCXII. n.* 3. patet. Quin Dio Cass. *Lib. LV.* 22. refert, demum in Vestae atrium admissas *καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγενημένας, ex libertinis parentibus natas.* Id quod lege quadam Papia invectum esse, ex Gellii *Noctt. Att. I.* 12. docuimus in *Comment. ad Leg. Jul. et Pap. Popp. Lib. I. c.* 1. *p.* 2. *sq.* Reliqui etiam sacerdotes partim e patriciis, partim e plebejis creati sunt: Cic. *pro domo c.* 14. Et primis quidem temporibus Rex sacrificulus centuriatis, Flamines curiatis creati; reliqui sacerdotes a collegis cooptati: Liv. *XL.* 42. Postea C. Licinius Crassus Tribunus plebis legem tulit, qua cooptatio collegiorum ad populi beneficium translatum, quam tamen dissuasit Laelius: Cic. *Lael. c.* 25. Post hunc etiam Cn. Domitius Ahenobarbus Tribunus plebis A. U. C. DCL. jus subrogandorum sacerdotum a collegiis ad populum transtulit, ita quidem, ut qui a tribubus esset electus, is a collegio cooptaretur, uti docent Sueton. *Neron. c.* 2. Cicero *Agrar. II.* 7. Collegiis arbitrium cooptandi denuo restituit L. Sulla: Ascon. Pedian. *in Cic. Divin. p.* 19. *et p.* 209. at A. U. C. DCLXXXIX. legem Domitiam reduxit T. Atius Labienus: Dio *XXXVII.* 37. eamdem abrogavit M. Antonius teste Dione Cassio *XLIV.* 53. ac tertia vice restituit Pansa, ut patet ex Cic. *Epist. ad Brut.* 5. Adde Manut. *de Legibus* 2. [h]).

§. 67.

Et magistratuum.

Idem paene de magistratibus observandum. Omnes initio penes patricios erant ex instituto Romuli: Dionys. Hal. *II.* 8. Ejectis regibus, idem aliquamdiu placuit. At paullo post Tribunos ac Aediles

h) De cooptatione sacerdotum: Dukerus *ad Liv.* XXXIX. c. 45. §. 8. T. V. p. 401. *Hdub.*

plebis plebs extorsit, qui non poterant per legem sacratam, nisi e plebe, creari: Liv. *IV.* 25. Deinde et Consulum alter plebejus creari coepit, primusque e plebe Consul factus est L. Sextius A. U. C. CCCLXXXIX: Liv. *VI.* 42. Imo aliquando uterque Consulum plebejus fuit, quod quando primum contigerit, patet ex Liv. *XXIII.* 31. Quumque in redhostimentum communicati secum Consulatus plebs novos magistratus patricios, puta Praeturam et Aedilitatem curulem, concederet patribus: paullo post hi quoque communes patriciis et plebejis esse coeperunt, primusque e plebe Praetor creatus est P. Publilius Philo: Liv. *VIII.* 15. Aediles autem, verecundia imposita Senatui, statim sequente anno, alternis vicibus ex plebe creari, et postea id promiscuum esse coepit: Liv. *VII.* 1. (Cf. supra Tit. II. §. 25.). Postremo omnes omnino magistratus cum plebejis sunt communicati, veluti Dictatura: Liv. *VII.* 17. Censura: Liv. *VII.* 22. Quaestura: Liv. *IV.* 43. et 54. adeoque omnes honores patuere plebejis, praeterquam dignitas Interregis, quam tamquam propriam possessionem semper retinuerunt patricii: Cicero *pro domo c.* 14.

§. 68.

Quomodo sacerdotes adlecti sub Imperatoribus?

Sub Imperatoribus alia plane coepit esse rerum facies. Nam quod ad sacerdotia attinet, jus ea conferendi ad se rapiebant Principes, siquidem Senatus, teste Dione Cassio *Hist. LI.* 20. inter alia Augusto id quoque concesserat, ut sacerdotes, quotcumque vellet, neglecto etiam numero antiquitus recepto, constitueret. Videtur tamen Augustus, uti erat civilissimus, aliquando rem ad Senatum retulisse. Unde Drusus Germanicus [i]) in vetere numo dicitur SACERD. COOPT. IN OMNI COL. SUPRA NUMER. S. C. Eodem modo et aliae dignitates saepe vel ex SCto, vel solis Principum codicillis datae sunt. Testis est vetus Inscriptio apud Gruterum *Inscription. p. CCC.*

LATERANO ET RUFINO COS
SUPER. NUMERUM
COOPTATUS EX. S. C
M. AURELIUS. ANTONINUS
CAES. DESTINATUS
P. R. C. A. DCCCCXLVII.

---

i) Numus SACERD. COOPT. etc. ad Neronem Claudium pertinet, non ad Drusum Germanicum, qui Tiberii frater fuit. Vide Mediobarbum *p.* 88. *Hein.*

Uti ergo hic Consul SCto; sic et sacerdotes facti sunt codicillis, unde et codicillares dicti, de quibus Ael. Lamprid. *Alex. Sev. c.* 49. Add. *L.* 43. *C. Theod. de Decurion. L.* 12. *C. de Dignit.*

§. 69.

Quomodo creati magistratus?

Ad magistratus denique quod attinet, eos quoque suo arbitrio creabant Principes, eaque dignitate non solum Romanos, sed et exteros ornabant; qualis procul dubio fuit ille Herodes, Atticus, bis Consul, de quo copiosius agit Ez. Spanh. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 341. Talis etiam Soaemus, Rex Armeniae, qui a Vologaeso pulsus Romam confugerat, mutatoque nomine dictus M. Aurelius Soaemus, Consulque ordinarius fuit A. U. C. DCCCCXV. cum L. Papirio Aeliano: Phot. *Biblioth. Cod. XCIV.* Reines. *Comm. ad Inscr. p.* 219. Mitto Dionem Cassium, Polemonem, aliosque Consules peregrinos. In primis vero post constitutionem illam Antonini Caracallae adeo promiscue ad summos honores evecti sunt Romani, Itali, et exteri, ut ne barbaris quidem ac peregrinis, qui orbem Romanum jam ab aliquo tempore compleverant, via ad honores interclusa videretur. Unde uti Roma *βαρβάρων οἰκητήριον, barbarorum domicilium* dicitur Zosimo *IV.* 59.: ita non mirum est, ibi consulares fasces aliasque dignitates demum et cum barbaris et peregrinis esse communicatas. Nazar. in *Panegyr. Constant. Aug.* dicto: *Sensisti Roma tandem, te arcem omnium gentium et terrarum esse reginam, quum ex omnibus provinciis optimates viros curiae tuae pignoraveris, ut Senatus dignitas non nomine, quam re, esset illustrior, quum ex totius orbis flore constaret.* Aristides *de Roma p.* 372. Ξένος δ' οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς ἢ πίστεως ἄξιος ἀνήρ. *Peregrinus habetur nemo, qui vir sit dignus magistratu aut fide.* Denique Claud. Rutilius Numatian. *Itinerar. Lib. I. v.* 13. *sqq.*

Relligiosa patet peregrinae curia laudi;
Nec putat externos, quos decet esse suos.
Ordinis imperio collegarumque fruuntur;
Et partem genii, quem venerantur, habent.

Vid. Spanhem. *Orb. Rom. II.* 20. *p.* 344. *sq.*

§. 70.

Jus sacrorum, tum publicorum.

Ultimum esto JUS SACRORUM, quod et ipsum juribus civitatis

Romanae adnumerandum est. Sacra Romanorum omnia aut *publica* erant, aut *privata.* Publica, censente Festo sub voce *publica p.* 385. erant ea, *quae publico sumtu pro populo fiebant:* privata, *quae pro singulis hominibus et familiis.* Tam necessarium enim videbatur, sacra publica sumtibus publicis peragi, ut, Theodosio M. negante, se impensas in sacrificia Romanorum superstitiosissima facturum, responderet Senatus, *μὴ κατὰ θεσμὸν πράττεσθαι τὰ τελούμενα, μὴ δημοσίου τοῦ δαπανήματος ὄντος, non rite fieri sacrificia, nisi publico fierent sumtu:* Zosim. *Hist. IV.* 59. Publicum totius urbis focum Vestales sanctissime observabant: publicos curiarum focos triginta cum suis curialibus Curiones, pagorum ipsi singulorum pagorum sacerdotes. Privatim suos quisque lares familiares domi colebat. Quin et sacerdotes familias aluisse, qui sacris istis privatis praeessent, satis adparet ex marmore apud Reinesium *Inscription. Class. V. p.* 388. *n. LIII.* in quo memoratur L. POLITICIENUS. L. F. PHILIPPICUS. SACERDOS. SERG. FAM. Dii neque novi neque exteri adscisci poterant a Romanis, nisi publica auctoritate [k]), quemadmodum Aesculapium ex Epidauro, Cybelen e Phrygia publico decreto adcitos, et quasi civitate donatos esse constat: Petr. Faber *Semestr. III.* 1. Ampl. Bynkersh. *de Relig. peregr. Diss. II. p.* 246. *sq.* Hinc si quis privato arbitrio peregrina sacra induxerat: Senatus ea publica auctoritate damnabat. Quale quid refert Liv. *IV.* 30. *XXV.* 1. *XXXIX.* 16. Valer. Max. *I.* 3. Integrum SCtum Marcianum, Bacchanalibus oppositum, edidit Raph. Fabrettus *Inscript. c. VI. p.* 427. et luculento commentario illustravit laudatus Bynkersh. *ibid.* At sub Imperatoribus omnis exterarum gentium superstitio Romam confluxit, veluti sacra Isidis, Anubidis [l]), Mithrae, dei Elagabali, taurobolia, criobolia, aegobolia, et innumera alia, de quibus jam ab aliis actum. Ab his omnibus abhorruerant Romani tempore liberae reipublicae et sacra patria adeo sibi propria servaverant, ut vel ideo municipes non viderentur optimo jure cives esse, quia non iisdem ac ii, qui

k) Vid. F. C. Conradi Diss. *de diis heredib. instit.* (Lips. 1725. et in script. minor. edit. ab Pernice Vol. I. num. II.) §. 4. Dirksen *über den Zustand der jurist. Personen nach Röm. R.* in Ej. *jurist. Abh.* T. II. p. 24. sqq. *Mühl.*

l) Serapis, quem ante alios deos coluit Aegyptus, uti Tacitus ait *Hist. IV.* 82. Romae quoque in circo Flaminio, nona urbis regione, templum accepit, teste P. Victore. *Hein.*

Romam incolebant, diis sacrisque uterentur [m]): Sigon. *de ant. jure civ. Rom. I.* 8. *p.* 116.

§. 71.

Tum privatorum.

Sed erant praeter haec sacra publica quaedam gentium propria, vel, ut Livio *V.* 52. vocantur, *gentilitia*, a quibuslibet familiis *ex usu domesticae celebritatis observanda*, ut ait Macrobius *Saturn. I.* 16. [n]). Ea adeo unius gentis erant, ut nemo illorum esset particeps, nisi qui vel natura, vel Pontificum auctoritate, in patrisfamilias manu ac potestate esset, quales erant uxores, quae in manum convenerant, liberique, tum naturales, tum adoptivi. Colebantur vero domi pena-

m) Ea tamen sacra municipalia ne tunc quidem deserebant municipes, quando Romam commigraverant. Festus sub voce *municipalia p.* 324. *Municipalia sacra dicta sunt ea, quae initio habebant ante civitatem Romanam acceptam, quae observare eos voluerunt Pontifices, et eo more facere, quo adsuevissent antiquitus.* Unde de se et Arpino municipio suo loquens Cicero *de Legg. II.* 2. *Hic gens, hic sacra, hic majorum multa vestigia.* [* Cicero *de fin. bonor. et malor. V.* 1.] Quemadmodum ergo municipes Romam commigrantes servabant sacra municipalia: ita et coloniae retinebant sacra populi Romani, ut erudite probat Henr. Norisius *Cenotaph. Pisan. Diss. I. c.* 5. *p.* 72. *Hein.*

n) Tria distinguit Festus (*l. l.*) sacrorum privatorum genera: quae pro *singulis hominibus, familiis, gentibus* fiunt. Jam si primis urbis Romae incunabulis gentes nihil fuerunt, nisi curiarum partes (ut quidem probabiliter dici potest), sacra quoque gentilitia *publica* antiquitus fuisse existimandum est. At subinde, ut videtur, pleraque facta sunt *privata*, i. e. familiarum, alia exstincta, alia ad publicorum sacrorum antistites relata, nonnullis tamen in gentibus usu retentum, ut a proceribus pro sacellis s. publico sumtu sacra instituerentur. (Vid. locc. ab Auctore h. in §. allegg. quib. add. Cic. *Or. pro domo* c. 13. Liv. VI. 41. in med. IX. 29. verb. *Eodem Appio.* Festus v. *Aureliam familiam* et v. *Potitium*). Caeterum varie his de rebus sentiunt interpretes. Vid. enim (ut alios taceam) de Savigny *über die juristische Behandlung der sacra privata bei den Römern*, in *d. Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. II. num. XV. et ibi II. p. 380 — 386. (qui quidem erroris arguit Festum, quod familiae sacra, tamquam diversa, contra ponat gentilitiis). Dirksen *über den Zustand der jur. Personen* in Ej. *civ. Abh.* II. p. 9 — 13. Walter *Rechtsgesch.* p. 18. not. 37. Huschke *Studien d. R. R.* p. 147. ibiq. not. 18. — *Singulorum sacra* cum pecunia i. e. hereditate conjuncta fuere; at pontificii juris ratione, quae conservari sacra in perpetuum, quantum id fieri posset, voluit, effectum est, ut alii quoque, praeter heredes, sacris adstringerentur, velut legatarii, qui tantumdem caperent, quantum omnes heredes, hi, qui de bonis defuncti plurimum possidendo usu cepissent, alii. Variae tamen artes ad eludendum jus illud pontificiale adhibitae sunt, nimirum ut a sacrorum molestia liberaretur pecunia. Vid. Cicero *de legib.* II. c. 19 — 21. de Savigny *comment. laud.* I. p. 363 — 380. III. p. 387. sqq. ibiq. inprimis p. 396. sqq. Vid. et supra Tit. XI. §. 1. not. b. *Mühl.*

tes, iisque etiam anniversaria sacra ab universa gente fiebant, ne fervente quidem bello intermittenda, ut patet ex Liv. *V.* 53. Quale in gente Fabia erat sacrificium statum, in monte Quirinali quotannis peragendum, de quo Liv. *V.* 46. Dionys. Halic. *Ant. Rom. IX.* 19. Simile gentis Claudiae sollemne memorat Dionys. Halic. *XI.* 14. gentium Aemiliae, Juliae, Corneliae, Macrobius *Saturn. I.* 16. gentis Serviliae Plinius *Hist. Nat. XXXIV.* 38. Atque inde intelligitur, quid sibi velit Cicero *de harusp. resp.* 27. quando in posteros transferri ait *parentum nomen, sacra, memoriam, gentem.*

§. 72.

Civitatum duarum vel plurium civis nemo esse poterat.

Haec sunt illa jura Quiritium civiumque Romanorum, quae omnes, qui optimo jure cives erant, consequebantur. Illud unum addendum videtur, fuisse quaedam jurisprudentiae Romanorum publicae principia, aliis civitatibus incognita. Tale erat illud, I. quod vetere jure [o]) nemo posset simul Romae, alteriusque civitatis civis esse. Cicero *pro Corn. Balbo c.* 11. *Duarum civitatum civis esse nostro jure civili nemo potest: non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicarit, potest.* Et in oratione *pro A. Caecina c.* 34. *Nam, quum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique, quum is, qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est, in aliam civitatem.* Hoc secus fuisse in Graecia, ubi multarum iidem homines civitatum esse potuerint, idem observavit Cicero *pro Archia c.* 5. Idque quum ex aliis exemplis patet, quae colligit Ez. Spanhem. *Orb. Rom. I.* 5. *p.* 25. tum maxime ex marmore illo in Reinesii *Inscriptt. antiquar. Class. XI. p.* 608. *num. IV.*

C. CALPURNIUS. ASCLEPIADES
PRUSA AD OLYMPUM MEDICUS
PARENTIBUS ET SIBI ET FRATRIB.
CIVITATES VII. A DIVO TRAJANO
IMPETRAVIT etc.

At Romae hoc, ut dixi, nemini licebat, siquidem civitatem is

o) Aliud jure novo. Nam saepe quibusdam civibus Romanis concedebant Imperatores, ut alterius quoque civitatis jus haberent. Sic Dionis Chrysostomi avus ab Imperatore *ἅμα τῆς Ῥωμαίων πολιτείας καὶ τῆς Ἀπαμείων ἔτυχεν, simul Romanam et Apamensem civitatem obtinuerat:* Dio Chrysost. *Orat. XLI. p.* 500. *Hein.*

amittebat statim, qui alteri se civitati adscribi passus erat. Hinc de T. Pomponio Attico Cornel. Nepos in *vita ejus c.* 3. *Hic* (Athenis) *autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent. Quo beneficio uti ille noluit* p): *quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita.* Atque hinc intelligitur, qui factum sit, ut ii, quibus aqua et igni fuerat interdictum, tum demum civitatem Romanam amitterent, quum in eam civitatem essent recepti, quo vertendi, id est, mutandi soli caussa venissent: Cic. *pro domo c.* 31. Qua de re diximus supra *Lib. I. Tit. XVI.* §. 10.

§. 73.

Civitatem invitus nemo amittebat.

Adcedit et alterum juris publici principium, II. quod civitatem nemo amittere posset, nisi ipse esset auctor factus: Cic. *pro domo c.* 31. de quo jure eodem loco diximus, et ex Ger. Noodt addidimus, fictionem semper intercessisse, si quando vel poenae loco, vel ob aliam caussam q) quibusdam jus civitatis adimeretur. Hinc ad artes Sullae tyrannicas pertinet, quod municipiis quibusdam civitatem, lege centuriatis comitiis lata, eripuit: Cic. *pro domo c.* 30. Sallust. *Fragm. Hist.* 1. Sed quod semel tentaverat Sulla, saepius deinde faciebant Imperatores et quotcumque principatum Romae adfectabant. Sic Antonium agros, civitatem, immunitates, aliosque id genus honores privatis et regibus ademisse, tradit Dio Cass. *Hist. XLV.* 23. Augustus quoque, confectis bellis, libertatem ac jus civitatis aliis dedit, aliis ademit, teste eodem Dione *Hist. LIV.* 25. Et Claudius civitatis jure privavit Legatum, Lycium origine, quia Latine interrogatus, quod quaesitum esset, haud intellexerat: Dio Cass. *Hist. LX.* 17.

---

p) Hinc de solo domicilio Athenis constituto intelligendus est Cicero, quoties hunc T. Pomponinm *civem Atticum* adpellat, quod facit *Epist. ad Attic. I.* 16. *II.* 1. ubi Demosthenem *Attici civem* vocat. *Hein.*

q) Tribus ex caussis amitti videbatur civitas, *exsilio*, illo scilicet, quo bona venibant et aqua et igni interdicebatur, *postliminio*, et *rejectione civitatis:* Cic. *pro Balbo c.* 11. 12. Pompon. *L.* 3. §. 3. *D. de Capt. et postlim. Hein.*

CAP. II.

DE JURE LATII [r]).

§. 74.

Varia Latinorum nomina.

Sufficere haec dicta arbitramur de juribus civium Romanorum. Proximum est, ut de JURE LATII disseramus, quod proxime adcessisse ad civitatis Romanae praerogativam, jam supra diximus. Idque vel inde patet, quod Dionys. Halic. *VIII. 77.* eos μετέχοντας τῆς ἰσοπολιτείας [s]), *participes juris, quod civitatem quasi aequat,* eleganter adpellat. Multa vero Latinorum fuere nomina. Dicti enim sunt *socii* [t]), *socii Latini, socii nominis Latini, socii nomenque Latinum, socii*

---

r) Quae Auctor §. 74 — 82. et in sqq. §§. passim de Latinis scripsit, spectant plerumque ad *Latinos veteres,* quos *Gajus I.* §. 79. expressis verbis inter *peregrinos* retulit. Longe alia fuit conditio Latinorum *coloniariorum* (§. 126. et 128.) et *Junianorum* (§. 83.), tamquam intermedii inter cives et peregrinos generis, quod classica nunc disputatione illustravit Savignius: *Ueber die Entstehung und Fortbildung der Latinität als eines eigenen Standes im Röm. Staate* (Berl. 1816. 4.) *p.* 3 — 8. (et *in d. Zeitschr. für gesch. R. W.* T. V. num. V.). Gaudebant hi Latini (coloniarii et Juniani), exemplo civium, jure commercii; carebant, ut peregrini, connubio, multoque magis iis praerogativis, quae juris publici erant. Hinc factum est, ut Latinis, nec non cum Latinis etiam testamenti factio esset, quamquam in Junianis pleraque commoda testamenti factionis, lege sic jubente, cessaverunt. Origo latinitatis sc. coloniariae, quam deinde imitata est lex Junia Norbana, a Savignio, hanc in rem testimoniis Ciceronis *pro Caecina c.* 35. et Livii *XXVII. c.* 9. 10. uso, refertur ad A. U. 545. Ab utraque latinitate differt *jus Latii,* interdum provinciis quibusdam, velut Hispaniae (Plin. *H. N. III.* 4.) concessum, quippe quo integrae provinciae videntur exaequatae civitatibus Latinorum veterum, quarum sub ejusdem capitis initium Plinius disertis verbis meminerat, et quales in ipsa Italia, ex quo haec finito bello sociali ad civitatem pedetentim pervenerat, non amplius supererant. (Pro conditione tamen Latinarum coloniarum jus Latii accipit Asconius Pedianus *in Pison. c.* 1. *p.* 156. *ed. L. B.*) *Haub.* — Cf. supra Tit. IV. V. §. 12 — 14. et quae ibid. a nobis addita sunt. *Mühl.*

s) De jure isipolitiae vid. quae Walterus, Niebuhrium secutus, exposuit, *Rechtsgesch.* p. 57 — 61., quocum cfr. Huschke *Verf. des Serv. Tull.* p. 524 — 531. *Mühl.*

t) Saepe tamen confunduntur nomina, ut et Italici juris homines sociorum et Latinorum, et Latini Italicorum nomine veniant. Quod itidem recte monuit Car. Sigon. *l. c. p.* 474. Id quum non attenderent recentiores quidam scriptores, ceteroquin eruditissimi: mirum in modum totam hanc differentiam Latinorum ac Italorum perverterunt. Exemplo esse potest Harduin. *Not. et Emendat. ad Plin. p.* 183. *Tom. I. Hein.* — Cf. Walter *R. G.* p. 194 — 196. et Huschke *l. l.* p. 530. not. 24. *Mühl.*

ab nomine Latino, socii ac Latium, uti productis ex Livio, Sallustio, Valerio Maximo testimoniis ostendit Car. Sigon. *de ant. jure Ital. I. p.* 473.

§. 75.

Qui et quales fuerint?

Latini ergo, vel socii Latini nominis, temporibus antiquissimis erant *Latii incolae, populi Romani foederati, jure Latii donati,* ut eos definit Sigon. *de jure Ital. 1.* 2. *p.* 476. *Latii incolae* dicuntur, ut a reliquis Italis; *populi Romani foederati,* ut a Latii incolis, qui tamen Latii jure haud fruebantur, secernerentur.

§. 76.

Foedera cum populis Latii antiquissima.

Latium olim duplex erat, vetus et novum. Vetus a Tiberi ad Circejos; novum a Circejis ad Lirim et Sinuessam usque productum est. Paullo latius utriusque Latii terminos profert Servius ad *Virg. Aeneid. I. v.* 6. *Latium duplex est, unum a Tiberi ad Fundos, aliud inde usque ad Vulturnum fluvium.* Sed errorem hujus Grammatici jam alii ostenderunt. Latium ergo vetus Tiberi, Aniene, Ufente, fluviis, marique Tyrrheno concludebatur, illudque insederant *Albani, Rutuli,* et *Aequi.* Novum, quod ab Ufente fluvio ad Lirim protenditur, Oscis, Ausonibus, Volscis, praebuit sedes: Plin. *Hist. Nat. III.* 5. Strabo *Geogr. V. c.* 3. §. 4. Ex his primi foedus cum Romanis Albani jam ipsius Romuli tempore fecerant, quo cautum fuerat, ut ne bellum inter se gererent sociae civitates, alioquin, quae bellum intulisset prior, alterius judicium ac mulctam subiret: Dionys. Hal. *III.* 3. Addit Strabo *Geogr. V. c.* 3. §. 4. tam arctam fuisse inter hos populos necessitudinem, ut, quum proprium uterque regem haberet, connubia tamen, et sacra, et cetera jura civilia communia haberent. Victis postea a Tullo Hostilio Albanis, ex foedere impetratum est, ut juventutem in armis haberent, utendam a Rege Romanorum quum res postularet: Liv. *I.* 26. Diruta paullo post Alba, legatos Romani miserunt ad triginta urbes, quae in Albanorum fuerant ditione, postularuntque, ut et ipsi dicto essent audientes. Abnuentibus his, novum exarsit bellum, quo in quintum annum populationibus magis, quam justis praeliis, extracto, pax demum facta foedusque renovatum est: Dionys. Hal. *III.* 34. Rege hoc morte intercepto, plerique Latini soluta esse regis obitu foedera dicebant. Unde majore conatu domiti a Tarquinio Prisco, eas pacis conditiones acce-

perunt, ut agros suos ac leges haberent, ac socii populi Romani dicerentur illi quidem, sed ad Regis tamen Romani mandata armati praesto essent: Dionys. Hal. *III.* 54. Firmavit id foedus Tarquinius Superbus: Liv. *I.* 52. qui, ut tanto sanctiore vinculo sibi conglutinaret hos socios, primus ferias Latinas, Romanis cum Latii populis communes, instituit: Dionys. Hal. *IV.* 49.

§. 77.

Ea deinde saepius repetita.

Exactis regibus novum statim bellum coortum est cum Latinis, qui a Romanis denuo desciverant. Cum his tamen, ab A. Postumio Dictatore victis ad lacum Regillum, denuo foedus percussum A. U. C. CCLX. Sp. Cassio Viscellino et Postumo Cominio Aurunculo II. Coss. iis legibus, *ut inter Romanos Latinasque civitates omnes aeterna pax esset, neque ipsae inter se bellarent, neque aliunde hostes inducerent, neque hostibus tutos transitus praeberent, sed bello oppressis opem pro virili ferrent, spoliorum ac praedae partem aequalem haberent: privatarum litium judicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragerent: hisque legibus nihil addi denique posset, nisi si Romanis Latinisque ita placuisset.* Hanc enim foederis formulam [u]) nobis servavit Dionys. Hal. *VI.* 95. quocum jungendi sunt Liv. *II.* 22. et Cic. *pro Corn. Balbo c.* 21. Et hoc est foedus illud Latinorum, quod ceteris firmius mansit. Quamvis enim subinde rebellarint Latini, veluti A. U. C. CCCIV. et CCCLXVI.: saepe tamen victi, saepe reducti ad officium, postremo illius foederis leges, quod cum Latinis omnibus Sp. Cassio et Postumo Cominio Coss. initum fuerat, recuperarunt [x]), ut patet ex Cic. *pro Corn. Balbo c.* 23.

§. 78.

Foedus cum Volscis et Aequis.

His antiqui Latii populis adcessere deinde Volsci et Aequi, *Latinorum*, judice Floro *Hist. Rom. I.* 11. *pervicacissimi et quotidiani*

---

u) Pluribus tamen aliis capitibus illud constitisse, vel ex Festo adparet, qui sub voce *nancitor. p.* 327. etiam haec foederis verba adlegat: PEQUUNIAM QUI NANCITUR, HABETO, ET SI QUID PIGNORIS NANCISCITOR, SIBI HABETO. *Hein.*

x) Postremo enim bello a Q. Publicio Philone Cons. ad internecionem caesi, plerisque juribus fuerant spoliati, ex eoque tempore etiam concilium Latinorum ad lucem Ferentinae convocari desierat, ceu ex Cincianis commentariis observat Festus sub voce *Praetor p.* 376. *Hein.*

prope Romanorum hostes. Volscis, si Dionys. Hal. *III.* 41. credimus, Ancus; sin Livio *I.* 53. Tarquinius Superbus primus bellum intulit, qui et Aequos adgressus est. Postea ab A. U. C. CCLVIII. variis ac paene anniversariis praeliis attriti, demum A. U. C. CCLXXXIV. Antium, maritimum oppidum, amiserunt, annoque insequente iis legibus impetrarunt pacem, ut legibus suis utentes, privatis stipendiis pro Romanis jussi militarent: Dionys. Hal. *IX.* 59. At statim ad arma redierunt Aequi et Volsci. Unde aliquoties fusi fugatique, quin et sub jugum aliquando missi sunt, donec A. U. C. CCCCXLIX. a P. Sempronio Sopho Consule paene deleti et ad internecionem caesi sunt. Tamen et hi postremo propter cognationem in Latii jura adsciti sunt, ut patet ex Cic. *pro Balbo c.* 13. quamvis, quo id tempore factum sit, nondum mihi liquet.

§. 79.

Item cum Hernicis.

Idem dicendum de Hernicis, quos primus Tarquinius Superbus societate devinxerat, Latinarumque feriarum fecerat participes: Dionys. *IV.* 49. Dein A. U. C. CCLXVIII. bello petiti a Sp. Cassio, tertium Consule, quum victi pacem petiissent, easdem conditiones, quas Latini, quin civitatem sine suffragio impetrarunt. Quo fit, ut saepe a Latinis sejungantur, neque adeo eos in Latinorum corpore fuisse, ex Livio et Dionysio evincit Car. Sigon. *de ant. jur. Ital. I.* 6. *p.* 107. Postea A. U. C. CCCXCI. novum cum Hernicis bellum exarsit: eoque finito, tertium, cujus omnes hujus gentis civitates erant participes, praeter Alatrinates, Ferentinates et Verulanos: Liv. *IX.* 42. Tribus illis, quia civitati Romani *αὐτονομίαν* praeferebant, suae leges redditae A. U. C. CCCCXLVII. Anagninis, et qui arma intulerant, *civitas sine suffragii latione data, concilia connubiaque ademta, et magistratibus, praeterquam sacrorum curatione, interdictum:* Liv. *IX.* 43. Sed Hernicos istos *αὐτονόμους* postremo jura Latii habuisse, vel inde patet, quod Ferentinates Latinis adjungit Livius *XXXIV.* 41. 42.

§. 80.

Cum incolis Latii novi.

Latium novum quando dici coeperit, quandoque Oscis et Ausonibus jus Latii datum sit, non magis certum est. Sigonius existimat, his populis, ad internecionem deletis, Liv. *IX.* 25. in hanc regionem Latinorum gentem esse immissam, atque inde Latium novum adpel-

latum: id quod ipse inter Tarentinum Punicumque bellum factum conjicit. Sed quemadmodum id nullo testimonio comprobari potest: ita certissimum est, novum hoc Latium jura Latii veteris esse consequutum, siquidem Appianus *de bellis civil. I.* 39. Latinos, quos ab Italis sejungit, ad Lirim usque in populi Romani fide mansisse scribit.

§. 81.

Latini demum civitate donati.

Et haec sunt illae gentes, quibus jus Latii antiquissimis temporibus datum est. Hoc jure contenti fuerunt usque ad bellum illud sociale vel Marsicum, quo confecto A. U. C. DCLXIII. lege Julia, et proxime insequente lege Plotia omnes socii ac Latini nominis, imo et Itali civitate Romana donati sunt, ut supra §. 9. observavimus.

§. 82.

Jus Latii deinde aliis populis et civitatibus datum.

At quamvis Latini in civitatis Romanae jura transiissent: non ipsum tamen ideo exspirabat jus Latii, quippe quod ab eo tempore quum multis civitatibus, tum et coloniis extra Italiam concessum legimus. Sic Nemausensibus jus Latii datum esse, patet ex Strabone *IV. c.* 1. §. 12. Novocomensibus idem jus dederat vel Jul. Caesar, ut tradit Appian. *de bell. civil. II.* 26. vel Pompejus Strabo, ut mavult Ez. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 2. *p.* 62. Is enim Pompejus omnibus Gallis Transpadanis jus Latii concesserat teste Ascon. Pedian. *in Cicer. advers. Pison. p.* 156. Eodem exemplo Nero nationes Alpium maritimarum; universam Hispaniam Vespasianus; multas alias civitates Hadrianus in jus Latii transtulerunt: Tacit. *Annal. XV.* 32. Plin. *Hist. Nat. III.* 3. Spartian. *Hadr. c.* 21. De coloniis Latinis paullo post erit dicendi locus.

§. 83.

Latini Juniani libertinae conditionis.

Novum Latinorum genus repertum sub Tiberio, lata lege Junia Norbana, qua cautum, ut modis minus sollemnibus manumissi non jura civitatis Romanae, sed Latii tantum consequerentur. Unde hi libertini dicti LATINI JUNIANI, ut distinguerentur a *Latinis colonariis* y),

y) Perspicue itaque fallitur V. C. Claudius Salmasius, dum Latinas colonias e libertinis constitisse, existimat *de modo usur.* c. 19. *p.* 878. *sq.* Alii profecto erant Latini *libertini* vel *Juniani*, alii Latini *colonarii*, quippe ingenui, et honorum in suis coloniis capaces. Vid. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. I.* 8. *p.* 47. *Hein.* Vid. supra Tit. V. et VI. §. 12. not. t. *Mühl.*

quibus ceteroquin, quod ad jus civile attinet, adsimilabantur: *L. un. C. de Lat. libert. toll. Fragm. Jurecons. vet. Pithoeanum* apud Cl. Schulting. *Jurispr. vet. Antejust. p.* 805. Sed quemadmodum Latinos colonarios una cum ingenuis omnibus civitate Romana donaverat Antoninus Caracalla, celeberrima illa ac saepe a nobis citata constitutione: ita Junianam etiam libertinorum Latinitatem sustulit Justinianus *d. l. un. C. de Lat. libert. toll.*

§. 84.

Latini fuere civibus deteriores.

Jam ut ad jura Latii perveniamus: ea, licet proxime ad civitatem Romanam adcederent, non eadem tamen fuerunt ac jura civium Romanorum. Quod adeo verum est, ut Boethius *in Topic. Cic.* 2. scribat, eos mediam pati capitis deminutionem, qui cives Romani in Latinas colonias mitti se paterentur. Operae itaque pretium fuerit, quid inter cives Romanos Latinosque, quod tam ad jus privatum, quam ad publicum attinet, interfuerit, paullo adcuratius disquirere.

§. 85.

Non gaudebant libertate juris Quiritium.

Vidimus supra, qualis fuerit civium Romanorum LIRERTAS. Latini et ipsi quidem gaudebant libertate, sed juris gentium, non illa juris Quiritium, quam supra descripsimus. Saltem quod lex Porcia sanxerat de civium libertate a verberibus, non aeque valuit in Latinis. Quum enim Novocomenses, jure Latii donati a Q. Pompejo Strabone, paullo post a Caesare civitatis jura essent consequuti: M. Marcellus Consul Novocomensem quemdam, in Caesaris contumeliam, virgis caedi jussit, tamquam peregrinum, ut scribit Appianus *de bell. civil. II.* 26. et quidem Latinum. Ad Latinitatem enim quod attinet, status controversiam Novocomensibus movere haud potuisset Marcellus, quippe quam dudum ante Caesarem fuerant a Pompejo Strabone consequuti: Ascon. Pedian. *in Pisonian. p.* 156. Simile quid observat Diodor. Sic. *in Excerpt. Peirescian. p.* 273. ubi de Clodio: τοὺς μὲν πολιτικοὺς τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐκόλαζεν ἀπαραιτήτως, τοὺς δὲ συμμάχους ῥαβδίοις ἐμαστίγου. *In Romanos quidem more majorum animadvertit citra spem veniae: socios autem virgis cecidit.* Et Sallust. *de bell. Jugurth. c.* 65. referens, Turpilium, Praefectum Vaccae oppido impositum, a Metello *verberatum, capitis poenam solvisse*, ne cui id mirum videatur, statim subjungit: *nam is civis ex*

19

Latio erat. Ex quo sane patet, non aeque ad Latinos, atque ad cives, pertinuisse libertatem illam, quae ex lege Porcia descendebat [z]).

§. 86.

Nec jure connubii cum civibus.

Ad CONNUBII jus quod attinet, illud Latini populi ne inter se quidem promiscue habebant ex foedere antiquo, nedum cum civibus Romanis. Prius discimus ex Liv. *VIII.* 14. *IX.* 43., ex quibus locis patet, nemini Latinorum et Hernicorum licuisse extra fines regionis suae uxores ducere: posterius vel inde colligimus, quod ne iis quidem, qui sine suffragii jure civitate fuerant donati, cum civibus Romanis jus esset connubii. Campani sane, qui pridem civitatem sine suffragii latione fuerant consequuti, postea demum impetraverunt, *ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, et, si qui prius duxissent, ut habere eas, et ante eam diem nati ut justi sibi liberi heredesque essent:* Liv. *XXXVIII.* 36. Quanto minus ergo Latinis hoc jus connubiorum fuisse credas? Et certe clarissime Ulpianus: *Fragm. V.* 4. *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis: cum* LATINIS *autem et peregrinis ita, si concessum sit.* Sic et ipsum jus sponsaliorum nuptiarumque aliud fuisse Latinis, aliud civibus Romanis, adparet ex Gell. *Noctt. Att. IV.* 4. ubi ex Cn. Sulpicio docet, sponsum Latinum agere potuisse ex sponsu in id, quantum intererat, eam uxorem non datam: quum contra civibus Romanis, ut supra diximus, infinita esset repudiorum licentia: *L.* 1. *C. de Sponsal.*

§. 87.

An habuerint jus patrium, legitimi dominii, testamenti factionis.

Quale fuerit apud Latinos jus PATRIAE POTESTATIS, in tanto veterum silentio non constat. Id saltem certum videtur, *nullos fuisse homines,* (adeoque nec Latinos), *qui talem habuerint in liberos potestatem, qualem Romani habebant:* §. 2. *Inst. de Patr. pot.* Nec omittendum videtur, paullo plus in Latio potestatis fuisse matri, quam

---

z) Erroris me hic arguit V. C. Christ. Gottl. Schwarzius in erudita *de jure Italiae* Dissertatione *p.* 16. existimans, etiam Latinis et Italis hanc libertatem competiisse, idque probat ex Gell. *Noctt. Attic.* X. 3. ubi Gracchum in oratione quadam conquestum ait, *M. Marium et quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per injuriam caesos a magistratibus populi Romani.* Sed Gellius manifesto loquitur de municipiis Italiae, adeoque de urbibus, non Latini juris, sed civitatem Romanam consequutis, qualia post legem Juliam erant omnes, ante legem Juliam quamplurimae. *Hein.*

Romae. Id enim non obscure patet ex controversia Ardeensi apud Liv. *IV.* 9. Latini Juniani habebant jus MANCIPATIONIS, Ulp. *Fragm. XIX.* 4. adeoque etiam colonarii Latini, quibus aequati illi erant lege Junia Norbana: *Vetus Fragm. Jurec. apud Pith. n.* 8. An vero etiam veteres Latini eodem jure usi sint, nondum constat. Porro TESTAMENTUM non faciebant Latini; saltem jure Romano: Ulp. *XX.* 14. [a]) (nam alioquin et extra Romam Italos jam inde ab antiquissimis temporibus testamenta condidisse satis constat: Liv. *I.* 3. *I.* 34.). Iidem Latini nec ex civis Romani testamento quidquam capiebant, nisi intra dies cretionis civitatis Romanae jura impetrassent: Ulpian. *XXII.* 3. Haec sunt, quae veteres nos docent: plura, quum muta hic sint antiqua monumenta, addere non licebit.

§. 88.

Suis utebantur legibus, nisi fundi facti.

Suis ergo, sicut ex his patet, legibus utebantur Latini, nec juris Quiritium fiebant participes [b]). Licebat tamen iis, si vellent, leges Romanorum in suas civitates recipere, vel, ut veteres loquuntur, poterant populi FUNDI fieri. Qua de re Cicero *pro Balbo c.* 8. *Sed totum hoc, judices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut quum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, et, si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tamquam in fundo, resedisset; ut tum lege eadem populus is teneretur: non, UT DE NOSTRO JURE ALIQUID DIMINUERETUR, sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo et beneficio uterentur. Tulit apud majores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliae leges de jure civili sunt latae: (quas Latini voluerunt, adsciverunt).* Quicumque ergo populi leges Romanas adsciscebant, et iis subscribebant, illisque in civitatibus suis utebantur, ii FUNDI dici solebant, non a statu quodam, vel conditione, quemadmodum

a) Loquitur Ulpianus hic et in loco seq. (XXII. 3.) de Latinis Junianis; caeteri enim Latini plena gavisi sunt testamentifactione. Vid. de Savigny in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. V. p. 232. num. 6. *Mühl.*

b) Quaeri solet, an omnes, quibus jus suffragii datum, legibus suis spoliati, et, ut *populi fundi* fierent, coacti sint? Affirmat Sigon. *de antiquo jure Ital. II.* 7. Sed quid dicemus de Puteolis, quod *municipium*, *quum illustre* fuerit, teste Cicerone *pro Coel. c.* 11. suo tamen jure libertateque uti dicitur eidem *Agrar. II.* 31. Conf. Schwartz. *de jure Ital.* §. 5. *p.* 14. *sq. Hein.*

dici solent populi *foederati,* vel *liberi,* sed a facto, quod scilicet legibus populi Romani subscripsissent. *Fundus* enim *auctor* est, vel *subscriptor:* Gell. *Noctt. Att. XIX.* 8. *Haec ego dixi, non ut hujus sententiae legisque* FUNDUS *subscriptorque fierem.* Festus: FUNDUS *dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est auctor:* Plautus *Trinum. Act. V. scena* 1. *v.* 6. *sq.*

Nunc mi is propere conveniundust, ut, quae
cum ejus filio
Egi, ei rei FUNDUS *pater sit potior.* — —

Add. Turneb. *Advers. IV.* 12. Hotoman. *Obs. II.* 5. Participes itaque juris Romanorum privati fiebant isti populi, quod leges Romanas adscivissent, et ut apud se valerent, auctores facti fuissent. Nec tamen eo ipso jura Quiritium consequebantur: (nihil enim de jure Romanorum, voluntaria ista legum Romanarum receptione, poterat minui), sed inter se tantum iis legibus, quibus Romani cives, utebantur. Verbi causa Latini tunc inter se poterant testari secundum leges Romanas, id enim licebat populis fundis. Sed non ideo quidquam ex testamento civis Romani capiebant. Id enim pertinebat ad jus Quiritium. Multo minus haec legum Romanarum receptio ad jus publicum pertinebat. Unde Cicero *ibidem: De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt.* Quae si observaveris, facile carebis spinosis illis Sigonii, Nic. Rigaltii, Ism. Bulialdi, Henr. Valesii aliorumque disputationibus *de populis fundis* [c]), quippe quibus res in se clarissima obscurari fere magis, quam illustrari videtur. Pleniora bonae frugis sunt, quae ad illam pro Balbo orationem commentatus est V. C. Jo. Georg. Graevius [d]).

§. 89.

Erat Latinis jus census.

Quemadmodum ergo jure privato diverso admodum usi sunt Quirites et Latini: ita, quod ad jus publicum attinet, paullo propius

---

c) Trigam illam dissertationum *de populis fundis*, quae primum Divione conjunctim prodiit, 1656. iterum edidit J. Ge. Graevius V. C. *Thes. Ant. Rom.* T. *II. p.* 1925. *Hein.*

d) Quaestioni de populis fundis adfinis est disputatio de *municipio fundano* et *municipibus fundanis,* obviis in *Tabulae Heracleensis lin.* 159. 160. *et* 163. de quibus varie sentiunt Mazochius *Comment. in hanc Tabulam P. II. p.* 477—488. Gust. Theod. Lud. Marezollius *ad Fragmentum legis Romanae in aversa*

ab illorum praerogativis abfuerunt. Consistebant civitatis jura in censu, militia, tributis, suffragiis, honoribus, et sacris. Latinos Romae CENSOS esse, nusquam lego, nisi furtim aliquando in tabulas censuales irreperent, quod deinde lege Claudia, Papia, et Licinia Mucia vetitum esse, supra observavimus §. 52. At ex Liv. *XLI.* 8. constat, Latinos in civitatibus suis esse censos. Verosimile itaque est, in Latii civitatibus non minus ac Romae censum fuisse actum a magistratibus, tabulasque censuales deinde Romam missas. Id enim etiam in coloniis fieri solitum, nemo ignorat.

§. 90.

Ut et jus militiae inter socios.

Porro et MILITIAE jure, sed paullo adstrictiore, gaudebant Latini. Primo enim ne pro se quidem tuendis arma expedire poterant, injussu populi Romani, ut testatur Liv. *III.* 19. Deinde militabant quidem cum Romanis, verum non ut legionarii, sed tamquam socii, ut adcurate ex Polybio docet Lips. *de milit. Rom. I.* 6. *p.* 48. Unde minus rem acu tetigit Car. Sigonius *de ant. jur. Ital. I.* 4. *p.* 494. qui Latinos inter auxilia ponit, quae Varro *de Lingu. Lat. IV.* 16. *p.* 16. ex *alienigenis;* Festus sub voce *auxiliares p.* 256. ex *sociis exterarum nationum* constitisse ait. Tum demum ergo hi esse coeperunt socii et auxiliares, quum Latini et Itali civitate donati legionariae militiae praerogativam consequerentur. Id porro addendum, sociis et Latini nominis semper triplicem equitum, aliquando et peditum numerum imperasse Romanos. Sic apud Liv. *III.* 22. duae partes sociorum in exercitu, tertia civium erat. Idem *XXI.* 17. refert, quatuor et viginti peditum Romanorum millia fuisse scripta, mille et octingentos equites: sociorum quadraginta quatuor peditum, et quatuor equitum. Alia exempla sunt apud Liv. *XXXIV.* 56. *XXXV.* 20. et alibi passim. Unde non injuria queruntur apud Vellejum Paterc.

Tabulae Heracleensis parte (*Goett.* 1816. 8.) *p.* 78 — 81. et saepius, nec non Dirksen *Obss. ad Tabulae Heracleensis Partem alteram, quae vulgo aeris Neapolitani nomine venit* (*Berol.* 1817. 8.) *p.* 203 — 212. *Haub.* Caeterum *fundanum* semper esse ponendum pro *fundo*, spuriam autem lectionem e siglae cujusdam vel omissione vel falsa interpretatione esse ortam, nihilque aliud verbum istoc significare, nisi eum populum, qui pleno jure ac dominio Quiritium fruatur, sibi persuasum habet C. F. L. Schultz *Staatswissensch. der Römer.* §. 57. ibiq. vel maxime p. 426. sqq., inprimis autem de Savigny in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. p. 305 — 308. p. 357. sq. et infra §. 120. not. e in f. Vid. tamen Klenze *krit. Phantasieen eines pract. Staatsmannes* (Berl. 1834.) p. 82. sq. *Mühl.*

Hist. II. 15. *per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines ejusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset.* Denique observandum, Latinos, quemadmodum legionis jus haud habebant, ita nec eodem modo, quo milites Romanos fuisse castigatos. Nam et virgis caedebantur, quas quum a Latinorum militum corpore, lege auctoritate Senatus lata, removere tentaret M. Livius Drusus, Tribunus plebis: eam legem numquam observarunt Imperatores, qui, remoto virgarum metu, in officio se continere exercitum posse negabant: Sigon. *de antiquo jure Ital. I.* 4. *p.* 496. Exemplum Turpilii est apud Sallust. *de bello Jugurth. c.* 65. *Jussus a Metello caussam dicere, postquam parum se purgat, comdemnatus, veberatusque capitis poenas solvit. Nam is civis ex Latio erat.*

§. 91.

Latini an tributarii?

De TRIBUTIS Latinorum nihil reperio, nisi quod durior ea in re fuisse videtur Latinorum, quam civium, conditio. Quamvis enim eos ab exteris non magis, quam cives suos, tributis vectigalibusque onerari Romani paterentur, atque hinc in Ambracensium foedere cavissent, *ut Ambracenses portoria, qui vellent, caperent, dum eorum cives Romani et Latini socii immunes essent:* Liv. *XXXVIII.* 44. ipsi tamen Romani a Latinis tributa et vectigalia exigebant, adeo ut eos *stipendiarios* adpellet Livius *VIII.* 8. et apud Appian. *de bellis civil. I.* 7. de sociis dicatur, eos *militando et tributa conferendo gravatos esse.* Unde non temere colligas, tolerabiliorem quidem hac in re, quam Italorum et provincialium, duriorem tamen, quam civium, fuisse Latinorum conditionem.

§. 92.

An jus habuerint suffragii?

Illud vero praestantissimum erat jus quorumdam Latinorum, quod jure SUFFRAGII gauderent ex foedere, quo eos obstrinxerat Cassius. Sane Hernicos et Latinos ad ferenda suffragia fuisse evocatos, adparet ex Livio *XXV.* 3. et Dionys. Halic. *VIII.* 77. Attamen ne in eo quidem aequo cum civibus jure gaudebant. Nam primo non erant certae tribui adscripti, atque inde sortiri solebant, ubi ferrent suffragia. Qua de re Livius *XXV.* 3. *Testibus datis, Tri-*

buni populum submoverunt; sitellaque adlata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent. Deinde hoc jus suffragiorum erat veluti precarium. Quotiescumque enim liberet, edicere poterant Consules, ut Latini urbe exirent. Fecit id sane Virginius Consul, Cassii collega, apud Dionys. Halic. *VIII.* 77. Fecit et C. Fannius, qui Latinos, suffragii caussa in urbem adcitos, ex SCto excedere jussit: Cic. *Brut. c.* 26. Nec plura exempla tamen succurrunt. Unde Cicero *pro P. Sextio c.* 13. *Nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam, id quod perraro adcidit, a Consulibus juberi ex urbe exire.*

§. 93.

Item jus petendi honores.

Gaudebant etiam jure aliquo HONORUM, sed non optimo, quali cives Romani. In eo tamen provincialibus erant feliciores, quod non Romanis Praetoribus Proconsulibusque parerent, sed suis magistratibus. Unde de Nemauso, jure Latii donata, Strabo *Geogr. IV. c.* 1. §. 12. scribit: *Ea de caussa populus ille Romanis Praetoribus non paruit.* Melior quoque in eo erat illorum conditio, quam Italorum, quod, magistratibus in patria gestis, jus civitatis Romanae consequerentur: qua de re supra diximus §. 7. At honores in urbe petere haud poterant ante civitatem lege Julia datam. Hinc quum bello Punico II. Sp. Carvilius suasisset, ut ex singulis populis Latinorum binis Senatoribus, si Patres censuissent, civitas adeoque etiam jus capessendorum magistratuum daretur: ejus rei, ut alienae, mentio suppressa est: Liv. *XXIII.* 22. Nec felicius processere Latinorum consilia, quum alterum Consulem ex sua gente creandum urgerent: Liv. *VIII.* 4. Unde de magistratibus patriis, non urbanis, intelligendus est Asconius Pedianus, quando de Gallis Transpadanis Latii jure donatis a Q. Pompejo Strabone ait, *habuisse eos jus, quod ceterae Latinae coloniae, id est, ut PETENDI MAGISTRATUS GRATIA, civitatem Romanam adipiscerentur:* Ascon. Pedian. in *Orat. Cic. contra L. Pisonem p.* 156. ex edit. quae prodiit *Lugd. Batav.* 1675. 12. Dicere enim procul dubio voluit, *ut gesti magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur.* Illud enim jus Latinis fuisse supra §. 7. demonstratum est [e]).

e) Locus Asconii Pediani *in Pison. c.* 1. *p.* 156. *ed. L. B.* varie tentatus est a viris doctis. Sic Ant. Augustinus *Epist. ad Onuphr. Panvinium p.* 340. *sq.* et *p.* 351. (*Collectionis epistolarum a* Jo. Andresio, Parmae 1804. 8., *editae*) legi

§. 94.

Et jus sacrorum.

Denique quod ad jus SACRORUM attinet, civibus Romanis et publica sacra et propria fuerunt. At communia quoque nonnulla erant civibus cum Latinis; et talia erant sacra Dianae, quae exemplo civitatum Asiae, auctore Serv. Tullio, Romae in fano, communibus sumtibus exstructo, faciebant cum Romanis Latini: Liv. *I.* 45. Tales quoque feriae Latinae, quas instituerat Tarquinius Superbus f). Singulis enim annis conveniebant quadraginta septem Latii populi in monte excelso, Albae imminente, sacra facientes Jovi Latiali, epulisque et ludis vacantes. Constitutum quoque erat, quid quisque populus praeberet: hic agnos, ille caseos, iste lactis modum, et quam portionem recipere deberet. Communis victima taurus erat, de quo cuilibet populo portio sua fuerat constituta. Et huic sacrificio praeerant Romani: Dionys. Halic. *Antiq. Rom. IV.* 49. Initio quidem ex instituto Tarquinii unico die haec sacra peragebantur: at, pulsis regibus, additus a populo alter: adcessit dein tertius post foedus cum Latinis a Sp. Cassio ictum: quartus ob plebis, quae secesserat, reditum adjectus. Adcesserunt quoque sacrificia et ludi, quibus Senatus Aediles praefecerat: Dionys. *Ant. Rom. VI.* 95. Imo et viscerationes, de quibus in actis diurnis apud Reinesium *Inscriptt. Class. IV. p.* 341. *n. V.* PRID. KAL. APRIL. FERIAE. LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATUM. IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO. Viscerationes autem erant distributiones carnis, panis, olei, vini, crustuli, mulsi et similium, viritim factae, de quibus Reinesius *in Comm. ad Inscr. p.* 145. 146. Tanti vero hae feriae erant Romanis, ut Consules in provincias paludati proficisci non possent, nisi indictis prius hisce feriis: Liv. *XXI. c. ult. XXII.* 1. Instaurandae quoque erant a Pontificibus, si vel ulla caerimonia neglecta, aut quidquam praeter jus factum esset. Cujus rei exempla sunt apud Liv. *XXXII.* 1. *XXXVII.* 3. *XL.* 45. *XLI.* 16. Interea, dum magistratus Romani feriis illis interessent, Praefecti feriarum Latinarum g) usque ad eorum reditum imperium in urbe tenebant: Jul. Capitolin. *Antonin.*

---

jubet *gerendo magistratus* aut *magistratu, et* Trekell. *Select. Antiquitt. Roman. P. I. c.* 3. §. 45. *p.* 64. pro *petendi* reponit *gesti. Haub.*

f) At vid. Walter *R. G.* p. 62. sq. ibiq. not. 9. *Mühl.*

g) Sunt, qui hos non Praefectos feriarum Latinarum, sed Praefectos urbi feriarum Latinarum caussa dictos putant, veluti Casaub. *ad Jul. Capitol. Marc.*

Philos. c. 4. Tacit. *Annal. VI.* 11. Ex quibus locis etiam patet, ferias istas Latinas post civitatem quoque Latinis datam, imo adhuc sub Imperatoribus fuisse celebratas. Cum Lanuvinis in specie Romani communia habebant templum, sacra, lucum, *Junonis Sispitae Lanuvinae:* Liv. *VIII.* 14. de qua nos plura diximus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. c.* 1. §. 4. *p.* 57. Praeter haec sacra cum Romanis communia singuli fere Latini populi et patria numina colebant, qualia erant *Feronia* apud Terracinos: Plin. *Hist. II.* 55. Sil. Ital. *Lib. XIII. v.* 84. *sq. Jupiter Anxur, Jupiter Lanuvius*: Liv. *XXXII.* 9. *Anguia* vel *Anguitia* Marsorum et Marruviorum: Serv. *ad Virgil. Aen. Lib. VIII.* et alia.

§. 95.

Latini, si furtim in censum irrepsissent, repeti poterant a magistratibus.

Ceterum an principia illa juris publici, quae §. 72. explicavimus, apud Latinos quoque habuerint locum, merito dubites. Sane enim, quum Romani duarum civitatum cives esse non possent: licebat tamen iis, relicta civitate Romana, in aliam se recipere, aliusque jus civitatis adsumere. Sic, si noluisset T. Pomponius Atticus civis Romanus manere, liberum ipsi omnino fuisset, civitatis Atheniensis jura adsciscere. At Latini, si furtim irrepserant in tabulas censuales Romanorum, vindicari a magistratibus suis poterant et revocari, non secus, ac si essent glebae adscripti (cf. supra §. 52.). Sic M. Crassus judicio repetitus est a Mamertinis, procul dubio tum adhuc Latinae conditionis: Cicero *pro Balbo c.* 23. M. Perperna a Sabellis: Val. Max. *III.* 4. 5. Vid. *Comment. nostr. ad L. Jul. et Pap. Popp. I.* 1. 2. Et haec sufficiant de Latii jure. Dicendum jam porro de jure Italico.

CAP. III.

DE JURE ITALICO.

§. 96.

Italia quam late patuerit h)*?*

Italia Romanis dicebatur, quidquid praeter Latium inter utrumque mare ad Rubiconem usque fluvium procurrit. Reliquum enim

---

Anton. c. 4. Ampl. Bynkersh. *in Praetermiss. ad L.* 2. *D. de Orig. jur. p.* 54. Et id quidem verum omnino est: sed exstant tamen marmora apud Smetium p. *XLI. n.* 5. et *p. LXIX. n.* 1. Gruterum *p. CCCXIII. n.* 9. et *CCCLVI. n.* 1. in quibus vocantur PRAEF. FERIAR. LATIN. *Hein.*

h) Ad universum hunc locum cf. doctissimam Savignii *comm.: der Römische*

terrae tractum usque ad Alpes Galli, Ligures, Veneti, Carni, occupaverant. Ceterum Italiam inter se diviserant populi quamplurimi, et maxime Hetrusci, Lucani, Brutii, Epizephyrii, Locri, Calabri, Messapii, Sallentini, Apuli, Hirpini, Ferentani, Picentes, Senones, Umbri, Sabini, Marsi, Vestini, Marrucini, Peligni et Samnites, qui diversis bellis perdomiti, foedere non uno in societatem a populo Romano accepti sunt. Bella cum tot populis gesta adcurate recenset Car. Sigonius *de antiquo jure Ital. I.* 8. *sq.* Sed quibus annis singula icta sint foedera, quibus quique conditionibus populi in societatem recepti sint, in tanto veterum silentio obscurum est. Illud certum, et a V. C. Christ. Gottl. Schwarzio *in Diss. de jure Ital.* recte observatum est, distinguendas esse varias juris Italici periodos. Post prima enim illa et antiquissima foedera plures Italici populi ad Hannibalem defecerant, quorum alii ultro ad officium redierunt, alii armis recepti sunt. Hinc A. U. C. DL. P. Sulpicius Galba Dictator Italiam peragravit, et cognitis singularum civitatum caussis, aliis, et in his nominatim Brutiis, Picentibus et Lucanis durius jugum imposuit, aliis pristina jura restituit: Gell. *Noctt. Att. X.* 3. Postea A. U. C. DCLXIV. Itali jura civitatis impetrarunt legibus Julia et Plotia. Vid. supra §. 9. Ex eo Sulla id jus iis haud parum imminuit, quia Itali partes adversas sequuti fuerant. Quamvis hanc legem non adeo diu valuisse, testatur Cicero *pro domo c.* 30. Varia hinc porro Italis indulsit Augustus, *excogitato novo genere suffragiorum, quae de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, et sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent:* Suet. *Aug. c.* 46. Idem Imperator etiam militiae necessitatem remisit Italis: Herodian. *Hist. II.* 11. Hadrianus per omnem Italiam quatuor CONSULARES judices constituerat: Spartian. *Hadr. c.* 22. Hinc CONSULARES CAMPANIAE sunt apud Gruterum *p. CCCCXLI. n.* 6. *p. CCCCLIX. n.* 1. *ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΚΑΜΠΑΝΙΑΣ* apud eumdem *p. MXC. n.* 20. qui et PROCOS. vocatur in marmore Reinesii *Class. VI. p.* 396. *n. IV.* Consularem per Tusciam et Flaminiam fuisse patrem suum, narrat Rutil. Numat. *Itiner. I. v.* 575. 593. Horum in locum JURIDICOS suffecit Marcus Antoninus: Jul. Capitolin. *Marc. c.* 11. Sequente tempore Italia aliquando subfuit CORRECTORIBUS et

---

Volksschluss der Tafel von Heraclea; in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. IX. num. XI., ubi et de jure civitatis cum Italis aliisque populis communicato, deque Latii, municipiorum et coloniarum jure praeclare multa exponuntur. *Mühl.*

PRAEFECTO PRAETORIO: V. C. Ever. Otto *de Aedil. munic. c.* 12. Denique post Constantinum M. diviso saepe imperio, Consulares Italiae iterum memorantur ab Ammiano, Symmacho et Cassiodoro, quos aliquando et MODERATORUM, RECTORUM et PRAESULUM nominibus venire, observat Thom. Reines. *Comm. ad Inscr. p.* 397. Et ab eo tempore immunitas Italis paene ademta, et tributa iis gravissima indicta sunt: Schwarz. *l. c.* §. 12. *p.* 36. qui etiam observavit, vestigia juris Italici tantum non omnia sustulisse Justinianum, id quod verum esse, vel ex *L. un. C. de Usucap. transf. L.* 1. *C. de Annal. exc. Ital.* et *princip. Inst. Quibus alienare licet vel non,* satis adparet.

§. 97.

Jus Italicum i).

Non multo certius videtur, qua in re ipsum jus Italicum fuerit positum. Multa Itali cum sociis Latini nominis habuere communia. Non magis gavisi sunt jure Quiritium, quam Latini; at usi tamen sunt juribus nexus et mancipationum, annalis exceptionis, jure capiendi, aliisque quibusdam beneficiis, si recte conjecit Henr. Noris. *de Epoch. Syro Maced. IV. p.* 428. Saltem in his omnibus eos melioris fuisse conditionis, quam Latinos, non temere crediderim. Eadem utrisque fuit census, eadem tributorum et vectigalium ratio, nisi quod Itali paullo durius habiti videntur. A Neapolitanis certe, Rheginis et Tarentinis Romani stipendium et naves ex foedere exegerunt. Imo ex Ciceronis *Verrin. III.* 11. patet, partem Italiae haud minimam vectigalem fuisse k). Porro Itali non minus, quam Latini

i) Haec omnia jam emendanda e luculentissima Savignii commentatione *über das jus Italicum,* in Dessen *Abhandl. in der Berl. Akad.*, vorgeles. in d. Jahren 1814. u. 1815. (Berl. 1817. 4.) p. 1 — 14. (et in *Zeitschr. f. gesch. R. W. T. V. num. VI.* (cf. et Ej. *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* I. §. 18. ed. 2.), ubi invictis argumentis probatur, jus Italicum numquam fuisse hominum, sed dumtaxat locorum, et quidem oppidorum provincialium, idque tum in jure reipublicae (h. e. liberae civitatis), tum in immunitate a censu soli, tum denique in commercio soli constitisse. Viderat jam ex parte, quid consentaneum esset, Trekell *l. l. P. I. c.* 4. §. 48 — 62. *p.* 144 — 183. et ipse tamen c. 5. §. 7. p. 195 — 198. circa colonias Italicas hallucinatus. *Haub.* Aliter de Savignii commentatione judicat Schultz *Staatswissensch. d. Römer* p. 451., qui tamen suam de jure Italico sententiam (cujus summam exposuit p. 440. sq.) nullo veterum testimonio comprobavit. *Mühl.*

k) At remissum postea esse Italis tributum, diximus supra §. 59. Hinc postremis reipublicae temporibus jus Italicum praecipue in immunitate a censu capitis et soli constitit: Vid. *L.* 8. §. 7. *D. de Cens. Hein.*

militiae jure obstricti fuerunt Romanis, tantaque subinde miserunt auxilia, ut L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo Coss. nunciato Gallico tumultu, equitum *LXXX* millia, peditumque *DCC* armasse eos, tradat Plinius *Hist. Nat. III.* 20. Denique in eo quoque par fuit Latinorum Italorumque conditio, quod utrique non Romanis Proconsulibus aut Praetoribus, sed suis magistratibus [1]) parerent. At in hoc inferiores fuere Latinis, quod non gauderent jure suffragii, ad quod tum demum adspirarunt, quum lege Julia primum, ac deinde Plotia, civitate Romana essent donati. Qua de re supra §. 9. egimus. Porro nec ea praerogativa gavisi sunt Itali, ut, qui vel stirpem ex se domi reliquissent, vel magistratus gessissent in patria, cives Romani fierent. Postremo neque communia sacra habuerunt Itali, adeoque his rebus omnibus Latinis fuerunt deteriores: Car. Sigon. *de ant. jure Ital. I.* 22. Speciatim quaedam de Italorum juribus diximus *Lib. I. Tit. XXV.* §. 1. *sq. Lib. II. Tit. I.* §. 15. *Lib. II. Tit. VI.* §. 2. *Lib. II. Tit. VIII.* §. 9.

§. 98.

Italia civitate donata, multis exteris datum jus Italicum.

Quemadmodum vero, communicata cum Latinis civitate, non ideo statim exspiravit jus Latii: ita et jus Italicum, etiam ex eo tempore, quo Itali civitate donati sunt, non desiit, sed ad multas alias civitates provinciales porrectum est. Sic Foroaugustanis in Hispania jus Italiae datum, scribit Plin. *Hist. Nat. III.* 4. Alias juris Italici colonias recensent Ulpianus, Celsus, Gajus, Paullus Jureconsulti in *L.* 1. *L.* 6. *L.* 7. *L.* 8. *D. de Censib.*, de quibus nos infra agemus adcuratius. Ceterum vel ideo hoc observandum est, ut intelligamus, quid in jure nostro sit SOLUM ITALICUM, cujus hinc inde fit mentio, veluti *pr. Inst. de Usucap.* et apud Ulpian. *Fragm. XIX.* 1. (Gaj. I. 120.). Non enim in sola Italia id quaerendum est, sed et in provinciis omnibus, et civitatibus ac coloniis illis, quibus datum

---

1) Attamen etiam hac in re melior aliquanto fuit Latinorum conditio. Quum enim Latini numquam subessent Romanis magistratibus: Italia in gravioribus bellis extra ordinem nonnumquam Proconsulibus decreta est. Atque ita intelligendus Appianus *de bellis civil. I.* 38. *ἦσαν γάρ, ὡς ἔοικε, τότε καὶ τῆς Ἰταλίας ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη. Adparet enim, tunc quoque regiones Italiae distributas fuisse Proconsulibus:* extra ordinem scilicet, si seditionis esset periculum. Sic belli Marsici tempore Picentibus cum imperio praefuit Q. Servilius, legatumque is habuit Fontejum, ceu ex eodem discimus Appiano [* *de bellis civil. I.* 39.] *Hein.*

fuerat jus Italicum, qui agri etiam *censui censendo* dicuntur: Cic. *pro Flacco c.* 32. Censui enim censendo dicebantur agri, qui venire emique poterant jure civili: Festus sub voce *census* m). Jure civili vel Quiritium venibant tantum res mancipi. In rerum autem mancipi numero erant tantum praedia soli Italici. Vid. Jo. Ge. Graev. *ad Cic. ibid.* et V. C. Schulting. *Adnott. ad Ulpian. p.* 619.

CAP. IV.

DE JURE PROVINCIARUM n).

§. 99.

Quid provincia?

Durissimae in orbe Romano conditionis erant provinciae, quo nomine adpellatas constat omnes illas regiones, quas vel armis devictas, vel alio modo redactas in potestatem, magistratibus suis administrandas subjiciebant Romani: Festus sub voce *provinciae p.* 384. *PROVINCIAE adpellabantur, quod populus Romanus eas provicit, id est, ante vicit:* Isidor. *Orig. XIV.* 5. *PROVINCIAE ex caussa vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quae ad alios Reges pertinebant, quum in jus suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias adpellarunt.*

§. 100.

Quomodo regio redacta in provinciae formam?

Leges, quas a victore populo ejusmodi regiones accipiebant, PROVINCIAE FORMA vel FORMULA dicebantur. Cujus rei haec observata est ratio. Senatus, acceptis ab Imperatore de superatis hostibus, et regione in potestatem populi Romani redacta, litteris, (solebant enim, qui res laetas nunciabant, Romam nuncios cum hastis laureatis, litterisque lauro involutis mittere: Gronov. *Diatr. ad Statium c.* 46. *p.* 310. vel sub Imperatoribus ipsas pugnarum victoriarumque picturas in urbem perferendas dare: Herodian. *Hist. III.* 9. *VII.* 2.) in primis consulebat, quas leges victis dari placeret. Facto

m) Vid. Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 559. not. 68. p. 569. not. 86. *Mühl.*

n) De jure provinciarum cf. Bachii *H. J.* II. 1, 35—38. Pet. Ant. du Pui Diss. *Spec. antiq. jurid. continens quaedam de jure provinciarum imperii Romani.* L. B. 1807. 8. et potissimum von Savigny *Geschichte d. R. R. im Mittelalter* T. I. c. 2. p. 49—68. (ed. II. §. 17—23.). *Haub.* Walter *R. Rechtsgesch.* c. XXII. p. 217—236. *Mühl.*

SCto Imperatorem, quid visum sit Senatui, admonebant, simulque decem legatos Senatores mittebant, quorum de sententia Imperator de hostili regione statueret. Tum Imperator, adhibitis in consilium legatis, victis certas leges praescripsit, et civitates, bene de populo Romano meritas, suis legibus uti jussit, reliquum terrae tractum legibus magistratibusque spoliavit, et hic tunc dicebatur in provinciae formam redactus. Quidquid vero hunc in modum de consilii sententia statuerat Imperator, id in concione, facto antea per Praeconem silentio, publice pronunciari mandabat: eoque facto, Romam, relicto aliquo Praefecto provinciae, decedebat. Hunc in modum Asiam redactam in formam provinciae, constat ex Strabone. Alia exempla exstant apud Liv. *XXXIII.* 38. Appian. in *rebus Hispaniens. c.* 37. *sq.* et alibi passim. Sed desiit hic mos, ex quo Principes omnia pacis bellique negotia suo arbitrio gerere coeperunt.

§. 101.

Provinciae suis legibus non utebantur: sed datis a victore.

Quamvis vero non una eademque esset omnium provinciarum conditio: illud tamen commune erat omnibus, quod nec suis legibus o) magistratibusque uterentur, et populo Romano penderent vectigalia. Non utebantur, inquam, suis legibus, sed iis, quibus Romani eos uti jubebant, quaeque trium plerumque generum erant. *Primo* enim ipse victor de decem legatorum sententia certas leges dabat provincialibus, quas deinde in jure dicundo observari a magistratibus oportebat: *deinde* leges novas aliquando ferebant Romani, quibus et provinciales obsequerentur, qualem supra esse vidimus legem Juliam et Titiam: *postremo*, ipsi, qui cum imperio praeerant provinciis, edicta proponebant, quibus modum, quem in jure dicundo essent observaturi, denunciabant. Nulla regio in provinciae formam redigebatur, cui non certas leges daret victor de sententia legatorum. Siculis quales datae fuerint leges, ostendit Cicero *Verrin. II.* 13. *Siculi hoc jure sunt, ut, quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo Praetor judices ex P. Rupilii decreto, quod is de*

---

o) Attamen patriam religionem plerisque relinquebant, ut exemplo Aegyptiorum patet, de quibus Tertull. *Apologetic. c.* 34. et Judaeorum, de quibus Philo *Legat. ad Cajum Imp. p.* 864. Coitiones tamen religionis caussa institutas saepe prohibitas fuisse, si e republica videretur, docet Ampl. Bynkersh. *de rel. peregr. Diss. II. p.* 250. *Hein.*

DECEM LEGATORUM SENTENTIA statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, Senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, quum alternae civitates rejectae sunt. Quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus judex datur; quod Siculus a cive Romano, civis Romanus datur. Ceterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent. Inter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam adpellant, judicia fiunt. Ejusmodi quoque leges, Macedonibus a L. Paullo de consilii sententia datas, recenset Liv. *XLV.* 29. Achaeis praescriptas Pausan. *VII.* 8. 9. 10.

§. 102.

Ut et aliis, quas S. P. Q. R. iis dabat.

Adcedebant his deinde leges quaedam a Romanis latae, quas in provinciis observari oportebat. Sic quum lex Atilia de dando tutore tantum in urbe valeret: lege Julia et Titia eadem, uti paullo ante diximus, etiam ad provincias porrecta est: *princip. Inst. de Atilian. tut.* Quum ex lege Julia de maritandis ordinibus tutor dandus esset ei mulieri virginique, quam ex hac ipsa lege nubere oportebat, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve; factum paullo est SCtum, quo cautum, ut etiam in provincia similiter a Praesidibus ex eadem caussa tutores darentur: Ulpian. *Fragm. XI.* 1. Similia exempla suppeditabunt *L.* 19. *D. de Ritu nupt.* (quam uberius exposuimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Lib. I. c.* 5. *p.* 64. *et Lib. II. c.* 21. *p.* 334. *sq.*) et *L.* 5. *pr. D. de Manumiss.* Huc pertinent tot rescripta Principum ad provinciarum Praesides, quibus vel nova jura dant provinciis, vel dubia et ambigua decidunt, ut ex Pandectis nostris ac utroque Codice satis adparet: *L.* 14. *D. de Off. Praes. L.* 14. *D. ad SCtum Turpillian. L.* 1. *D. de Abigeis. L.* 12. *D. de Custod. reor.*

§. 103.

Nec non edictis Proconsulum p).

At praecipue jus in provinciis proficiscebatur ex edictis Proconsulum et reliquorum magistratuum, quae simul ac in provincias ituri erant, componere, ac dein publice proponere solebant. Hoc edictum tribus plerumque partibus constabat. Nam primo multa ex

---

p) De edictis provincialibus: Bachii *Pr. de edicto perpetuo provinciali.* Lips. 1752. 4. et in opusc. p. 168 — 185. *Haub.*

antecessorum edictis transferebant in sua, eaque pars edictum *tralatitium* vocabatur: deinde multa nova addebant ipsi, quae ad administrationem provinciae, sumtus et rationes civitatum, pactiones cum publicanis, usuras, syngraphas, hereditatum possessiones, aliaque hujus generis pertinebant: postremo etiam pleraque transferebantur ex edictis urbanis, quaecumque scilicet de jure dicundo, seu de usitatis privatorum caussis, et controversiis agebant, modo concinna essent conditioni provincialium. Unde *edictum tralatitium* et ea pars vocatur apud Ciceron. *ad Att. V.* 21. Discimus haec omnia ex Cicer. *Epist. ad Div. III.* 8. qui Proconsul in Ciliciam iturus: *Romae*, inquit, *composui edictum: nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum.* (Habes ergo partem edicti tralatitiam). *Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumtus civitatum, quo in capite sunt quaedam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector.* (En alteram edicti partem, in qua nova quaedam addiderat Cicero). In tertia parte quae fuerint scripta, ipse quoque ostendit *Epist. ad Attic. VI.* 1. ubi et de reliquis capitibus agit distinctius: *Breve autem edictum* q) *est, propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis: in eodem omnia de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis, vendendis, quae ex edicto et postulari et fieri solent. Tertium de reliquo jure dicundo ἄγραφον reliqui. Dixi, me de eo genere mea decreta ad edicta urbana adcommodaturum.* Ex quibus patet, quod supra jam observavimus, simillima quidem inter se fuisse edicta urbana et provincialia: sed tamen non statim idem obtinuisse in provincia,

---

q) *Breve edictum* (cujus etiam mentio fit apud Plinium *epist.* V. 21.) quid fuerit? nondum constat inter eruditos. Vid. Haubold. exerc. *de edictis brevibus et monitoriis.* Lips. 1804. (et in opusc. Vol. II. p. 201. sqq.), qui quidem ad edicti in vulgus noti atque recepti supplementa refert vocabulum (Cap. II. §. 5. exerc. laud.). Contra vero Wenckius conjicit, brevia edicta esse appellata, quibus magistratus leges aut noviter latas publice proponerent cognoscendas, aut dudum conditas inculcarent observandas, atque eam vel maxime causam fuisse, quare *brevium libros* scripserit Paulus, quod hac occasione ad mutuas juris civilis et honorarii rationes illustrandas uti potuerit; in praef. ad opusc. Haub. Vol. II. p. XXXII — XXXVIII. *Mühl.*

quod Romae fuerat vel lege, vel moribus receptum. Vid. Ger. Noodt *Observv. II.* 5. *p.* 444.

§. 104.

Sub Imperatoribus multa hac in re mutata.

Sed in his non una contigit mutatio, ex quo apud Principes devoluta est respublica. Primo enim, quod jam supra observavimus, etiam provinciale edictum concinnatum est perpetuum, quum antea non modo singularum provinciarum edicta inter se discreparent, aliudque esset edictum *Cilicium*, aliud *Siciliense*, aliud *Asiaticum*, etc. sed et successores antecessorum edicta, Praetorum urbanorum exemplo, saepissime mutarent: vid. Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 8. *p.* 81. *sq.* Deinde, communicata cum universo orbe Romano civitate, leges etiam Romanae provinciis omnibus traditae sunt, eademque jura Romae fuerunt ac in provinciis. Hinc de suo aevo Gregorius Thaumaturg. *in Paneg. Origen.* statim ab initio. Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν τῶν σοφῶν νόμοι, οἷς νῦν τὰ πάντων τῶν ὑπὸ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνθρώπων κατευθύνεται πράγματα. *Mirificae sapientum nostrorum leges, quibus omnium nunc, qui Romano imperio parent, hominum res reguntur.* Claud. Rutilius Numatian. *Itinerar. Lib. I. v.* 63. *sqq.* ad Romam:

Fecisti patriam diversis gentibus unam:
Profuit injustis, te dominante, capi:
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.

Plura ejusmodi testimonia collegerunt Juretus *Symmach. Epist. V.* 44. Ez. Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 7., qui etiam erudite observat, post ea quoque tempora multis civitatibus *αὐτονομίαν* relictam fuisse ab Imperatoribus.

§. 105.

Provinciae parebant vel Praetoribus, vel Consulibus, vel Propraetoribus, vel Proconsulibus.

Alterum, quod commune fuit omnibus provinciis, in eo positum est, quod illae non suis, ut socii et Latini nominis, sed Romanis magistratibus, parerent. Duo vero in singulas provincias magistratus mitti solebant, quorum alter generali nomine *Praeses* dicitur: *L.* 1. et 11. *D. de Offic. Praes.* alter *Quaestor* adpellatur. Praesidum officio initio functi sunt Praetores. Hinc quum initio duo in urbe

Praetores essent, quorum alter civibus jus dicebat, alter peregrinis: Sicilia in provinciae formam redacta, tertius: quum deinde Sardinia adcederet, quartus: quumque et Hispaniarum duae provinciae essent constitutae, quintus et sextus additi sunt, qui inter se provincias sortiri solebant: Livius *XXVII.* 36. et *XXXIV.* 55. Postea coeperunt et Consulibus, si quando gravius immineret bellum, provinciae decerni, unde aliae provinciae *Praetoriae* erant, aliae *Consulares:* Liv. *VIII.* 22. *XLV.* 17. ex quibus locis patet, Consules tunc vel inter se comparasse provincias, vel sortitos esse. Conf. Liv. *XXXIV.* 35. Solebant tamen aliquando provinciae nec comparari, nec sorte, sed judicio Senatus populive decerni Consulibus, ut docent exempla apud Liv. *XXXVII.* 1. *XXX.* 27. *XXXV.* 20. Nonnumquam utrisque prorogari solebat imperium; et tunc *Propraetores* vel *Proconsules* dicebantur [r]), quorum illi sex lictoribus, totidemque securibus, hi duodecim utebantur. Qua de re Appianus *Syriac.* c. 15. *Στρατιὰν ἐς ἅπαντας, ἐφεδρεύειν εἰρηνικῶς αὐτοῖς, καὶ στρατηγοὺς ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι, τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσσι καὶ δυώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεώς ἐστι τοῖσδε τοῖς στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεα παράσημα.* *In omnes provincias miserunt exercitus, qui pacate eas observarent; et cum exercitibus imperatores cum senis securibus, quos Praetores vocant, qui, ut insignia Consulum dimidiata, ita dignitatis quoque ac potestatis habent dimidium. Consules enim, ut olim reges, duodecim securibus et duodecim fascibus utuntur.* Add. Plutarch. *vita Paulli c.* 4.

§. 106.

Nova magistratuum provincialium nomina sub Imperatoribus.

Postquam provincias cum Senatu divisit Augustus, alia sensim

r) Ita sese res habuit, temporibus antiquissimis: primusque Coss., cui ita prorogatum imperium, est Q. Publilius Philo: Liv. *VIII.* 26. *in fine.* Idem postea saepius factum esse docent exempla apud Liv. *XXIX.* 13. *XXXV.* 6. et alibi. Deinde et ii Procoss. dici coeperunt et Praetores, qui, nullis antea gestis magistratibus, ad bellum gerendum missi sunt in provinciam. Qualis Procos. fuit P. Cornelius Scipio: Liv. *XXVI.* 18. Propraetor C. Octavius: Cic. *Philipp. IX. c.* 2. Suet. *Octav. c.* 10. Postea invaluit, ut quotannis, antequam novi Consules et Praetores designarentur, provinciae duae Consulibus, et reliquae Praetoribus futuris decernerentur, quas illi designati vel sortirentur, vel inter se compararent, ut finito magistratu in eas proficiscerentur: Sigon. *de ant. jur. prov. II. p.* 125. *Hein.*

in usu esse coeperunt nomina. Nam quos Senatus mittebat Praesides, ii *Proconsules* veteri vocabulo adpellati: quos Imperatores, ii variis deinde nominibus nuncupati, *Legati Augg. pro Consule,* vel *pro Praetore, Praefecti Augustales, Legati Caesarum, Praesides, Procuratores Caesarum* [s]), *Consulares, Correctores, Juridici,* quales aliquando in Italia et Alexandriae, Sex. Rufo *Romani judices*, Straboni *Libro XIII.* *Δικαιοδόται* dicti, quin in minores quasdam provincias *Procuratores Caesarum* ivere, vel *Rationales*, et *Catholici*, de quibus praeter ea, quae diximus *in Pand. P. I.* §. 231. legi merentur Dio Cass. *LIII.* 13—15. Guido Pancirol. *Notit. Imp. Orient. c.* 155. Jac. Guther. *de Offic. Dom. Aug. I.* 5. *sq.* Aliis etiam sub Imperatoribus uti coeperunt insignibus. Consulares fasces; Praesides praeterea vexilla habuere, quae vultum principis praeferebant: *L.* 1. *C. Theod. de Consul. et Praesid. et ibi Jac. Gothofr.*

§. 107.

Quis ejusmodi magistratus constituerit?

Imperium Praesidibus initio lege curiata dabat populus: Cic. *de lege Agrar. II.* 12. provincias ipsas decernebat Senatus, cujus etiam erat, statuere, quas Consulares, quas Praetorias esse vellet, quamvis plerumque eam teneret rationem, ut eas, in quibus tumultuari, aut quas ab hostibus vicinis tentari intelligeret, Consulibus; quietas vero et pacificas Praetoribus decerneret, qui deinde eas inter se vel sortiebantur, vel comparabant: Sigon. *l. c. II. c.* 1. *p.* 125. Id jus deinde veluti postliminio recepit Senatus, lege Sempronia de provinciis decernendis, lata a C. Sempronio Graccho Q. Caecilio et T. Quinctio Coss. A. U. C. DCXXX. Cic. *pro domo sua c.* 9. *de provinc. consul. c.* 11. *Agrar. II.* 12. quum L. Calpurnius Piso Tribunus plebis paullo ante A. DCIV. nova quaedam lege sua invexisset. Extremis reipublicae temporibus, et labente vetere disciplina, multa contra morem majorum excogitarunt Sulla, Marius, Pompejus, Crassus, Caesar, Antonius, quae adcurate satis refert Sigon. *l. c.* donec Augustus, ut dixi, provincias cum Senatu populoque Romano partiretur [t]): Dio Cass. *l. c.*

---

s) *De Procuratoribus Caesarum* add. peculiaris Gfr. Mascovii *Diss.* Altorf. 1724. 4. et in opusc. T. I. p. 1 — 30. *Haub.*

t) Hinc discrimen inter provincias *populares* seu *publicas* et *Caesarum*. Sed saepe harum provinciarum facta est permutatio. Publicas plerasque ad se rapuit

20*

§. 108.

Quomodo ornati?

Ituris in provincias Praesidibus mandata dabat Senatus, quantum pecuniae, quantum exercitum quisque habiturus sit, quod stipendium eum dare, quantum viaticum capere oporteret; et hoc SCto Praesides ipsaeque provinciae ORNARI dicebantur. De quo ritu plura tradunt Is. Casaubonus et Torrent. *ad Suet. Caes. c.* 27. Sigon. *de ant. jure provinc. II.* 1. *p.* 142. *sq.*

§. 109.

Quo comitatu usi sint?

In comitatu Praesidum erant Legati, Tribuni militum, Centuriones, Praefecti, Decuriones, militarium operum rationumque adjutores: praeterea vero scribae, adcensi, praecones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, et, quae quotidianae vitae prope socia fuit, juvenum cohors, quae cohors Praetoria, et quasi Praetoria dicta est, in quem numerum etiam contubernales referendi: Sigon. *l. c. c.* 2. *p.* 149. [u]). Legatos Praesidi aut Senatus dabat, aut hujus permissu adsciscebat Praeses, aut plebs, lata lege, extra ordinem designabat: Cic. *Vatin. c.* 15. Nep. *Attic. c.* 6. Et hi sunt *διὰ τοῦ ἡγεμόνος πεμπόμενοι*, de quibus 1. *Petr.* 2. 14. Numerus eorum non unus idemque semper fuit. Q. Cicero tres secum Legatos duxit in Asiam. Marco fratri in Ciliciam eunti quatuor; Q. Pompejo quindecim adfuerunt. Quamvis vero et ipsi Legati lictoribus et fascibus uterentur: Liv. *XXIX.* 9. non tamen nisi mandatam jurisdictionem habebant, quae quanta esse potuerit, ex *tit. de Officio*

Claudius, quas deinde Senatui sub imperii initio restituit Nero: Tacit. *Ann. XIII.* 4. Sub Trajano etiam Bithynia cum aliis a Senatu ad Imperatores translata est: H. Noris. *Cenotaph. Pisan. p.* 207. Postremo omnes provincias ad se rapuere Principes, nihilque Senatui reliquum fuit ultimis imperii temporibus. *Hein.*

u) Hinc exponenda videtur *L.* 10. *D. de Jurisd.* et *L.* 16. *D. de Off. Praesid.* et inde interpretor *L.* 6. *D. de Poen.* §. 1. *Si quos comitum vel legati sui reos Proconsul invenerit.* Nescio, quae caussa adduxerit Scipionem Gentilem *de Jurisdictione Lib. II. c.* 10., ut *comites* hic pro adsessoribus et JCtis vel studiosis acceperit. Emendat: *Si quos comitum suorum vel legati* etc., quod probat Schultingius in Diss. *de recusatione judicis p.* 49. Miror et magnum Cujacium *Lib. VII. Obss. c.* 22. in libris nostris semper *comites* pro *adsessoribus* sumi dixisse: contra patet ex *L.* 5. *D. de L. Jul. repetund. L.* 7. *in fin. D. ad L. Jul. de Vi publ. L.* 41. *D. de Excusat. tut.* omnes Proconsules et Praesides habuisse comites plures, quorum ministerio in administranda provincia utebantur: vid. Averan. *Interpp. L. III.* 1. *Cann.*

ejus, cui mand. jurisdictio constat, et egregie suo more disquirit Ger. Noodt *de Jurisd. II. 7. p.* 161. Unde Caesar *de Bello Civ. III.* 51. *Aliae sunt Legati partes, atque Imperatoris: alter omnia agere ad praescriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet*, Idem *de Bello Civ. II.* 17. *officium Legati fiduciariam* dicit *operam obtinere.* Reliquorum, qui in comitatu Praesidum fuere, veluti Tribunorum, Centurionum, Praefectorum, scribarum, medicorum, adcensorum, haruspicum, praeconum, (vid. Liv. *XLII.* 49. Cic. *Verrin. II.* 10.) et hujus generis aliorum ministrorum quaenam fuerint officia, ex ipsa veteris rei militaris ac judiciorum ratione facile colligitur. De solis contubernalibus addendum, fuisse ita adpellatos adolescentes, qui percipiendae rei militaris et provinciae cognoscendae caussa Praesides in provinciam erant sequuti: Cic. *pro Coel. c.* 30. et *pro Planc. c.* 11. Ex toto vero illo provinciali comitatu, libera adhuc republica, exsulabant feminae, quas ab Augusti demum temporibus [x]) duci coepisse in provincias, palam est. Hinc M. Seneca *Controv. Lib. IV. controv.* 25. laudat Flamininum, quod exiturus in provinciam uxorem a porta dimiserit. At postquam Augustus quibusdam, quamvis gravate, id concesserat, sensim obsolevit illa majorum disciplina. Hinc et frustra fuit sub Tiberio Caecina, qui morem veterem rovocandum suadebat: Tacit. *Annal. III.* 33. *Inter quae Severus Caecina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur.* Et paucis interjectis: *Haud enim frustra placitum olim, ne feminae in socios aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur.* Sed, ut dixi, nihil profecit Caecina, Valerio Messalino et Druso ei graviter occlamantibus. Hinc saepe uxores cum magistratibus ex eo tempore in provinciis haesisse legimus, veluti uxorem Pilati: *Matth.* 27. 19. Drusil-

x) De ipso quidem Augusto Sueton. *Octav. c.* 24. *Disciplinam severissime rexit, ne Legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere.* Tiberium quoque simile quid sanxisse, patet ex *L.* 14. *D. de Offic. Procons.* Sed non diu haec antiquae disciplinae mansit custodia, ex quo ipse Augustus Liviam; Germanicus Agrippinam in provincias duxerat. Cautum tamen fuerat SCto A. U. C. DCCLXXII. Cotta et Messala Coss. ut, si uxor aliquid deliquerit in comitatu Praesidis, ab ipso marito ratio et vindicta exigeretur: *L.* 4. §. 2. *D. de Offic. Procons. Hein.* Uxorem in provincia habuit Plinius: vid. *Epist. ult. Lib. X.* In *Actis Sanctorum* in *vita S. Juliani c.* 7. §. 31. *uxor Praesidis venit stipata omni familia sua utriusque sexus circiter quinque millibus. Cann.*

lam Felicis, *Act.* 24. 24. uxorem Plinii, ut ex ejus *Epistolarum Libro X.* 121. discimus. Nondum tamen res ordinaria: nec promiscua omnibus licentia. Id enim si fuisset: non sanxisset Alexander Severus, *ut Praesidibus, qui uxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent, in provincias ducere liceret:* Ael. Lampridii *vit. Alex. Sev. c.* 42.

§. 110.

Quomodo profecti sint in provinciam?

Profecturi in provincias Praesides, nuncupatis in Capitolio pro republica votis, atque inde demum paludamento, lictoribus, reliquisque adsumtis imperii insignibus, ad portam urbis ibant, et si quidem nonnulla superessent negotia, extra urbem aliquamdiu morabantur, quum intra urbem cum imperio esse haud possent: sin vero omnia parata essent, salutantibus amicis, et officii caussa aliquantum prosequentibus, iter in provinciam ingrediebantur: Liv. *XLII.* 49. *XLV.* 39. Cic. *Verr. V.* 13. Ubi attigerant provinciam: certiorem de adventu suo faciebant decessorem, ut cum eo congredientes de statu provinciae cognoscerent. Quo facto intra triginta dies illi discedendum erat, id quod lege Cornelia, a L. Cornelio Sulla lata, fuisse statutum, patet ex Cic. *Epist. ad Div. III.* 6. Imo et antequam provinciam ingrediebantur, edicto de adventu suo monebant provinciales, continente commendationem aliquam sui, et maxime deprecante, ne publice vel privatim sibi occurreretur, siquidem id melius in sua quisque patria facere posset: *L.* 4. §. 3. 4. *D. de Offic. Procons.*, ubi et alia, a Proconsule in provinciae ingressu observanda, inveniuntur.

§. 111.

Officia Praesidum.

Quum vero duo essent Praesidum munera, quorum alterum JURISDICTIONE, alterum continebatur IMPERIO: solebant illi ita partiri annum, ut aestatem fere rei militari, hiemem juri dicundo impenderent: Cic. *Epist. ad Att. V.* 14. Et ita quidem libera adhuc republica se res omnino habebat. Augustus autem cum populo partitus provincias, suos quidem Praesides mittebat ita, ut et legionibus praeessent: Dio Cass. *LIII.* 13. non autem ullam partem imperii militaris concedebat Proconsulibus a Senatu in provinciam missis, nisi quod aliquando extra ordinem legiones ducere juberentur:

Lips. *Excurs. ad Tacit. Annal. I. litt. M.* Utrique tamen jus summa auctoritate dicebant. Caussae, quae in litem deducuntur, vel publicae sunt, vel privatae. Privatarum caussarum cognitio vel domestica erat, vel popularis. Domestica intra Praetorium et in cubiculo quaerelis provincialium audiendis, ministrante cubiculario, explicabatur: popularis in basilica ac pro tribunali, scribis, adcensis, praeconibus, lictoribus adparentibus: Cic. ad *Q. Fratr. I.* 1. *med. Constare inter omnes video, — — facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem, non modo illo populari adcessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua et cubiculo esse exclusam tuo.* Ut autem hanc potestatem eo commodius exercerent Praesides: simul ac venerant in provinciam, conventum vel forum in certum diem certumque locum indicebant provincialibus. Et ejusmodi conventus deinde vel plures uno loco, vel singulos singulis locis agebant, ita, ut intra annum omnem provinciam procurrerent: Sigon. *de antiquo jure prov. II.* 5. *p.* 184. Jus eodem ordine dicebant, quo Romae Praetores, adeoque omnia observabant, quae infra *Libro IV.* de Romanorum judiciis dicemus. Id modo addimus, quemadmodum Romae Praetori in consilio erant *Decemviri litibus judicandis:* ita a Praesidibus eorum loco adhibitos fuisse viginti Recuperatores, cives Romanos: Ulpian. *Fragm. I.* 13. Theoph. §. 4. *Inst. Qui et ex quib. causs. manum. non licet.* Commissae Praesidibus erant etiam quaestiones de criminibus, in quibus eamdem denuo rationem tenebant Praesides, quam in urbe Praefecti Praetorio. Habebant enim jus gladii: *L.* 6. *pr. L.* 11. *D. de Off. Procons. L.* 6. §. 8. *L.* 13. *sq. L.* 21. *D. de Off. Praesid.* Neque tamen iis erat jus deportandi in insulam: *L.* 2. §. 1. *D. de Poen. L.* 6. §. 1. *D. de Interd. et releg.* neque liberam mortis facultatem concedendi: *L.* 8. §. 1. *D. de Poen.* neque jus publicandi bona post constitutionem Theodosii et Valentiniani: *L. un. C. Th. Ne sine juss. princ. cert. jud. lic. confisc.* Cujus rei ratio non alia fuisse videtur, quam quod hae poenae fere personis honestioribus, et in dignitate constitutis irrogari solerent, ubi in plebejos gladio animadvertebatur: *L.* 27. §. 1. 2. *de Poen.* Vid. Ulr. Hub. *Digress. III.* 7. [y]). Praeterea etiam rei frumentariae,

y) Praeses in insulam relegare potest inconsulto Principe; deportare non potest, 1. quia merum imperium deferebatur nulli, nisi expressa legislatoris voluntate, idque in partibus imperii demandatis obtinet; 2. ne honestiorum bonis inhiarent, quos deportationis poena plecti plerumque, quum in plebejos gladio

omnisque in universum provinciae curatio penes Praesides erat, uti prolixe docet Sigon. *II.* 5. et 6. *p.* 207. *sq.*

§. 112.

Quaestores provinciales.

Praeter Praesidem in unaquaque provincia etiam QUAESTOR erat, alter magistratus, qui potestatem non a Praeside, sed ab ipso populo accipere solebat. Unde et ipse lictoribus ac scribis usus est: Cic. *pro Planc. c.* 41. Lecti enim a populo Quaestores sortiebantur provincias, eorumque duo urbanas, reliqui provinciales Quaesturas obtinebant: Cicero *Verr. I.* 13. *Epist. ad Q. Fratr. I.* 1. Mortuo in provincia Quaestore, alii interim hoc munus demandabat Praeses, qui *Proquaestor* adpellabatur: Cic. *Verrin. I.* 4. Instituerant autem veteres Romani, ut inter Praesidem et Quaestorem eadem intercederet necessitudo, quae inter parentem et filium: Cic. *Divinat. in Verr. c.* 19. *pro Plancio c.* 11.

§. 113.

Eorum officium.

Caeterum hi Quaestores curabant pecuniam publicam, quae aut ex aerario depromta, in usus provinciae expendenda, aut in provincia exacta, esset in aerarium referenda. Illa pecunia *attributa*, haec *vectigalis* dicebatur. Utramque in tabulas referebant Quaestores, et deinde ubi provinciis decederent, rationes accepti expensique reddebant, et residua inferebant aerario. Nonnumquam Quaestoribus Praesides etiam partem jurisdictionis imperiique demandabant, cujus rei exemplum est apud Caesarem *de Bello Gall. VI.* 6. *Caesar, partitis copiis cum C. Fabio Legato et M. Crasso Quaestore, hostes adiit tripartito.* Add. Cicero *Verrin. I.* 13.

§. 114.

Tributa, quae exigebantur a provincialibus.

Haec de magistratibus provinciarum: proximum est, ut de tertio, quod commune habuerunt provinciae, agamus, de tributis puta et vectigalibus, quibus quam maxime provinciae premebantur. Ro-

---

animadverteretur, recte dicit auctor. Potest tamen Praeses in honore positos deportare, modo consulto Principe id fiat: *L.* 16. *D. ad L. Corn. de Sic.* vel si tumultus aliter sedari nequeat, injungitur et Praesidi, si deportationis poena infligenda videatur, in *L.* 4. *C. de Locat.* reos ad Praefectos Praetorio remittere. Adde *L.* 2. *C. de Offic. Rect. Provinc. Cann.*

mani enim, quum bello aliquem populum vicissent, duabus maxime rationibus cum eo agebant. Aut enim victoriae praemium annuum ei stipendium vel tributum imperabant, unde *census capitis:* aut victos exuebant agris, eosque vel in publicum reipublicae patrimonium redigebant, vel colonos ex urbe eo deducebant, vel eos victis reddebant, et ex eorum proventu aliquam partem reipublicae tribui jubebant: qui *census soli* dicebatur: Cic. *Verrin. III.* 6. *V.* 5. Petr. Burmann. *de vectig. pop. Rom.* 1. Prioris generis populi *tributarii* vel *stipendiarii* vocabantur: posteriores *vectigales*, quamvis non tam anxie semper discrimen inter tributum et vectigal fuerit ab auctoribus observatum: Cujac. *Obss. VII.* 4. Stipendiaria provincia fuit Gallia comata, de qua Sueton. *Jul. Caes. c.* 25. *Omnem Galliam, quae saltu Pyrenaeo Alpibusque et monte Gebenna, fluminibusque Rheno et Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis et tricies centum millia passuum, praeter socias ac bene meritas civitates in provinciae formam redegit, eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit* [z]).

§. 115.

Ut et vectigalia et speciatim decumae.

Aliae provinciae erant vectigales, eaeque ex agris suis *decumas*, ex pascuis *scripturam*, et ex portubus, qui mercibus invehendis et evehendis patebant, *portorium* pendebant, de quibus jam supra diximus *num. LIII. sq.* Sic *decumas* dabant Sicilia: Cic. *Verr. III.* 6. Sardinia: Liv. *XXXVI.* 2. Africa: Gruteri *Inscriptt. p.* DXII. Asia: Cicer. *Epist. ad Attic. V.* 13. Syria: Cic. *Agrar. II.* 29. Aegyptus: Plin. *Paneg. c.* 31. Nonnumquam loco decumae, si minus fertilis esset provincia, vicesima exigebatur, veluti ab Hispanis: Liv. *XLIII.* 2. Saepe etiam, si quando publica necessitas et angustiae temporum id exigerent, provinciis alterae imperabantur decumae ultra debitas, quo casu tamen pecunia pro illis solvebatur aratoribus: Cic. *Verrin. III.* 31. unde etiam *frumentum emtum*, item *decumanum* vel *imperatum* dicebatur. Inter quae quid intersit, docet laudatus Burmann. *de vectigal.* 2. Exempla hujus rei plura occurrunt apud Liv. *XXXVI.* 2. *XXXVII.* 2. et 50. *XLII.* 31. Quum vero, libera adhuc republica, hae decumae non in pecunia, sed in frumento a singulis solverentur

z) De Savigny *über die Röm. Steuerverfassung* in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. VI. p. 348. sqq. Walter *R. G.* p. 224—228. Cf. Schultz *Staatswissensch. d. Römer* §. 70. *Mühl.*

aratoribus: postea sub Imperatoribus confectus est *canon, frumentarius* dictus, quo, quid quaevis provincia quotannis praestare deberet, erat comprehensum, cujus meminit Spartian. *Sever. c.* 8. Ael. Lamprid. *Anton. Heliogabal. c.* 27. cf. Jac. Gothofred. *ad Tit. C. Theod. de Can. frum. V. R.* Ceterum frumentum hoc, sive per decumas, sive secundum canonem, exactum, tum Romae, tum in provinciis, in publicis condebatur horreis, unde postea per curatores annonae populo et militibus distribuebatur: Buleng. *de vect. pop. Rom.* 8. Casaub. *ad Lamprid. Alex. Sev. c.* 39. Lips. *Elect. I.* 8. Jac. Gothofr. *ad tit. C. Theod. de Re milit.* et *ad tit. de Erogat. mil.* Talia erant horrea *Galbiana:* Gruteri *Inscriptt. p. LXXV. n.* 1. Reines. *Inscr. Class. VI. p.* 461. *n. CXXVI.* itemque *Sejana*, *Pupiana*, et similia, de quibus erudite disserit Reines. *Var. Lect. III.* 12. *p.* 545. *sq.* Non solum vero frumenti, sed et vini oleique praestabantur decumae, quae et ipsae Romam ad populi usus mittebantur, ut docet Burmann. *de vectig. pop. Rom.* 2. et 3.

§. 116.

Scriptura.

Non minus pingue vectigal ex pascuis provincialibus redibat et saltibus. Tales enim non solum in Italia erant, sed et in provinciis. Unde *magistrorum scripturae in Asia et Sicilia* meminit Cicero *ad Att. V.* 15. *Verrin. III.* 71. Scriptura vero dicebatur hoc vectigal, quia pastores oportebat apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri: quem publicanus in tabulis suis adnotabat et scribebat, ex qua scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur: Festus sub voce *Scripturarius p.* 429. Sed hoc genus vectigalium sub Imperatoribus aliam induisse faciem, et praeter pensiones ex pascuis dominicis etiam certum numerum pecudum ex gregibus praestandum fuisse a provincialibus, ex Cassiodori *Var. XI.* 39. *L.* 3. *C. Theod. de Suar. pecuar.* Vopisci *Prob. c.* 15. demonstrat V. C. Burmannus *de vectig. pop. Rom.* 4.

§. 117.

Portoria.

Solvebant provinciae etiam portoria. De Sicilia id certum est ex Cic. *Verrin. II.* 72. *sq.* de Asia ex ejusdem *Agrar. II.* 29. de Britannia ex Tacit. *vit. Agric.* 31. Nec tantum de mercibus in portum devehendis dabatur portorium, verum etiam pro itineribus: Sueton.

Vitell. c. 14. maxime pro cadavere, quod nonnisi permissu maximi Pontificis vel Principis transferri in alium locum poterat: *L.* 37. *D. de Relig. et sumt. fun.* [a]). Sustulisse ea vectigalia dicitur Pertinax apud Herodian. *Hist. II.* 4. Sed restituta eadem esse oportet a sequentibus Imperatoribus, siquidem adhuc illorum mentionem facit Ulpianus *L.* 21. *D. de Donat. inter vir. et uxor.* Vectigal tamen pro cadavere transferendo sublatum est constitutione, quae est in *L. ult. C. de Relig.*, quam ex Graecis restituit Jac. Cujac. *Obs. XI.* 21. Plura de portoriis dabit V. C. Petr. Burmannus *de vectig. pop. Rom.* 11.

§. 118.

Alia vectigalium genera.

Praeter haec et alia erant vectigalia, quae in quibusdam provinciis exigebantur. Ex ferrariis argentariisque, imo et aurifodinis vectigalia magna dare cogebantur Hispani: Liv. *XXXIV.* 21. Strab. *Georgr. III.* 2. Africam e marmoribus solvisse vectigalia constat ex *L.* 1. *C. Theod. de Metall.* Macedonia etiam, Illyricum, Thracia, Britannia, Sardinia ex metallis vectigalia pendebant: Petr. Burmannus *de vectig. pop. Rom.* 6. Potestas enim indagandi metalla etiam privatis erat, antequam illis eam ademerat Tiberius: Sueton. *Tiber.* c. 49. *Plurimis etiam civitatibus et privatis veteres immunitates, et jus metallorum, ac vectigalia ademta.* Restituerunt deinde iisdem hoc beneficium sequentes Principes, sed ea lege, ut certum inde *canonem metallicum* solverent, de quo agit *L.* 4. *C. Theod. de Metallar. et ibi* Jac. Gothofredus. Ejusdem generis fuit ex cotibus proventus in Creta insula, de quo Plin. *Hist. Nat. XXXVI.* 22. *med. L.* 15. *D. de Public. et vectigal.* Meurs. *Cret. L. I. c.* 12. *p.* 48. *L. II. c.* 11. *p.* 116. Vectigalis picariarum mentio fit in *L.* 17. §. 1. *D. de V. S.* A vectigali etiam liberae non fuerunt salinae, quales in Macedonia aliisque provinciis fuisse, patet ex Liv. *XLV.* 29. Plin. *Hist. Nat. XXXI.* 7. I. Maccab. 10, 29. *L.* 4. §. 7. *D. de Censib.* De eo quoque vectigali pluribus agit Petr. Burmann. *de vectigal. pop. Rom.* 6.

---

a) Bynkershoekius in *Quaestt. jur. publ. L. II. c.* 22. haec vectigalia in *L.* 37. potius intelligenda censet de iis, quae praest[illegible]r pro equis, navibus, hominibus aliisque, quae cadaver alibi sepeliendum con[illegible]abantur; sed contra militat locus Dionis Cassii *LXX.* 3. Fallitur et Leoninus in *Emendatt. L. II. c.* 10., qui pro *vectigalia* in *L.* 37. reponit *vestiaria. Cann.*

CAP. V.

DE MUNICIPIIS, COLONIIS, PRAEFECTURIS, CIVITATIBUS FOEDERATIS.

§. 119.

Cur hic agatur de municipiis, coloniis etc.

Quid interfuerit inter jura civitatis, Latii, Italiae, et provinciarum, satis adhuc videtur a nobis explicatum. At non omnes in Latio civitates jure Latii, nec omnes in Italia jure Italico, aut in provinciis jure provinciarum usae sunt; sed aliae MUNICIPIORUM, aliae COLONIARUM, aliae PRAEFECTURARUM, aliae aliis nominibus sunt insignitae, de quibus singulis paullo distinctius agendum [b]).

§. 120.

Quid municipia [c])?

Municipes **(Gellio quidem auctore) erant *cives Romani ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo***

---

b) Haud quidem confundenda sunt *municipiorum, coloniarum* et *praefecturarum* jura, neque cum civitate Romana, neque cum Latinorum aut Italico jure; verumtamen non ita erat res proponenda, quasi singulae in orbe Romano civitates aut Latii, aut Italiae, aut provinciarum, aut municipiorum, aut coloniarum, aut praefecturarum usae fuerint jure. Etenim Italiae municipia jure Italico gavisa sunt (eo nimirum, quod Savignius descriptum dedit in *comment.* supra ad §. 97. not. i. laud.), idque subinde etiam compluribus provinciarum civitatibus attributum est (de Savigny *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. I. §. 18. ed. 2.). Praeterea coloniarum aliae erant civium Romanorum, aliae (vel potius pleraeque) Latinorum (Walter *R. G.* p. 203. sq.) in republica vero regenda administrandaque coloniae eadem, ut municipia, uti solebant civitatis forma. In praefecturas Roma quidem mittebatur praefectus duumvirorum loco; caeteroquin praefecturae earumque incolae simili usi sunt conditione, quemadmodum reliquae in Italia civitates. de Savigny *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. I. §. 14. *Mühl.*

c) De re municipali vid. Trekell *l. l. P. I. c. 5. sect.* 2. p. 232 — 312. Mazochii *comm. laud.* P. II. p. 391 — 400. et inprimis Frid. Rothii *de re municipali Romanorum Libri II.* Stuttg. 1801. 8. (ubi I. 4. not. 20. p. 9 — 11. Gellii ab Auctore initio §. 120. adlegati fides labefactatur) atque de Savigny *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. I. c. 2. p. 16 — 49. (§. 6 — 16. ed. 2.) et p. 68 — 72. (§. 24.). Qualis autem municipiorum status sub Imperatoribus priorum seculorum fuerit, nunc cognovimus e Frontonis *Lib. II. ad amicos epist.* 11. *ed. Berol.* (*T. II. p.* 297 — 309. *ed. Mediolan.*), ad quem locum insignem cf. quae animadvertit Niebuhrius p. 218. sq. *Haub.* De civitatum Italiae forma vid. etiam Dirksen *obs. ad Tab. Heracl. partem alteram, quae vulgo aeris Neapolitani nomine venit. Berol.* 1817. 8. (Cf. Ej. *civ. Abh.* T. II. num. 2.) et de Savigny *Volksschl. d. Tafel von Heraclea,* in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. p. 321 — 361.

Romano honorarii participes, a quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus est: Gell. *Noctt. Attic. XVI.* 13. Erant ergo I. *cives Romani,* adeoque multis juribus ac privilegiis, quae solis civibus Romanis propria erant, gaudebant [d]), sed non tamen erant *cives ingenui,* ut Romae habitantes vocat Cicero *in Bruto c.* 75. neque jure optimo civitatis gaudebant, nisi Romae constituissent domicilium. II. *Suis legibus et suo jure utebantur,* i. e. propriis suis legibus atque institutis, quae leges municipales dicuntur: *L.* 3. §. 4. *D. Quod vi aut clam. L.* 3. §. 5. *D. de Sepulcr. viol.* regebantur, neque cogebantur Romanas leges recipere, nisi id sua sponte vellent, quo casu *fundi facti* ejusmodi populi dicebantur: Cic. *pro Balbo c.* 8. Non ergo jus suum vel *αὐτονομίαν* amittebant municipes, jure suffragii donati, prout existimat Sigonius *de ant. jure Ital. II.* 7. sed tantum foedus, i. e. non amplius foederati populi Romani erant, sed cives. Et ita intelligendus locus Ciceronis *pro Balbo c.* 8. *In quo magna contentio Heracliensium et Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis civitatibus* FOEDERIS SUI [e]) *libertatem civitati anteferret.* III. *Muneris cum populo Romano erant participes.* Idque praecipue intelligendum de muneribus militaribus: *L.* 18. *D. de Verb. sign.* Gaudebant enim municipia jure legionis, adeoque participes erant munerum militarium, unde et dicti videntur municipes.

Idemque scite exposuit, *legis municipalis* vocabulum, cujus etiam in Justinianei juris fontibus passim mentio fit (et vel maxime in Dig. titulo *ad municipalem*), duplici esse accipiendum sensu, aut pro lege, cujusque municipii propria, aut pro lege illa, quae communiter municipiis data, seu de communi municipiorum jure scripta esset, (nunc vocant *Städteordnung*), ex earumque numero eam quoque legem fuisse, quae tabula Heracleensi continetur, eandemque *legis Juliae municipalis* nomine venisse, probabiliter demonstravit: *ibid.* p. 362 — 377. *Mühl.*

d) Hinc et lupam cum puerulis solent in numis signare: Vaillant. *de Numism. aen. Imp. in municip. et colon. T. II. p.* 113. *Hein.*

e) Ita editiones Ciceronis priores, et ad veterum librorum fidem adornatae. At Paull. Manutius et postea Ism. Bullialdus *de populis fundis p.* 1. 936. *Tom. II. Thes. Ant. Rom. Graev.* legerunt *juris sui libertatem* pro *foederis sui libertatem,* quae lectio etiam editori Parisiensi Orationum Ciceronis, quae in usum Delphini prodierunt, placuit. Sed antiquam lectionem erudite defendunt H. Vales. in eodem *Thes. Ant. Rom. Tomo II. p.* 1947. *Hein.* Caeterum de causis, quare nonnulli exterorum populorum *fundos fieri,* i. e. civitatem ipsis decretam legesque Romanas accipere recusarint, vid. de Savigny *Volksschl. d. Tafel v. Heraclea,* in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. p. 306 — 308. *Mühl.*

§. 121.

Ea vel Italica vel Provincialis.

Municipia ejusmodi initio nonnisi intra Italiam olim reperiebantur, eoque nomine ante leges Juliam et Plotiam celebrantur Caerites, Tusculani, Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, Fundani, Formiani, Campani, Equites, Cumani, Suessulani, Acerrani, Privernates, Anagnini, Arpinates, Trebulani, Sabini, aliique plures, de quibus Onuphr. Panvin. *de Rep. Rom. III. p.* 354. Car. Sigon. *de ant. jure Ital. II.* 9. Postea ubi extra Italiam arma victricia extulere Romani, etiam in provinciis civitas non una municipiorum juribus donata est. Sic in Baetica Plinius *Hist. Nat. III.* 2. *sq.* numerat municipia *VIII.* in citeriore Hispania *XIII.* in Sardinia *II.* in Lusitania unum. Eodem pertinent tot numi, in quibus civitates provinciales, civitate donatae *αὐτονομίαν* suam celebrant f), de quibus Henr. Noris. *de Epoch. Syro Maced. III. p.* 352.

§. 122.

Triplex municipiorum genus.

Sed non una tamen erat municipiorum conditio. Tria eorum genera distinguit Festus sub voce *Municipium p.* 324. quem locum, a multis laudatum, a paucis intellectum, primus adcurate exposuit Ez. Spanhemius *Orb. Rom. Exerc. I. c.* 12. §. 70. *Primo* ergo, ex Festi sententia, *municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum, ad munus fungendum una cum Romanis civibus, praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo.* Hi ergo, dum in patria manserunt, peregrini habiti g): Romam commigrantes jura civitatis,

---

f) In numis aeneis Imperatorum, a municipiis et coloniis cusis, quos collegit Jo. Foy Vaillantius, occurrunt municipia varia, veluti *Aelium Coillutanum* in Numidia. *T. I. p.* 169. 198. 210. *T. II. p.* 31. 64. 79. *Bilbilis* in Hispania. *T. I. p.* 12. 95. 100. *Calagurris* in eadem. *T. I. p.* 21. 70. *Cascantum* in eadem. *T. I. p.* 71. *Cluvia* in eadem. *T. I. p.* 72. *Ergavica* in eadem. *T. I. p.* 35. 76. 103. *Graccuris* in eadem. *T. I. p.* 79. *Ilerda* itidem Hispanica. *T. I. p.* 36. *Illergavonia* ibidem. *T. I. p.* 77. *Italica* ibidem. *T. I. p.* 37. 51. 78. 92. 96. *Osca* ibidem. *T. I. p.* 38. 78. 95. 103. *Osicerda* ibidem. *T. I. p.* 80. *Stobiense* in Macedonia. *T. I. p.* 132. 135. 143. 149. *T. II. p.* 15. 22. 43. 59. quod tamen tempore Ulpiani juris Italici fuit: *L.* 8. §. 8. *D. de Censib. Tarraco* in Hispania Tarraconensi. *T. I. p.* 47. 53. 83. *Utica* Julia. *T. I. p.* 86. *Hein.*

g) Nostrum, quod municipes, dum in patria manerent, pro peregrinis habitos scripsit, merito reprehendit Trekell *l. l. c.* 5. §. 54. *p.* 309. *sq. Haub.* Cae-

sed non optimo jure consequuti sunt, exclusi quippe a suffragii latione et petitione honorum. *Deinde* et id hominum genus dicebantur municipes, *quorum civitas universa in civitatem Romanam venit.* Et hi quidem veri cives Romani erant, ipsaque jura suffragiorum ac honorum habebant. Unde et certae tribui Galeriae adscriptos fuisse docet Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I.* 1. Tertium denique municipum genus ab eodem Festo memoratur, *qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipes essent suae cujusque civitatis et coloniae:* vel, ut paullo ante dixerat, *qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam a populo Romano separatam haberent.* Atque hi in populi Romani leges et jura fundi non erant facti, nec se iisdem obstrinxerant. Et in his tertii generis municipiis cives non gaudebant jure honorum et suffragiorum. Unde néc tribui erant adscripti, nec participes sacrorum curialium habebantur, sed sua illis erant sacra municipalia, de quibus Festus *l. c.*

§. 123.

Res publicae municipiorum.

Illud adhuc observandum, in municipiis plerisque eam fuisse institutam reipublicae formam, quae imaginem quamdam speciemque reipublicae Romanae referret. Quemadmodum Romae senatus: ita in municipiis Decurionum erat collegium h), quod AMPLISSIMUM ORDINEM apud Cic. *pro Coelio c.* 2. NOBILISSIMUM ORDINEM, in lapide

---

terum maxime admodum varia fuit municipum conditio, nec temere statui potest, quae in unoquoque genere jura inessent. Quid? quod jam Auli Gellii aetate obscura fuere obliterataque municipiorum jura, ut fere ignoraretur, municipia quid, et quo jure essent, quantumque a coloniis differrent (*N. A. XVI.* 13.). Nec profecto certiora scire poterat Trekellus, quam quae e veterum definitionibus licet depromere. Quae si sequamur, haud scio an recte dici possit, municipum tale quoque genus fuisse, qui, quoad in patria remanebant, peregrinorum jure uterentur. Cf. Walter *R. G.* p. 202. Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 495. sq. not. 18. et p. 531. *Mühl.*

h) Hi ita dicti videntur Velsero *Rer. August. V. p.* 74. a decuriis, in quas fuerint descripti. Habebant hi suum censum, non secus ac Romani Senatores, qui erat centum millium: Plin. *Epist. Ep. I.* 19. Quemadmodum etiam Romae iis, qui non fuerant magistratus, nec triumphaverant, ornamenta aliquando Consularia, Praetoria, triumphalia dari solebant: ita et in marmoribus municipiorum frequenter mentio fit ornamentorum Duumviralium, Aedilitiòrum, Quatuorviralium, Decurionalium, veluti apud Spon. *Miscell. erud. ant. p. CLXIV.* EXORNATO ORNAMENTIS DECURIONALIBUS. Inter ornamenta haec erat praetexta, Decurionibus permissa: Liv. *XXXIV.* 7. *Hein.*

apud Gruterum *p. CCCXXI. n.* 3. ORDINEM SPLENDIDISSIMUM in alio *p. CCLXXV. n.* 2. VIROS PERFECTISSIMOS ET PRINCIPALES et ORDINEM SPLENDIDISSIMUM *p. CCCLXIII. n.* 2. ORDINEM SANCTISSIMUM *p. CCCXCIII. n.* 5. ac denique CONSCRIPTOS *p. CCCCLVI. n.* 1. vocari animadvertimus. Quemadmodum porro Romae erant bini Consules: ita in municipiis Duumviri, qui summo loco civitatibus praeerant, et ad Consulum exemplum pro fascibus bacillis utebantur: Lips. *Elect. I.* 23. Sed nonnumquam tamen et fascium usum adfectabant: Cicero *Agrar. II.* 34. de L. Considio et S. Saltio Capuae Duumviris: *Anteibant lictores, non cum bacillis,* (ut alias in municipiis fieri solebat,) *sed, ut hic Praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus.* Quin aliquando hi Duumviri Consulum adfectabant nomen. Quamvis enim id negent Velser. *Rer. Augustan. V.* 272. et Reines. *Var. Lectt. III.* 16. *p.* 603. Capuanos tamen magistratus suos vocasse Consules observat Cic. *in Pis. c.* 11. Alia exempla sese offerunt apud Plin. *Hist. Nat. VII.* 43. Phil. a Turre *de colon. Forojul. p. CCCLX.* Gruter. *Inscriptt. p. CCCXC. n.* 1. Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I.* 3. Fabrett. *Inscriptt. X. p.* 439. 722. *sq.* Sic et Graece ὕπατοι et διςύπατοι Duumviri dicti: Olear. *ad Philostrat. vit. Herod. p.* 546. Conf. Everard. Otton. *Diss. de Consulibus extra Romam c.* 2. In municipiis porro erant Dictatores, (Cic. *pro Milone c.* 10.) Aediles, (Sueton. *de clar. Rhet. c.* 6.) Quaestores, Censores, qui et *quinquennales* dicebantur: Cic. *Verr. II.* 52. Liv. *XXIX.* 15. Gruteri *Inscriptt. p. CCCLXVI. n.* 2. *CCCCXXII. n.* 8. imo et Praetores: Liv. *Epitom. LXXIII.* Plin. *Hist. Nat. XVII.* 11. Spon. *p. CLXXXII.* Quatuorviri, Decem primi, et alii, de quibus Car. Sigon. *de antiquo jure Ital. II.* 8. et omnium adcuratissime Henr. Noris. *Cenotaph. Pisan. Diss. I.* 3. Porro quemadmodum Romae leges ferebantur: ita et in municipiis, idque eadem fere ratione utrobique factum esse, patet ex loco Cic. *de Legg. III.* 16. *Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam.* Denique et Flamines suos habebant, non secus ac Romani, quorum meminit Cicero *pro Milone c.* 10. et publica vectigalia, quibus sumtus in republica necessarii sustinebantur: *L.* 17. §. 1. *D. de Verb. sign.,* ut adeo in omnibus videantur municipes se ad Romanae reipublicae formam, quantum fieri poterat, composuisse.

§. 124.

Coloniae quid? et cur deductae i)?

Haec de municipiis: pergendum ad COLONIAS. Ita vocabantur oppida, in quae populus Romanus cives suos ad incolendum deduxerat, vel, ut Gellius *Noctt. Att. XVI.* 13. ait, *civitates, ex civitate Romana quasi propagatae.* Solebant enim Romani ex Romuli instituto non servitute mulctare oppida bello capta, sed saepe in ea colonos ex urbe deducere, qui locis istis loco praesidii essent: Dionys. Halic. *VII.* 28. Appian. *de Bellis civilib. I.* 7. Et profecto utilissimum erat hoc institutum tum ad coercendos veteres populos, tum ad reprimendas hostium incursiones. Praeterea hoc pacto urbana faex et sentina exhauriebatur, multisque seditionibus subtrahebatur fomentum. Imo et luculentum hoc erat medium praemiis adficiendi veteranos, iisque certos agros, e quibus alerentur, adsignandi: Car. Sigon. *de antiquo jure Ital. II.* 2. *p.* 625.

§. 125.

Modus deducendi colonias.

Coloniae deductionem praecedebant leges agrariae k), quibus et ager, quem dividi vellet populus, definiebatur, et quibus hominibus, quam multis, per quos, et quomodo esset dividendus, praescribi solebat. De quibus legibus agrariis adcuratissime suo more egit Car. Sigon. *l. c.* Lata ejusmodi lege, deducebatur colonia modo per *Triumviros:* Liv. *IV.* 11. *VIII.* 16. [* *IX.* 28. *VI.* 21.] modo per *Decemviros:* Cicer. *Agrar. II.* 35. quamvis et *Quinquevirorum, Septemvirorum, Vigintivirorum coloniae deducendae* hinc inde fiat men-

i) De coloniarum jure: Trekell *l. l. P. I. c.* 5. *sect.* 1. *p.* 187—231. Chr. Glob. Heynii *Pr. I. II. de veterum coloniarum jure ejusque caussis;* in *opusc. T. I. p.* 290—329. Ejusd. *Pr. de Romanorum prudentia in coloniis regendis; ibid. T. III. p.* 79—92. Niebuhr *Römische Geschichte T. I. p.* 301—305. et *Additam. ad p.* 182. de Savigny *l. l. T. I. c.* 2. *p.* 16. (§. 6. *ed.* 2.). *Haub.* Walter *l. l.* p. 203—205. atque inprimis de Savigny *Volksschl. der Tafel von Heraclea. Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. p. 308. sqq. (num. II.), ibique de Asconii Ped. loco ad *Or. in Pison.* (ubi nimirum refert, Cn. Pompejum Transpadanas colonias constituisse non deducendo, sed veteribus incolis jura dando Latii, s. coloniarum Latinarum, „id est, ut gerendo magistratus civitatem Romanam adipiscerentur"): p. 312. sqq. not. l. m. *Mühl.*

k) Qualis erat *Lex Mamilia de coloniis*, ut quidem vulgo vocatur. De qua vide eruditam Rudorffii comment. in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. IX. num. XII. *Mühl.*

tio: quos omnes Decurionibus, Auguribus, Pontificibus, adparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis, mulis, tabernaculis, supellectile, janitoribus, stipatoribus corporis magnifice ornatos, potestatem in certos annos accepisse, non obscure indicat Cicero *Agrar. II.* 12. 13. 35. Hi ergo ita constituti ornatique novos colonos in agros, lege definitos, sub vexillo, quasi exercitum quemdam, educebant: Cic. *Phil. II.* 40. Appian. *de Bellis civil. I.* 24. Plutarchi *Caj. Gracch. c.* 9. *sq.* Ubi ad destinatum pervenerant locum, novam urbem et agrum [1]) aratro circumscribebant, eo more, quem paullo post sequentis libri titulo primo explicabimus, singulisque colonis agri partem adsignabant: Liv. *IV.* 47. *XXXVII.* 57. Omnia vero fiebant auspicato, et factis sacrificiis, additaque lustratione, ut ex Cic. *Philipp. II.* 40. *Agrar. II.* 12. adparet, ex quo etiam constat, nefas fuisse, coloniam iterum eo deducere, quo antea deducta fuerat.

§. 126.

Coloniae quotuplices?

Ceterum, ut municipia, ita coloniae non erant unius generis. Aliae erant CIVIUM ROMANORUM, aliae LATINI, aliae ITALICI Juris. Aliae porro TOGATAE vel plebejae, aliae MILITARES dicebantur. Et has signis quibusdam in numis discerni, observant eruditi. Coloniae enim plebejae aratro; militares signo militari plerumque denotantur. Quae aratrum et signa jungunt, indicant, primam deductionem e civibus, supplementum e veteranis militibus fuisse, ut notat Raph. Fabret. *ad columm. Trajan. p.* 10. *sq.* Addunt alii alia signa, veluti Strauch. *de Beryt. c.* 2. 11. quod coloniae Italici juris praetulerint in numis virum ritu Gabino cinctum, et bovem agentem. Add. *Jo.* Harduinus *Antirrhet. p.* 136. quod Italici et Latini juris coloniae, (quas pro iisdem habet), nullis signis in numis distinguantur. Sed haec omnia plerumque falsa esse, jam alii docuerunt. Vid. Ez. Spanhem. *de usu et praest. numism. Tom. II. p.* 602. et *orb. Rom.*

---

1) De urbe res certa est ex locis Varronis, Plutarchi, aliorumque paullo post *Lib. I. Tit. II. n.* 6. adferendis. Agros quoque vomere circumscriptos, patet ex loco Cicer. *Philipp. II.* 40. *Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur. Hein.* In coloniam, quae auspicato pro more deducta esset, dum ea esset incolumis, nova colonia deduci non poterat, ut ex Cic. *Philipp. II.* colligit Ez. Spanhem. *ad Callimachum p.* 80. *Cann.*

Exerc. II. c. 20. Nos ea, quae certiora sunt, consectantes de coloniarum generibus singulis distincte agemus.

§. 127.

Quid coloniae civium Romanorum?

Coloniae CIVIUM ROMANORUM erant, quas potiore jure, quam Latii, deducebant Romani. Discrimen hoc tangit Liv. *XXXIX.* 55. ubi de colonia Aquilejam deducenda agit. *Illud agitabant*, inquit, *uti colonia Aquilejam deduceretur, nec satis constabat, utrum LATINAM, an CIVIUM ROMANORUM deduci placeret: postremo LATINAM potius COLONIAM deducendam Patres censuerunt.* Utrum istae civium Romanorum coloniae omnia civitatis Romanae jura retinuerint, an eadem amiserint, adhuc disputant eruditi. Car. Sigonius *de ant. jure Ital. III.* 3. iis tantum jura Quiritium tribuit, veluti libertatis, gentilitatis, connubii, patriae potestatis, legitimi dominii, nexus, usucapionis, et si qua sunt hujus generis alia: adimit vero ipsis jura civitatis publica, veluti census, tributorum, vectigalium, suffragii, honorum et similia. At Manutius *de civitate Romana* eos jus quoque ferendi suffragii magistratuumque Romae gerendorum retinuisse contendit, cujus sententiam etiam ex numis adstruxisse sibi videtur Jo. Harduin. *Antirrhet. p.* 136. Et certe cives saepe vocantur ejusmodi coloni apud Liv. *VIII.* 14. *VIII.* 21. Ipsi quoque Latini, qui nomina in coloniam Romanam dederant, cives Romani dicuntur facti: Liv. *XXXIV.* 42. Romae porro censi leguntur hujus generis coloni apud Livium *XXIX.* 37. Unde non absurde colligas, omnia jura civitatis Romanae retinuisse cives colonos. Sed potiorem tamen hac in re esse Sigonii sententiam, luculenter ostendit Ez. Spanhem. *orb. Rom. Exerc. II.* 20. Nihil enim clarius est loco Dionis *XLIII.* 39. ubi Caesarem ait aliis immunitatem, aliis agros, πολιτείαν δέ τισι, καὶ ἄλλοις ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι: *aliis civitatem, aliis autem, ut jus haberent coloniarum Romanarum*, dedisse: ubi jus civitatis Romanae a jure coloniarum civium Romanorum manifesto sejungitur, ut adeo admodum verosimile sit, colonias illas civium Romanorum jura suffragii, gerendorumque Romae magistratuum omnino amisisse.

§. 128.

Quid coloniae Latinae?

Durior longe conditio erat coloniarum LATINARUM, quippe

quae ne jura quidem Quiritium habebant. Quod adeo verum est, ut cives Romani, qui nomina in hujusmodi coloniam dederant, capitis deminutionem mediam paterentur: Cicero *pro A. Caecina c.* 33. *Certe quaeri hoc solere, me non praeterit, (ut ex me ea, quae tibi in mentem veniunt, audias) quemadmodum, si civitas adimi non possit, in colonias Latinas saepe cives nostri profecti sint? Aut sua voluntate, aut legis mulcta profecti sunt: quam mulctam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Add. *pro domo c.* 30. Boeth. *in Topic. Ciceron.* 2. *p.* 780. Quod vero Salmasius cum aliis viris doctis autumat, colonias Latinas ex meris libertinis constitisse, illud dudum est a viris doctis explosum. Plura de coloniis Latinis dabunt Ez. Spanhem. *orb. Rom. Exerc. I. c.* 9. Sigon. *de antiquo jure Ital. II.* 2. *p.* 661.

§. 129.

Quid coloniae juris Italici et provinciales?

Coloniarum ITALICI JURIS jam supra meminimus. Eae procul dubio deterioris adhuc erant conditionis, quam Latinae, paullo melioris tamen, quam provinciales. Discrimen inter utrasque maxime in immunitate a tributis constitit, seu immunitate a censu capitis et soli: Donat. *ad Suet. Aug. c.* 40. *p.* 286. *sqq.* Gothofr. *ad Cod. Theodos. Tom. V. p.* 222. 223. Quamquam enim et provinciales coloniae nonnumquam immunes erant a tributis, ut constat exemplo coloniae Caesariensis primae Flaviae: *L. ult.* §. 7. *D. de Censib.* et Plin. *Hist. Nat. III.* 3. et 21. colonias et civitates immunes ab iis, quae juris erant Italici, distinguit: tamen ex *L. ult.* §. 5. *D. de Cens.* satis patet, non in levatione census, sed immunitate a censu capitis et soli, illud jus constitisse. Forma vero censionis quae fuerit, et cur ea fuerit instituta, satis adparet ex *L.* 4. *D. de Censibus,* cui addendus Jac. Guther. *de offic. Dom. Aug. III.* 9. *p.* 591. [m]).

m) Colonias Italici juris, ut tertiam speciem, a civium et Latinorum coloniis diversam, vulgo repetunt e loco Asconii Pediani *in Pis. c.* 1. *p.* 156. *ed. L. B.* quem Noster, sicut Sigonius, praetermisit. Sed nititur haec Italicarum coloniarum mentio mera conjectura Franc. Hotomani, qui verba mutila Asconii: „*itaque aliae Latinorum essent,*" hunc in modum ex ingenio refinxit: „*erant enim aliae, quibus jus Italiae dabatur, aliae item, quae Latinorum essent;*" quum tamen praestet cum Savignio *Comm. über das jus Italicum.* p. 5. (*Zeitschr. f. gesch. R. W. T. V. p.* 247—250.) ea sic supplere: „*ita ut aliae civium Romanorum, aliae Latinorum essent.*" Simile quid suboluerat jam Ant. Augustino *in litteris ad Onuphr. Panvinium datis p.* 336. *collect. Andres. Haub.*

§. 130.

Quid coloniae militares?

Coloniae MILITARES ex militibus veteranis; quemadmodum PLEBEJAE ex civibus, vel, ut posteriore aevo dicebantur, ex *paganis* vel *privatis*, (nam et hi militibus opponi solebant: *L.* 19. *C. de Pact. L.* 2. *C. Theod. et L.* 1. *C. Justin. de Fals. mon. L.* 5. *C. ad L. Jul. majest.*) ducebantur. Illae ideo inventae, ut veterani milites, stipendiorum diuturnitate fessi, praemium aliquando laborum caperent. Auctor hujus instituti L. Sulla, quem deinde Julius Caesar, Augustus, aliique sunt imitati. De coloniis militaribus a Sulla et Caesare deductis testatur Appian. *de bellis civil. II.* 119. *sq. Epit. Liv. LXXXIX.* de aliis ab Augusto missis Hyginus *de Castramet.* et, qui hic intelligentissime omnia exsequutus est, Sigon. *de antiquo jure Ital. III.* 4. *p.* 776. *sq.* Ceterum in ejusmodi colonias integrae legiones cum Centurionibus ac Tribunis suis deducebantur. Hyginus: *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturae requiem primo tirocinii gradu pervenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac Tribunis deducebantur.* Sed ab usu recessit hic mos tempore Neronis, de quo Tacit. *Annal. XIV.* 27. *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum Tribunis et Centurionibus, et sui cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent; sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia.*

§. 131.

Respublica coloniarum.

Ad rempublicam coloniarum quod attinet, in eo potissimum inter colonias et municipia erat discrimen, quod haec suis legibus atque institutis; illae dato a Romanis jure utebantur: Gell. *Noctt. Attic. XVI.* 13. *Coloniarum alia necessitudo est* (quam municipiorum), *non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt, et jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent.* Iis ergo legibus vivebant coloni, quas dederant Romani, et in primis Decemviri, vel Triumviri coloniarum deducendarum. Quare merito apud eumdem Gellium miratur Hadrianus Imperator, quod Italicenses, et quaedam item alia municipia antiqua, quum suis moribus legibusque uti possent,

in jus coloniarium mutari gestivissent. Ceterum iisdem paene, quibus municipia, etiam coloniae gaudebant magistratibus. Publicum habebant Decurionum consilium, nihilque in lapidibus frequentius est siglis DEC. COL. quemadmodum in iisdem marmoribus etiam SENATORES COLONIARUM occurrunt apud Reines. *Inscriptt. p.* 132. *extr.* Erant et in coloniis Duumviri, Aediles, Quaestores, Censores. Erant sacerdotes, Augures, Pontifices: Cic. *Agrar. II.* 35. ut adeo non abs re Gellius *l. c.* colonias *quasi effigies parvas, et simulacra majestatis populi Romani* adpellet. Addatur Car. Sigon. *de ant. jure Ital. II.* 4. *p.* 666. *sq.*

§. 132.

Quid praefecturae?

Proximae sunt PRAEFECTURAE, quarum longe durior, quam coloniarum, erat conditio. Unde et eae demum civitates in praefecturae formam redigebantur, quae iniquae ingrataeque erga populum Romanum fuerant, fidemque semel atque iterum fefellerant, uti vel ex earum origine apud Liv. *I.* 38. juncto loco Dionys. Hal. *III.* 50. adparet. Parum vero a provinciarum forma differebat forma praefecturarum. Quemadmodum enim in illam quotannis Praesides: ita in praefecturas *Praefecti* mittebantur, qui tamen eatenus a Praesidibus differebant, quod illi a populo, vel a Senatu, libera adhuc republica, deligerentur: hi partim a populo, partim a Praetore. Festus sub voce *praefecturae p.* 374. Praefecturae ergo neque jure civitatis, neque Latii, neque Italico gaudebant, sed privatum eorum jus omne ab edictis Praefectorum, publicum a Senatu Romano proficiscebatur, qui iis pro lubitu tributa, vectigalia, militiam imperabat. Fuere tamen praefecturae aliae aliis liberiores. Quemadmodum enim Capua in praefecturae formam redacta, nullum in urbe remanebat corpus civitatis, nullus Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus, teste Livio *XXVI.* 16. ita in aliis praefecturis, Festo auctore, fuit *quaedam respublica, quamvis magistratus suos non haberent.* Sane fuit in reliquis praefecturis Senatus simulacrum, qui conventus dici solebat, qualem etiam postea, patrono Cicerone, Capuani impetrarunt: Cic. *pro Sext. c.* 4. fuit ordo equestris, fuere, qui publicam rem curarent, Aediles et Quaestores. Sed his omnibus praeerant, qui juris dicundi caussa Roma mittebantur, Praefecti, quos Festus (dummodo ne in mendo cubet locus) *Sexviros* et

Quatuorviros; Horatius vero *Serm. I.* 5. *v.* 34. *sqq. Praetores* adpellat, ubi de praefectura Fundana:

Fundos Aufidio Lusco Praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum.

Praefecturas hujusmodi, in quas populi suffragiis Praefecti mittebantur, Festus recenset Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam: contra Praetor Praefectos, teste eodem, mittebat Fundos, Formias, Caeren, Venafrum, Allicas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reaten, Saturniam, Nursiam, Arpinum: quamquam pleraeque postremis temporibus ad coloniarum vel municipiorum conditionem pervenerunt. Vid. Car. Sigon. *de ant. jure Ital. II.* 10. *sq.* n).

§. 133.

Civitates foederatae?

Reliquae civitates, quae neque municipia, neque coloniae, neque praefecturae erant, civitates FOEDERATAE dicebantur. Erant enim liberae, nisi quod ex foedere quaedam debebant Romanis. Talis civitas foederata erat Capua, antequam in praefecturae formam redigeretur, item Tarentum, Tibur, Praeneste, Neapolis, quae, licet foedere obstrictae Romanis, adeo tamen rempublicam suam habebant, ut et ii, quibus aqua et igni interdictum, civitatem Romanam amisisse viderentur, simul ac in ejusmodi civitatem fuissent recepti. Forma reipublicae varia erat, siquidem aliae Dictatoribus et Consulibus, aliae aliis magistratibus parebant, ut luculenter idem ostendit Sigon. *l. c. II.* 14.

---

n) Praefecturarum conditio in una tantum re deterior fuit statu reliquarum civitatum Italicarum, quod scilicet carerent Duumviris, qui jurisdictioni praeessent, siquidem hujus administrandae causa Praefecti Roma in eas missi sunt. Incolarum autem sors in praefecturis minime durior fuit, quam in municipiis vel in coloniis. Etiam haec primus docuit de Savigny in *Gesch. d. R. R. im Mittelalter T. I. c.* 2. *p.* 39—42. (§. 14. *ed.* 2.). *Haub.* Vid. quae supra notavi ad §. 119. not. b. Fraudi fuit Sigonio aliisque interpretibus Festi locus, ubi Praefecturas appellatas dicit, quae magistratus suos non haberent; magistratus nimirum intelligit eos, qui duumvirorum loco Roma mittebantur (de Savigny *l. l. p.* 64. *not. i.* ed. 2.). Caeterum Praefecturarum alias multo esse deteriori conditione usas aliis, negandum non est; cujus insigne est Capuae exemplum. Liv. XXVI. 16. *Mühl.*

CAP. VI.

DE STATU PEREGRINORUM.

§. 134.

Qui peregrini dicti?

Omnes, qui non erant cives, veteribus Romanis PEREGRINI dicebantur, sive Latini essent, sive Italici juris; sive in provincia, sive in praefectura aliqua morarentur: Schilter. *Dissert. de jure peregrin. n. IX.* Hinc et in Latini juris hominibus τῆς ξενίας σύμβολα, *signa peregrinitatis*, reperit Appian. *de bellis civil. II.* 26. Et legem Mensiam, dum peregrinorum meminit, etiam ad Latinos pertinere, contra M. Vertran. Maurum demonstravimus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. II.* 9. 226. o). Neque tamen negaverim, Latinos, quippe civibus Romanis propiores, aliquando a peregrinis sejungi, veluti apud Ulpian. *Fragm. V.* 4. *XIX.* 4. Postea ubi Antoninus Caracalla civitatem cum omnibus, qui in orbe Romano vivebant, ingenuis communicaverat: soli libertini Latinae et dedititiae conditionis peregrini habiti sunt, ceteri omnes Romani dicti. (Vid. tamen quae notata sunt ad §. 19.) Inde est, quod dedititios peregrinis adcenset Ulpianus *Fragm. XX.* 14. De reliquis omnibus Romani orbis incolis ait Augustin. *in Psalm. LVIII. Part.* 1. *sub fin. Quisnam non cognoscit, gentes subjectas imperio Romano? quae quidem erant, quando omnes Romani facti sunt, et omnes Romani dicuntur.* Quod adeo verum est, ut et universum Romanum imperium *Romania* adpellatum sit, ut pluribus veterum testimoniis demonstrant Casaubon. ad

---

o) Legem Mensiam, si modo ab Aelia Sentia differt (de quo adhuc dubitatur), hac certe non tam recentiorem fuisse (quod vulgo putant), quam antiquiorem, neque ad Latinos coloniarios aut Junianos spectasse, sed ad veteres Latinos (ergo ad peregrinos), e Gajo *I.* §. 78. *sq.* egregie probavit Bethmann-Hollweg *Diss. saep. laud. de caussae probatione c.* 1. *p.* 11. *sqq.* Caeterum de eadem lege Mensia erudita quidem, sed dudum ante Gaji inventionem scripta *Diss.* Christ. Ravii. Lips. 1786. 4. *Haub.* Sanciverat autem Lex Mensia (an *A Sentia?* vid. Hugo *R. G. p.* 379. *not.* 2. *p.* 751. *not.* 2.), ut ex alterutro peregrino natus deterioris parentis conditionem sequeretur. (Ulp. *Fragm. V.* 8. Gaj. *inst. I.* 77.). Itaque ex peregrino et cive Romana natus peregrinus nascebatur. At num hoc tantum in casu, ubi nupta erat Romana peregrino? num et quatenus ad Latinos quoque lex pertinuerit? tum vero, quid hac in re senatusconsultis Hadriani auctoritate factis mutatum fuerit? (vid. Gaj. *I.* §. 78—81. §. 92.) nondum constat inter eruditos. Multa de his ingeniose conjecit Hollweg *l. l.* Cf. et Hasse *Güterr. d. Ehegatten* §. 17. *Mühl.*

Aelii Lampridii Alex. Sev. c. 5. Justell. ad *Can. Eccl. univ. IV. p.* 95. *Tom. I.* Ez. Spanhem. *orb. Rom. Exerc. II. c.* 7. Ex quo vero Justinianus etiam libertinos civitatis Romanae fecit participes: exolevit paene peregrinorum nomen, totiusque orbis incolae in *Romanos* et *Barbaros* divisi sunt, quos solos una cum servis in *ea unica totius mundi civitate peregrinari,* dicit Sidonius *Epist. I.* 6. Quemadmodum ergo omnes Romani Imperii provinciae *Romaniae* vocabulo veniebant: ita reliquae terrae dicebantur ἡ βάρβαρος, vel *barbaricum*, eadem forma, qua veteres dicere solebant *hosticum*, *pacatum*, *Vindelicum*, *Noricum*, *Celticum*, *Geticum*, ut praeclare docuit Jo. Frid. Gronov. *Obs. II.* 3. *p.* 233.

§. 135.

Peregrinis in urbe Praetor singularis jus dicebat.

Libera adhuc republica paullo durior erat peregrinorum conditio. Versari quidem in urbe poterant, sed ita, ut sejuncta a civibus esset in peregrinos jurisdictio. Praeter urbanum enim Praetorem alius quoque erat, peregrinus dictus, qui juri inter peregrinos et cives dicundo praeerat: *L.* 2. §. 28. *D. de Orig. jur.* Creatus primum est A. U. C. DX. p), ut auctor est Flor. *Epit. Liv. XIX.* Inter urbanum vero et peregrinum Praetorem quum aliae, tum hae quoque erant differentiae, quod ille hoc erat honoratior, quod apud illum lege agi poterat, apud hunc non poterat, ut erudite ostendit Franc. Hotoman. *de Magistr. Rom. p.* 121. q). Eumdem edictum in albo proponere consuevisse, quod negat idem Hotomanus, supra suo loco a nobis demonstratum est.

§. 136.

Saepe ex urbe expellebantur.

Deinde in urbe quidem habitabant peregrini: sed veluti precario. Unde saepe magistratuum arbitrio urbe expulsi sunt. Sic jam A. U. C. DCXXVII. peregrinos omnes urbe excedere jusserat M. Junius Pennus, Tribunus plebis, cujus legis mentio fit apud Ciceron. *de Offic. III.* 11. in *Brut. c.* 28. et Festum sub voce *respublica p.* 407. Similem legem A. U. C. DCLXXXVIII. L. Cotta et L. Torquato Coss.

---

p) Vel potius DVII. Vid. quae notavimus ad. §. 20. Tit. II. huj. libri. *Mühl.*

q) Vid. Gaji *inst. IV.* 104. 105. et cf. de Savigny in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W. T. IX. p.* 335. *Mühl.*

tulit non Aemilius quidam Papus [r]), nec, ut Ant. Augustino visum, Papirius quidam, sed C. Papius Celsus, qui omnes peregrinos, exceptis iis, qui Italiam incolebant, et Glaucippo nescio quo, urbe exesse jussit: Dio Cass. *XXXVII.* 9. Cic. *de Offic. III.* 11. *Agrar. I.* 4. *pro Archia c.* 5. [s]). Idem deinde factitarunt Imperatores, quoties arctior annona incolarum numerum imminui suaderet. Augustum *magna quondam sterilitate, ac difficili remedio, venalitias et lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, partemque servitiorum, urbe expulisse*, auctor est Sueton. *Aug. c.* 42. Idem suo tempore factum, conqueritur Ambros. *de Offic. III.* Sed posterius hoc exemplum de barbaris, Romae commorantibus, videtur intelligendum. Nati enim in orbe Romano tantum abest, ut Roma exsularint, ut maximam plebis Romanae partem constituerent sub Imperatoribus, maxime ex quo tempore omnes, qui in orbe Romano vivebant, cives esse jusserat Antoninus Caracalla. Jam sub Domitiano ea de colluvie conqueritur Juvenalis *Sat. III. v.* 58. *sqq.*

Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos praecipue fugiam, properabo fateri;
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem, quamvis quota portio faecis Achaei?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas.

Et Herodianus *Hist. I.* 12. referens, pestilentiam sub Commodo Romanum orbem devastasse, eam potissimum addit in civitatem Romanam saeviisse, πολυάνθρωπόν τε οὖσαν, καὶ τοὺς πανταχόθεν ὑποδεχομένην, *quae et per se populo abundarit, et advenas toto orbe confluentes exceperit.* Idem *L. VII. c.* 7. populi Romani indolem, qualis sub Maximino Imperatore fuerit, descripturus: Καὶ πάντες μὲν, inquit, ὄχλοι κοῦφοι πρὸς τὰ καινοτομούμενα· ὁ δὲ Ῥωμαίων δῆμος ἐν

r) Ita existimaverat nescio quis, quem erudite refellit Car. Sigon. *de Nomin. Rom. p.* 1426. edit. Gothofr. *Hein.*

s) Monumentum hujus legis Papiae egregium exstat in numis L. Papii Celsi, C. illius Papii legislatoris adgnati, in quibus tabella conspicitur, cum litteris PAPI, quam de lege hac Papia interpretantur Ez. Spanh. *de usu et praest. numism. VI. p.* 180. Fulv. Ursin. *de Famil. Rom. p.* 196. Adde, quae de hac lege diximus plenius in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Popp. I.* 3. *Hein.*

πλήθει μεγίστῳ καὶ ποικίλῳ, συγκλύδων τε ἀνθρώπων, πολὺ καὶ ῥᾴδιον ἔχει τὸ τῆς γνώμης εὐκίνητον. *Nam etsi ubique vulgus semper ad res novas levissimum: tamen Romana plebs in primis, quae ex magna variaque etiam peregrinorum multitudine constat, longe ceteris mobilior est.* Et sane tot Romae Syri, Phoenices, Aegyptii, Afri, Graeci, Asiatici non modo inter plebejos erant, sed et summis fulgebant honoribus, ut nihil fere Romani sanguinis Romae superesse videretur, et urbem incolis privaturus fuisset, qui jussisset urbe excedere peregrinos.

§. 137.

Jure Quiritium et civitatis carebant peregrini.

Quod ad jura peregrinorum attinet: paucis omnia complectemur, si eos tum juribus Quiritium, tum jure publico civitatis, plane caruisse dixerimus. Non ergo liberi erant jure Quiritium ita, ut flagris virgisque caedi non possent. Neque erat ipsis jus connubii cum civibus: Ulpian. *Fragm. V.* 4. (quamvis esset jus matrimonii, quod vocabulum juris gentium esse docuimus in *Elem. Jur. civ.* §. 150.) neque jus patriae potestatis: *L.* 3. *D. de His, qui sunt sui vel alieni jur.* neque jura patronatus: *L.* 10. §. 2. *D. de In jus voc.* Plin. *Epist. X.* 22. neque testamentifactio [t]), aut jus ex testamento quidquam capiundi: *L.* 1. *pr. D. ad L. Falc.* Ulpian. *Fragm. XX.* 14. *L.* 1. *C. de Her. inst. L.* 6. §. 2. *D. eod.* Imo nec testibus eis esse licebat in testamento civis: *L.* 30. *C. Theod. de Haeret.* Denique nec jus habebant legitimi dominii, nexus, mancipii, (quamvis recte ab iis iniri et explicari possent contractus et negotia juris gentium, quibus etiam acceptilatio, non quidem ratione originis, sed ratione usus adcensetur: *L.* 8. §. 4. *D. de Acceptilat.*) nec jus usucapionis, de quo jam in XII Tabulis fuerat cautum: ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS ESTO. Vid. infra *Lib. II. Tit. VI.* Quum ergo jus Quiritium nullo modo haberent: facile patet, eos multo minus gavisos juribus census, legionis, tributorum, suffragii, petendorum honorum, aliisque hujus generis.

---

t) Hinc mortuo peregrino, bona aut tamquam vacantia in fiscum cogebantur, aut privato adquirebantur, si peregrinus se ad aliquem veluti patronum adplicuisset, eique in clientelam dedisset. Tunc enim, illo mortuo, patronus JURE ADPLICATIONIS in istius peregrini bona succedebat: Cic. *de Orat. I.* 39. *Hein.*

§. 138.

Exceptiones quaedam hujus regulae.

Sed quamvis haec omnia recte se habeant: non unam tamen admittunt exceptionem. Primo enim, ut supra diximus, haud paullo melior erat conditio Latinorum et Italorum, qui tamen et ipsi peregrinis ante legem Juliam adcensebantur. Deinde multis peregrinis concedebantur quaedam jura Quiritium, vel beneficio populi, vel clementia Principum. Sic jam supra observavimus, datum esse quibusdam peregrinis jus connubii, patriae potestatis, testamentifactionis. Et hoc est celebre illud jus, utendi toga, cujus mentio fit *L.* 32. *D. de Jure fisci.* Adcedit tertio, quod, licet jure Quiritium testari haud possent peregrini, liceret tamen eis *adversus civitatis suae leges testari* u), uti ait Ulpianus *Fragm. XX.* 14. Ubi *adversus* idem esse ac *secundum*, jam pridem observarunt viri eruditi x). Quarto, multa etiam in fraudem legum commodumque peregrinorum fuerant inventa. Sic tametsi nihil ex testamento capere posset peregrinus: recte tamen et jure aliquamdiu capiebat per fideicommissum: §. 1. *Inst. de Fideicomm. hered.* quamvis postea omnia fideicommissa in fraudem legum relicta, irrita esse jusserit SCtum Plancianum: *L.* 59. §. 1. *D. ad L. Falc.* Ulp. *Fragm. XXV.* 17. quod sub tempora Vespasiani, M. Plancio Varo Consule ad Senatum referente, conditum esse, conjecimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Popp. II.* 6. *p.* 192. *sq.* Denique multa sensim sub Imperatoribus mutata sunt, quae antiqui Romani in peregrinorum odium constituerant. Sic quum *castra olim eos, quos ad labores et pericula accipiebant, fastidiose legerent;* ut ait Seneca *Epist.* 44. postea etiam provincialibus, ac denique ipsis barbaris, locus non solum inter auxilia et socios, sed et in ipsa legione, concessus est, ut jam supra est a nobis observatum.

---

u) Hinc et ii, quibus aqua et igni interdictum fuerat, quamvis ad peregrinitatem essent redacti, testari tamen poterant, secundum leges videlicet civitatis, in quam fuerant recepti, et sub Tiberio adhuc exemplum ejusmodi testamenti memoratur apud Tacit. *Annal. IV.* 43. Sed hic ipse Princeps ejusmodi exsulum testamenta primus prohibuit, teste Dione Cass. *Hist. L VII.* 22. *Hein.*

x) Propius tamen abesse videtur a veritate, *adversus* (pro secundum) e siglarum aut confusione aut perversa interpretatione esse enatum. Vid. Böcking *ad Ulp. Fragm. XXVIII.* §. 1. *not.* 217. et Lachmann *kritischer Beitrag zu Ulpian's Fragm.* in d. *Zeitschr. für gesch. R. W. T. IX. num. VII. p.* 203. *Mühl.*

§. 139.

Peregrinis non erat jus togae.

Quum ergo tanta esset inter cives et peregrinos differentia; haud sane mirandum est, etiam externis quibusdam signis secretos illos voluisse Romanos. Cives incedebant togati, qui togae amictus tam proprius iis erat, ut et *togati* pro Romanis, quemadmodum *palliati* pro Graecis, dicantur. Sicuti ergo dedecori hoc erat Romanis, si palliati incederent: Cic. *pro C. Rabirio c.* 4. ita peregrinis togae usu legibus fuerat interdictum: Sueton. *Claud. c.* 15. Plin. *Epist. IV.* 11. *VII.* 3. adeoque speciali concessione opus erat peregrinis, qui togati incedere vellent: *L.* 32. *D. de Jure fisci* [y]). Erat vero toga amictus exterior, laneus, semicircularis, tunicae superinjectus, apertus [z]), et ad talos usque defluens, quem pluribus describunt A. Ruben. *de re vest. I.* 6. *p.* 39. Jo. Bapt. Donius *de utraque penula.* Car. Sigon. *de judic. III.* 18. Ceterum quamvis communis hic esset civium habitus: ordines tamen insignibus quibusdam distinguebantur. Magistratus enim toga praetexta; Senatores lato clavo; Equites angusto clavo [a]) uti solebant. Enimvero exolevit sensim ipsos inter Romanos togae usus [b]), magisque placuere tunicae et birri, ut magno eruditionis adparatu ostendit Claud. Salmas. *Adnot. ad Tertullian. de Pallio p.* 79.

§. 140.

Nec praenomina habebant.

Sic et nominibus discernebantur cives et peregrini: siquidem illi etiam praenominibus, hi solis nominibus utebantur, neque prius

---

y) Glossae ergo figmentum est, in ea lege *togam* accipi pro *munere* advocati. Vid. Schilter. *diss. de jure peregrin. n. XXVII. Hein.*

z) Octav. Ferrarius *de re vestiar.* probare conatus est, togam Romanorum clausam fuisse. At omnes statuae veteres repugnant, quod solide demonstravit Rubenius, quem Antiquarii plerique sequuntur. *Hein.*

a) Latus clavus Senatorum et angustus Equitum purpurea linea aut virga fuit oblonga clavi longi instar tunicis adsuta, adeoque non clavi caput rotundum referens, quae Octavii Ferrarii opinio fuit, quam Rubenius quoque recte confutat. *Hein.*

b) De Augusto Sueton. *Octav. Aug. c.* 40. *Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans: En,*

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!

Unde patet, jam ipsis Augusti temporibus togae usum exolescere coepisse. *Hein.*

praenomina accipiebant, quam essent in civitatem adsciti: Cic. *Epist. ad Div. XIII. 36. Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella, rogatu meo, civitatem a Caesare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Ex quo loco etiam adparet, ipsa gentilia etiam nomina, ut et cognomina eorum adscivisse peregrinos, a quibus vel quorum ope fuerant civitate donati, vel alio adfecti beneficio [c]). Id quod etiam ex praecedente epistola discimus, ubi de Philoxeno, qui postea C. Avianus dictus est: *Nomen autem Aviani*, inquit, *sequutus est, quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Aviano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo.* Sed ne nimium excrescat haec adpendix, hic quidem ei finem imponere visum est.

---

c) Peregrini cives facti duo priora nomina, aliquando et tria illius adsumebant, cujus opera civitatem consequuti erant, aut in cujus clientelam, postquam civitatem acceperant, erant recepti. Latius haec ostendit Henr. Cannegieterus in libro singulari *de mutata Romanorum nominum sub Principibus ratione c. 6. Cann.*

LIB. II. TIT. I.

DE

RERUM DIVISIONE, ET ADQUIRENDO IPSARUM DOMINIO.

Quum superiore libro de jure personarum exposuerit Justinianus: hoc secundo, Gajum sequutus ducem, DE REBUS agit. Quare rerum divisiones paullo adcuratius ac distinctius ex antiquitatibus Romanis proponere, atque hinc inde illustrare juvabit. Ceterum *res* et *pecunia* quomodo differant in jure nostro, ex *L.* 5. *pr. D. de Verb. sign.* satis notum est.

§. 1.

Prima rerum divisio.

Summa rerum divisio, ut recte observat Gajus: *L.* 1. *D. de Divis. rer.* [a]) in duos articulos deducitur. Aliae enim erant DIVINI JURIS; aliae HUMANI. Illae iterum in SACRAS et RELIGIOSAS dividebantur. SANCTAE enim, quae addi solent, tantum *quodammodo divini juris* habebantur, *ut diligentius urbs religione, quam moenibus, cingeretur:* Cicero *de Nat. Deor. III.* 40.

§. 2.

Res sacrae.

Res SACRAE dicebantur, quae publico civitatis instituto auctoritate Pontificum erant sollemniter consecratae [b]): Festus sub voce *sacer p.* 417. quales erant arae, aedes, donaria [c]), et quidquid fuerat

a) In Aniani compilatione, in qua is locus aliter legitur, totum hoc Gaji fragmentum interpolatum esse, unicuique patet: Aleand. *Not. ad Gaji Inst. II.* 1. 1. *Hein.* Jam e genuinis Gaji commentariis, quantopere in Visigothorum Gajo locus ille interpolatus sit, cognosci poterit, *II.* §. 2 — 8. *Mühl.*

b) Henr. van Alphen (potius: Laur. van Santen) *Diss. ex jure Romanorum publico de rei consecratione.* L. B. 1791. 4. Adversus *rei sacrae* notionem ab Heineccio h. l. propositam nonnulla docte monuit Jo. Dan. Ritter *Diss. de Fetialibus populi Rom.* c. 2. §. 13. *not.* 2. *p.* 25. *sq. Haub.* Tuetur tamen Auctoris definitionem praeter Festum (*L. l.* §. *Gallus Aelius*) etiam Gajus *I.* §. 5. Ceterum non erat omittendum, *superis Diis* consecrandas fuisse res, quae sacrae fierent; Gaj. *II.* §. 4. Cf. et Cic. *Top.* 23. *Mühl.*

c) Aliae erant res *sacro commendatae,* ut vocat Cicero *de Legg. II.* 9. Hae enim non consecratae erant Diis, sed tantum securitatis caussa in templis depositae: Cic. *de Legg .II.* 16. Sane in templis et delubris securitatis caussa deponi solebant res pretiosissimae. In templo Saturni et Opis adservabantur leges, SCta,

Diis consecratum. Et quidem uni Deo publice consecratae aedes, *fana;* pluribus simul, tamquam συμβώμοις, dedicatae *delubra* dicebantur: Is. Voss: *ad Pomp. Mel. II.* 3. *p.* 147. Publice, inquam, consecratae. Nam vel Senatus auctoritas, vel populi jussus, vel Principis decretum adcederet oportebat [d]). Privata enim auctoritate nihil fiebat sacrum [e]). Vid. Guther. *de jure pontif. III.* 12. Templa sacra fiebant *inauguratione,* dum Augures spatium sollemniter capiebant: Tacit. *Hist. IV.* 83. Id enim dicebatur *inaugurari:* Cic. *pro domo c.* 53. Quaecumque vero loca non erant inaugurata, ea non *templa* dicebantur, sed *aedes sacrae:* Gell. *Noctt. Attic. XIV.* 7. Sequebatur II. *lustratio areae*, quae fiebat a militibus, *quibus fausta erant nomina, felicibus ramis; quibus succedebant virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis et matrimis, quae aqua vivis e fontibus amnibusque hausta universam aream perluebant.* Denique et magistratus aderant, qui, *praeeunte Pontifice, suovetaurilibus lustrabant spatium, et super caespitem reddebant exta, ac denique precati Deos, uti suas sedes divina ope attollerent*, fundamenta sollemniter jaciebant, injecto ingente saxo: Tacit. *Hist. IV.* 53. [f]). Lapis ejusmodi dicebatur *auspicalis,* qualis describitur apud Gruterum *Inscriptt. p. XXXIX. n.* 5. Absoluta aede, etiam III. *dedicatione* opus erat, peragenda a magistratu majore, qui, praeeunte Pontifice, sollemne carmen recitabat [g]),

---

pacta, foedera et pecuniae publicae. Severus Imperator pecunias suas et thesauros in templis reposuerat: Herodian. *Hist. IV.* 4. Quin imo in Pacis templum, omnium opulentissimum et egregie munitum, universas ferme suas divitias congregasse, refert idem auctor *L. I. c.* 14. Unde et templa custodiis militaribus cincta fuisse, observat Lips. *Not. ad Tacit. Annal. Lib. I. p.* 17. *Hein.*

d) Ad quem jus consecrandi pertineret, vid. Jac. de Rhoer *Otium Daventriense Lib. I. c.* 4. *Cann.*

e) Alia erant sacra privata, alia privata auctoritate instituta. Illa licita erant, (*Lib. I. Tit. X.* §. 4.) haec vero ideo prohibita, ne religiones peregrinae introducerentur: Bynkersh. *de relig. peregr.* Idem apud Athenienses obtinebat, ubi capitale erat mysteria domi facere: Corn. Nep. *Alcibiad. c.* 3. *sub fin. Hein.*

f) Quod Tacitus tradit, adplicandum unice restitutioni Capitolini. Vid. de Rhoer *l. c. Cann.*

g) Ab his sollemnibus verbis templa etiam FANA dicta sunt: Fest. sub voce *fanum p.* 287. *Fanum a fano dictum, sive a fando, eo quod, dum Pontifex dedicat, certa verba* FATUR. Ita et Varro *de Lingua Lat. V.* 7. *p.* 38. Argutiora enim sunt illa Is. Vossii *ad Pompon. Mel. p.* 147. fanum derivantis a Graeco ναός, να Fός, unde transpositione Aeolica factum *fanus* vel *fanum.* Plutarchus in *Poplic. c.* 14. sollemne istud carmen vocat νενομισμένας ἐπὶ τῇ καθιερώσει φωνάς, *legitima dedicationis verba. Hein.*

postem manu tenens h): Liv. *II.* 8. Cic. *pro domo c.* 47. Valer. Max. *V.* 10. Gruteri *Inscriptt. p. XXIII. n.* 12. Formulas, ut solet, magno studio collegit Barn. Brisson. *de Formul. I. p.* 124. Ut vel unam exempli caussa proferamus, Jovi Feretrio templum his verbis dedicavit Romulus: JUPITER FERETRI, HAEC TIBI VICTOR ROMULUS REX REGIA ARMA FERO, TEMPLUMQUE IIS REGIONIBUS, QUAS MODO ANIMO METATUS SUM, DEDICO, SEDEM OPIMIS SPOLIIS, QUAE, REGIBUS DUCIBUSQUE HOSTIUM CAESIS, ME AUCTOREM SEQUENTES POSTERI FERENT: Liv. *I.* 10. Solebant denique dedicationi *IV. leges* quaedam adjici, quales hinc inde in vetustis marmoribus leguntur, recensitae ab eodem Brisson. *de Form. I. p.* 125. Adcedebant demum epulae et sportularum distributiones, vel publico nomine, vel a privatis factae, quarum meminit marmor apud Reinesium *Class. I. p.* 131. *n. XCIX.* Quibus omnibus rite peractis, ita occupasse locum credebatur religio, ut numquam esse posset in dominio privati, etiamsi aedes essent dirutae aut vetustate collapsae: Plin. *Epist. X.* 76. *L.* 6. §. 3. *D. h. t. L.* 73. *D. de Contrah. emt.* Unde Macrobius *Saturn. III.* 3. sacra *Deorum haberi*, id est, in Deorum dominio esse, ait. Sacrae tamen res esse desinebant exauguratione, quae fiebat per evocationem sacrorum: *L.* 9. *D. h. t.* quo de ritu videndi Macrobius *Saturn. III.* 9. Jac. Raevard. *Conjectan. II.* 17. Brisson. *de Form. I. p.* 54. 63. 64. [Jo. Guil. de Berger et Henr. de Cocceji in Dissertationibus *de evocatione sacrorum.*] Captae quoque ab hostibus res sacrae esse desinebant, liberatae tamen, quasi postliminii jure pristinam recuperabant sanctimoniam: *L.* 36. *D. de Relig. et sumt. fun.* Unde facile patet, cur Romani hostes DIVINA HUMANAQUE omnia dedere juberent: Liv. *I.* 38.

§. 3.

Res religiosae i).

Religiosae res non minus, ac sacrae, juris Pontificii erant, ut

h) Unde et *manu consecrationes fieri* dicebantur: Cicero *de Legg. II.* 11. Et Ovid. *Fast. I. v.* 403.

Sacra vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu. *Hein.*

Pontifex postem manu tenebat: Seneca *de Consolat. ad Marciam* c. 13. *Cann.*

i) Ge. Chph. Platz Diss. *de religione sepulcrorum.* Lips. 1725. 4. Trekell *ad Brissonii Antiquitt.* II. 14—16. Opp. min. p. 54—58. Is. Valckenaer Diss. *de jure exsequiarum.* L. B. 1781. 4. *Haub.*

patet ex fragmento Ciceronis apud Nonium Marcell. *H.* 805. *p.* 582. Unde etiam *sanctae* aliquando dicuntur, tamquam sanctione a Pontificibus munitae: Gell. *Noctt. Att. IV.* 9. Statim vero locus fiebat religiosus, si quis mortuum in locum suum intulisset: *L.* 6. §. 4. *D. h. t.* [k]) sive id liberi hominis esset cadaver, sive servi: *L.* 2. *D. de Relig. et sumt. fun.* Unde et Divi Fratres cenotaphium religiosum esse negant: *L.* 7. *D. de Rer. divis.* quamvis aliud visum fuerit Marciano in *L.* 6. §. *ult. D. eod.* ubi conferendus Ampl. Bynkersh. *Obs. I.* 5. Ante rescriptum illud cenotaphium religiosum habitum esse, [quia et istud Diis Manibus dedicari solebat: Henr. Noris. *de Cenotaph. Pisan. III.* 2. *sq.*] vel ex illis Virgilii *Aeneid. III. v.* 303. *sqq.* patet:

— — — — *Manisque vocabat*
Hectoreum ad TUMULUM: *viridi quem cespite* INANEM,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras [l]).

Religiosa ejusmodi loca semper erant extra urbem [m]), in agris, et maxime propter vias publicas. Unde tam frequens *viatorum* mentio fit in antiquis monumentis.

§. 4.

Qualia Romae sepulcra fuerint?

Religiosa habebantur sepulcra, quia dedicata erant *Dis Manibus.* Haec qualia apud Romanos fuerint, paullo adcuratius est explicandum. Unusquisque sepulcrum sibi in suo aliquo fundo deligere solebat. Bene tamen de republica meritis locus publice dari: Reinesius *Inscriptt. Class. VI. p.* 409. *n. XXXII.* pauperibus et minus

---

k) Caeterum et in alienum locum, concedente quidem domino, inferre licebat mortuum, eoque facto locum facere religiosum (*L.* 6. §. 4. *D. h. t.*), unde mirandum, quare plerisque placuerit sententia existimantium, in provinciali solo non fieri locum religiosum, quoniam in eo solo dominium populi Romani sit, vel Caesaris, Gaj. II. 7. ubi tamen additur, ejusmodi locum *pro religioso* haberi, i. e. eodem jure aestimari, atque si proprie factus sit religiosus. *Mühl.*

l) Religiosum habitum cenotaphium Virgilio, non sensu juridico, sed grammatico. Latius egi de cenotaphiis singulari capite, quo de illorum religione disputavi. [' *Obss. jur. Rom. III.* 5.] Miratus sum, haud ita pridem virum doctum *cenotaphia* cum *cepotaphiis* confudisse, quae diversa esse norunt omnes. *Cann.* Est vero cepotaphium hortus sepulcro religiosus factus. Forcellini Lexic. h. v. *Mühl.*

m) Non licebat enim per Leges XII Tabularum mortuum intra urbem sepelire: Cicero *de Legg. II.* 23. Quam legem firmarunt Hadrianus *L.* 3. §. 5. *D. de Sepulcr. viol.* et Diocletianus et Maximianus Augg. *L.* 12. *C. de Religios. Hein.* In urbe tamen honoratioribus saepe sepulcra constituta fuisse constat. *Cann.*

locupletibus indulgentia Pontificum attribui solebat: Idem *Inscriptt. Class. XVII. p.* 815. *n. I.* Aliquando plebem sibi conciliaturi praedium aliquod sepulcris pauperum destinabant, veluti Baebius Gemellius Sassinas, qui in monumento apud Reinesium *Class. VII. p.* 489. *n. XX. municipibus singulis incolisque loca sepulturae dat, circa suum praedium, extra qui sibi laqueo manus intulerint* [n]), *et qui quaestum turpem professi sint.* Ditiores plerumque eo loco exstruebant pyramidem, columnam aliamve molem splendidam, e marmore plerumque solido, unde et *domus marmorea* pro sepulcro dicitur: Tibull. *III.* 2. 22. Et quamvis, quantum sumtuum sepulcris impendi posset, edicto Aedilium expressum esset, teste Cicerone *Philipp. IX.* 7. *Epist. ad Attic. XII.* 34. 35. 36. Reinesii *Inscriptt. Class. II. p.* 292. *n. LXXIII.* [o]), tanta tamen, gliscente luxu, ea in re Romanorum magnificentia eluxit, ut eam non sine stupore in marmoribus et monumentis intueamur. In ipsis sepulcris specus subterranea dicebatur HYPOGAEUM, ubi locus erat certo ollarum vel urnarum numero destinatus, qui OLLARIUM vocabatur: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCCXXXV. num.* 9. Reinesii *Inscriptt. Class. XI. p.* 664. *n. C.* vel SCHOLA OLLARUM: Reinesii *Inscriptt. Class. XVI. p.* 808. *n. LIII.* Jus enim sepulcrorum erat diversum. Alia plures, alia pauciores urnas habere poterant. In inscriptione Reinesiana *Class. XVI. p.* 801. *n. LX.* sunt OLLAE SINGULARES PERPETUAE V. In aliis monumentis numerantur *XX.* Idem *Inscriptt. Class. XVI. p.* 808. *n. LIII.* in aliis *XXIV.* Idem *Class. XIV. p.* 763. *n. CXLV.* in aliis *XXIX.* Idem *Class. I. p.* 222. *n. CCXL.* Loculi vero ad recipiendas has ollas cinerarias comparati COLUMBARIA vocantur in marmoribus, quorum multa attulit, ipsamque columbariorum formam oculis subjecit Fabretti *Inscriptt. c.* 1. *p.* 10. *sq. n. XLIX. sqq.* ubi et Reinesium notat, *Class. VII. Inscriptt. p.* 490. *n. XXI.* columbarium columbarum latibulum interpretantem. Sed ita se res habebat, quamdiu corpora cremari solebant, id quod et post Antoninorum tempora factum esse, ex monumentis paene innumeris patet. Exolescente paullatim eo ritu,

n) Turpe hoc propricidii genus: Virgil. *Aeneid. XII. v.* 603.

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

ubi Servius observat, hanc mortem tam infamem habitam, ut non lugendi quidem essent suspendiosi: *L.* 11. §. 1. *D. de His, qui not. infam. Hein.*

o) Edictum de sumtibus funerum Aedilibus tribui negat d'Arnaud in *Varr. Conject. Lib. II. c.* 23. Ille tamen, ut puto, fallitur. *Cann.*

arcas loco ollarum constituebant in hypogaeis, vel marmoreas, vel ex lapide Tiburtino: Gruteri *Inscriptt. p. MCVIII. n.* 6. vel fictiles. Idem *Inscriptt. p. DCCCCIII. n.* 12. vel ex Assio lapide, cujus ea vis erat, ut cadavera statim consumeret. Qui lapis quum frequentissime his usibus inserviret, factum est, ut arcae illae dictae sint *sarcophagi*, ut jam vidit Cujac. *Obs. XXI.* 13. Quemadmodum ergo in aliis monumentis legimus, ibi sita esse OSSA, Gruteri *Inscriptt. p. DXXXVII. n.* 7. *p. DCCCLXII. n.* 3. vel CINERES: Idem *p. DCXCVI. n.* 5. ita in aliis verba occurrunt: CORPUS. INTEGRUM. CONDITUM. SARCOPHAGO: Idem *p. DCLXXXVIII. n.* 10. *p. DCLXXXIX. n.* 8. In eodem porro HYPOGAEO, ubi ossa, cineres, cadavera requiescebant, erant *lampadaria*, vel lychnuchi, quorum mentio fit apud Dion. Cass. *Lib. LXVII. c.* 9. *p.* 1107. *ex edit.* Reimar. et apud Reinesium *Inscriptt. Class. I. p.* 222. *n. CCXL.* et *Class. XI. p.* 644. *n. C.* eorumque cura, nisi ita comparata essent, ut perpetuo lucerent, demandari solebat libertis vel servis. Supra hypogaeum erant coenacula: Gruteri *Inscriptt. p. DCXL. n.* 2. armaria: Gruterus *p. CCCLXXXIII. n.* 4. arae: Gruterus *p. DCCVI. n.* 13. *p. DCCVIII. n.* 4. *p. DCCXXIX. n.* 8. *p. DCCCVII. n.* 10. imo et signa et simulacra deorum, et genii familiae, qualia describuntur in marmore apud Reinesium *Inscriptt. Class. I. p.* 222. *n. CCXL.* Unde facile patet, cur ibi et aeditui fuerint, qualis ille AEDITUUS SEPUL. SERG. FAMILIAE, qui AEDITUAVIT ANN. XII. Reinesii *Inscriptt. Class. V. p.* 388. *n. LIII.* itemque cur itum, ambitum, aditum sepulcris suis stipulati sint veteres, ad coronandum, sacrificandum, vescendum, quales formulae sunt apud Gruterum *p. DLX. n.* 5. *p. DCCCLXIV. n.* 4. *p. DCLXII. n.* 5. *p. MLXXXI. n.* 1. cur item et eam legem sepulcris additam reperiamus, ut, si quis ibi furtum fecisset, perinde obligatus sit, ac si sacrilegium commisisset: Gruteri *Inscriptt. p. MLXXVI. n.* 10. itemque, ut qui ibi minxerit, aut cacaverit, deos superos et inferos iratos habeat: Fabretti *Inscriptt. c. II. p.* 110. *n. XIII.* Denique ut hanc descriptionem sepulcrorum absolvamus; et extra ea quaedam fuisse, observamus, quae ad illa referebantur, veluti *hortos*, *aedificia*, *tabernas*, *macerias*, *scalaria*, et in primis *ustrina*, quamvis ea monumentis suis adplicari, quidam vetuerint: Gruteri *Inscriptt. p. DCLVI. n.* 3. *p. DCCLV. n.* 4. *p. MXLIV. n.* 7. 8. [Menken. *Diss. de consecrat. Augg. et Augg.*]

§. 5.

Cur illa religiosa habita sint?

Jam ergo non est quod miremur, religiosa habita fuisse sepulcra quaelibet. Dedicata enim erant Diis Manibus vel diis inferis p). Discimus hoc ex ipsis monumentis, in quibus frequentissimae sunt formulae: D. M. vel D. M. S. id est DIS MANIBUS SACRUM, vel DIS. INFERIS. MANIBUS. SACRUM: Jac. Guther. *de jure manium III.* 1. Imo et propter eosdem manes consecrata dicebantur sepulcra: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCLXVII. n.* 5.

HAEC. AEDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SUNT. MONUMENTI
SIVE. SEPULCHRUM. EST. ET
OLLARUM. QUAE. IN. HIS. AEDIFICIIS
INSUNT. ET. CONSACRATAE. SUNT
RELIGIONISQ. EARUM. CAUSA. A
C. COMINIO. SYMPHORO
ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ
POSTERIS. EORUM

Consecrationis sepulcri mentio etiam fit apud eumdem Gruterum *p. DCCCXII. n.* 5. et *p. DCCCVII. n.* 12. Nec raro monumenta LOCA SACRA adpellantur apud Gruterum *p. DCCC. n.* 9. *p. DCCCCXXXIV. n.* 4. *p. DCCCLXII. n.* 5. Nec ipsum tantum spatium, quo cadaver concludebatur, occupare videbatur religio, sed et aliquam vicinae areae partem, cujus ambitum non solum in monumentis designabant, hoc modo IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. id est, *in frontem pedes X, in agrum pedes XX.* Horat. *Serm. I.* 8. *v.* 12., sed et maceriis murisque includebant, ut erudite docet Brisson. *Antiqu. Rom. III.* 15. et 16. *p.* 36. *sq.* Exempla sunt apud Reinesium *Inscriptt. Class. VIII. p.* 543. *n. LXXV. Class. XII. p.* 663. *n. XXXVII. p.* 671. *n. LXVII. p.* 672. *n. LXX.* Ceterum ob hanc religionem corpora semel illata sepulcro tolli non poterant, nisi impetrata a Pontificibus vel Principe venia: *L.* 8. et 38. *pr. D. L.* 14. *C. de Religios.* vel in provinciis a Praeside: *L.* 1. *C. de Religios.* Exemplum exstat apud Gruterum

---

p) Cave tamen putes, consecrationis ritu opus fuisse, ut loca fierent religiosa. Nam „religiosum locum *unusquisque sua voluntate facit*, dum mortuum infert in locum suum." *L.* 6. §. 4. *D. h. t.* Gaj. II. 6. *Mühl.*

Inscriptt. p. DLXXVIII. n. 1. ubi RELIQUIAE. TRAJECTAE. dicuntur III. NONAS. FEBR. EX. PERMISSU. COLLEGII. PONTIFIC. PIACULO. FACTO. Imo ne refici quidem monumentum poterat sine permissu Pontificum, nisi id ita fieri posset, ne reliquiae tangerentur: *L.* 44. §. 1. *D. de Religios.* Id quod etiam ex marmore constat apud Gruterum *p. DXVIII. n.* 4. Imo nec corpus in alia arca poterat collocari, nisi volente Principe: Gruteri *Inscriptt. p. DCVII. n.* 1.

§. 6.

An sepulcra vendi potuerint?

Multo minus ergo sepulcra erant in commercio vel dominio: *L.* 12. §. 1. *D. de Religios.* quamvis ipsum jus inferendi mortuum in alium transferri quocumque titulo posset: *L.* 14. *C. de Legat.* [Quamvis enim exemplum exstat venditi sepulcri vel monumenti apud Gruterum *Inscriptt. p. MLXXXI. n.* 1.: nondum tamen in id illatum esse mortuum, docet Brummer. ad *Leg. Cinc. c.* 14. *n.* 3. *p.* 214.] Si locus religiosus aedificiis junctus erat, vendi non poterat cum aedificiis: at aedificia seorsim vendi poterant, licet conjuncta essent loco religioso, id quod ex insigni sententia lata a Senecione Subpraefecto Classis Misenensis, et a se in lucem protracta probat Jac. Cujac. *Obs. XVIII.* 32. [* et ap. Gruter. *p. CCVII.* 1.] Attamen id vix intelligendum putaverim de vineis, aedificiis, agris, quae nonnumquam sepulcris adnecti solebant ad eorum tutelam. Cujus rei permulta exempla sunt apud Gruterum *Inscriptt. p. DCCXVII. n.* 7. *p. DCCCIII. n.* 8. *p. DCCCLXVII. n.* 5. *p. DCCLIII. n.* 4. *p. DCXXIII. n.* 8. *p. DCXXXVI. n.* 12. *p. CCCXCIX. n.* 1. et Reinesii *Inscriptt. Class. VI. p.* 450. *n. CXII.* Quum vero nihilominus jus inferendi quodammodo in commercio esset: facile intelligimus, cur caverint veteres in monumentis suis, *ne sepulcrum mutaretur, neve veniret, neve donaretur, neve pignori obligaretur, neve de nomine exiret familiae, nec ullo modo abalienaretur:* Gruteri *Inscriptt. p. DCCLXII. n.* 5. *p. DCCCIX. n.* 2., comminati etiam poenam fisco inferendam iis, qui secus facturi essent: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCLXI. n.* 13. Reinesii *Inscriptt. Class. I. p.* 87. *n. XLIII.* Selden. *de Synedr. Ebr. I.* 5. Aliquando tamen et divisa sepulcra legimus, eoque pertinet formula: IN PARTE DIMIDIA SUA, apud Gruterum *Inscriptt. p. DCLXXII. n.* 14. *p. DCCLXXII. n.* 1. *p. DCCCCXLVI. n.* 5. et Reinesii *Inscriptt. Class. IX. p.* 564. *n. XXXIIX. et XXXIX.*

§. 7.

Erant vel familiaria, vel hereditaria, vel neutrius juris.

Ceterum sepulcra vel FAMILIARIA erant, vel HEREDITARIA: *L.* 5. et *L.* 6. *pr. D. de Religios. et sumt. fun.* quibus tamen nos addimus tertium genus eorum, quae NEUTRIUS JURIS erant. FAMILIARIA universae familiae patebant, non autem heredibus extraneis q). Unde formulae in vetustis marmoribus: HOC MONUMENTUM. EXTERUM NON. SEQUETUR. NISI. DE. NOMINE UTRORUMQUE. POST. OBITUM. NOSTRUM. CORPUS. EXTRANEUM. INFERRE. NE LICEAT. NE. DE. FAMILIA. EXEAT, aliaeque similes: Gruteri *Inscriptt. p. DXCIV. n.* 2. *p. DXXIII. n.* 5. *p. DCCCLXXXI. n.* 9. Aliquando et libertis et libertabus simul jus inferendi indulgebatur, maxime si ad exstruendum tuendumque sepulcrum aliquid contulissent, cujus rei exempla sunt apud Gruterum *Inscriptt. p. DCCCCXLV. n.* 10. *p. DCCCCLIV. n.* 2., vel si in nomine patronorum permansissent, ut cavetur apud eumdem *Inscriptt. p. DCXXXVIII. n.* 4. Si qui tamen ex libertis libertabusque male de patronis meruerant: iis locum denegare solebant in sepulcro familiae. Sic apud Gruterum *Inscriptt. p. DCCCXLIV. n.* 4. aliquis monumentum posuit SIBI. ET. SUIS. LIBERTIS LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM. EXCEPTO. HERMETE. LIB. QUEM PROPTER. DELICTA. SUA ADITUM. AMBITUM. NE. ULLUM. ACCESSUM. HABEAT. IN HOC MONUMENTO vetat. Alibi *p. DCCCLXII. n.* 5. excipitur SECUNDINA. LIBERTA. IMPIA. ADVERSUS CAECILIUM. FELICEM. PATRONUM. SUUM. Alia et a familiaribus diversa erant sepulcra HEREDITARIA, quae omnes heredes, etiam extraneos sequebantur. Id quod indicare solebant formulis: H. M. H. S. id est, HOC MONUMENTUM HEREDES SEQUITUR. Vel: HUJUS MONIMENTI SIVE SEPULCHRI. JUS AD. HEREDES. EJUS. PERTINET. PRO PORTIONIBUS. QUA. QUIS. TESTAMENTO. EJUS. SCRIPTUS. EST: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCLXVI. n.* 7. *p. DCCCLXXI. n.* 8. Denique quaedam sepulcra NEUTRIUS JURIS, et nec *familiaria*, nec *hereditaria* esse diximus. Modo enim sibi tantum conditorium parabant, modo sibi et con-

q) Imo extraneis quoque, ceu jam ex Ulpiani loco, quem ipse allegat Auctor (*L.* 6. *D. de relig.*) manifesto evincitur. Melius etiam, quid inter familiaria et hereditaria sepulcra differret, ex rescripto quodam Diocletiani et Maximiani *impp.* cognosci poterit, cujus haec sunt verba: „Jus sepulcri, *tam familiaris quam hereditarii*, ad extraneos etiam heredes, *familiaris* autem *ad familiam, etiamsi nullus ex ea heres sit*, non etiam ad alium quemquam, *qui non est heres*, pertinere potest;" *L.* 13. *C. de relig. Mühl.*

jugi, modo sibi et suis, qui in potestate futuri sint: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCCXCIII.* n. 4., modo diserte cavebant, ne quos inferre liceret, nisi quorum nomina scripta sint, et quibus conditor ejus sepulcri diserte caverit: Gruteri *Inscriptt. p. DCCCCXC. n.* 2.

§. 8.

Res sanctae.

Divini quodammodo juris habebantur etiam *res* SANCTAE, quales erant muri, non modo Romani, sed et omnes circa alia oppida: Festus sub voce *religiosus: L.* 8. §. 2. *D. h. t.* et ex Gaji sententia etiam portae. At Plutarchus *Quaest. Rom. c.* 27. muros quidem, non vero portas, sanctos esse ait. Quam controversiam facile et sine pulveris jactu componas. Sancta res dicitur vel ob *sanctionem*, qua res ita munita est, ut violari impune haud possit: Festus sub voce *sanctum p.* 423. Marcianus *L.* 8. *D. h. t.* ubi etiam observat, dictum *sanctum* esse a sagminibus herbis, quas signum fuisse inviolabilitatis inter omnes constat. Cf. Festus sub voce *sagmina.* Et hoc sensu etiam portae erant sanctae, siquidem et hasce violantibus capitale propositum erat supplicium: *L.* 2. *et* 3. *D. Ne quid in loco sacro fiat.* Vel sancta dicuntur, quae per sollemnes quasdam caerimonias dedicabantur, et hoc sensu sola moenia ac pomoeria, non item portae, sancta habebantur, quia per has res etiam impurae ferri vehique solebant [r]).

§. 9.

Ritus in condendis urbibus et exstruendis moenibus adhibiti.

Quoties aut urbs nova exstruenda, aut colonia condenda erat, toties conditor vel Triumvir coloniae deducendae, cinctu Gabino ornatus, aratro aptabat aeneum vomerem, junctisque bobus, mare et femina, ipse circum lineamenta profundum ducebat sulcum. Sequebantur coloni, et excisas aratro glebas intro vertebant. Ubi portam esse volebant, vomere exemto, atque aratro sublato, relinquebant spatium. Ducto sulco, cum boves illi, tum aliae victimae immolabantur Dis medioxumis, et tum demum exstruendis muris admovebantur manus: Plutarchi *Quaestt. Rom. c.* 27. et *vit. Romuli c.* 11. Dion. Hal. *I.* 88. Hinc in numis coloniarum fere semper con-

r) Muri et portae civitatis an sint res sanctae, disputat G. d'Arnaud *Var. Conject. L.* 1. *c.* 14. *Cann.*

spiciuntur juncti boves, acti a viro cinctu Gabino ornato [s]). Vid. Ezech. Spanh. *de usu et praest. num. Dissert. IX. p. 777.* Vaillant. *de numis aeneis colon. Latini juris. Paris.* 1695. *fol.* Adhibebantur et alia quaedam boni ominis caussa, ut Festus docet sub voce *Quadrata p.* 389. quae tamen, qualia fuerint, hodie ignoramus [t]). [Polenta muros et pomoeria descripsisse Graecos, patet ex Curtio *IV.* 8. 6.] Jam vero ex his facile reddideris rationem, cur moenia, non autem portae, sancta visa sint. Eae enim auspicato non signabantur aratro, quia per illas cadavera aliaque impura evehenda erant: et hinc quoque sacrae hoc quidem sensu non videbantur: Plutarchi *Quaestt. Rom. c.* 27.

§. 10.

Dedicatio moenium.

Perfecta moenia etiam dedicari sollemniter solebant. Idque adparet ex Inscriptione apud Gruterum *p. CLXVI. n.* 2. COLONIA. AUGUSTA. VERONA. NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO. II. ET LUCILIO. CONS. MURI. VERONENSIUM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIUM. DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS. etc. Facta ergo hac dedicatione sancta habebantur moenia, ac proinde nec refici poterant sine Principum, tamquam Pontificum Maximorum, auctoritate, nec quidquam iis superimponi: *L.* 8. §. 2. *L.* 9. §. *fin. D. h. t.*

§. 11.

Cur sanctitas tributa moenibus?

Si vero paullo adcuratius rem consideres, facile adparebit, non aliam ob caussam hac sanctitatis opinione imbutos esse homines, nisi ut cives pro moenibus, tamquam pro re sancta, Diisque dedicata tanto fortius pugnarent. Idque etiam observat M. Terentius Varro apud Plutarchum *Quaestt. Rom. c.* 27.

§. 12.

Res humani juris quotuplices?

Res humani juris vel in NULLIUS, vel in PRIVATORUM *quorumdam* erant PATRIMONIO. In nullius patrimonio erant res *communes,*

---

s) Hinc urbes dictae ab *urbo. Urbare* enim veteribus erat aratro definire: *urbum* vero dicebatur curvatura, quod ea in urbe condenda adhiberi consueverat: Varro *de Lingua Lat. IV.* 32. *p.* 24. Pompon. *L.* 239. §. 6. *D. de Verb. signif.* Cf. Jac. Raevard. *Conjectan. II.* 7. *p.* 49. *Hein.*

t) Ita et in terminorum erectionibus nonnulla fiebant boni ominis caussa, et in fundamentis templorum ponendis. *Cann.*

publicae [u]), *universitatis*, et quae *κατ' ἐξοχὴν nullius* esse dicebatur. hereditas jacens.

§. 13.

Res communes (s. communia omnium) vel publicae.

COMMUNES (omnium), veteribus dictae etiam PUBLICAE, habebantur, quarum dominium nemo ita poterat occupare, ut excluderet alios. Tales erant aer, aqua profluens, mare ejusque litora. Unde Virgil. *Aeneid. VII. v.* 229. *sq.*

— — — — *litusque rogamus*
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem.

Et Prudent. *adv. Symmachum II. v.* 798.

Nunc adsunt homini data munera legibus isdem,
Queis concessa semel: fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aer.
Et res natura fit PUBLICA *promtaque cunctis,*
Dum servant elementa suum famulantia cursum.

Idem existimandum de fluminibus, portubus, ripis, quae et ipsa eatenus communia vel publica habebantur, ut liceret in iis piscari, adligare naves, aliaque hujusmodi facere. Sed ea omnia de innoxio usu intelligenda, neque eo extendenda sunt, ut in mare, flumina, portus, nullum fuisse Principum vel reipublicae imperium existimemus. Alia omnia ostendunt [Boeclerus in *Diss. Minos maris dominus*, et] Jac. Gothofredus *Dissert. de imperio maris*, quae cum aliis ejus opusculis juridicis, politicis, historicis, criticis prodiit *Genev.* 1654. 4. Nota illa Oppiani *Halieut. III. v.* 4. *sq.* ubi poeta ad Antoninum Caracallam:

— — *Σοῖς μὲν γὰρ ὑπὸ σκήπτροισι θάλασσα*
Εἱλεῖται καὶ φῦλα Ποσειδάωνος ἐναύλων.
— — *Tuis enim sub sceptris mare*
Volvitur et greges Neptuni incolarum.'

---

u) Tribonianus *princ. Inst. h. t.* res communes a publicis sejungit. Quidam veterum Jureconsultorum communia et publica pro iisdem habebant, ut vel ex Marciano *L.* 2. *D. de Rerum divis.* patet, ubi res publicae omittuntur. Pari quoque sensu veteres res communes et publicas vocasse, luculenter ostendit Ger. Noodt *Probabil. I.* 7. *p.* 10. *sq.* Liceat itaque hic, ubi Antiquitates tradimus, loqui cum veteribus, sentire alias cum Justiniano, cujus doctrinam alibi fusius atque adcuratius exposuimus. *Hein.* Marcianum res communes a rebus publicis

Idem de jure piscandi statuendum est. Tantum enim abest, ut illud semper commune fuerit, dominioque exemtum, ut potius, qui longo tempore in diverticulo fluminis solus piscatus fuerat, posset alios ab eo jure excludere: *L.* 7. *D. de Divers. temp. praescr.* [x]).

§. 14.

Cur ejusmodi res Jureconsulti vocarint publicas et communes?

Ceterum eas res communes et publicas dixere veteres ex sententia Stoicorum, quorum principia Jureconsultis fere omnibus erant in deliciis. Stoicos enim veluti regnum quoddam generis humani, vel universalem omnium Deorum hominumque rempublicam statuisse, nemo ignorat, idque luculenter docent Cicero *de Finib. Bonor. et Malor. III.* 19. *sq.* M. Antonin. εἰς ἑαυτὸν *II.* 16. *III.* 11. *IV.* 3. *VI.* 44. *XII.* 36. Arrian. *Dissert. Epictet. I.* 12. *III.* 24. Seneca *de Benef. IV.* 28. Addantur Thom. Gataker *Adnot. ad M. Anton. p.* 56. 84. Thom. Stanley *Hist. Philos. Part. VII. P.* 1. *c.* 13. *p.* 614. Quum ergo etiam Jureconsulti hanc philosophiam sequerentur, duplicemque adeo sibi conciperent rempublicam, majorem unam, quae erat omnium Deorum hominumque, alteram minorem, uniuscujusque populi aut civitatis: consequens erat, ut et bona, sive publica, sive communia, dupliciter acciperent, nonnullaque omni jure, alia tantum jure gentium communia adpellarent, quae tamen in jure civili Romanorum essent in reipublicae dominio. Quae omnia tam praeclare explicantur ab humanissimo Jureconsulto, Gerardo Noodtio, *Probabil. I.* 8. *p.* 21. *sq.* ut otium nobis fecisse videatur.

§. 15.

Res universitatis.

Res universitatis erant, quarum dominium universitas, usum

---

sejunxisse, patet ex *L.* 4. *D. de Rer. divis.* Hinc librariorum incuria omissa quaedam verba arbitror in *L.* 2. *C.* De differentia inter res communes et publicas egit Wielingius in *Lection. jur. civ.* [* *I.* 11.] *Cann.*

x) Non ita puto, meamque opinionem confirmat *L.* 45. *D. de Usurp. et usuc.* Praeterea quoque rebus merae facultatis praescribi non potest: emendanda vero est *L.* 7. *cit.* ita, ut pro *alterum* legas *haud alterum*. *Cann.* Cum Cannegietero puto ac sentio, Heineccii utique esse improbandam interpretationem. At non eget emendatione, ut uterque inter se concilietur locus, siquidem Marcianus (e cujus *libro III. Instit.* deprompta est *L.* 7. *D. cit.*) omnino non loquitur de praescriptionis jure, verum de jure ejus, qui usum rei omnium communis sibi occupavit, adeoque, dum possidet, ab ejusdem rei usu alios prohibere potest. Vid. Noodt ad *h. Dig. tit. Opp.* T. II. p. 29. *Mühl.*

singuli ex universitate habebant, ut stadia, theatra, balnea, curiae: §. 6. *Inst. h. t.* y). *Universitas* vero vocabatur unaquaeque civilis societas, excepta familia liberaque republica. Adeoque omnes ἑταιρίαι et societates, omnes tribus, omnia corpora opificum, *universitates* erant: Huber. *Praelectt. ad Inst. II.* 8. Postquam vero in monarchiam degeneraverat respublica, invisae fuerunt Principibus omnes sodalitates et ἑταιρίαι, nec aliae jus universitatis, arcae communis et collegii habebant, quam quae singulari Principum privilegio erant munitae. Quare non raro in Inscriptionibus legimus: Q. E. S. C. L. *Quibus ex SCto coire licet,* vel similia. Vid. Plin. *Epist. X.* 93. et 94. *tit. C. de Colleg. et corpor.* Cujac. *Observ. VII.* 30. et *Diss. nostr. de Colleg. et Corp. Opif. c.* 1. z).

§. 16.

Res nullius.

Nullius denique erant, quae nullum reipsa adgnoscunt dominum, quamvis sua natura in dominio esse possint. Tales sunt res hereditariae, antequam aliquis heres exstitit: *L.* 1. *pr. D. de Divis. rer.* Per fictionem tamen quamdam hereditas jacens defuncti personam repraesentare ejusque in dominio esse dicitur: *L.* 31. §. 1. *D. de Her. inst. L.* 61. *pr. D. de Adquir. rer. dom.* Nonnumquam et personam heredis sperati sustinet: *L.* 24. *D. de Novat. L.* 26. *D. de Stipul. serv. L.* 1. §. 1. *D. Si is, qui test. lib. L.* 68. *D. de Furt.*

§. 17.

Res privatae vel mancipi vel nec mancipi.

Quae in privatorum dominio erant, dicebantur res privatae. Festus sub voce *privos p.* 378. *Privos privasque antiqui dicebant pro singulis: ob quam caussam et privata dicuntur, quae uniuscujusque sunt, hinc est privilegium.* Add. Non. Marcell. *de diff. verb. II.* 694. Res illae privatae apud veteres vel mancipi erant, vel nec mancipi a). Apud veteres dico. Justinianus enim hanc differentiam

---

y) Theatra Romana publica fuere: §. 2. *Inst. de Inutil. stipulat.* et alibi. *Cann.*

z) Plura ac meliora de universitatum jure invenies in Dirksenii *commentat. über den Zustand der jurist. Personen nach Röm. R.* in Ejusd. *civilist. Abh.* T. II. num. 1. *Mühl.*

a) Constat, locum hunc de rebus mancipi, post Heineccii aetatem a plurimis viris doctissimis denuo esse sub examen vocatum, quod, quamquam diverso modo, factum inprimis a Franc. Car. Conradio *Lib. singul. de veris mancipi et nec mancipi rerum differentiis.* Helmst. 1739. 4. Ger. Meermano *Diatr. exhib.*

sustulit [b]), quum tamen ejus vestigia quaedam reliquerit in *L.* 32. §. 1. *D. de Usurp. et usuc.* et in *L.* 68. *D. de Furt.* Vid. Merill. *Obs. VIII.* 38. *p.* 132. Res MANCIPI dicebantur, quae certo ritu inter solos cives Romanos ita vendi alienarique poterant, ut emtor manu eas caperet, (unde et ipse MANCEPS, et res MANCIPI vel MANCUPI adpellabantur), et venditor earum evictionem praestaret. NEC MANCIPI res erant, quae non poterant isto ritu alienari [c]): unde et periculum rei penes emtorem erat: Plaut. *in Pers. IV.* 3. *v.* 55.

---

nonnullas de rebus mancipi earumque mancipatione conjecturas. L. B. 1741. 4. Trekello *in den Hamburg. Berichten von gelehrten Sachen.* 1740. *p.* 164—170. p. 204—206. et 1742. p. 1—6. (quas Jurisconsulti Hamburgensis praestantissimi observationes Hugo *suis Commentariis: Civil. Mag. T. II. num.* 2. *p.* 57—83. intulit), atque ipso Hugone *R. G. p.* 380—389. ed. VIII. (seu p. 509—522.), nec non a Theod. Maxim. Zachariae *Diss. I. II. Conjecturae de rebus mancipi et nec mancipi.* Lips. 1807. 4. *Haub.* Neque vero omitti debebat doctissima Pufendorfii observ. *de rebus mancipi et nec mancipi*, in Ejusd. *obs. jur. univ.* T. II. num. 79. Ex eorum numero, qui post Hauboldi obitum hac de re scripserunt, inprimis sunt memorandi: Fr. Ballhorn-Rosen *über Dominium* (Lemgo 1822.) p. 80. sqq. nr. II. F. A. Schilling *Bem. üb. Röm. R. G.* p. 153—163. Huschke *Verf. d. Serv. Tullius* p. 249—279. p. 567. sqq. *Mühl.*

b) In universo corpore Justinianeo nulla fit hujus distinctionis mentio, quod eam sustulisset Justinianus: *L. un. C. de nudo jure Quirit. tollend.* Hotom. *Antitribonian. V. p.* 113. *sq. Hein.* Ablegandus erat lector ad *L. un. C. de usucapione transformanda*, ubi non solum mentio fit rerum mancipi et nec mancipi, verum etiam disertis verbis discrimen illud sublatum voluit Imperator. *Mühl.*

c) Summa discriminis in eo versatur, ut rerum mancipi dominium Quiritarium nuda traditione transferri non posset, sed mancipationis solemnitate ad illius transitum (praesentem) opus esset, hac vero deficiente, res mancipi tantum in bonis ejus, cui traditae fuerant, esse intelligerentur; quum e contrario rerum nec mancipi nuda traditio sufficeret ad earumdem dominium ex jure Quiritium adquirendum, dummodo non essent ejusmodi, quae nullatenus in dominio Quiritario esse possent, quales fuerunt fundi provinciales. Atque hoc sensu Ulpianus *Fragm. XIX.* 3. et 7. mancipationem rerum mancipi, traditionem rerum nec mancipi propriam esse dixit alienationem. *Haub.* Fundamentum ejus procul dubio fuit rerum pretium. Res enim pretiosissimae antiquis videbantur fundi, servi, pecudes, nonnisi cum sollicitudine quadam et sollemnitate alienandae: Bynkersh. *de reb. mancipi et nec mancipi p.* 109. (seu hujus *comment.* c. 2. in opp. T. I. p. 308.) *Hein.* Bynkershoekii opinionem refutavit Gerh. Meerman singulari dissertatione *de reb. manc. et nec manc.* Ille res mancipi esse putat, quae agriculturae proprie inserviebant, et proinde tamquam majoris momenti res mancipatione abalienari poterant: in alia omnia ivit Pufendorfius. *Cann.* Jam plerique accedunt Meermani sententiae, hac tamen addita velut nota, ut *vetustiore reipublicae Romanae aetate* in pretiosissimarum rerum numero, idque vel maxime agriculturae causa, habitae fuerint mancipi res. Schilling. *Bem.* p. 155. sq. not.

Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur,
MANCUPIO neque promittet, neque quisquam dabit.

Et paullo inferius: *v.* 61.

— — — Nihil mihi opus est litibus,
Nisi MANCIPIO accipio, quid eo mihi opus mercimonio?

Unde et distingui solent *mancipium* et *usus:* Lucret. *III. v.* 956.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu;

ut et *mancipium* et *fructus*, *κτῆσις καὶ χρῆσις:* Cic. Epist *ad Div. VII.* 29. d).

§. 18.

Quaenam res mancipi fuerint?

MANCIPI res habebantur I. *praedia in Italico solo:* Ulpiani *Fragm. XIX.* 1. adeoque et in provinciis, si quando locis erat datum jus Italicum, quales civitates permultae recensentur in *tit. D. de Cens.* Adde Henr. Noris. *de Epochis Syro-Maced. IV. p.* 427. idque non modo de rusticis intelligendum, verum etiam de urbanis: Cic. *de Orat. I.* 39. *sq.* et *de Offic. III.* 16. Sed ejusmodi praedia rustica mancipi erant suo jure, urbana jure fundi per adcessionem, ex mente amplissimi viri Bynkersh. *de reb. mancipi et nec mancipi p.* 111. (cap. 3.), quamvis in alia omnia eat JCtus pereruditus: Christfr. Waechtlerus *in Act. Erud. Suppl. VII. sect.* 7. *p.* 301. Ejusmodi loca dicebantur *agri censui censendo:* Festus sub voce *censui. p.* 265. Cic. *pro Flacco c.* 32. et ibi Jo. Ge. Graevius e). Reliqua in provinciis praedia *possessiones* vocabantur, et usu tantum tenebantur, non mancipio. Festus sub voce *possessio p.* 372. Porro rebus mancipi adcensebantur II. *jura praediorum rusticorum*, veluti actus, via, aquaeductus. De servitutibus urbanis tacet Ulpianus. Unde eae adcensentur rebus nec mancipi, dissentiente iterum viro laudatissimo Christfr. Waechtlero *ibid. p.* 300. *sq.* Nec tamen ratio deest iis, qui

---

416. v. Savigny in *d. Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. V. p. 258. Alia etiam adjicit Hugo *R. G.* p. 513. Ceterum quae de summa discriminis ab Hauboldo sunt observata egregie confirmantur Gaji commentariis II. 19. 20. Cf. et Huschke *Verf. d. Serv. Tull.* p. 249. sqq. *Mühl.*

d) Mancipi non indeclinabile est, ut vulgo docent Lexicographi, sed contractum ex *mancipii:* Voss. *de art. gramm. III.* 46. Salmas. *de usur. VIII.* Jac. Perizon. *ad Sanctii Minerv.* [* *Tom. II. Lib. IV. c.* 4. *nota* 12. *p.* 46. *ex editione* Car. Ludov. Baueri, *vel p.* 704. *ex editione* Ev. Scheidii]. *Hein.* Vid. et Schilling *Bem.* p. 153. *Mühl.*

e) Huschke *l. l.* p. 567. sq. *Mühl.*

jura praediorum urbanorum mancipi fuisse negant. Quum enim praedia rustica ipso jure essent mancipi: ideo et tales erant servitutes iis inhaerentes per adcessionem. Aliud de praediis urbanis, quae per adcessionem tantum erant mancipi, adeoque hanc qualitatem cum servitutibus communicare non poterant, quia non datur adcessionis adcessio: Bynkersh. *ib. p.* 130. f), III. *servi* mancipio dati, IV. *quadrupedes*, quae dorso collove domantur, velut boves, muli, asini, equi, non bestiae, quamvis dorso collove domentur, ut puta elephanti et cameli g). V. *Hereditas*, seu familia, siquidem et ipsa per aes et libram mancipabatur: Gell. *Noctt. Att. XV.* 26. §. 1. *Inst. de Test. ord.* h). Ergo et VI. *filiifamilias:* Bynkersh. *de jure occid. c.* 1. *p.* 145. i), VII. *Margaritae.* Nam et has in mancipatum venire, ait Plin. *Hist. Nat. IX.* 35. *in fine* k). Atqui

f) Qui quidem *in f. Cap.* 8. addit: „Aut haec est ratio distinctionis, aut, quae sit, fateor me nescire." At omnia in aprico sunt, si ad agriculturae rationem rem referas. Aliam etiam affert rationem Huschke *l. l.* p. 264. sq. Caeterum de eo quoque dubitatur, num quatuor tantum rusticorum praediorum servitutes, quas perhibet Ulpianus (XIX. 1. „via, iter, actus, aquaeductus"), an omnino omnes in mancipi rerum numero habitae fuerint. Id quod affirmat Schilling *l. l.* p. 159. vel maxime provocans ad Gaji locum II. §. 17. 29., ubi generatim rust. pr. servitutes mancipi rebus adcensentur. In alia abit Ballhorn-Rosen *l. l.* p. 86. not. 14. Cf. et Huschke *l. l.* p. 264. sq. *Mühl.*

g) Vid. et Gaji *comment.* II. 15. 17. Cf. Schilling *Lehrb. f. Inst. u. R. G.* II. §. 60. not. d. Caeterum quomodo conciliandus sit Varronis locus de pecudibus (Varro *de Re rust.* II. 6.) cum Ulpiano (XIX. 1.), singulari commentatione explicare tentavit J. C. F. Meister, Vratisl. 1814. Cf. et Huschke *l. l.* p. 260. sqq. *Mühl.*

h) Perperam hic immiscetur familiae per mancipationis ritum abalienandae ratio. Hereditas enim personae vice fungitur, nec omnia, quaecunque mancipari possunt, *mancipi rebus* adnumerari fas est. Vid. et not. sq. *Mühl.*

i) Non dubitat de illis Bynkershoekius, quin ea aetate, qua liberi vendebantur, fuerint res mancipi, quoniam de mancipatione liberorum apud Gajum legimus *Lib. I. Inst. tit.* 6. §. 3. (seu I. 117. sqq.) neque mancipatio cadere poterat, nisi in res mancipi. Sed filii familias rerum numero adcenseri nullo jure possunt, neque et mancipatio probat, res esse mancipi; namque et mancipio dari possunt res nec mancipi. *Cann.* Vid. et Ballhorn-Rosen *l. l.* p. 89. sqq. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 160. *Mühl.*

k) Plinii locum (ed. Berol. IX. 58. et 60.) ita posse explicari, ut necesse non sit, *margaritas* referre in mancipi rerum numerum, jam probabiliter ostendit Schultingius ad Ulp. XIX. 1. not. 14. Vid. et Ballhorn-Rosen *l. l.* p. 90. sq. not. 26. Nec frustra ille testimonium denuntiat *Papiano* (seu *Legi Rom. Burgund. Tit. de donat.* §. *de animalibus*), licet ibi rerum mancipi vel nec mancipi mentio prorsus nulla fiat. Nam vid. quae recte Barkowius notavit in sua hujus legis editione, p. 71. Cf. et Puchta *Inst.* p. XXV. sq. not. 6. *Mühl.*

et monumenta seu sepulcra mancipata, seu per aes et libram translata legimus in marmore Gruteriano *p. MLXXXI. n.* 1. sicut columbarium apud Reinesium *Class. VII. p.* 490. *n. XXI.* An ergo et haec res mancipi sunt? Ipsa sepulcra in se neque mancipi, neque nec mancipi habebantur, quia non erant in commercio. At jus sepeliendi erat jus praedii rustici (quia sepulcra non in aedibus, sed in agris exstrui solebant), et hinc omnino in alium transferebatur per aes et libram. [Add. Brummer. *ad Leg. Cinc. c.* 14. *n.* 3. *p.* 214.] Hunc rerum mancipi catalogum nobis suppeditant veteres. Ceterae res NEC MANCIPI dicebantur, teste Ulpiano *Fragm. XIX.* 1.

§. 19.

Res mancipi alienatae mancipatione.

Fiebat vero rerum mancipi alienatio praecipue MANCIPATIONE, unde haec propria species alienationis rerum mancipi esse dicitur: Ulpiani *Fragm. XIX.* 3. Cic. *Topic. c.* 10. Quamvis enim res mancipi etiam tradi possint sine mancipatione: tamen tunc tantum in bonis erant accipientis, non in dominio Quiritario: Ulpian. *l.* 16. nisi per modum adquirendi juris civilis adcessisset dominium Quiritarium. (Gaj. *Inst. II.* 204.) Quo pertinent verba Horatii *Epist. II.* 2. *v.* 158. *sq.*

Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,
Quaedam, consultis si credas, mancipat usus.

Loquitur sane Horatius de rebus mancipi, quae ex sententia Jureconsultorum etiam usucapione possunt adquiri. Cf. Ant. Schulting. *ad Ulpiani Fragm. XIX.* 3. *p.* 620.

§. 20.

Mancipatio quomodo facta? et differentia nexi et mancipii.

MANCIPATIO vero erat actus legitimus, quo res mancipi more sollemni tradebantur: Bynkersh. *de reb. manc. I. p.* 105. [1]). In eo adhibendi erant quinque testes, cives Romani, puberes, cum libripende et antestato. Ritus et formulas jam supra *Lib. I. Tit. XII. num.* 6. 7. 9. descripsimus. Id modo addendum, una mancipatione

1) Silentio praeteriit Auctor regulam mancipationis ab Ulpiano *Fragm.* XIX. 6. his verbis traditam: „*Res mobiles non nisi praesentes mancipari possunt; et non plures, quam quot manu capi possunt; immobiles autem etiam plures simul, et quae diversis locis sunt, mancipari possunt;*" quam jam confirmatam videas a Gajo I. §. 121. „*praedia vero absentia solent mancipari*". *Haub.* Unde

hic totum actum absolvi consuevisse, quia ad patris tantum privilegium id pertinebat, ut filius nonnisi ter emancipatus, et manumissus, ejus potestate et dominio exiret. Jungitur saepe mancipio *nexus*, vel *traditio nexu.* De ea Varro *de Lingua Lat. VI.* 5. *p.* 58. *NEXUM Manilius scribit, omne, quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipi. Mucius Scaevola, quae per aes et libram fiant, ut obligentur, praeterquam quae mancipio dentur* m). *Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque suum sit, inde nexum dictum.* Sed quum haec sint obscurissima, audiamus ea interpretantem virum doctissimum, Jo. Fr. Gronovium in *Epist.* 302. *ad Claud. Salmas.* quae in clarissimorum et doctissimorum Virorum Epistolis, nuper a celeberrimo Burmanno editis *Tomo II. p.* 549. invenitur. *De loco Varronis quando sic illudere mihi voluisti, ut sententiam meam quaereres, ludibrium debere tibi pergam. Puto ergo falli Varronem, non tantum in ridicula illa origine τοῦ NEXI, sed et quod ceu diversas ponit sententias Manilii et Scaevolae, quarum utraque vera est, nec inter se pugnant. Sane et Cicero distinguit ea, quae tenentur JURE NEXI et JURE MANCIPII.* (Cic. *Epist. ad Div. VII.* 30.) *Nempe quae habeo JURE MANCIPII, eorum sum dominus: quae JURE NEXI, in ea habeo obligationem. Ita non contradicunt sibi Manilius et Scaevola. Nam Manilius requirit, ut quae nexa sint, eadem quoque sint mancipi, hoc est, talia, quorum commercium sit, et quae mancipari possint. Scaevola dixit nexum esse, quod per aes et libram geritur, praeterquam quae dantur mancipio. Et haec enim per aes et libram geruntur, sed plus dant juris, quam nexa. Non negat igitur Scaevola, necesse esse, ut aliquid, quod per aes et libram geritur, sit nexum, id esse rem mancipi: sed dicit, aliud esse tenere aliquid jure nexi, aliud jure mancipii, quamvis utrumque per aes et libram geratur: seu omne id nexum esse, quod per aes et libram geritur, si non mancipio detur. Ita negatione unius speciei definit alteram, quod non negat Manilius. Quod MANCIPIO datur, ejus fio dominus: quod NEXUM*

sponte efficitur, non semper cum mancipatione conjunctam fuisse rerum mancipio datarum traditionem. Idque aliis quoque veterum auctorum testimoniis luculenter confirmatur. Vid. Gaj. IV. 131. *verb.* — „ut *postea,* si velimus vacuam possessionem nobis tradi, *de tradenda ea,* (agere) possimus". *Vat. Fragm.* §. 311. — „sola mancipatio vel promissio *non perficit donationem*". Cf. ibid. §. 313. Hugo *R. G.* p. 214. sqq. ibiq. not. 5. *Mühl.*

m) Leg. *praeter quae mancipio dentur.* Niebuhr *Röm. Gesch.* I. p. 602. ed. 2. *Mühl.*

est, ejus proprie non sum dominus, sed habeo tantum in id obligationem. Et ita quoque NEXUS *differt a* SERVO, *etsi obligatus est ad serviles operas praestandas.* NEXUM *habeo jure nexi; non jure mancipii: at* SERVOS *habeo jure mancipii. Sic quod mihi pignoris loco datum est, habeo jure nexi; illud etiam etsi penes me sit, non tamen est meum. Logica haec etymologia est, non grammatica. Videntur omnia quidem mancipia etiam esse generali vocis notione nexa, aut quae habebo jure mancipii, eadem me habere jure nexi: sed non contra aut reciproce. Ita Cicero quum dicit* ABALIENATIONEM ESSE TRADITIONEM ALTERI NEXU, *sine dubio generaliter vocem accipit, ut etiam, quae mancipio dantur, comprehendat. Sed ad utrumque requiritur, ut sint res illae, quae sive jure nexi, sive jure mancipii tenentur, res mancipi, quod volebat Manilius. Nec adversatur, quod liber homo, qui non est mancipi, obaeratus potest nexus fieri. Revera enim liberi hominis commercium non est, ideoque non potest esse mancipii: sed ut fiat nexus, fit ex dispositione legis, quae obaeratos necti jussit et ad refrenandam indiligentiam quorumdam patrumfamilias hoc introduxit. Ita etiamsi liberi hominis commercium non sit, idque leges sciverint, homo tamen major XX annis, quum ad pretium participandum venumdari se patitur, fit mancipi et servus, etiam dispositione legis, quae unicuique favori pro se introducto renunciari licere, et hoc modo lasciviam fraudatorum coercere voluit.* Hactenus locus Gronovii, prolixus ille quidem, sed quem ideo totum hic adscribere non piguit, quod eum unum viderim, in quo discrimen *mancipii* et *nexi* perspicue exponitur. Res eo redit. Omnis abalienatio rerum mancipi fiebat per aes et libram vel mancipationem: sed duplici fine, ut aut dominium juris Quiritium transferretur, aut res illa tantum obligaretur, e. g. ut aliquis in ea jus pignoris vel simile haberet. Priore casu res dicebatur MANCIPIO dari; posteriore JURE NEXI transferri. Hinc recte Festus sub voce *nexum:* NEXUM *est, quod per aes et libram geritur,* (hoc enim commune habent nexum et mancipium) *nexum aes dicebatur pecunia, quae per nexum* OBLIGATUR. (In hoc ènim differunt nexus et mancipium). Recte etiam Salmasius *de mod. usur. c.* 18. *p.* 839. *Nexum esse obligationem et nexos obligatos* docet, quamvis, quum epistola Gronovii anno 1637. scripta, Salmasii autem liber demum 1639. editus sit, rectius fecisset, si eum, qui omnia planius scripserat, vel honoris caussa nominasset [n]).

n) Recte quidem vidit Gronovius, duplicem a Varrone *nexi* significationem

§. 21.

Modi adquirendi juris gentium.

Quemadmodum vero mancipatio propria rerum mancipi erat: ita et alii erant adquirendi modi, quorum quidam e JURE GENTIUM, quidam e JURE CIVILI descendebant. Ad prius genus pertinent OCCUPATIO, ADCESSIO, TRADITIO, de quibus copiose hoc titulo agit Imperator. Nos id modo addimus, si duo rem invenerant, quorum alter adprehenderat, alter eam adprehendi viderat, communem eam rem utriusque esse visam. Unde sollemnis formula: IN COMMUNE o), similis quodammodo hodiernae: *Halb part.* Seneca *Epist.* 119. *Quoties aliquid inveni, non exspecto, donec dicas: IN COMMUNE; ipse mihi dico.* Phaedr. *Fab. V.* 6.

Invenit calvus forte in trivio pectinem.
Adcessit alter, aeque defectus pilis,
Heja, inquit, EST COMMUNE, quodcumque est lucri.

Adde Plaut. *Rudent. act. IV. sc.* 3. *v.* 76. *sqq.* ubi poeta fori Romani argutias hac in re in risum deducit:

— — — *Omitte vidulum.*
GR. *Numquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.*
TR. *Non probare pernegando mihi potes, nisi PARS DATUR,*
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
GR. *Quemne ego excepi in mari?* TR. *At ego inspectavi e littore.*

---

proponi, alteram generalem, in qua omnia insint, quaecunque per aes et libram gerantur, alteram specialem et velut propriam ei negotiorum generi, quod ad obligationes contrahendas spectet; cui etiam suffragatur ipsius vocabuli notatio, ridicula illa quidem, quam tradit Varro: „quod obligatur per libram, *neque suum fit,* inde Nexum dicitur." (Hugo *R. G.* p. 282. sq. not. 3. O. Müller im *Rhein. Mus. V.* p. 199.). At in eo falluntur et Gronovius et Heineccius, quod non nisi *ad mancipi res earumque obligationem* referant totius hujus loci usum. Jam edocere eos poterant verba, e Festo allata ab Auctore, omnem pecuniae obligationem per aes et libram contrahi potuisse. Cf. C. G. E. Heimbach *Diss. de C. Aelio Gallo JCto ejusq. fragm.* (Lips. 1823. 8.) Exc. I. p. 49. sqq. Puchta *Instit.* p. XXVIII. sqq. num. V. de Savigny *commentat.* in Academia scientiar. Berol. a°. 1833. recitat. (*über das altröm. Schuldrecht*) p. 76. sq. *Mühl.*

o) Sic et Graeci id, quod ab altero inveniri videbant, in commune poscere solebant formula: *κοινὸς Ἑρμῆς*, vel *κοινὸν τῷ Ἑρμῇ*, de qua formula Erasm. in *Aday. Chil. II. Cent.* 1. *n.* 85. *Hein.* Caeterum jus illud, quo alludunt Poetae, si id umquam Romae obtinuerit, certe non convenit regulis, quae de dominio rerum nullius acquirendo in juris nostri collectione sunt receptae atque comprobatae; vid. v. c. L. 3. §. 3. *D. de acq. vel om. poss.* L. 5. §. 1. *D. de acq. rer. dom. Mühl.*

GR. Mea opera, labore, rete et horia? TR. Num qui minus,
Si veniat nunc dominus, quojus est, ego, qui inspectavi procul,
Te hunc habere, fur sum, quam tu? GR. Nihilo. TR. Mane, mastigia!
Quo argumento socius non sum, et fur sum? fac dum ex te sciam.
GR. Nescio: neque ego istas vostras leges urbanas scio,
Nisi quia hunc meum esse dico. TR. Et ego item esse ajo meum.

Praeclarus sane locus, quo non solum hic veterum ritus, sed et complura juris nostri loca lucem haud mediocrem capiunt: Ger. Noodt. *Probab. II.* 6. *p.* 54. *sq.*

§. 22.

Modi adquirendi juris civilis.

Modi adquirendi CIVILES complures sunt. Tres recenset Aleander *ad Gaji Inst. I.* 6. 3. (s. comment. II. 65.) *mancipationem* puta, *in jure cessionem* et *usucapionem*, sed deceptus male intellecto loco Ulpiani *Fragm. I.* 16. in quo servus, quem civis Romanus a cive Romano emerit, quique ei traditus sit, tantum in bonis ejus esse dicitur, *nisi sit mancipatus ei, nec in jure cessus, nec ab ipso anno possessus.* Sane enim Ulpianus hic non recensere voluit modos adquirendi juris Quiritium, neque negat, rem aliis quoque modis transire posse in dominium Quiritarium. Sex modorum meminit Varro *de re rust. II.* 10. *Sex enim fere res in emtionibus dominium legitimum perficere* ait, ac deinde huc refert HEREDITATEM, MANCIPATIONEM, IN JURE CESSIONEM, USUCAPIONEM, SUB CORONA EMTIONEM, AUCTIONEM p). Et hac in re Varronem sequitur Sigonius *de antiquo*

---

p) Varronis locum minus accurate *hic* (nam vid. §. 24. in f.) retulit Auctor. Nihil etenim ille de *auctione;* at post verba: „*si e praeda sub corona emit*" sequuntur haec: „*tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit.*" Auctio semper est *rerum singularum;* sectio, licet nonnumquam etiam de singularum rerum, velut de praedae publicae venditione usurpetur, tamen plerumque est *bonorum universitatis.* Id modo quaeri potest: num de bonorum debitoris obaerati venditione cogitaverit Varro? cujus quidem venditionis meminit Gajus III. §. 79. sqq. et IV. §. 35. (Cf. et Theophili *paraphr.* ad pr. Tit. inst. *de successionib. sublatis, quae fiebant per bonorum venditiones*). Id quondam plerique interpretum suspicati sunt. (Vid. infra Tit. XVII — XIX. huj. libri §. 11.). Cui tamen sententiae impedimento est, quod de juris civilis adquisitionibus Varro loquitur; per istam autem bonorum venditionem Praetoria ratione succedebatur. Unde recte mihi videntur sentire, qui *sectionem* ad bonorum proscripti vel damnati, hereditatisve ad aerarium delatae, venditionem publice factam vel maxime esse referendam putant; cujus sententiae argumenta optime exposuit F. C. G. Stieber: *de bonorum emtione apud veteres Romanos.* P. I. (Lips. 1827.) Cap. I. §. 1 — 6.

jure civ. Rom. I. 11. Sed nec Varronem modos omnes recensere voluisse, quum ex particula FERE, qua utitur, tum praecipue patet ex Ulpiani *Fragm. XIX.* 2. ubi et *adjudicationem*, et *legem* memorat Jureconsultus. Iisdem vero haud immerito adjeceris *adrogationem, donationem,* et modum, quem *SCtum Claudianum* induxit. Quae quum ita sint, duodecim erunt modi adquirendi juris Quiritium, *I.* HEREDITAS, *II.* MANCIPATIO, *III.* IN JURE CESSIO, *IV.* USUCAPIO, *V.* SUB CORONA EMTIO, *VI.* AUCTIO, *VII.* TRADITIO, *VIII.* ADJUDICATIO, *IX.* LEX, *X.* ADROGATIO, *XI.* DONATIO [q]), *XII.* MODUS ADQUIRENDI EX SCTO CLAUDIANO. De primo modo infra *Lib. II. Tit. XIX.* de quarto *Libro II. Tit. VI.* de decimo *Lib. III. Tit. XI.* de undecimo *Lib. II. Tit. VII.* de ultimo *Lib. III. Tit. XIII.* agemus. De secundo modo jam diximus supra §. 16. 17. Ergo restant *in jure cessio, sub corona emtio, auctio, traditio, adjudicatio,* et *lex:* de quibus nonnulla ex antiquitatibus erunt monenda.

§. 23.

Quid in jure cessio?

IN JURE CEDEBANTUR res tum mancipi, tum nec mancipi [r]), non

---

Vid. et Schilling *Bem. über R. G.* p. 70 — 73. Communis erat sectioni et auctioni *hastae usus* (Stieber *l. l.* §. 7. et Cap. III. §. 22.), itemque sectioni et bonorum debitoris obaerati venditioni *per universitatem successio* ejus, qui plurimum obtulerat. Cf. Gaj. IV. 145. 146. „Bonorum — emtori similiter (ut *bonorum possessori*) proponitur interdictum, quod quidam *possessorium* vocant. Item ei, qui publica bona emerit, ejusdem conditionis interdictum proponitur, quod appellatur *sectorium; quod sectores vocantur, qui publice bona mercantur*". *Mühl.*

q) Donationem in formarum numero propriarum referri, quibus dominium quaeratur, minime conveniens est. Nam quod legitur in *Vat. Fragm.* §. 310: „Perficitur donatio in exceptis personis sola mancipatione vel *promissione*", ad ipsius jus donationis spectat, non ad dominii acquisitionem, quippe quae non nisi aut mancipatione (in rebus mancipi) aut traditione efficeretur. Vid. Vat. Fr. §. 266. 268. („si neque mancipatio, neque traditio secuta est, solis actis dominium non transiisse"), §. 293. Hac igitur specie abundat adquisitionum civilium ab Auctore relatarum numerus. Rursus vero desunt, quae omitti minime debebant, nimirum *sectio* (vid. not. p.) et in manum conventio; Gaj. III. §. 82. Caeterum praeter naturales et civiles adquisitiones fuere etiam *Praetoriae*, velut ejus, qui ex noxali causa jussu Praetoris servum duxerat, Bonorum possessoris, Bonorum emtoris, aliae. Cf. Unterholzner im *Rhein. Mus. I. p.* 129. sqq. V. p. 3. sqq. Puggé *Rhein. Mus.* II. p. 294. sqq. Zimmern *Rhein. Mus.* III. p. 314. sqq. Schilling *Lehrb. f. Inst. u. R. G.* §. 152. num. 4. *Mühl.*

r) Caeterum praedia provincialia nec mancipationem recipiebant, nec in jure cessionem. Gaj. II. 31. *Mühl.*

modo corporales, sed et incorporales, et tunc requirebantur tres personae, quarum una *cedebat*, altera *vindicabat*, tertia *addicebat:* Ulpian. *Fragm. XIX.* 9. (Add. Gaj. II. 24.) Cedebat dominus, vindicabat is, cui cedebatur, addicebat Praetor vel Praeses provinciae. Vindicabat primo rem is, cui illa cedebatur, et ita quidem, ut eam tenens diceret: HANC EGO REM EX JURE QUIRITIUM MEAM ESSE AJO. Tum interrogabat Praetor vel Praeses, an alter contra vindicaret? Solebant enim olim possessores in contestanda rei vindicatione non solum negare intentionem actoris, sed et ipsi rem sibi adserere: veluti apud Plautum *Rud. IV.* 3. *v.* 86. ubi altero dicente HUNC MEUM ESSE DICO, statim alter subjicit: ET EGO ITEM ESSE AJO MEUM: Cic. *pro Muraena c.* 12. et infra *Lib. IV. Tit. VI.* §. 24. [Jo. Henr. de Berger. *Diss. de contravindicatione.*] Quaerebat ergo Praetor vel Praeses, utrum contra vindicaret, an auctor fieret? Quo procul dubio pertinet formula apud Valerium Probum: A. F. A. *An fis auctor?* Negante domino, vel tacente, Praetor rem addicebat vindicanti, hac fere usus formula: QUANDO TU NEGAS, HANC EGO REM PRAESENTI ET VINDICANTI ADDICO: Boeth. *Comment. ad Cicer. Topic. Lib. III.*

§. 24.

Quid sub corona emtio?

EMTIO SUB CORONA quid fuerit, ostendendum paullo adcuratius. Victis hostibus praeda venibat [s]), et in his etiam captivi, et in servitutem detrusi. Hi ergo sub corona venire dicebantur, non quod milites eos custodiae caussa circumstarent, eaque militum custodia *corona* vocaretur, sed quod ipsi captivi venales starent coronati, ut ex Caelio Sabino et Catone docet Gellius *Noctt. Att. VII.* 4., ex quo etiam discimus, eos servos, quorum nomine nihil praestabat venditor, pileatos venire consuevisse. Res ex innumeris Livii, Caesaris, aliorumque historicorum testimoniis nota est. Ut pauca suggeram, ea reperies apud Livium *LIII.* 4. Caesarem *de Bello Gall. III.* 16. Florum *Hist. IV.* 12. Jam id modo observa, mancipia sub coronis emta statim in dominio juris Quiritium esse coepisse, adeoque emtorem securum fuisse contra quoslibet, ut etiam patet ex Varrone *de re rust. II.* 10. Cujus locum et ad reliquos adquirendi

---

s) De praeda partim vendita, partim militibus divisa: Dukerus *ad Liv.* XXXVIII. c. 23. §. 10. T. V. p. 201. *Haub.*

modos recte intelligendos utilissimum adscribere juvabit: *In emtionibus dominium legitimum sex fere res perficiunt, si hereditatem justam adiit: si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit: aut si in jure cessit, cui potuit cedere, et id ubi oportuit: aut si usucepit: aut si e praeda sub corona emit, tumve, quum in bonis sectionem cujus publice venit.*

§. 25.

Quid auctio?

Auctione adquirebantur quaecumque publice, proclamante praecone, praesente atque addicente magistratu, sub hasta emebantur: Festus sub voce *Hastae: Hastae subjiciebantur ea, quae publice venumdabant, quia signum praecipuum est hasta.* Et Cicero *Philipp. II. 26. Hasta posita pro aede Jovis Statoris: bona Cn. Pompeji Magni voci acerbissimae subjecta praeconis.* Hanc hastam publicam fugiebant viri honesti, quia et proscriptorum bona ibi venibant. Sic Atticus ad hastam publicam numquam adcessit: Nepos *Attic.* c. 6. Ceterum, quum res ei addici soleret, qui plurimum augeret, factum est, ut ipsum illud venditionis genus *auctio;* isque, a quo quis emerat, *auctor,* et jus denique auctione quaesitum *auctoritas* adpellaretur. Quod vocabulum deinde ad dominium quodcumque prolatum est, ita ut omne dominii jus, quocumque titulo adquisitum, vocaretur *auctoritas,* ut praeclare observavit Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 11. *p.* 149. [t]). Plura dicemus infra *Lib. II. Tit. XVIII. XIX.* §. 11.

§. 26.

Quid traditio?

Traditione adquirebantur solae res nec mancipi, quippe quarum dominia adprehendebantur, simul ac ex justa caussa fuerant traditae: Ulpian. *Fragm. XIX.* 7. Nec referebat, mobiles res essent, an immobiles: ut adeo manifesto errent, qui traditionem ad res mobiles tantum pertinuisse existimant. Vid. V. C. Schulting. *ad Ulpian. l. c. p.* 622. De traditione vera et ficta egregia quaedam ob-

---

t) *Auctoritatem* non ab augendo dictam esse, verum ab *αὐτός* vel etiam ab *αὐτώρης*, jam alii viderunt, nemo autem, mea opinione, accuratius copiosiusque exposuit, quam Ballhorn-Rosenius: *über Dominium* p. 246. sqq. At usitatiorem vocabuli et etymologiam et scriptionem acriter defendit interpres hujus articuli in germ. Lex. Forcell. editione, his vel maxime usus rationibus, quod constanter fere in veterum monumentis codicibusque manu exaratis legatur *auctor* et *auctoritas,* non *autor, autoritas. Mühl.*

servat Ger. Noodt *Probab. II.* 6. *p.* 55. *sq.* Non multum diversa a traditione erat cessio vacuae possessionis, quae et mancipationibus nonnumquam adcedebat, ut patet ex Gruteri *Inscriptt. p. MLXXXI. n.* 1. ubi Statia Irene, mancipans monumentum Licinio Timotheo, addit: EIQUE VACUAM [u]). POSSESSIONEM. MONUMENTI. S. S. CESSIT. Qua de re plura observavit Fr. Brummer. *ad Leg. Cinc. c.* 13. [Add. van Bynkersh. *de reb. mancipi c.* 9. *p.* 132.]

§. 27.

Quid adjudicatio?

ADJUDICATIONE dominium rerum tum mancipi, tum nec mancipi adquirebatur in tribus illis judiciis *familiae erciscundae, communi dividundo, finibus regundis:* §. *ult. Inst. de Off. jud.* Quoties enim judex uni ex heredibus, vel sociis, vel vicinis, rem adjudicabat, statim haec sine traditione in illius transibat dominium: Ulpian. *Fragm. XIX.* 16. (Add. Gaj. IV. 42.). Unde adjudicatio traditioni atque usucapioni aequiparatur: *L.* 6. §. 3. *D. de Statu liber.* Praeter tria vero illa judicia nullus erat casus, in quo dominium adquireretur judicis sententia, quippe quae jus non dat, sed declarat, id cuiquam competere: *L.* 8. §. 4. *D. Si servit. vindic.* Unde et actio judicati non in rem est, sed in personam: V. C. Ortw. Westenb. *de causs. obl. Diss. VI.* 8. *sq.*

§. 28.

Quod dominium ex lege?

LEGE denique adquirebatur dominium rei singularis, sive mancipi esset, sive nec mancipi, quoties lex quaedam dominium alicui addiceret. Sic legatum ex lege XII Tabularum statim erat in dominio legatarii: Ulpian. *XIX.* 17. *L.* 120. *D. de Verb. signif. L.* 47. §. *ult. D. de Pecul.* Eodem modo adquirebantur bona caduca atque ereptitia sive a fisco, sive a privatis. Nam et his nonnumquam concedebantur caduca: Cujac. *ad Novell. I.* Scip. Gentil. *de Jure adcrescendi c.* 10.

§. 29.

Distinctio inter dominium Quiritarium et bonitarium.

Quidquid tali modo fuerat adquisitum, id IN DOMINIO QUIRITARIO; reliqua IN BONIS *esse* dicebantur: Ulpian. *Fragm. I.* 16. Theo-

u) Ita legendum esse pro INQUE VACUAM, recte monet Fr. Brummer. *ad Leg. Cinc. c.* 13. *Hein.*

phil. *Inst. ad* §. *fin. tit. de Libertin.* qui dominium Quiritarium eleganter ἔννομον vel *legitimum;* bonitarium φυσικὸν vel *naturale* vocat. Quod discrimen in eo maxime erat positum, quod domini Quiritarii re usucapta vacui essent a litibus, unde et optimo jure possidere dicebantur: quod secus se habebat in dominis bonitariis. Vid. Car. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 11. *p.* 150. Barn. Brisson. *Antiqu. Rom. IV.* 22. *p.* 78. Bynkersh. *de reb. manc. c.* 9. *p.* 131. Enimvero sustulit illud discrimen Justinianus *L. un. C. de Nudo jure Quirit. tollendo,* et *L. un. C. de Usuc. transf. et de sublata diff. rer. manc. et nec mancipi.* Unde et in toto jure nostro nullum ejus expressum superest vestigium, quamvis aliqua Tribonianus paullo obscuriora passim reliquisse videatur [x]).

x) Omnium minime satisfacere nobis possunt, quae Auctor h. l. de diversa dominii apud Romanos ratione scripsit. *Dominium ex jure Quiritium* et, quod recentiores interpretes, Theophilum imitati, vocare solent, *bonitarium,* tam pro effectibus, quam pro adquisitione maximopere differebant. Solum dominium ex jure Quiritium proderat ad ipsam rei vindicationem instituendam; dominum ex jure Quiritium oportebat esse eum, qui servo suo libertatem justam concedere volebat; non quaelibet alienatio efficax habebatur ad dominium Quiritarium transferendum. Secus haec omnia in eo genere, ex quo res tantum in bonis sunt, quarum nomine etiam prodita est peculiaris formula petitoria (Gaj. IV. §. 91. sq.). Hinc fieri poterat, ut eodem tempore alius dominus esset ejusdem rei ex jure Quiritium, quam alius in bonis haberet (Gaj. II. §. 40. sq.). Ab utraque dominii specie rursus diversa erat *bonae fidei possessio,* ad Publicianam inprimis in rem actionem, tum vero et ad usucapionem utilis, quamquam uterque effectus etiam circa res, quae in bonis essent, locum habebat. De origine varietatis aureum accipe Gaji testimonium modo laudatum: „*Sequitur, ut admoneamus, apud peregrinos quidem unum esse dominium, ita, ut dominus quisque sit, aut dominus non intelligatur. Quo jure etiam populus Romanus olim utebatur; aut enim ex jure Quiritium unusquisque dominus erat, aut non intelligebatur dominus. Sed postea divisionem accepit dominium, ut alius possit esse ex jure Quiritium dominus, alius in bonis habere*". E recentiorum scriptorum numero sufficit adire: *Heidelb. Jahrb. d. Litt. f. Jurispr. u. St. W.* 1809. p. 329—332. Niebuhr *Röm. Gesch.* T. II. p. 351. sq. p. 358 —361. p. 365 —367. p. 373. sq. Schrader *Rechtsgesch. Bem.* num. 1. in Hugonis *civ. Mag.* Tom. V. num. 7. p. 141. sq. de Savigny *Recht des Besitzes* §. 9. p. 116 — 118. (ed. VI.). Hugo *R. G.* p. 192—199. p. 523—530. (ed. XI.) *Haub.* Post eos complures etiam exstiterunt, qui idem argumentum singulari studio prosequerentur, hi quidem: Unterholzner im *Rhein. Mus.* I. p. 129—144.; *hujus comment.* censores (M. S. Mayer) *in ephemerid. jur. Tub.* IV. p. 65—70.; et (G. F. Puchta) *in ephemerid. jur. Erl.* IV. p. 133—140. Puggé im *Rhein. Mus.* II. p. 292—299. Zimmern *ibid.* III. num. XIX. p. 311—364. F. A. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 58—73. Unterholzner *Rhein. Mus.* V. num. I. p. 1—25. M. S. Mayer in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* VIII. num. I. p. 1—80. C. T. A. de

LIB. II. TIT. II.

DE

REBUS CORPORALIBUS ET INCORPORALIBUS.

Novam rerum divisionem hoc titulo subjungit Imperator. CORPORALES enim aliae sunt, aliae INCORPORALES, de quibus pauciora dici possunt ex antiquitatibus [a]).

Scheurl Diss. *num juris gentium acquisitionibus dominium civile Romanorum effectum sit.* Erl. 1836. 8. — Jam, rerum nec mancipi *traditione* statim effectum esse dominium ex jure Quiritium, certum est (Gaj. II. 20. 21. Ulp. XIX. 7.). At de reliquis juris gentium acquisitionibus dubitatur. Et me quidem haud poenitet, eorum accedere sententiae, qui eandem illis adquisitionibus potestatem tribuant, plenum efficiendi in nec mancipi rebus dominium. Quid? quod consequens est dicere, *accessione* quae acquirantur, eodem jure quaeri, quo res principalis teneatur a domino, tum vero, quae ab hostibus capiantur, pleno jure fieri occupantium, sive mancipi sint, sive nec mancipi res; quandoquidem „*maxime esse sua credebant*" veteres, „*quae ex hostibus cepissent,*" unde et in sectione atque auctione *hasta* utebantur, et in vindicationibus *festuca*, „*quasi hastae loco, signo quodam justi dominii.*" (Gaj. IV. §. 16.). Igitur, quae praeterea naturali ratione quaeruntur, *in bonis* sunt ejus, cui acquiritur. Et simile est jus Praetoriarum acquisitionum (vid. not. q.), nisi quod interdum bonae fidei possessoris jure circumscriberetur is, qui ex causa ad bonitarium efficiendum dominium per se quidem idonea jus aliquod impetraverat a Praetore; v. c. is, qui damni infecti nomine *ex secundo decreto* in aedes ruinosas missus est, adversario quidem non constituto ipso aedium domino (L. 9. §. 4. 5. L. 10 — 12. *D. de damno infecto*, Unterholzner *Rhein. Mus.* V. p. 6.), porro Bonorum possessor, cui rem etiam evincere poterat heres (Gaj. II. 148. 149. III. 36. 37.). — Caeterum nec de eo inter doctos homines constat, qualis actio juris sui persequendi causa comparata fuerit bonitario domino? (Nam cf. Zimmern *l. l.* p. 330 — 343. Hugo *R. G.* p. 325. Unterholzner *Rhein. Mus.* V. p. 14. sqq. num. XV.). Publiciana in rem actio minime convenit, nec juri de quo hic quaeritur, nec hujus actionis formulae, quam nobis prodidit Gajus (IV. 36.), quidquid contra dicat Zimmernus *l. l.* Nec magis fieri poterat, ut *simpliciter* daretur petitoria formula, siquidem actor, hacce formula utens, *ex jure Quiritium* rem esse suam intendebat (Cic. *in Verr.* II. 12.). At *utiliter*, seu *fictione adhibita* petitoria formula usum esse actorem, id, quum omnino conveniens est juris rationi, tum vero luculenter confirmatur Gaji testimonio; qui, expositurus, quomodo Bonorum possessor ficto se herede agat, tale subjicit exemplum: „si Aulus Agerius L. Seji *heres* esset, tum, *si is fundus, de quo agitur, ex jure Quiritium ejus esset*" rel. (IV. 34.). *Mühl.*

a) Christ. Frid. Ge. Meister Pr. *de philosophia Jurisconsultorum Romanorum Stoica in doctrina de corporibus eorumque partib.* Gott. 1756. 4. et in Opusc. T. I. p. 507 — 563. *Haub.* Jo. Andr. Ortloff *über den Einfluss der Stoischen Philosophie auf die röm. Jurisprudenz* (Erl. 1797.) p. 97 — 110. *Mühl.*

§. 1.

Stoica definitio rerum corporalium et incorporalium.

Philosophiae stoicae deditos fuisse plerosque Romanorum Jureconsultos, jam supra est observatum. Atqui Stoici non minus, quam reliqui philosophi, res omnes in corporales atque incorporales distinguere, illasque definire solebant, quod possent tangi: Seneca *Epist.* 58. *Quidquid est, aut corporale est, aut incorporale.* Idem *Epist.* 106. *Numquid est dubium, an id, quo quid* TANGI *potest, corpus sit?* Lactant. *Inst. Divin. VII.* 12. *Solidum et comprehensibile corpus est, et oculis et manu videtur et tangitur.* Ex Epicureis Lucretius *I. v.* 305.

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.

§. 2.

Incorporales res magis non exsistere, quam exsistere putabant Stoici.

Iidem e Stoa philosophi res incorporales magis illis, quae non sunt, quam quae sunt, adcensendas esse arbitrabantur: Cicero *Topic. c.* 5. *Definitionum duo sunt genera prima: unum earum rerum, quae sunt, alterum earum rerum, quae intelliguntur. Esse ea dico, quae cerni tangive possunt, ut fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera. Non esse rursus ea dico, quae tangi demonstrarive non possunt: ut si usucapionem, si tutelam, si gentem, si adgnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus: est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentia, quam notionem voco.* Tertullian. *de carne Christi c.* 11. plane στοϊκῶς: *Omne quod est, corpus est sui generis: nihil est incorporale, nisi quod non est.* Ex quo sane loco patet, veteres res solas corporeas exsistere, incorporeas tantum intelligi existimasse.

§. 3.

Jureconsulti definitiones Stoicas adoptabant.

In his omnibus ergo philosophos sequebantur Jureconsulti, qui et ipsi res in CORPORALES et INCORPORALES dividebant, iisdem adoptatis definitionibus, corporales tangi posse, incorporales non posse, dicebant: Gaji *Inst. II.* 1. 2. (*comment.* II. 12—14.) quamvis qui elegantius loquuntur, auctores illas RES, has JURA adpellare malint: Quinctil. *Inst. Orat. V.* 10. Et sane sic res multo est dilucidior, faciliusque intelligitur, cur pecunia, quae manibus tangi potest, pro diversa σχέσει modo *corporalibus* rebus adcénseatur: §. *un. Inst. h. t.*

modo opponatur corporibus: *L.* 46. *D. de Condict. indeb. L.* 5. *princ. D. de Impens. in res dot. L. ult. D. de Adim. legat.* Prout scilicet vel res ipsa, vel jus seu valor, consideratur, ita vel corporalibus vel incorporalibus rebus adnumeratur pecunia. [Eodem modo stillicidium rebus corporalibus adcensetur a Cicer. *Topic. c.* 5. incorporalibus, nempe servitutibus, a Jureconsultis.]

§. 4.

Res incorporales et ipsi exsistere quodammodo negabant.

Eodem ex fonte, id est, ex philosophia Stoica, manavit, quod res incorporales a Jureconsultis magis iis, quae non sunt, quam quae sunt, adnumerantur. Paulus sane *L.* 1. *D. de Usu et usufr. leg.* servitutes *neque ex bonis, neque extra bona esse* contendit, quod ex principiis illis Stoicorum, quae paullo ante declaravimus, explicandum esse, erudite docet Ger. Noodt *Probabil. II.* 3. *p.* 48. *sq.*

LIB. II. TIT. III.

DE

SERVITUTIBUS RUSTICORUM ATQUE URBANORUM PRAEDIORUM.

Incorporalia sunt omnia jura, atque adeo etiam SERVITUTES. Hae vel personarum sunt (vocant vulgo *personales*), vel rerum s. praediorum (vocant *reales* seu *praediales*). Serviunt enim non modo praedia rusticis atque urbanis praediis, verum etiam praedia et res personis, constituto in illis usufructu, usu vel habitatione vel in servo operis. De illis titulo III. De his tit. IV. et V. agitur.

§. 1.

Quaenam praedia rustica et urbana?

SERVITUS REALIS inhaeret praediis, iisdemque praestatur [a]). A praedio dominante illae servitutes a Jureconsultis in jure URBANORUM ac RUSTICORUM PRAEDIORUM dividuntur. Sed cave hic respicias ad locum. Praedia enim non a loco, sed ab usu cognominabantur. Nam eodem modo et *urbana mancipia* rusticis non loco, sed opere, se-

---

a) E. Schrader: *wie kam man auf die vielen auffallenden Sätze bei den dinglichen Dienstbarkeiten und welchen Gang nahm die Ausbildung dieser Sätze?* in Ej. *civ. Abh.* II. num V. p. 264 — 332. *Mühl.*

jungebantur: *L.* 99. *pr. D. de Legat.* 3. *L.* 166. *pr. D. de V. S.* Et Labeo supellectilem et penum *rusticam* non loco, sed genere usus distinguendam putat: *L.* 4. §. 5. *D. de Penu leg. L.* 12. *D. de Supell. legat.* Imo et vestes, quibus ruri utebantur, ab usu *rusticas,* quibus in urbe, *urbanas* vocatas esse, ex loco elegante Titinnii demonstrat Merill. *Observatt. III.* 5. Non ergo recte discrimen servitutum rusticorum urbanorumque praediorum desumitur ex *L.* 3. *D. de Servit.* ubi Paulus *servitutes praediorum alias in solo, alias in superficie consistere* ait. Quamvis enim id verum sit, non tamen ibi id agit Jureconsultus, ut discrimen servitutum rusticorum urbanorumque praediorum ostendat. Praeterea illud discrimen non ad praedia dominantia pertinet, a quibus alioquin servitutes diversam denominationem sortiuntur, sed ad servientia. Imo ne probari quidem potest, servitutes urbanorum praediorum tantum in superficie; rusticorum tantum in solo consistere. Sane enim Ulpianus *L.* 11. §. 1. *D. de Public. in rem actione* servitutem urbani praedii esse dicit, si per domum quis suam passus sit aquaeductum transduci: et ea tamen servitus in solo consistit. Contra si quis horto olitorio alterius deberet servitutem altius non tollendi, ea procul dubio foret servitus praedii rustici, quum tamen consistat in superficie, ut recte animadvertit Merill. *Obs. I.* 32. Nec magis rem videntur acu tetigisse, qui praedia rustica omnes fundos et areas; urbana omnia aedificia existimant. URBANA enim erant et fundi voluptatis caussa culti, veluti horti, modo eorum plurima pars non esset in reditu, quales sunt horti vinearii et olitorii: *L.* 198. *D. de V. S.* et omnia aedificia habitationi destinata, etiamsi in villis exstructa: §. 1. *Inst. de Servit. L.* 1. *D. Commun. praed. L.* 198. *D. de Verbor. signif.* Veteres nimirum villam plerumque in tres dividebant partes, quarum unam *urbanam,* alteram *rusticam,* tertiam *fructuariam* adpellabant. *Urbanae* dicebantur aedes vel habitationis, vel voluptatis caussa conditae, ubicumque sitae; *rusticae* complectebantur tecta villico et reliquae familiae, ut et armentis et equis destinata: *fructuariae* denique constabant horreis et cellis, quibus omnium generum fructus recondebantur: Varro *de re rust. L. I. c.* 13. Columella *de re rust. I.* 6. Urbanum in villis aedificium etiam praetorium dicitur apud Pallad. *I.* 8. Sueton. *Calig. c.* 37. *L.* 2. *D. de Serv. praed. rustic. L.* 198. *D. de Verb. signif.* Et ex eo jam satis manifestum est, aedificia etiam ab usu in praedia *rustica* ac *urbana* dividi solita esse.

§. 2.

Servitutes praediorum urbanorum.

Praediis his urbanis variae praestabantur servitutes, quales erant *oneris ferendi*, *tigni immittendi*, *stillicidii*, *fluminis*, *cloacae*, *altius tollendi vel non tollendi*, *luminum*, *et aliae:* §. 1. *Inst. h. t.* Gaji *Inst. II.* 1. 3.

§. 3.

Servitus oneris ferendi.

Sic vicinae aedes tenebantur nonnumquam vicinarum onus ferre, vel alienum aedificium columna vel pariete suo sustinere, columnamque et parietem praeterea ex pacto reficere. Haec erat SERVITUS ONERIS. Non ergo ideo a domino praedii servientis reficienda erat columna serviens, quod hoc naturae hujus servitutis inesset: sed quod ea lex, id est, stipulatio in constituenda servitute esset interposita: PARIES ONERI FERUNDO UTI NUNC EST, ITA SIT: *L.* 33. *D. de Serv. praed. urb.* Nam id sibi diserte a vicino solebant stipulari, UT REFICIAT LAPIDE QUADRATO, vel LAPIDE STRUCTILI, vel quovis alio opere: *L.* 6. §. 5. *D. Si serv. vind.* Quamvis vero hanc pactionem contra naturam servitutum esse judicet Gallus Aquillius, quippe quae praedii servientis domino necessitatem aliquid faciendi imponat: *L.* 15. §. 1. *D. de Servitutibus*, evaluit tamen Servii sententia, qui hanc conditionem in hac servitute admisit, quia servientis praedii dominus facere nihil cogatur, sed parietem vel columnam derelinquere possit, ut patet ex *L.* 6. §. 2. *D. Si servit. vindic.* [b]).

§. 4.

Servitus tigni immittendi.

Si cujus paries non tam onus vicini ferre teneretur, quam pati dominus, ut tignum immitteretur suo parieti, erat haec SERVITUS TIGNI IMMITTENDI. Erat vero tignum omnis materies, quae ad tectum, vel aedificium exstruendum erat idonea, et alterius parieti immitti poterat, veluti trabs, lapis, ferrum: *L.* 1. §. 1. *D. de Tigno junct.* Quamvis enim architecti strictiore usi vocabuli significatione tignum pro trabibus in contignatione accipiant: Vitruv. *X.* 5. aliter tamen loquebantur JCti ob exemplum in lege XII tabularum ex-

---

b) Rationes, quare conditio ista non nisi in hac servitute admissa sit? explicare conatus sum in commentatione, quae inscribitur: *über Servitus oneris ferendi*; *Arch. f. civ. Pr.* XIV. num. 14. *Mühl.*

stans, ubi *tigni adpellatione omne genus materiae, ex qua aedificia constant, significatur: L. 62. D. de V. S.* Quod ut intelligatur rectius, observandum erit, veteres Romanos incendiorum metu aedes aedibus ita vicinas esse jussisse, ut spatium quoddam vel interstitium relinqueretur, quod *ambitus* dicitur in legibus XII tabularum: Varro *de Lingua Lat. IV. 4. p. 6. Ambitus, iter, quod circumeundo teritur. Nam ambitus circuitus; ab eoque XII tabularum interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt.* Festus sub voce *ambitus: Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis, ad circumeundi facultatem relictus.* Et paucis interjectis: *Ambitus proprie dicitur circumitus aedificiorum, patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem, quod aedificium:* Cujac. *Obs. XIX.* 21. c)). Et huc pertinet Inscriptio vetus Romana Sadoleti hortis effossa:

INTER DUOS.
PARIETES.
AMBITUS. PRIVAT.
FLAVI. SABINI.

Brisson. *Antiqu. Select. I.* 2. Non ergo licebat antiquis aedes jungere sine interstitio; neque adeo tunc facile locum inveniebat servitus tigni immittendi. Postea vero aucto civium numero, quum pomoeria antiqua tantam aedium copiam vix caperent: non solum ipsa pomoeria subinde prolata, verum etiam omnes areae aedibus occupatae sunt, adeo ut nonnisi inter quasdam interstitium relinqueretur. Quaecumque vero aedificia communi pariete non concludebantur, circuituque publico aut privato cingebantur, ea dicebantur INSULAE: Festus sub voce *Insulae*: *L. 2. §. 14. D. Ne quid in loco publ.* d)). Iis insulis vel potius inquilinis aedium una insula comprehensarum non modo singulares erant GENII: Reinesii *Inscriptt. Class. I. p.* 169. *n. CXXXVIII.* sed et custodiendis iisdem praepositi erant servi, quos INSULARIOS dici animadvertimus in *L.* 166. *pr. D. de V. S.*

---

c) De ambitu aedium disserui in *Exercitationum Vitruvianarum, quibus jura parietum communium illustrantur, Sp. II.* et *III.* Lips. 1821. 4. (in opusc. II. p. 412. sqq.). *Haub.*

d) Insula proprie dicebatur domus, ab aliis separata, nec conjuncta vicinis parietibus (Brisson. de *V. S.* h. v. §. 2.), seu: aedificium, circuitum publicum privatumve habens (Dirksen *manuale* h. v. §. 2.); quocum etiam consentit Festus, cujus verba minus accurate hic retulit Auctor. Sic enim sonant: „Insulae dictae proprie, quae non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque

et *L.* 16. §. 1. *D. de Usu et habitat.* itemque apud Gruterum *Inscriptt. p. DCXXIV. n.* 10. Porro ambitus isti insularum dicebantur *angiportus.* Et quia per illos compendii caussa iri solebat, hinc Festo angiportus est *iter compendiarium in oppido.* Nihil tamen in illis agi poterat: Varro *de Lingua Lat. V. p.* 37. imo ne pervii quidem semper erant, ut ex Terent. *Adelph. IV.* 2. patet. Sed haec angiporta, ut dixi, rariora erant, postquam aucta urbe omnes areae aedificiis occupabantur. Hinc est, quod Seneca *Controv. II.* 9. conqueritur *tantas* suo tempore *fuisse viarum angustias, ut neque adversus ignem praesidium, neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium fuerit.* [Add. Juvenal. *Sat. III. v.* 268.] Ex quo ergo propius sibi invicem jungi coeperant aedes: servitutes illae tum oneris ferendi, tum immittendi tigna, in usu esse coeperunt, ad id quippe comparatae, ut arearum spatium lucrifacerent, quod novis muris, columnis ac parietibus exstruendis occupandum fuisset. Primus Nero veterem aedificandi morem restituit, constituitque, ut ne communione parietum, sed propriis quaeque domus muris, ambirentur: Tacit. *Annal. XV.* 43. Postea Antoninus et Verus Augusti rescripserunt, *in area, quae nulli servitutem debet, posse dominum vel alium ejus voluntate aedificare, intermisso legitimo spatio a vicina insula: L.* 14. *D. de Servit. urb. praed.* adeoque ex eo tempore denuo aedes sibi propius jungi coeperunt, communique pariete concludi, ita tamen, ut insularum maneret circuitus. Denique et Constantinus M. et sequentes Imperatores constitutionibus quibusdam definire coeperunt, quantum aedes privatae ab horreo, quantum a loco publico abesse deberent: *L.* 4. et *L.* 46. *Cod. Theod. de Oper. publ. L.* 9. et *L.* 11. *C. de Aedificiis privat.* Addantur Barn. Brisson. *Antiqu. Select. I.* 2. *p.* 4. Cujac. *Observv. I.* 4. *p.* 3.

§. 5.

Servitutes stillicidii et fluminis.

Servitutes STILLICIDII et FLUMINIS aquae pluviae caussa erant constitutae. Tenebatur enim vicinus aquam istam vel in vicini hortum

---

publico aut privato cinguntur. At imperatorum aetate alia paulatim subrepsit significatio, impropria illa quidem atque ab ea, quam modo descriptam dedimus, toto coelo diversa. Insula etenim dicta est domus, in qua plures inhabitant familiae. (Vid. Hauboldi *Exercit. Vitruv.* Sp. 3. in opusc. II. p. 440. 441. et Forcellini *tot. Latin. Lexic.* h. v.). Utramque hic confundit significationem Heineccius. *Mühl.*

areamve immittere e), vel ex alieno tecto in suam aream recipere, si ab eo stipulatus erat vicinus: FLUMINA, STILLICIDIA, UTI NUNC SUNT, UT ITA FLUANT CADANTQUE: Brisson. *Antiqu. Rom. Select. I.* 19. *Stillicidium* vero et *flumen* quomodo differant, docet Varro *de Ling. Lat. IV.* 5. *p.* 8. *Fluvius, quod fluit, item flumen: a quo lege praediorum urbanorum scribitur: Stillicidia fluminaque, ut ita fluant cadantque. Inter haec hoc interest, quod stillicidium, eo, quod stillatim cadat: flumen, quod fluat continue.* Sane quum aedes Romanorum pleraeque tecto declivi carerent: non poterant non canales vel alvei plures in suprema superficie esse, per quos aqua pluvia deflueret, aut certe tegulas oportebat tecto imponi, quae imbres exceptas in terram demitterent. Vid. Guil. Philandr. *ad Vitruv. Archit. VII.* 11. Illud ergo *flumen;* hoc dictum est *stillicidium.*

§. 6.

Servitus cloacae.

Cloacae Romae dicebantur concamerationes subterraneae, stupendi operis, per quas sordes urbe eductae in Tiberim exonerabantur f) eaeque vel PUBLICAE erant, vel PRIVATAE: *L.* 1. §. 9. *D. de Cloac.* PUBLICAS duxit Tarquinius Priscus, testibus Livio *Hist. I.* 38. et Dionys. Halic. *Ant. Rom. III.* 67. easque tam splendidas fuisse ait Cassiodor. *Var. III.* 30. *tantumque visentibus contulisse stuporem, ut aliarum quoque civitatum potuerint miracula superare.* Meretur illa tota Cassiodori descriptio legi, eique addi idem Cassiod. *Var. VIII.* 29. 30. et Plin. *Hist. Nat. XXXVI.* 15. Purgandarum earum caussa non solum tributum inferebatur, quod *cloacarium* dicitur: *L.* 27. §. 3. *D. de Usufruct. L.* 39. §. 5. *D. de Legat. I.* verum etiam

e) Hoc, licet, ipsius juris potestate considerata, propius absit a veritate, tamen minus accurate dictum est. Proprie enim obligatus esse nequit serviens, ut aquam in vicini aream immittat, (quoniam in faciendo servitus consistere non potest), sed eo tantum cernitur hujus servitutis vis, ut aquam, alioquin in suum fundum profluentem, vicini usibus concedere teneatur. Caeterum plane singularis est hujus servitutis explicatio apud Theophilum (*Paraphr. inst. ad* §. 1. *I. h. t.*) obvia. Qua de re vid. quae disputata sunt quum ab Hugone (*R. G.* XI. p. 504. not. 2.), tum a Schillingio, *Bem. üb. R. G.* p. 144 — 149. et *Lehrb.* §. 190. num. 4. *Mühl.*

f) Hinc Festus sub voce *cloacae p.* 268. dictas illas existimat a *conluendo* et *cloacale flumen* Cato dixit, pro cloacarum omnium colluvie. *Hein.* De cloacis, cloacarum Curatoribus et cloacario vid. Petr. Burmannus *de vectigal. c.* 10. *p.* 198. 199. *Cann.*

ii, qui ad poenam fuerant damnati, eidem operi adhibebantur: Trajan. Imp. *ad Plin. Epist. X.* 41. Et tamen auctor est Dion. Halic. *Lib. III.* 67. *aliquando* neglectas cloacas, nec *amplius transmittentes aquam a Censoribus mille talentis purgandas reficiendasque locatas esse.* Quod operis istius magnitudinem satis superque demonstrat. Sed et interdictum proditum erat: QUOD IN CLOACA PUBLICA FACTUM, SIVE IMMISSUM HABES, QUO USUS EJUS DETERIOR SIT, FIAT, RESTITUAS. ITEM NE QUID FIAT, IMMITTATURVE, INTERDICAM: *L.* 1. §. 15. *sq. D. de Cloac.* Quin ut illae cavernae eo rectius conservarentur, singulares iis praefecti erant magistratus, qui CURATORES CLOACARUM URBIS vocantur apud Gruterum *Inscriptt. p. CXCVII. n.* 5. *p. CXCVIII. n.* 2. 3. 4. 5. *CCLII. n.* 1. At quum publicae istae cloacae initio per publicum essent ductae: post incendium Gallicanum, mutato vicorum aediumque situ, illae passim subierunt tecta. Qua de re Livius *Hist. V. fin. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum, omisso sui alienique discrimine, in vacuo aedificant. Ea est caussa, ut veteres cloacae, primo per publicum ductae, nunc privata passim subeant tecta, formaque urbis sit occupatae magis, quam divisae, similis.* Hae publicae cloacae PRIVATAE erant, quae ex privatis quibusque aedibus in publicas illas immittebantur. Quandoquidem ergo publicae illae, ut jam ex Livio demonstravimus, passim subierunt tecta privata: opus nonnumquam erat servitute CLOACAE, et vicinus a vicino stipulabatur, ut liceret sibi privatam cloacam per ejus fundum deductam in cloacas publicas immittere: *L.* 7. *D. de Servit. L.* 1. §. 4. *D. de Cloac.*

§. 7.

Servitus non altius tollendi.

Antiquissimis porro temporibus suas quisque aedes in infinitum tollere poterat, idque etiam est libertatis naturalis: *L.* 9. et *L.* 24. *D. de Serv. urb. praed. L.* 26. *D. de Damn. infect.* dummodo nihil in alienum immittatur: *L.* 8. §. 5. *D. Si serv. vindic.* Hinc tam stupenda aedium altitudo, ut vix sine periculo per viam publicam ire ambulare liceret: Juvenalis *Sat. III. v.* 6. *sqq.*

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum adsiduos, ac mille pericula saevae
Urbis? — — — — — —

Enimvero quum id prospectui luminibusque officeret, aerque liberior hoc ipso vicinis interciperetur: saepe alter ab altero stipulabatur, ne altius tolleret. Atque inde nascebatur servitus ALTIUS NON TOLLENDI. At postea certus quidam aedium altitudini modus lege statutus est. Sane jam libera et florente republica ea de re fuisse cogitatum, docet Rutilii nescio cujus oratio de modo aedificiorum, quam ab Augusto recitatam esse in Senatu, ut eam rem non a se primo animadversam, sed antiquis jam curae fuisse, ostenderet, discimus ex Sueton. *Aug.* c. 89. Sed et ipse Augustus, ut crebris ruinis subveniret, lege lata statuit, ut ne quis septuaginta pedibus tolleret altius: Strabo *Geogr. V.* c. 3. §. 7. Πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. *Ruinis quoque subventurus, nimiam aedificiorum altitudinem sustulit, vetuitque ad vicos publicos altius septuaginta pedibus tollere.* Incensa deinde urbe, etiam Nero aedificiorum altitudinem cohibuit, teste Tacito *Ann. XV.* 43. quamvis, quem ea in re modum servarit, non sit memoriae proditum. Denique et Trajanus aedium altitudinem sexaginta pedes superare vetuit, ob ruinas faciles, et sumtus, si quid tale contingeret, exitiosos: Aurel. Victor. *Epit. vit. Trajan.* c. 13. Et sane haec quoque altitudo est maxima, unde non mirum, de ea conqueri Senecam *Controv. II.* 9. quamvis eam ipsa necessitate civiumque frequentia excusari existimet Vitruv. *Architect. II.* 9. Utcumque se res habet, sane et posteris placuit is aedificiorum modus, unde ad illum respiciunt Imperatores Severus et Antoninus: *L.* 1. *C. de Aedific. priv.* Quin et Constantinopoli ejusmodi legem observatam esse, docet Jac. Oisel. *ad Gaji Inst. II.* 1. 3. Quemadmodum ergo, quae sit non altius tollendi servitus, ex ipso vocabulo iisque, quae dicta hactenus sunt, satis intelligitur: ita eo obscurior est servitus ei opposita ALTIUS TOLLENDI. Quamvis enim vulgo servitutem altius tollendi explicent ex constitutione Zenonis: *L.* 12. §. 2. *C. de Aedific. privat.* de eo casu, si quis a vicino impetraverit libertatem aedes suas altius, quam leges ferant, tollendi: tamen hujus servitutis jam ante Zenonem mentio fit a Gajo: *L.* 2. *D. de Serv. urb. praed.* nec verosimile est, ante hanc constitutionem licuisse privatis pactis restringere leges publicas. Itaque non absurda est sententia eorum, qui hic putant de eo casu actum, ubi vicinus pati teneretur, ut vicinus ὑπερῷον vel coenaculum imponere posset aedibus ejus: A. A. Pagenstech. *Sicilim.*

Manip. III. p. 70. g). Quamquam nec id dubio caret, si illud ὑπερῷον vel coenaculum maneat aedificantis. Nam tunc non differet haec servitus a servitute oneris ferendi, uti recte vidit Sam. Stryk. ὁ μακαρίτης *Us. Digest. VIII.* 2. 7. Fusius ea de re alibi erit dicendi locus.

§. 8.

Servitus luminum, et ne luminibus officiatur.

Multum porro interesse videbatur veterum, ita clausas habere areas, ut remotis arbitris versari in iis posset familia. Unde et Druso promittebat architectus, ita se aedificaturum domum, ut libera a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset: Vellejus Patercul. *Hist. II.* 14. Licebat enim cuivis, in pariete suo fenestras, quot vellet aperire, sed et alteri licebat fenestris vicini in aream suam apertis obstruere. Quod si itaque aliquis fenestras in alieno vel communi pariete apertas habere vellet, opus erat servitute LUMINUM h). Sin impedire vellet alter, ne vicinus fenestras in suo pariete apertas obstrueret, stipulabatur a vicino: LUMINA UTI NUNC SUNT, ITA SINT: Brisson. *Antiq. Rom. I.* 19. Utque inde nascebatur servitus NE LUMINIBUS OFFICIATUR: nonnumquam etiam paciscebantur,

---

g) Mos iste alterius aedibus superimponendi coenacula et ὑπερῷα non ignotus fuit antiquis, cum aliis gentibus, tum maxime Romanis: Pompon. Mela *II. c.* 7. *Arados etiam in Phoenice est parva, et quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet:* ubi legendus Is. Vossius *p.* 203. De Romanis porro urbem ex ruinis instaurantibus Dionys. Halic. *Lib. X.* 32. refert, lege perlata plebejos convenisse et ibi aedificare coepisse, locum, quantum quisque potuerit, occupantes. Hinc porro addit: *Εἰσὶ δὲ καὶ σύνδυο καὶ σύντρεις καὶ ἔτι πλείονες, συνιόντες οἰκίαν κατεσκευάζοντο μίαν, ἑτέρων μὲν τὰ κατάγεια λαγχανόντων, ἑτέρων δὲ τὰ ὑπερῷα. Nonnulli etiam duo simul, vel tres, pluresve, unas aedes collatis impendiis exstruxerunt, aliis inferiores earum partes, aliis superiores sibi capientibus.* At de sua aetate Pomponius *L.* 25. *pr. D. de Serv. pr. urban. Hoc,* inquit, *quod dictum est de immissis, locum habet ex aedificio alio in aliud. Aliter enim supra alienum aedificium superius habere nemo potest. Hein.* Cf. Schilling *Bem. über R. G.* p. 144—151. et *Lehrb.* §. 190. not. y. de Vangerow *Leitf. für Pand. Vorles.* I. p. 666. sqq. *Mühl.*

h) De luminum servitute disputatum est nostra aetate inter Paulum Jo. Anselmum Feuerbachium, in Dessen *civilist. Versuchen* T. I. num. 1. p. 3—48. Lud. Frid. Griesingerum: *Lib. sing. de servitute luminum et ne luminibus officiatur.* Lips. 1819. 8. atque Henr. Car. Abr. Eichstadium: Pr. I. et II. *de servitute luminum et ne luminibus officiatur*; ad explicand. Ciceronis locum *de Orat.* I. 39. Jen. 1820. 4. et f. *Haub.* Aliorum, qui post illos scripsere, de hocce argumento sententias recenset: de Vangerow *Leitf.* §. 342. p. 656. sqq. *Mühl.*

jus ut esset vicino, se invitis altius aedificare, atque ita officere luminibus, de qua servitute *L. 3. D. de Serv. urb. praed.* Imo ut prospicere liceret et, ne prospectui officeretur, interposita stipulatione cavebant: *L.* 14. et 15. *D. eod.*

§. 9.

Servitutes praediorum rusticorum.

Servitutes praediorum rusticorum quatuor recenset Imperator *pr. Inst. h. t.* ITER, ACTUM, VIAM, AQUAEDUCTUM; sed §. 2. adjicit AQUAE HAUSTUM, PECORIS AD AQUAM ADPULSUM, JUS PASCENDI, CALCIS COQUENDAE, ARENAE FODIENDAE. Nos praecipua tantum consectabimur.

§. 10.

Iter, actus, via i).

ITER ab *eundo;* ACTUM ab *agendo,* VIAM a *vehendo* dictam esse, observat Varro *de Lingua Lat. IV.* 4. *p.* 7. Ergo ITER est jus eundi ambulandi hominis, non etiam agendi pecus, aut ducendi vehiculum: *L.* 1. *D. de Serv. rust. praed.* quamvis et equo vehi et sella gestari liceret ei, cui iter debebatur: *L.* 12. *D. eod.* ACTUS erat jus et eundi et agendi vel jumentum vel vehiculum, non tamen onustum: *L.* 1. et *L.* 11. *D. eod.* k) VIA denique jus et eundi et agendi et vehicula onusta per alterius fundum ducendi complectebatur: *L.* 7. *D. eod.* Adeoque tertia servitus primam et secundam, secunda etiam primam in se continebat, adeo, ut dividi non possent, et hinc si quis iter et actum acceptum tulisset, perimeretur etiam viae obligatio: *L.* 13. §. 1. *D. de Acceptilat.* Nonnumquam tamen iter et actum simul sibi stipulabantur, ut patet ex Gruteri *Inscriptt. p. CCI. n.* 3.

PER. HANC
VIAM. FUNDO
C. MARCI. C. L
PHILERONIS
ITER. ACTUS
DEBETUR

---

i) Frid. Aug. Bieneri Diss. *de differentiis itineris, actus et viae genuinis.* Lips. 1804. *Haub.* G. F. Puchta: *über die Wegservituten des röm. Rechts;* in Ej. *civ. Abh.* (Leipz. 1823.) num. III. p. 77. sqq. *Mühl.*

k) Intelligendum hic esse non plaustrum, oneribus trahendis aptum, sed currum trusatilem, praeclare observat Bynkersh. *Observatt. IV. 7. p.* 365. *Hein.* Currus trusatilis intelligi non potest. Vid. Ritter in Diss. *de itineris, actus te viae differentia,* adjecta Theophili editioni Reitzianae *p.* 1228. *Cann.*

Cujus rei rationem reddit Cujac. *Observatt. XXII.* 35. quod viae iter et actus *propalam* inest, actui autem iter tantum *tacite* et per consequentiam. Unde non mirum, saepe sibi homines actum et iter simul stipulatos. Ex eodem vero lapide etiam patet, servitutes has non hominum, sed praediorum esse, quod et jus nostrum inculcat: *L.* 20. §. *ult. D. de Serv. praed. rust. L.* 86. *D. de Verb. signif.* ubi addi meretur Ger. Noodt *Probab. I.* 2. *p.* 4. *sq.*

§. 11.

Viae et actus latitudo.

Viae latitudo in porrectum octo pedum erat, in anfractum sedecim: *L.* 8. *D. de Serv. praed. rust.* Varro *de Lingua Lat. VI.* 2. *p.* 48. Ex quibus locis discimus, hunc viae modum ex legibus XII *tabularum* esse, quibus cautum fuerat: VIA IN PORRECTO VIII. P. IN AMFRACTO XVI. P. LATA ESTO: Gothofr. *ad XII Tabb. tab. VIII.*[1]). Actus latitudo quatuor pedum erat, teste eodem Varrone *de Lingua Lat. IV.* 4. *p.* 6. et Festo sub voce *actus p.* 243. Itineris latitudo parum comperta est. Potuisse tamen pro paciscentium arbitrio vel latiorem vel angustiorem constitui viam vel actum, patet ex *L.* 23. *pr. D. eod.* adeoque idem de itinere dici posse videtur.

§. 12.

Servitus aquaeductus.

Aquaeductus erat jus aquam ducendi per alterius praedium, quod vel rivis per canales structiles, vel fistulis plumbeis, vel tubulis fictilibus fiebat, teste Vitruv. *Architect. VIII.* 7. quibus tamen et canales ligneos addit Palladius *IX.* 11. Erant isti aquaeductus vel PURLICI vel PRIVATI. In illis exstruendis tam splendidi tamque magnifici erant Romani, ut pauca, quae hinc inde supersunt, rudera posteris sint admirationi. Solebant enim exstruere fornices, et veluti pontes, per quos aqua tamquam flumen aliquod in urbem duceretur, ut docet aqua Trajana depicta in numo apud Vaillant. *Num. Imp. p.* 47. De ejusmodi aquaeductibus Claudii Rutilii Numatiani *Itinerarium I. v.* 97. *sqq.*

---

1) Caeterum disputatur: annon ad publicas vias hoc XII tabb. praeceptum pertinuerit, et postea demum ad vias privatas, seu ad praediorum jura, traductum sit? Vid. Hugo *R. G.* p. 190. sq. Puchta *l. l.* p. 83. sqq. *Mühl.*

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas crevisse in sidera montes:
Tale giganteum Graecia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris;
Consumunt totos celsa lavacra lacus.

Tales erant Romae aqua Claudia, Curtia, Trajana [Marcia, Patin. *Numism. fam. p.* 166.] aliaeque plures, quarum passim in marmoribus fit mentio. Et sane his aquis non solum ad necessitatem utebantur, sed et ad voluptatem et luxuriam, ad quam in primis comparata erant *Nymphaea*, quorum vestigia sunt in *L.* 5. *L.* 6. *C. de Aquaeduct.*, nec non apud Reinesium *Inscriptt. Class. I. p.* 201. *n. CC.* et Joseph. *de Bell. Jud. I.* 16. Erant haec aedificia publica ambitiosi operis, in quibus aquae corrivatae spectantium delectationi ac refrigerationi miris modis saliebant. Vid. Guido Pancirol. *Thesaur. Var. Lect. I.* 5. Haec publicis sumtibus solebant exstrui. Sed nec magis sumtibus pepercerunt privati, qui saepe aquam per omnia cubicula et triclinia ducebant, imo et euripos in his effodiebant, in quibus pisces inter coenandum caperent. Insignia hujus luxuriae exempla exstant apud Senecam *Nat. Quaestt. III.* 17. *de tranquill. animi c.* 1. Plin. *Epist. V.* 6. [m]). Quum ergo aquam saepe procul et per alienos fundos duci oporteret: occassionem id dedit servituti aquaeductus, de qua plura dabunt Jureconsulti.

§. 13.

De reliquis servitutibus remissive.

Reliquae servitutes facile vel ex ipsis nominibus intelliguntur, et passim de iis copiose agunt interpretes, quibus addendi Jac. Cujac. *Observv. XXII.* 35. Aeg. Menag. *Amoenitatt. jur. civil. c.* 36. Ulr. Hub. *Digress. II.* 12. *sq.* Corn. van Bynkershoek *Observatt. IV.* 7. [Barn. Brisson. *Antiquitatt. Select. IV.* 7.]

---

m) Huc pertinent etiam rivi aquae fluentis parietibus inducti, de quibus Emund. Merill. *Variant. III.* 1. et Ger. Noodt *de Usufr. I.* 12. *p.* 565. *Hein.*

LIB. II. TIT. IV. ET V.

DE

USUFRUCTU, USU ET HABITATIONE.

Hae servitutes, de quibus adhuc actum, reales sunt: personales vero USUSFRUCTUS, USUS, HABITATIO, OPERAE SERVORUM, de quibus his titulis agit Imperator. Nos post eruditissimas M. Aurelii Galvani et Ger. Noodtii commentationes pauca tantum monebimus.

§. 1.

Quid veteribus fuerit uti?

Ad vocabulum quod attinet: ab *utendo* et *fruendo* dictus est USUSFRUCTUS [a]). *Uti* re, ut erudite ostendit Ger. Noodt *de usufr. I.* 1. *p.* 526. est, eamdem adhibere ad vitae necessitatem, sed quatenus sufficit, et ut salva maneat ejus substantia. Unde propria usus tria sunt, primum, ut utentis necessitate finiatur; alterum, ne rei conditio mutetur: postremum, ut ne res utendo consumatur, aut pereat. Primum Horatius significat *Epist. II.* 2. *v.* 190. *sq.*

Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; — — — — —

Secundum patet ex *L.* 15. §. 1. et 5. *D. de Usufr.* Tertium notat Donatus *in Terent. prolog. Andr.* *UTIMUR fructibus rei, quae ab amantibus salvo usu nobis subministrantur; ABUTIMUR, quando deperdimus rem et fructum. Usui est ager, domus: abusui vinum, oleum, et cetera hujusmodi.*

§. 2.

Quid frui?

FRUI latius patet, quam uti: quemadmodum vel ex Seneca patet *de vita beata c.* 10. ubi philosophus: *Tu,* inquit, *voluptatem complecteris: ego compesco, tu voluptate FRUERIS: ego UTOR. Fructus* ergo non utentis necessitate, neque rei conditione circumscribitur: sed qualemcumque praesentem utilitatem, commoditatem, oblectationemve, quae ex re ejusve occasione percipi potest, complectitur, prorsusque adeo neque finem habet, neque modum, ut egregie ostendit Augustinus *de doctrina Christ. L. I. c.* 3. Ger. Noodt *I.* 1. *p.* 526. *sq.*

---

a) Hugo *R. G.* p. 506. sqq. (ed. XI.) et von Löhr *kurze Bemerkungen* num. 5. (*fructus*) in Ej. *Mag. f. R. W.* T. III. p. 498 — 504. *Haub.*

§. 3.

Quid ususfructus?

Ususfructus ergo neque merum fructum, neque merum usum continet, sed ex utroque colligitur. Ex *usu* enim id habet, quod salvam relinquit substantiam: ex *fructu* vero, quod non sola necessitate finitur. Adeoque est ***jus utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia: L. 1. D. de Usufr.***

§. 4.

Quid usus?

Poterat ergo usus quidem legari sine fructu: sed non fructus sine usu: *L. 14. §. 1. D. de Usu et habit.* Non enim debet, cui plus licet, quod minus est, non licere: *L. 21. D. de Reg. jur.* At usus, sine fructu legatus, sola utentis necessitate finitur, salvamque esse oportet non solum rei substantiam, sed et conditionem: *L. 12. §. 1. D. de Usu et habit.* Minus ergo continet usus, quam ususfructus, et hinc ille nec pro parte legari potest, quod potest ususfructus: *L. 19. D. eod.* nec etiam res, usui concessa, vel donatione, vel locatione, vel ullo alio titulo, in alterum transferri, quod itidem poterat ususfructus: §. 1. *Inst. eod. L. 12. §. 2. L. 38. sq. L. 67. D. de Usufruct.* [b]).

§. 5.

Quid habitatio?

Parum ab usu differt HABITATIO, sed differt tamen. Nam I. aliquid amplius habitationi inest, quam usui: siquidem is, cui debetur habitatio, totam domum non solum inhabitare, sed et locare, vel gratis concedere potest: *L. 13. C. de Usufr.* quae secus se habent, si solus usus aedium legatus sit. II. Habitatio non amittitur non utendo, neque III. capitis deminutione, perinde ut usus, perimitur, ut ex *L. 10. pr. D. de Usu et habit.* a se ingeniose emendata ostendit Ger. Noodt *Prob. III. 7. p.* 79. [c]).

§. 6.

Origo horum jurium.

Ceterum haec omnia originem debere videntur ultimis volun-

---

b) Thibaut *Versuch einer neuen Theorie über die eigentl. Beschaffenheit der Dienstbarkeit des usus;* in Dessen *Versuchen* T. I. num. 3. p. 33 — 58. ed. II. *Haub.*

c) Hugo *R. G.* p. 508. not. 5. Thibaut *über die Röm. habitatio;* in Dessen *civ. Abh.* num. 2. p. 7 — 35. *Haub.* v. Buchholz *Versuche* num. 16. v. Meyerfeld *Lehre von den Schenkungen* T. I. p. 140. sqq. *Mühl.*

tatibus. Quum enim morientes alicui bene cuperent, neque tamen ejus heredibus consultum vellent: excogitarunt jus illud utendi fruendi, a dominio et proprietate sejunctum, ut moriente legatario, rei legatae ususfructus cum proprietate consolidaretur. Postea etiam aliis modis, veluti stipulatione, quam tamen sequebatur traditio [d]), nec non judiciis divisoriis, imo etiam lege, constituebatur ususfructus, ut adcurate docet Ger. Noodt *de usufr. II.* 1. *sq. p.* 601. *sq.*

§. 7.

Ususfructus quantitatum et jurium SCto introductus.

Et initio quidem ususfructus in solis constituebatur corporibus non fungibilibus, postea SCtum prodiit, quod etiam in quantitatibus et juribus, vel, ut dilucidius loquamur, in rebus fungibilibus quasi usumfructum constituere permittebat, dummodo caveret fructuarius, se finito usufructu tantumdem restituturum. Qua de re Ulpianus *Fragm. XXIV.* 26. et 27. *Ususfructus jure civili legari potest earum rerum, quarum salva substantia utendi fruendi potest esse facultas: et tam singularum rerum, quam plurium, id est, partis. 27. Senatusconsulto cautum est, ut etiam, si earum rerum, quae in abusu continentur, ut puta vini, olei, tritici, ususfructus legatus sit, legatario res tradantur, cautionibus interpositis de restituendis eis, quum ususfructus ad legatarium pertinere desierit.* Ejusdem SCti mentio fit *L.* 1. *D. de Usufr. ear. rerum. L.* 24. *de Usufr. leg. L. ult. Usufr. quemadm. caveat L.* 69. *ad L. Falcid. L.* 1. *C. de Usufr.* Quando illud factum sit, non liquet. Sane non adscendit ad tempora Ciceronis, quibus, ut ex *Topic. c.* 3. patet, corporum tantum, non item quantitatum et jurium, erat ususfructus [e]). Quum vero illud SCtum jam interpretati sint Massurius Sabinus, Nerva, Cassius, et Proculus, ut colligi potest ex *L.* 5. §. 1. et *L.* 3. *D. de Usufr. ear. rer.* quos omnes sub Tiberio floruisse constat: hoc quoque, vel certe Augusto imperante, SCtum factum esse oportet. Vid. Marc. Aurel. Galvan. *de usufructu c.* 3. Ger. Noodt *de usufr. II.* 20. *p.* 589. Schulting. *Jurispr. vet. Antejustin. p.* 658.

---

d) Imo *in jure cessio* in Italicis praediis; in provincialibus praediis solis pactionibus et stipulationibus jus efficiebatur. Praeterea in mancipanda proprietate deduci poterat ususfructus. Similiter et praediorum servitutes constituebantur, rusticorum etiam mancipatione. Cf. Gaj. II. §. 29 — 33. Ulp. *Fragm.* XIX. §. 11. *Vat. Fragm.* §. 47 — 50. *Mühl.*

e) Cf. Hugo *R. G.* p. 507. not. 1. *Mühl.*

§. 8.

Quibus modis finitur ususfructus.

Ceterum ita constitutus ususfructus finiebatur vel tempore, ad quod fuerat constitutus, vel morte fructuarii, vel capitis deminutione, vel non utendo per constitutum tempus, vel facta in jure cessione, vel consolidatione, vel mutatione denique aut interitu rei fructuariae, de quibus omnibus plenius Jureconsulti, in primis Ger. Noodt *de usufr. II.* 5. *sq.* Eadem omnia locum quoque habebant in usufructu civitati legato. Mori enim et civitas videbatur, simulac interiisset, veluti absorpta terrae motu, vel inundatione; capite minui, si in eam induceretur aratrum: *L.* 21. *D. Quib. modis ususfructus vel usus amitt.* Quemadmodum enim aratrum adhibebatur in condendis urbibus, eo fine, ut, ubi sulcum duxissent Triumviri coloniae deducendae, muri exstruerentur, et eos quodammodo religio occuparet (vid. *Lib. II. Tit. I.* §. 6.): ita aratrum toti areae urbis inductum eam reddebat sacram, ut habitari a nullo mortalium posset. Hinc Zonar. *Annal.* [* *Lib. IX. c.* 30. *T. I. p.* 469.] refert, Carthaginis aream Senatum Romanum sacrasse et decrevisse: *ἐπάρατον τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαι τινά. Exsecrabile fore, ibi quemquam habitare.* Pertinet huc locus Horatii *Lib. I. Carm. Od.* 16. *v.* 17. *sqq.*

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimae
Stetere caussae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Ad quae verba Scholiastes: *Condendis atque evertendis civitatibus haec consuetudo fuit, ut* ARATRO *fierent, ut de condenda Virgilius* [* *Aeneid. Lib. V. v.* 755.]:

Interea Aeneas urbem designat ARATRO.

Item Cicero de evertenda in Philipp. [* *II. c.* 40.]*: Ut vexillum tolleres, et* ARATRUM *circumduceres.* Plura de eo ritu habent P. Faber *Semestr. I.* 8. Jac. Raevard. *Conjectan. II.* 7. Quod si neutrum horum contingeret, ususfructus seculo circumacto finiebatur: *L.* 56. *de Usufr. L.* 8. *de Usufr. leg.* Petri Fabri *Semestr. l. c.* Ger. Noodt *de usufr. II.* 6. *p.* 614.

LIB. II. TIT. VI.

DE

USUCAPIONIBUS ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIONIBUS [a]).

Modis adquirendi rerum dominium, jure civili inventis, adcensenda etiam est USUCAPIO, de qua hoc titulo agit Imperator. Nos rem ex antiquitate explicabimus.

§. 1.

Usucapio e' jure Attico est.

Usucapionem, quae et *usus auctoritas* [b]) dicta veteribus, ex jure Attico ad Romanos fluxisse, admodum fit verosimile [c]). Plato certe, qui in plerisque talibus jus Atticum sequi solet, usucapionem quoque admittit in sua republica. Vid. Plato *de Legg.* [* *Lib. XII. p.* 203. *sq. Opp. Platon. Vol. IX. ex edit. Bipont.*] Sed nonnisi mobilium, quibus si quis aperte intra urbem per annum, ruri per quinquennium usus sit, usucapiònem completam esse jusserat. Porro si ruri occulte res haberetur, usque ad decennium vindicari eam posse volebat, sin extra territorium, adversus possessorem aeternam auctoritatem fore denunciabat. Et ad leges Atticas procul dubio respicit Isocrates in *Archidamo* [* *Opp. Isocratis Tom. II. p.* 28. ex edit. Atha-

a) Universus hic locus tum Heineccii adhuc aetate multum lucis accepit a Franc. Car. Conradii praeclara opera, qua tamen Auctor usus non est: *Historia usucapionum et longi temporis praescriptionum;* praemissa *Trigae libellorum, quibus jura usucapionum* etc. *explicantur* etc. *ab eodem Conradio editae.* Lips. 1728. 4. p. XIX — XLII. tum a commentationibus, quae sequuntur, Heineccio recentioribus: Christ. Frid. Pohlii Diss. *de origine atque fatis praescriptionis longissimi temporis usque ad Justinianum.* Lips. 1779. 4. Ejusd. *Diss. de fatis praescriptionis longissimi temporis ex legibus Justiniani.* ib. 1780. 4. Carl Heinr. Gros *Geschichte der Verjährung nach dem Röm. Rechte.* Gött. 1795. 8. et in primis: *die Lehre von der Verjährung durch fortgesetzten Besitz, dargestellt nach den Grunds. des R. R.* von Carl Aug. Domin. Unterholzner. Bresl. 1815. 8. Cf. Hugo *R. G.* p. 217—225. p. 531—537. p. 924. sq. p. 1120. sq. (ed. XI.) *Haub.* Vid. et prolixius Unterholzneri opus, cui titulus: *Ausführliche Entwickelung der gesammten Verjährungslehre.* T. I. II. Leipz. 1828. 8. C. F. Reinhardt *die Usucapio u. Praescriptio des Röm. Rechts.* Stuttg. 1832. W. Hameaux *die Usucapio und longi temp. praescr.* Giess. 1835. 8. *Mühl.*

b) De dictionis *usus auctoritas* (Cic. *Top.* c. 4.) sive *usus et auctoritas* (Cic. *or. pro Caec.* c. 19.) origine ac potestate copiose disputarunt: Ballhorn-Rosen *über Dominium* p. 233—296. et G. F. Puchta *civilist. Abh.* num. 1. p. 13—66. *Mühl.*

c) Caeter. vid. Unterholzner *ausf. Entw.* T. I. §. 8. *Mühl.*

nas. Auger. *Paris.* 1782. 8.], quando sub persona Archidami ait: *Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς λέληθεν, ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινάς, ἣν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσιν.* ***Praeterea nec illud vos latet, possessiones, sive privatas, sive publicas, si longum tempus intercesserit, universos existimare sibi proprias esse et tamquam patrimonia.***

§. 2.

Lex XII tabb. de usucapionis tempore.

Romam eam invexerunt leges decemvirales, in quibus ita cautum legimus: USUS AUCTORITAS FUNDI BIENNII, CETERARUM RERUM ANNUUS USUS ESTO: Gothofr. *ad Legg. XII Tabb. tab. VI.* [d]). Res ergo immobiles Romae biennio, mobiles anno usucapiebantur [e]). Quum vero eo tempore, quo XII tabulae condebantur, intra Italiam consisteret Romana potentia: factum est, ut usucapio nonnisi in fundis Italicis vel Italici juris, adeoque in rebus tantum mancipi haberet locum [f]). Fundorum vero provincialium proprietatem numquam adquirebat privatus, sed populus [g]), adeoque in iis non procedebat usucapio. Qua de re eleganter Theophilus in §. 40. *Inst. de Rer. divis.* *Οἱ τὰ στιπενδιάρια καὶ τριβουτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, οὐκ ἦσαν δεσπόται. Ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἦν ἢ παρὰ τῷ δήμῳ ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ· ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς*

d) Cf. Dirksen *Kritik des Textes der Zwölftafelgesetze* p. 409 – 418. *Mühl.*

e) Cic. *Top.* c. 4. „At in lege *aedes* non appellantur, *et sunt ceterarum rerum omnium,* quarum annuus est usus." — *Or. pro Caec.* c. 19. „Lex usum et auctoritatem fundi jubet esse biennium. *At utimur eodem jure in aedibus,* quae in lege non appellantur." — Gaj. II. §. 42. „Mobilium rerum anno completur (usucapio), fundi vero *et aedium* biennio: *et ita lege XII tabularum cautum est.*" Id. §. 54. — „Lex enim XII tabularum *soli* quidem *res* biennio usucapi jussit, caeteras vero anno" —. *Mühl.*

f) Duplicem jure antiquo usucapio habuit vim: partim, ut dominium adjiceret Quiritarium in re mancipi, a domino tantum tradita, non mancipata, suppleretque id, quod alienationis sollemnitati defuerat; partim, ut ad dominium (Quiritarium) rei (sive mancipi, sive nec mancipi) non a domino traditae hoc invito adquirendum prodesset: quem locum optime illustrat Gajus II. §. 41. 43. 44. Hinc sunt emendanda, quae Heineccius hoc loco de usucapione antiquitus ad res mancipi restricta tradit. *Haub.*

g) Quamvis enim praedia ejusmodi sub conditione annuae praestationis vel provincialibus, vel ipsis civibus concederentur; supremum tamen et directum dominium erat penes populum. Hinc vocabantur praedia stipendiaria et tributaria: Theophil. *in* §. 40. *Inst. de Rer. divis.* Vid. Bynkersh. *de rebus manc. et nec mancipi c.* 9. *p.* 130. *sq. Hein.* Cf. Gaj. II. §. 21. *Mühl.*

χρῆσιν, καὶ ἐπικαρπίαν, καὶ πληρεστάτην κατοχὴν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρων μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. Τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἤτοι οἰκιῶν οἱ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. ***Qui olim ex concessione populi vel Principis stipendiaria vel tributaria praedia habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud populum aut apud Principem, sed usum et fructum eorum habebant, et plenissimam possessionem, ita, ut et transferre possent in alios, et ad heredes transmittere. Italicorum autem fundorum domuumque domini dominium habebant.*** Itaque non magis usucapione adquiri poterat praedii provincialis dominium, quam rei commodatae, aut praedii fructuarii: Jan. Vinc. Gravin. *de Legg. XII tabul. p.* 317. Res mobiles omnes usucapi poterant, mancipi aeque ac nec mancipi. Atque ita intelligenda illa Ulpiani *Fragm. XIX.* 8. ***Usucapione dominia adipiscimur tam mancipi rerum, quam nec mancipi:*** Cujacii *Paratitl. ad tit. C. de Usucap. transf.*

§. 3.

Ut et de usucapione peregrinis deneganda.

Iisdem legibus decemviralibus denegatum fuerat peregrinis jus usucapiendi, eamque in rem ita cautum: ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS ESTO: Cic. *de Offic. I.* 12. Hostis tum erat peregrinus, ut post Ciceronem etiam Gajus docet *L.* 234. *pr. D. de Verbor. signif.* Et hoc sensu Ennius de Scipione Africano apud Stephanum *in Fragm. vet. poet. p.* 107.

(Hic est ille situs), cui nemo civis, neque hostis,
Quivit pro factis reddere operae pretium.

Quum ergo usucapio esset modus adquirendi juris civilis: non magis communis ea cum civibus erat peregrinis, quam mancipatio aut in jure cessio. Videtur tamen postea hoc jus communicatum esse cum Latinis Junianis, iisque peregrinis, quibus commercium datum erat. Nam hos etiam mancipationis jus habuisse, patet ex Ulpiani *Fragm. XIX.* 4. Post constitutionem Antonini Caracallae, civitatemque cum omnibus ingenuis communicatam non superfuit Latinitatis illius usus, superfuit tamen discrimen inter fundos Italici soli et provinciales, quod demum sustulit Justinianus: *L. un. C. de Usucap. transf.* Ezech. Spanh. *Orb. Rom. Exerc. II. c.* 25. *p.* 399. *sq.* [h]).

---

h) Jam aliquoties Auctoris errorem correximus. Vid. v. c. Tit. IV. V. Lib. I. §. 16. et Adp. Lib. I. §. 20. *Mühl.*

§. 4.

Lex Atinia de usucapione rerum furtivarum.

Quod vero lex XII tabularum rerum furtivarum usucapionem inhibuit, id de ipso tantum fure videtur intellectum, usque ad legem ATINIAM, qua primum cautum, *ut quod subreptum esset, ejus rei aeterna esset auctoritas, nisi si in ejus, cui subreptum esset, potestatem revertisset.* Ita Gellius *Noctt. Att. XVII.* 7. Paullus *L.* 4. §. 6. *D. de Usurp. et usucap.* Julianus *L.* 33. *pr. D. eod.* Incerta est legis aetas, nisi quod ante Scaevolam, Brutum, et Manilium, ut et P. Nigidium latam fuisse ex Gellio constat. Praeterea jam Cicero in *Verr. I.* c. 42. ejus meminit. Unde non admodum a veritate abludere videtur conjectura Steph. Vin. Pighii, *Annal. T. II. p.* 255. legem hanc A. U. C. DLVI. (s. DLVII.) Cajo Cornelio Cethego et Q. Minutio Rufo Coss. a C. Atinio Labeone Tribuno plebis latam existimantis [i]). Exstat Andr. Pulvaei *Liber singularis ad legem Atiniam, seu de rei furtivae prohibita alienatione*, qui editus *Paris.* 8. 1558. postea in *Oceano Juris* vel *Tractatu tractatuum T. XVII. Vol. XXIV. p.* 216. ac denique in *Thesauro jur. civ. Tomo IV. p.* 327. locum obtinuit [k]).

§. 5.

Leges Julia et Plautia de usucapione rerum vi possessarum.

Sequutae sunt leges JULIA et PLAUTIA [l]) de usucapionibus, aut potius de vi publica et privata, quibus ad res vi possessas prolatum est, quod de furtivis statuerat lex Atinia. Cautum enim his legibus fuerat, ut res vi possessae usucapi haud possent, longo quantumvis tempore, nisi reditu ad verum dominum vitium exuissent: *L.* 33. §. 2. *D. de Usurp. et usucap.* Legis PLAUTIAE vel PLOTIAE jam memine-

---

i) Cf. Unterholzner *ausf. Entw.* T. I. §. 59. *Mühl.*

k) Add. W. F. C. a Ditmar Diss. *ad legis Atiniae de rerum furtivarum usucapione historiam et interpretationem observationes continens.* Heidelb. 1818. 8. *Haub.*

l) Jura nostra de his legibus tamquam de una loquuntur. Legem *Plautiam* et *Juliam* commemorant Julianus *d. L.* 33. §. 2. *D. de Usurp. et usuc.* et Tribonianus §. 2. *Inst. h. t.* Sed diversas fuisse leges *Juliam* et *Plautiam* vel *Plotiam*, haneque illa multo esse antiquiorem, certissimum est, ac paullo post demonstrabitur. *Hein.* Confundit hic auctor duas leges Plautias, quae diversae sunt. Quam hic refert, de vi aut rebus vi possessis non usucapiendis non egit, verum illa communicata fuere judicia inter Senatores et equestrem ordinem. Vid. Ascon. Pedian. *in Orat. Cic. pro C. Cornelio p.* 140. Altera autem de vi ante annum DCLXXV. incognita fuit. *Cann.* Caeterum cum Heineccio faciunt Unterholzner *ausf. Entw.* T. I. §. 72. et Schilling *Lehrb. f. Inst. u. R. G.* §. 166. p. 560. et *ibid.* p. 562. not. 1. *Mühl.*

runt Caelius ad Ciceronem *Epist. ad Fam. VIII.* 8. et ipse Cicero *ad Att. Epist. IV.* 16. *pro Caecina c.* 26. *pro Milone c.* 13. nec non Sallustius *de Bello Catilin. c.* 31. eaque lata est A. U. C. DCLXIV. Cn. Pompejo Strabone et L. Porcio Catone Coss. a M. Plautio Tribuno plebis, ut luculenter ostendit Steph. Vin. Pigh. *Ann. Tom. III. p.* 228. JULIA vero, ut observat Hotomanus *de Legib. p.* 77. non alia est, ac illa, quam de vi publica et privata tulit Augustus. Et quia in illam procul dubio et Plautia migravit, invaluit, ut juncto nomine diceretur *Julia et Plotia,* quemadmodum *Juliae et Papiae* vocabulum duas diversas leges conjungit.

§. 6.

Lex Scribonia de servitutibus non usucapiendis.

His attexenda lex SCRIBONIA, quae et ipsa ad usucapionem pertinuit. Eam aliqui Coelio Curioni, Tribuno plebis; alii, et in his Galvan. *de usufr. c.* 12. L. Scribonio Liboni, qui A. U. C. DCCXXI. cum M. Antonio Consulatum gessit; alii denique, et maxime Raevardus *ad Leg. Scribon. I. p.* 794. hujus nepoti L. Scribonio Liboni tribuunt, quem Tiberii temporibus A. U. C. DCCLXIX. cum Sisenna Tauro Consulem fuisse, ex Dione Cass. *LVII.* 15. adparet. Legis sensus ut eo expeditior sit, notandum est, antiquissimis temporibus servitutes usucapi haud potuisse. Quum enim possessionem requireret usucapio: *L.* 25. *D. de Usurp.* quae in servitutibus, utpote rebus incorporalibus, locum non habere videbatur: *L.* 32. *in fine D. de Serv. urb. praed.* et *L.* 43. *D. de Adquir. rer. dom.* factum est, ut nec usucapi posse crederentur, maxime quum in duodecim tabulis nihil esset de rerum incorporalium usucapione statutum: *L.* 14. *pr. D. de Servitutt.* et praeterea usucapio sit modus adquirendi dominium, servitutis autem dominium nullum esse posset. At licet non esset servitutum possessio: erat tamen earumdem usus, quem deinde prudentes quasi pro possessione acceperunt, adeoque interpretatione sua etiam servitutum, saltem rusticarum, usucapionem invexerunt. Clarissime hoc elucet ex verbis Ciceronis pro *A. Caecina c.* 26. *Aquaeductus, haustus, iter, actus, a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur* m). Quum vero haec quasi usucapio

m) Ita et putavit pluribusque demonstravit Jo. van de Water in *Observatt. Jur. Rom. Lib. II. c.* 18. *p.* 218. *sq.* A vero itaque longe aberrat B. Branchu *Decad. II. Observ.* 17. *Cann.* Vid. tamen quae contra disputavit Unterholzner *l. l.* T. II. p. 140. sq. *Mühl.*

servitutum, a prudentibus invecta, a veteris jurisprudentiae principiis videretur abhorrere: lata demum est lex Scribonia, qua servitutum usucapio penitus sublata est: *L.* 4. §. *ult. D. de Usurp. et usuc.* [n]). Neque dubium est, quin ea lex ad omnes in universum servitutes pertinuerit; siquidem hoc jus usitatum fuisse generaliter, scribit Ulpianus *L.* 10. §. 1. *D. de Usurp. et usucap.* Attamen etiam post hanc legem is, qui longo tempore non vi, nec clam, nec precario usus erat servitute, utili actione a Praetore adjuvabatur: *L.* 10. *pr. D. Si servit. vind.* Demum et Justinianus legem Scriboniam satis aperte sustulit, et servitutum quoque, omniumque rerum incorporalium praescriptionem admisit: *L. ult. C. de Praescript. long. temp.* Cf. Raevard. *l. c.* Ant. Schulting. *Jurisp. vet. antejust. p.* 256. *sq.*

§. 7.

Longa possessione capio rerum immobilium inventa.

Hactenus de usucapione, cui leges decemvirales, ut dixi, in rebus mobilibus anni, in fundis biennii spatium praefinierant. Quandoquidem enim tunc civitate agrisque perpetuo cives detinebantur, rariusque relicto natali solo Italia egredi consueverant: tam breve temporis spatium rebus usu adquirendis, habita inter praesentes et absentes nulla distinctione, sufficere credebatur: Jac. Raevard. *Tribon. c.* 4. *p.* 772. Quum vero sensim Romani longe lateque proferrent imperii fines, partim edictis, partim Principum constitutionibus in ejus, quod lege antiqua rebus immobilibus usu adquirendis datum fuerat, spatii locum, eatenus longius temporis intervallum surrogari coepit, ut, ubi usucapio cessaret, veluti in praediis provincialibus, praescriptione saltem longi temporis hoc jus posset adquiri: §. 2. *Inst. de Usuc.* [o]). Unde res immobiles provinciales non biennio,

---

n) von Löhr: *Lex Scribonia;* in Dessen *Magaz. f. R. W.* u. s. w. T. III. num. 3. p. 120—128. junct. p. XXII. *Haub.*

o) Loquitur hoc in loco Justinianus de rebus furtivis et vi possessis, quas tamen a longi quoque temporis praescriptione exemtas fuisse minime est quod dubitemus. Vid. *L. I. C. de serv. fugit.* Unterholzner *l. l.* T. I. p. 162. Neque vero eadem erat vis longi temporis praescriptionis, atque usucapionis, ut sibi persuasisse videtur Heineccius. Etenim, licet fidem habeamus Justiniano, jam veteri jure in rem actionem praescribentibus fuisse accommodatam affirmanti (*L.* 8. *pr. C. de praescr. XXX. vel XL. annor.*), tamen non ex Quiritium jure dominus fiebat, sed modo in bonis rem habebat, qui longi temporis praescriptione munitus fuit. Cf. Schilling *Lehrb.* §. 163. not. v. p. 548. sq. Contra vero plus etiam virium inerat in longi temporis praescriptione, quam in usucapione, si-

sed longo tempore usu adquirebantur, id est, ut Paulus *Sententt. Receptt. V.* 2. 3. interpretatur, *inter praesentes decennii, inter absentes vicennii spatio continuo.* Quum vero antiqua illa ac decemviralis adquisitio usucapio diceretur: nova haec dicta est LONGA POSSESSIONE CAPIO: *L.* 4. *in fine D. Pro emt. L. ult. D. eod.* vel LONGAE POSSESSIONIS PRAEROGATIVA: *L.* 5. *D. de Itin. actuque priv.*

§. 8.

Differentiae inter usucapionem et longa possessione capionem.

Qua in re ergo ab usucapione distincta fuerit illa longa possessione capio, luculenter suo more ostendit Jac. Raevard. *Tribon. c.* 8. *sq. p.* 776. Illa civilis erat, haec partim civilis, partim honoraria. Illa exiguo, haec longiore tempore constabat. In illa nulla absentiae praesentiaeve ratio habebatur; in hac multum intererat, praesentium, an absentium jus in immobilibus excludendum esset. In illa tempus semper certum erat: in hac nonnumquam incertum, quoties scilicet quis titulum probare non poterat. Tunc enim requirebatur vetustas, cujus origo excederet memoriam; eaque legis vicem tenebat, teste Ulpiano *L.* 1. §. *fin. D. de Aqua et aqu. pluv. arcend.* Denique quum usucapio rerum immobilium tantum in Italico solo procederet: *princip. Inst. de Usucap.* longa possessione fundi tam provinciales, quam Italici juris, capi poterant, ut erudite demonstrant Theophil. *pr. Inst. h. t.* et Jac. Raevard. *Tribon. c.* 10. *p.* 781. *sq.*

§. 9.

Justiniani constitutio.

Sed Justinianus *L. un. C. de Usucap. transf.* usucapionem rerum immobilium et longi temporis praescriptionem in unam veluti massam conflavit p), resque mobiles triennio, immobiles inter praesen-

---

quidem adversus pignorum quoque persecutiones uti poterat possessor exceptione; *L.* 5. §. 1. *D. de divers. temporalib. praescript.* Et quum longi temp. praescriptio etiam iis in rebus locum haberet, quarum legibus non esset prohibita alienatio, sed aliis tantum ex causis fieri non posset usucapio (velut rerum ad civitates pertinentium), non est quod miremur, quare et ad mobiles res prolatum sit jus longi temporis praescriptionis; *L.* 9. *D. de divers. temporalib. praescr. Mühl.*

p) At mirum quantum hac de re inter se discrepent interpretum sententiae. Variorum opiniones quasi per indicem exposuit C. O. de Madai: *Die usucapio u. longi temporis praescriptio;* in Ejus *Beiträgen zur Dogmengesch. des gem. Civilr.* Riga 1839. num. 1. p. 1—91. *Mühl.*

tes decennio, inter absentes vicennio usucapi voluit. Negat Raevardus, ejus rei justam rationem habuisse Imperatorem, quia haec omnia, quae de usucapione rerum immobilium sanxit, jamdudum ante ejus tempora Praetorum edictis Principumque constitutionibus fuerint invecta. Quare et hic Justiniani prudentiam legislatoriam requirit in *Tribon. c.* 10. *p.* 781. Sed ea de re alibi erit dicendi locus.

§. 10.

Quid usurpatio?

Ceterum quum tempus in usucapionibus deberet esse continuum: interruptio illius dicebatur USURPATIO: *L.* 2. et *L.* 5. *D. de Usurp.* et de hac re egit Appii Claudii liber *de usurpationibus,* cujus meminit Pompon. *L.* 2. §. 36. *D. de Orig. jur.* Sunt tamen et aliae hujus vocis significationes. Sic usurpari dicitur servitus, quae utendo retinetur: *L.* 6. §. 1. *L.* 8. in *fine L.* 9. *L.* 16. *D. Quemadm. serv. amitt.* Imo et usurpata dicitur servitus, quae amissa usu iterum adquisita est: *L.* 40. §. 1. *D. Ex quib. causs maj.* Reliqua, quae ad hunc titulum pertinent, a doctoribus plenius solent inculcari.

§. 11.

Pro herede usucapio. — Usureceptio.

Neque vero prorsus sunt silentio praetermittenda, quae de vetustioribus quibusdam usucapionum formis e Gaji commentariis didicimus [q]). Fieri etenim poterat, ut, qui non ignarus esset, se alienam rem possidere, tamen eam usucaperet. Quo in genere *primum* est *pro herede usucapio*, vetustissima illa quidem [r]). Nam antiquitus unicuique civium licuit, res hereditarias, ab herede nondum possessas, adeoque ipsam etiam hereditatem, occupare atque unius anni usu sibi quaerere [s]); quae usucapionis species pro herede usu-

q) Gaj. II. §. 52 — 61. *Mühl.*

r) Jam enim non loquimur de eą pro herede usucapione, quae aut bonorum possessori jus heredis tribuebat, aut singularum ex hereditate rerum dominium ei, qui tamquam heres eas bona fide atque ex causa probabili possederat. (Vid. *L.* 33. §. 1. vers. *Hoc amplius. D. de usurp.*) De veteri illa proh. usuc. cfr. de Savigny *Recht des Besitzes* §. 7. p. 76. sqq. (ed. VI.). Arndts im *Rhein. Mus.* II. p. 125. sqq. Fabricius *ibid.* IV. p. 195. sqq. (num. III.). Unterholzner *ibid.* V. p. 26. sqq. (num. II.) itemque Arndts in Ej. *Beiträgen zu versch. Lehren d. Civilr.* I. p. 75. sqq. (§. 7.). *Mühl.*

s) Gaj. II. §. 54. „Quare autem hoc casu etiam soli rerum annua constituta sit usucapio, illa ratio est, quod olim rerum hereditariarum possessione — ipsae

capio, tum vero lucrativa vocata est, ideo quod sciens quisque rem alienam lucrifaciebat [t]). Post Ciceronis tempora obtinuit, ut ipsae quidem hereditates non possent usucapi, at in singulis rebus hereditariis annua ista usucapio remansit [u]), donec SCto, ex Hadriani auctoritate condito, angustissimis finibus circumscripta [x]), posteriore vero aetate prorsus prohibita poenisque coercita est [y]). — Altera est species *usureceptio*, qua quis usu recipit, quod aliquando suum fuit [z]). Jam vero qui fiduciam contraxerat [a]) aut cum amico (i. e. depositario), ut tutius res apud eum esset [b]), aut cum creditore, pignoris causa [c]), unius anni usu, etsi res soli esset, eam sibi recipiebat. Quodsi cum creditore contracta erat fiducia, non solum soluta pecunia competebat usureceptio, verum etiam nondum soluta, (quo casu item lucrativa erat usucapio), praeterquam si ex peculiari obligationis causa, velut ex conductione, vel precarii rogatione, concessum fuerat debitoribus, ut res obligatas retinerent [d]). Ex praediatura vero non nisi biennio res recipiebatur [e]). Erat praediatura emtio praediorum populo obligatorum atque ob pecuniam

---

hereditates usucapi credebantur, scilicet anno; lex enim XII tabularum soli quidem res biennio usucapi jussit, ceteras vero anno; ergo hereditas in ceteris rebus videbatur esse, quia soli non est." *Mühl.*

t) Gaj. II. §. 56. (Caeter. cf. Arndts *Rhein. Mus.* II. p. 127. sqq. et Unterholzner *ib.* T. V. p. 27. not. 1.). — Vid. et Gaj. II. §. 55. „Quare autem omnino tam improba possessio et usucapio concessa sit, illa ratio est, quod voluerunt veteres, maturius hereditates adiri, ut essent, qui sacra facerent, quorum illis temporibus summa observatio fuit, et ut creditores haberent, a quo suum consequerentur." Cf. Cic. *de Leg.* II. 19. 20. *Mühl.*

u) Gaj. II. §. 54. in f. *Mühl.*

x) Gaj. II. §. 57. 58. *Mühl.*

y) *L.* 1. *D. expil. hered. Mühl.*

z) Caeterum ea usureceptionis species, cujus mentio fit apud Paullum (*Rec. Sent.* I. 17. „Servitus hauriendae aquae — — biennio omissa intercidit, et *biennio usurpata recipitur*"), vix est, ut ad hunc locum referri possit. *Mühl.*

a) *Fiduciam contrahere* quid fuerit? jam alibi a nobis expositum est; vid. supra Lib. I. Tit. XII. §. 2. p. 160. *Mühl.*

b) Gaj. II. §. 60. — H. A. Zachariae *comm. de fiducia.* (Goett. 1830.) Cap. V. *Mühl.*

c) Zachariae *comment. alleg.* C. IV. p. 18. sqq. II. — Antiquitus fieri non poterat, nisi imaginaria ista venditione, ut rei obligatae a quocumque ejus possessore petendae creditor nancisceretur jus. Nam *pignoris* jus (i. e. rei obligatio non contracta fiducia) in sola custodiendae retinendaeque potestate positum erat. Vid. Isidori *Orig. Lib.* V. c. 25. *Mühl.*

d) Gaj. II. §. 60. *Mühl.*

e) Gaj. II. §. 61. *Mühl.*

non solutam publice venditorum; qui quaestus faciendi causa hujusmodi praedia emere solebant, praediatores dicti sunt, unde etiam *jus praediatorium* appellatum est f). *Mühl.*

LIB. II. TIT. VII.

DE

DONATIONIBUS a).

Inter modos adquirendi juris gentium etiam DONATIO est, quam tamen modis adquirendi civilibus adcensuit Gajus b), quia ejus temporibus ex lege Cincia non valebat donatio, nisi sollemniter et per mancipationem facta: Frid. Brummer. *ad Leg. Cinc. c.* 13. Quod quamvis mutatum esset tempore Justiniani: noluit tamen Tribonianus Gaji ordinem turbare. Plura hanc in rem diximus in *Additionibus ad Vinn. p.* 253. Quum ergo ritus nonnulli observati sint in donationibus: ii paullo adcuratius videntur ex antiquitatibus Romanis explicandi.

§. 1.

Donationes quotuplices.

DONATIONES veteri jure in varia genera dispescebantur. Aliae erant SIMPLICES, aliae REMUNERATORIAE. Illae iterum vel *mortis caussa,* vel *inter vivos* fiebant; ad posterius genus etiam donationes *propter nuptias* referendae.

§. 2.

Differentia doni et muneris.

DONATIONES, quae ob caussam fiebant, MUNERA, reliquae generatim DONA c) adpellatae sunt: Corn. Fronto *de Differ. verb. p.* 1331.:

---

f) Cf. Ernesti *Cl. Cic.* v. *praediator* et *praediatorium.* J. A. Bach Diss. *de jure praediatorio.* Lips. 1752. (et in opusc. num. IV. p. 113. sqq.) qui multum ex omni antiquitate hac de re contulit. *Mühl.*

a) Cf. *Vat. Fragm.* §. 248—316. — F. W. L. von Meyerfeld: *die Lehre von den Schenkungen nach Röm. R.* T. I. II. Marb. 1835. 1837. *Mühl.*

b) Id quam falsum sit, jam nemo est qui ignoret. Cf. Marezoll *comm. de ordine inst.* (Goett. 1815. 4.) p. 28. 29. In eo tamen, quod scripsit Marezollius: legem Cinciam in rerum quoque nec mancipi donationibus, iisdemque gravioris momenti, necessario requisiisse mancipationem, etiam emendandus est e *Vat. Fragm.* §. 293. 311. 313. *Mühl.*

c) Vix ergo locum habet observatio Agraetii apud Dionys. Gothofr. *Vet.*

MUNUS, quod amicus vel cliens, vel libertus officii caussa mittunt. Possunt et illa nihilominus DONA dici, quae donant pauperibus divites vel potentes. Illud quoque donum putandum est, quod militibus donatur in castris, ut corona vallaris. Clarius Ulpianus *L.* 194. *D. de Verb. sign. Inter DONUM et MUNUS hoc interest, quod inter genus et speciem; nam genus esse DONUM, Labeo a donando dictum: MUNUS speciem. Nam MUNUS esse donum cum caussa, ut puta natalitium, nuptialitium.* Et Marcianus *L.* 214. *D. eod. MUNUS proprie est, quod necessarie obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem. DONA autem proprie sunt, quae nulla necessitate juris, officii, sed sponte praestantur: quae si non praestentur, nulla reprehensio est, et si praestentur, plerumque laus inest.* Ubi adde, quae notat Jo. Goeddaeus.

§. 3.

Dona et munera Romae frequentissima.

Et initio quidem et munera, et dona, rara admodum erant in tanta veterum paupertate, etiam inter cognatos et personas conjunctas, ut patet ex *Excerpt. Peirescian. p.* 154. ubi Polybius, de rebus Aemiliae, matri a P. Scipione donatis agens: τοῦτο δὲ, inquit, *πανταχῆ μὲν ἂν εἰκότως φαίνοιτο καλόν, ἐν δὲ Ῥώμῃ καὶ θαυμαστόν, ἁπλῶς γὰρ οὐδεὶς οὐδενὶ δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἑκὼν οὐδέν. Atque id, quum ubique praeclarum, tum Romae admirabile videatur esse, qua in urbe nemo quidquam sponte alteri de suo donat.* Postea, crescente luxuria, nihil fuit Romanis in donando magnificentius. Munera et dona patronis mittebant clientes et liberti, dominis servi, Principibus et magistratibus cives, amicis amici, cognatis cognati [d]), et quidem variis occassionibus, quarum praecipuas hic considerare operae fuerit pretium.

Gramm. p. 1348. *Donum dantis est, munus accipientis: illud a dando, hoc a muniendo vel movendo dicitur. Hein.* Vid. et de Meyerfeld *l. l.* T. I. p. 367. et 431. *Mühl.*

d) De clientum liberalitate erga patronos jam supra Cornelium Frontonem audivimus. De donis et munusculis, quae liberti praeter operas debebant, videndi sunt Gajus *Inst.* (ep.) *II.* 9. 4. Quinctil. *Declam. ult.* Nec servos ab illo donandi onere immunes fuisse, docet Terent. *Phorm. Act. I. Sc.* 1. *v.* 5. *sqq.* ubi Davus:

Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem: ei, credo, munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est! hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus.

§. 4.

Veluti strenae.

Praecipue donis et muneribus celebrabantur Kalendae Januariae, quibus strenae mittebantur vel munuscula, dulcia praesertim boni ominis caussa, veluti caricae, id est, ficus in Caria provenientes, quarum optimae erant Cauniae: Gronov. *Diatribe in Stat. Papin. c.* 14. *p.* 77. caryotides, mella, hujusque generis alia, ut a rebus dulcibus dulces anni dies auspicarentur. Quam in rem egregia multa habet Jos. Scaliger *ad Tibull. Lib. I.* Martialis *Epigr. VIII.* 33. *v.* 11. *sq.*

Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Et *Epigr. XIII.* 27.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Ditiores aurum et argentum mittebant, praecipue Imperatoribus, ut Augusto apud Sueton. *Octav. c.* 57. Theodosio et Arcadio apud Symmach. *Epist. X.* 28. Sed et aliis occasionibus, veluti ob victoriam, quinquennalia, decennalia, etc. Imperatoribus offerebantur dona. Et tale est *aurum oblatitium*, de quo *L.* 5. *L.* 9. *L.* 14. *C. Theod. de Senat. Lib. VI. tit.* 2. id est aurum a Senatoribus et viris clarissimis sponte promissum. Decuriones enim et curiales iis occasionibus offerebant aurum coronarium, de quo integer titulus est in Codice

---

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum. Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet.
Puer caussa erit mittundi. — — —

Imperatoribus missa esse munera, in primis Kalendis Januariis, patet exemplo Augusti, apud Sueton. *Octav. c.* 57. Tiberius vero eum donandi morem edicto inhibuit, strenasque oblatas respuit: Dio Cass. *L VII.* 8. Caligula eas se recepturum, edixit: Suet. *Calig. c.* 42. Claudius eas denuo edicto sustulit: Dio Cass. *LX.* 6. Postea vix quisquam Imperatorum ejusmodi munuscula respuit. Magistratus provinciales dona et munera non poterant jure recipere; permittebantur tamen iis xeniola, modo vetus illud observarent: *Οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Neque omnia, neque omni tempore, neque ab omnibus*: *L.* 6. §. 3. *D. de Off. Procons. L.* 18. *D. de Off. Praesid.* Unde mira continentia Ciceronis, qui in provincia etiam xeniola illa respuit: Cicero *ad Attic. Epist. V.* 10. *Hein.*

Theodosiano, puta *Libro XII. Tit. XIII.*, ad quem praeclare docet Gothofredus, jam libera republica parta victoria ducibus triumphaturis offerri consuevisse coronas, aliaque munera, ad ornandum triumphum, et inde ortum esse *aurum coronarium*, quod a bonis Principibus saepe remissum, a malis revocatum esse copiose ostendit. Vide ejus *Comment. ad Cod. Theod. Tom. IV. p.* 602. [e]). Nec Kalendis tantum Januariis, sed et diebus proxime insequentibus, strenas mittebant. Et inde est, quod Festus sub voce *strena p.* 447. hoc munus ita dictum putat, a numero, veluti TRENAM, vel *trinam*, quippe quo *significatum sit, alterum tertiumque venturum similis commodi.* Sed sustulit et illam donandi licentiam Tiberius, edictoque cavit, ne strenarum commercia ultra Kalendas Januarias exercerentur: Sueton. *Tiber. c.* 34.

§. 5.

Apophoreta Saturnalia et matronalia.

Porro viri Saturnalibus, feminae Matronalibus, id est, Kal. Martiis, strenas atque apophoreta dabant et accipiebant. Apophoretorum in Saturnalibus [f]) exempla sunt apud Suetonium *Octav. c.* 75. *Vespas. c.* 14. et Martial. *Epigrammatum libro XIV.* qui totus huc pertinet. De matronalibus Tibullus *Eleg. III.* 1. *v.* 1. *sqq.*

Martis Romani festae venere Kalendae;
Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera perque domos.

Et Martialis *Epigr. X.* 24.

Natales mihi Martiae Kalendae,
Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus et puellae
Quinquagesima liba. — —

Et *Epigr. V.* 85. *v.* 10. *sqq.*

Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

---

e) De auro coronario: Dukerus *ad Livium* XXXVIII. c. 14. §. 5. T. V. p. 172. sq. *Haub.*

f) Haec apophoreta dicta etiam *sigillaria:* Suet. *Claud. c.* 5. Aelii Spartiani *Hadrianus c.* 17. Alias ipsa Saturnalium dierum adpendix dici consuevit *sigillaria,* a sigillis vel parvis imaginibus, quibus pro se et suis piaculum Saturno faciebant; Macrob. *Saturnal. I.* 13. *Hein.*

Unde est, quod Kalendas has Martias Kalendas *femineas* adpellat Juvenal. *Sat. IX. v.* 53. [lucemque capit *L.* 31. §. 8. *D. de Donat. inter vir. et uxor.*] Quum vero multi Saturnalibus avidius a clientibus exigerent munera: Publicia lex lata est a Publicio, Tribuno plebis, ut nonnisi cerei ditioribus mitterentur: Macrob. *Saturnal. I.* 7. Quae lex eadem videtur cum illa, qua vetitum, ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo, nisi qui virtutis caussa susceptus esset, faceret, de qua *L.* 3. *D. de Aleatorib.* Tota enim lex procul dubio fuit sumtuaria.

§. 6.

Munera natalitia.

Solebant et diebus natalibus munera accipere honoratiores atque amici: Martialis *Epigr. IX.* 54.

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera. Tu prohibes: imperiosus homo es.

Et alibi *Lib. VIII. Epigramm.* 64. lepide exagitat Clytum, qui, ut nova semper munera natalitia auferret, septies ostiesve in anno natalem celebrabat. A natalibus diversa χαριστία, id est, sollemne convivium, cui tantum cognati intererant, litium ponendarum et amoris instaurandi gratia institutum: Valer. Max. *II.* 1. Hic aeque ac in natalibus dabantur munera. In primis mittebantur aves, (Martial. *Epigr. IX.* 56.) die natali et annuli, lunulae, aliaque hujus generis ad mundum muliebrem pertinentia: Plautus *Epidic. V.* 1. *v.* 33. Vestis cubitoriae natali suo sibi donatae meminit dispensator Trimalcionis apud Petron. *p.* 14. ubi conferendae Jani Woweri aliorumque doctissimorum virorum adnotationes, *p.* 150. ex quibus patet, coenatorias ejusmodi vestes a clientibus mitti consuevisse patronis. Nec modo accipiebant natalibus suis munera, sed et dabant, ut patet ex Inscriptione apud Gruterum *p. CCCCXIV. n.* 2.

— — — HIC. ARCAE. AUGU
STALIUM. SE. VIVO. H-S. XX. DEDIT. UT. EX
REDDITU. EJUS. SUMMAE. DIE. NATALI. SUO
IIII. K. FEBR. PRAESENTES. VESCERENTUR
ET. OB. DEDICATIONEM. STATUAE. DECURIONI
BUS. ET. SEVIRIS. ET. JUVENIBUS. SPORTU
LAS. ET. POPULO. EPULUM. ET. OLEUM. EADEM
DIE. DEDIT.

Et p. *DLXXI. n.* 1. alius municipio HS. *LXV.* legavit testamento,

UT
EX. REDITU. EJUS. SUMMAE
QUOTANNIS. VIII. IDUS. NOVEMB.
NATALE. SUO. MUNICIP. EPULUM
ET. CRUST. ET. MULSUM. DARETUR.

§. 7.

Itemque diebus lustricis missa.

Die octavo a natali puellae, nono pueri lustrabantur, accipiebantque nomina: Festus sub voce *lustrici p.* 507. *Lustrici dies infantium adpellantur puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Addi possunt Macrob. *Saturnal. I.* 16. Plutarchi *Quaestt. Rom. c.* 102. Unde hi *dies nominum* adpellantur apud Ulpianum *Fragm. tit. XV.* Ita enim ibi legendum esse pro *nonum diem,* ex codice Tiliano ostendit Em. Merill. *Observatt. II.* 33. Fiebat haec *lustratio,* vel, uti Terent. *Phorm. I.* 1. *v.* 15. vocat, *initiatio,* impositioque nominum, variis adhibitis sollemnitatibus. Expiatum enim infantem, et adversus fascinum probe praemunitum eximebant cunis, et per aedes ditissimorum civium boni ominis caussa, nec non ob religionem per Deorum Dearumque templa circumferebant: Pers. *Sat. II. v.* 31. Sueton. *Calig. c.* 25. *Nero c.* 6. Hinc porro nomen accipiebat infans, et vocabantur ad epulum propinqui: Julii Capitolini *Clodius Albinus c.* 4. et denique intra tricesimum a nativitate diem professio natalitia ad acta fiebat. Ita enim intelligendum esse locum Julii Capitolini in *vita Marci Antonini Philosophi c.* 9. ostendimus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. II.* 14. *p.* 266. Tunc ergo dona et munera mittebantur infanti ejusve matri, idque est, quod significat Terent. *Phorm. Act. I. Sc.* 1. *v.* 13. *sqq.*

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies,
Ubi INITIABUNT*: omne hoc mater auferet:*
Puer caussa erit mittundi. — — —

§. 8.

Nuptialia dona.

Nec praetermittenda munera nuptialia. Neque enim temere quisquam conviviis nuptialibus intererat, quin munusculo, sponso sponsaeque oblato, benevolentiam testaretur. Et haec sunt *nuptialia*

munera g), quorum mentio fit apud Jureconsultos: *L.* 1. §. 5. *D. de Tut. et rat. distrah. L.* 13. §. 2. *D. de Administr. tut.* Quae tam nonnumquam magna erant, ut sponsae vel ad dotem sufficerent. Quinctiliani sane filiae Nonio Celeri nubenti L millia numum contulit Plinius: Vid. *Epist. VI.* 32.

§. 9.

Xenia hospitibus missa aliaque liberalitatis exempla.

Liberalitatem non minorem ostentabant in donandis hospitibus. His missa munera XENIA κατ᾽ ἐξοχήν adpellata sunt: Plin. *Epist. VI.* 31. *Summo die, abeuntibus nobis xenia sunt missa.* Sed saepe divites ac potentiam adfectantes, donis plane privatorum sortem transgressis, plebejorum animos, liberalitatisque laudem sibi conciliare studebant. Exemplo esse potest Plinius, qui Curiano, Gratillae filio, legatum remisit: Plin. *Epist. V.* 1. Voconio Firmo censum equestrem supplevit: Idem *Epist. I.* 19. Martialem viatico juvit: Idem *Epist. III.* 21. Artemidoro philosopho urbe excedere jusso sub Domitiano, pecuniam, qua opus erat, a locupletibus negatam, ipse mutuatus, gratuitam dedit: Idem *Epist. III.* 11. Calvinae patris debita remisit: Id. *Epist. II.* 4. ut alia stupenda prorsus liberalitatis exempla praetermittamus.

§. 10.

Legis Cinciae de donis et muneribus caput primum.

Et olim quidem libere quisque donare poterat, quantum vellet. At postea A. U. C. DXLIX. (s. DL.) a M. Cincio Alimento, Tribuno plebis, lata est lex CINCIA, quam et MUNERALEM vocat Plautus apud Festum sub voce *muneralis p.* 323. Ejus primo capite cautum, ne quis ob caussam orandam donum munusve caperet. Vid. Cic. *Epist. ad Attic. I. ult. Tacit. Annal. XI.* 5. *XIII.* 42. Quum enim instituto jure patronatus, de quo supra *Lib. I. Tit. II.* §. 29. patroni pro clientibus gratis postularent: hi gratum animum ostensuri patronis Kalendis Januariis, Saturnalibus, natalibus, varia xeniola, strenas et munuscula offerebant, quae deinde a rabulis in debiti necessitatem transformata adeo plebem premebant, ut Patriciis veluti stipendiaria

---

g) Item *munera nuptialicia L.* 194. *D. de Verbor. sign.* Apud Ciceronem *pro A. Cluentio c.* 6. 9. et Apulejum *de asino aureo Lib. VI.* [* *p.* 392. *ed. Oudendorp.*] nuptialia dona paullo aliter accipiuntur pro muneribus, quae ante contractas nuptias mulieri a viro offerebantur. *Hein.*

videretur. Hinc veterem morem reduxit Cincius. Vid. Frid. Brummeri V. C. *Comment. ad Leg. Cinc. c.* 3. *sq.*

§. 11.

Variae hujus legis relationes et mutationes.

Paullo post ea lex obsolevit. Contemtu tamen oppressam renovavit Augustus Imperator, poenamque quadrupli adjecit. Iterum desuetudine abolitam, quum revocari non posset, Claudius ita temperavit, ut ne oratores ultra dena sestertiûm caperent: Tacit. *Ann. XI.* 7. Sub Nerone legi iterum pristinus vigor redditus; at sub finem ejus imperii, vel certe paullo post, constitutio Claudii renovata est. Addidit Trajanus SCtum, ut omnes litigantes jurarent, antequam agerent, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse: peractis vero caussis, nonnisi dena sestertium dare liceret. Post ea tempora adeo exspiravit lex ista, ut honorario advocatorum tantum non sordidum mercedis nomen daretur, neque dubitarent Jureconsulti statuere, locationem conductionem intercedere inter advocatum et clientem: *L.* 38. §. 1. *D. Locati. L. ult. C. de Condict. ob causs. dat.* h). Imo jam ante multae fraudes huic legi factae erant per xenia, strenas, natalitia, captationes ultimarum voluntatum, palmaria, redemtiones litium, aliasque hujusmodi artes, quas erudite, ut solet, explicat laudatissimus Brummerus *l. c.*

§. 12.

Ejusdem legis caput aliud i).

Alio ejusdem legis capite cohibebantur donationes intra certam summam, quae tamen hodie ignota est k): neque licebat *cui-*

h) Nullo modo id, quod Auctor vult, nec in locis quos allegat, nec alicubi, a juris nostri auctoribus statuitur aut agnoscitur. *Mühl.*

i) De altero hoc capite, an omnino exstiterit, a nonnullis dubitatum est (maxime ante reperta Fragmenta Vaticana), velut ab Hugone (*Beiträge zur civilist. Bücherkenntniss der letzten* 40 *Jahre.* T. II. p. 380—384.), quem etiam nunc haud poenitet sententiae suae (*R. G.* p. 381—385. not. 1. 2. ed. XI.). At vid. *Vat. Fragm. Tit. de donationib. ad Leg. Cinciam* §. 266. sqq. et F. A. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 100—103. Ejusd. *Animadversion. crit. ad Ulp. Fragm.* Sp. I. p. 25—31. *Mühl.*

k) Quanta fuerit haec summa, nondum liquet. Franc. Hotomanus *de Donat. IX.* negat, quemquam potuisse donare ultra dodrantem bonorum. Sed id nullo fundamento dici, ostendit Brummer. ad *L. Cinc. c.* 12. Alii ducentos tantum aureos donari potuisse, existimant, argumento *L.* 34. *C. de Donat.* Sed nec certius videtur, istam legem de lege Cincia loqui, nec recte infertur, quia donatio-

quam plus donare, quam lex permiserat, nisi donatio vel publica esset, vel remuneratoria, vel cognatis personisque conjunctis facta. Si plus donatum fuerat: non tota donatio, sed qua legitimum modum superabat, rescindebatur [1]); si acu rem tetigit Brummerus *ad Leg. Cinc. c.* 12.

---

nes CC aureos excedentes ea lege jubentur insinuari, ideo eas lege Cincia fuisse prohibitas. Maximarum sane donationum exempla exstant apud Plin. *Epist. VI.* 25. et 32. *II.* 4. *VIII.* 2. *I.* 19. Unde satis magnam oportet fuisse summam hac lege praefinitam: Schulting. *ad Ulpian. p.* 561. *sq. Hein.* Ad legem Cinciam capitalem habemus Commentationem Savignii: *über die Lex Cincia de donis et muneribus, und deren spätere Umbildung;* in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. IV. num. 1. p. 1—59., cujus sententia huc redit: legem Cinciam cavisse, tum, ne donationes ultra certam summam, forte 20,000 sestertiorum, factae aliter, quam interveniente mancipatione, in jure cessione, aut traditione, ratae essent (quod ipsum caput Hugo legi potius Corneliae *de sponsoribus*, forsitan A. U. 673. conditae, tribuit, vid. not. k); tum, ne pro caussis orandis doni quidquam munerisve caperetur; reliqua, quae ex hac lege vulgo repetantur, nullo niti idoneo fundamento. Idem Savignius *ibid.* §. 8. p. 31—36. simul docuit, quando et quo sensu insinuatio judicialis in locum formae antiquioris quibusdam donationibus praescriptae successerit. Cf. Schrader *rechtsgeschichtl. Bem.* num. 3. in Hugo *Civilist. Mag.* T. V. num. VII. p. 165. sq. *Haub.* Jam vero cfr. quae post Vatic. Fragm. reperta de lege Cincia sunt scripta; in quibus eminent: Ad. A. Fr. Rudorff Diss. *de lege Cincia.* Berol. 1825. 8. C. F. Wenck in *praef. ad Hauboldi opusc.* Vol. I. p. XXXVII—LX. (Schrader *in ephemerid. jur. Tub.* T. I. p. 184—186.). S. C. Klinkhammer comm. *de juris civilis Romani loco, qui est de donationibus, ex Fragmentis Vaticanis.* Amstelod. 1826. 8. W. Francke: *über die Lex Cincia* (*civilist. Abh.* Goett. 1826. num. 1.). A. Gu. de Schröter *observat. jur. civil.* (Jen. 1826.) num. 5. (Zimmern *in ephemerid. jur. Erl.* T. VI. p. 48—61.). Hasse *Rhein. Mus.* I. 3. p. 185. sqq. III. p. 174. sqq. Unterholzner *ibid.* II. p. 436. sqq. III. p. 174. sqq. (Warnkönig *in Ephemerid. jur. Erl.* T. XIII. p. 245—265.). — Cf. et G. Bruns: *quid conferant Vaticana Fragmenta ad melius cognoscendum jus Romanum* (Tub. 1838. 8.) p. 112—140. *Mühl.*

1) Ita Brummerus ob Ulpiani locum, qui exstat [* scil. e Cujacii conjectura usque ad verbum *donari*] *Fragm. I.* 1. Imperfecta lex est, veluti Cincia, quae supra certum modum donari *prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et si plus donatum sit, non rescindit.* Unde colligit vir doctissimus, donationem ex hac lege pro parte, qua modum excedebat, fuisse rescissam. Enimvero sic perfecta fuisset lex Cincia. Rectius itaque dixeris, ex lege Cincia donationem etiam immodicam ipso jure valuisse, exceptionem tamen datam fuisse ei, qui conveniebatur ex sua liberalitate ultra modum a lege definitum: *L.* 21. §. 1. *L.* 24. *D. de Donat. L.* 5. §. 2. et 5. *D. de Doli mali et met. except.* quae exceptio etiam fidejussori proderat. *L.* 24. *D. de Donat.* Prodita quoque fuisse videtur actio rescissoria, qua rescindebatur, quod fuerat ultra modum donatum: *L.* 21. §. 1. *D. eod.* Quibus remediis non fuisset opus, si ipsa lege Cincia irritum fuisset, quod erat ultra modum legitimum donatum. Vid. Ant. Schulting. *ad Ulpian. l. c. p. m.* 562. *Hein.*

§. 13.

Caput tertium ejusdem legis m).

Alio hujus legis capite cautum fuerat, ut in donatione, quibusque personis facta, mancipatio traditiove interveniret, exceptis donationibus conditionalibus et mortis caussa factis: Brummerus *ad Leg. Cinc. c.* 14. Exempla exstant in marmoribus Gruterianis, quae egregie illustrat idem Brummerus.

§. 14.

Variae horum capitum relationes et mutationes.

Adcesserunt postea varia SCta variaeque constitutiones, quibus legi Cinciae subinde vel obrogatum, vel derogatum est. Sic postea invaluit, ut inter personas conjunctas donatio valeret quibuscumque verbis facta, etiamsi nulla intercessisset mancipatio n): Paul. *Sententt. Receptt. IV.* 1. 11. et *V.* 11. 4. idque introductum est constitutione D. Pii, cujus mentio fit *L.* 4. *C. Theod. de Donat.* Sane ante haec tempora etiam cognati, personaeque conjunctae in donationibus jus commune, hoc est, legem Cinciam sequebantur, ut patet exemplo matris Voconii Romani, quae donationem sestertii quadringenties non prius legitime peregisse videbatur, quam fundos emancipasset, teste Plinio *Epist. X.* 3. Brummer *ad L. Cinc. c.* 13. Idem D. Pius primus vetuit, ne posset donatarius ulterius conveniri, quam in quantum facere posset: *L.* 20. *L.* 41. §. *ult. D. de Re jud. L.* 28. *D. de R. J.* Sic et miles donare non poterat *focariae: L.* 2. *C. de Donat. int. vir. et ux.* imo nec heredem illam instituere, ut vulgo colligunt ex *L.* 14. *D. de His, quae ut indign.* Aliud tamen adparet ex marmore apud Gruterum *Inscriptt. p. MCVII. n.* 3.

Quocum universim quidem ea conveniunt, quae de donationum adversus legem Cinciam factarum vi ac potestate in Vaticanis fragmentis prodita sunt. Cfr. inprimis horum *Fragm.* §. 266. 293. 294. 311. 312. 313. et quae strictim ac summatim de hoc argumento dicta sunt in Mühlenbruchii *doctrina Pand.* (ed. IV.) T. II. §. 440. p. 437. *Mühl.*

m) Ejusmodi caput omnino non exstitisse, jam non est quod dubitemus. Vid. vel maxime, quae a Rudorffio (*l. l.* §. 7.) et Klinkhammero (*l. l.* C. II. §. 15.) copiose hac de re disputata sunt. *Mühl.*

n) I. e. jam sola promissione perficiebatur donatio inter exceptas personas, quoniam legis Cinciae exceptio agenti non obstaret. *Vat. Fr.* §. 310. — Cf. Rudorff *l. l.* §. 5. Wenck *l. l.* p. XLI. et de D. Pii constitutione, quam commemorat Auctor; vide eundem Wenckium, p. LV. §. X. et XVIII., tum vero Klinkhammerum *l. l.* C. II. §. 12. ibiq. p. 68. Unterholzner. *Rhein. Mus.* T. II. p. 459. sq. de Buchholtz not. ad §. 314. *Vat. Fragm. Mühl.*

D. M.
M. AURELI. VITA
LIS. MILITIS. CL
PR. ANTONI
NIAN. RAVENN
NATIONE. PANN
III. PROVIDENTIA
STIP. XXVIII
VALERIA. FAUSTI
NA. FOCARIA
ET. HERES. EJUS
BENE MERENTI
POSUIT

imo et ex *L.* 13. §. 2. *D. de Testam. milit.* et *L.* 5. *C. eod. tit.* Cf. Merill. *Observatt. Lib. VIII.* 32. *p.* 124. Ipsine legi Cinciae, an Principum constitutionibus id debeatur, quod ei, qui aliquem a latronibus vel hostibus eripuerat, in infinitum donare liceret, dummodo donatio, et non merces laboris adpellaretur, non facile dixeris. Exstat ejusmodi exceptio apud Paulum *Sententt. Receptt. V.* 11. 6. et verbis nescio cur immutatis *L. penult.* §. *ult. D. de Donat.*

§. 15.

In donationibus res singulae nominari debebant.

Invaluerat etiam, ut donatio fieri non posset verbis generalibus, sed singulae res, quas quis esset donaturus, enumerari deberent: *L.* 1. *Cod. Hermog. de Donat.* Ex quo textu patet, aevo adhuc Diocletiani hoc jus obtinuisse. Ita enim ibi Diocletianus et Maxim. Augusti: *Non est juris incerti* (in emancipatum donatione aliquid transferri non posse), *si generaliter eidem partem tertiam bonorum donasti, quia generaliter bonorum portio donari non potest, quum singulae res nominari debeant, quae donatione, mancipatione, vel in jure cessione transferuntur.* At secus tamen se res habebat inter patrem et filium suum, cui partem bonorum donare licebat. Idque patet ex inscriptione apud Gruterum *p.* DCCCLXXX. *n.* 3. qua pater liberis omnibus bonis cedit:

MARULLO. ANTIOCHO. HELE
NAE. TERTULLIANAE. P. MA
RUL. PAT. VIVENS. BONIS. CES
SIT. PARTE. SIBI. QUOAD. VI
XER. RETEN. etc.

Vid. V. C. Schulting. *Not. ad Cod. Hermog. p. m.* 713. *sq.*

§. 16.

Donatio facta a parentibus.

Quae filiis suis donabant parentes, magis destinata videbantur voluntate paterna, quam donata: *L.* 11. *C. h. t.* Hinc requirebatur, ut pater in ea voluntate perseverans decessisset: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 11. 3. Tamen ne sic quidem rata erat donatio, ita ut res donata posset a filio usucapi, nisi eadem res arbitrio familiae erciscundae esset adjudicata: *L.* 18. *C. Famil. ercisc.* Unde et parentes praelegare ea solebant liberis, quae vivi donaverant. Vid. Plinius *Hist. Nat. XXXIII.* 2. At novissimo jure id quoque mutatum est: *L.* 25. *C. de Donat. inter vir. et ux.* o).

§. 17.

Insinuatio ad acta introducta a Constantio Chloro, postea subinde mutata.

Aliam mutationem jus istud subiit tempore Constantii Chlori, qui omnes donationes in scriptis fieri actisque insinuari jussit. Ejus deinde constitutionem firmavit filius Constantinus Magnus: *L.* 1. *C. Theod. de Sponsal.* Postea Theodosius et Valentinianus non modo scripturam remiserunt, sed et insinuationem, si donum ducentos aureos non excederet: *L.* 29. *C. h. t.* Iidem Principes etiam secundum caput legis CINCIAE de certa donationis summa sustulisse dicuntur p). At Justinianus summam actis insinuandam primo ad trecentos, mox ad quingentos aureos auxit, exceptis quibusdam donationum speciebus: *L.* 34. *L.* 36. *C. eod.* Cf. Brummer. *ad Leg. Cinc. c.* 12. *sq.* inter quas et remuneratoriam esse, docet Cujacius *Observatt. XXVII.* 40. Videtur tamen etiam Justini tempore saepe scriptura adhibita, ut docet fragmentum vetustae donationis, Justini aevo, Maximo Consulatum gerente, factae, quod recenset Barn. Brissonius *de Formul. VI. p.* 558. q).

---

o) Cf. *Vat. Fragm.* §. 277. 278. 281. 294. 295. — de Buchholtz in not. *ad h. ll.* Klinkhammer *l. l.* p. 123. sqq. *Mühl.*

p) Accuratius harum immutationum historiam prosequuti sunt: Marezoll in Grolmani Löhriique *Mag. f. R. W. u. Gesetzgebung.* T. IV. num. XI. 5. p. 175 — 203. Wenck *l. l.* p. LIII. §. XIV — XXII. Klinkhammer *l. l.* p. 154. sqq. (§. 5 — 7.). *Mühl.*

q) Ita Brummerus V. C. *ad Leg. Cinc. c.* 13. qui id colligit ex *L. ult. C. Theod. de Spons.* Sed ibi tantum de donatione propter nuptias agitur, ostenditurque, quaenam sit insinuanda. *Hein.*

§. 18.

Donatio propter nuptias.

Ad donationes propter nuptias quod attinet, earum naturam satis adcurate exponit Imperator §. 3. *Inst. h. t.* Alias quidem inter virum et uxorem constante matrimonio donatio non valebat, nisi certis ex caussis, veluti mortis caussa, servi manumittendi gratia etc. Eamdem prohibitionem constitutione sua firmaverat Antoninus Imperator: *L.* 42. *D. de Donat. inter vir. et uxor.* [r]) qui tamen et ideo mulieri donare permiserat, ut vir ab Imperatore lato clavo [s]), vel equo publico [t]), similive honore ornaretur: Ulpiani *Fragm. VIII.* 1. Pauli *Sententt. Receptt. II.* 23. Quod vel ideo provisum ajunt, ut ne conjuges ob mutuum amorem se invicem spoliarent, ut ait Ulpianus *L.* 1. *D. de Donat. inter vir. et uxor.* vel, ne bonorum, quae inter eos quasi communia esse debebant, societas levissimi munusculi acceptatione tolleretur, ut existimat Plutarchus *Quaestt. Rom. c.* 7. [u]) et

---

r) Lex haec est ex Gaji Commentariis ad Edictum desumta, adeoque intelligi non potest Antoninus Caracalla, ut existimat Lud. Charondas *ad Ulpian. l. c.* cujus ad tempora Gajus non pervenit, sed Antoninus Pius. Vid. Guil. Grot. *de vit. Jurecons. II.* 7. *Hein.* Cf. Zimmern *R. G.* I. §. 93. not. 33. *Mühl.* Antoninus Caracalla prohibitionem donationum, quae inter conjuges fierent, constitutione sua confirmavit: vid. *L.* 3. *pr.* et *L.* 32. *pr. D. de Donat. inter vir. et ux.* Jam antiquioribus temporibus donatio illa prohibita fuit, hinc *moribus* illud receptum dicitur in *L.* 1. *eod.*, ne donationes inter virum et uxorem valerent: rigorem illum eatenus mitigavit Antoninus Pius sive Philosophus in *L.* 42. *cit.*, ut *reciperetur donatio, quam dicimus honoris caussa: si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* Quae verba exponit Scipio Gentilis *de donat. inter vir. et uxor. L. II. c.* 4. et 5. et Schulting. *ad Ulpianum in Fragm. tit.* 7. §. 1. *Cann.* Adj. Zach. Richteri Diss. *de oratione Antonini de donationib. int. V. et U. confirmandis.* Lips. 1759. 4. *Haub.*

s) Id est, dignitate senatoria, cujus insigne erat latus clavus. Vid. *Graev. Praef. Tomi VI. Thesauri Antiquitt. Roman. Hein.* Haec ex nota Schultingii *l. c.* depromta. *Cann.*

t) Id est, dignitate equestri. Ita explicat etiam Gajus *L.* 42. *D. de Donat. inter vir. et ux. Hein.*

u) Rationes alias suppeditant *L.* 2. *et L.* 3. *eod.* Sed nulla tamen harum genuina esse et ad prohibitionis hujus originem pertinere videtur. Vera caussa ex principiis jurisprudentiae veteris derivanda, secundum quae vir et uxor pro una persona habebantur, non secus ac pater et filiafamilias. Quemadmodum ergo inter hos donatio non valebat, nisi pater donans in ea voluntate perseverans decessisset: ita non magis valida erat donatio inter virum et uxorem, quae in manum convenerat: Barn. Brissonius *de ritu nuptiar. p.* 214. Postea quum raro uxores in manum convenirent, et tamen posteriores Imperatores jus vetus constitutionibus suis firmarent: Jureconsulti alias rationes excogitandas putarunt,

Conjugal. praecept. p. 143. *Tom. II. Opp.* Sed haec omnia intelligenda de donationibus stante matrimonio factis. Alia erat ratio donationis propter nuptias [x]), id est, constitutionis pecuniae, qua mulieri praestabatur securitas dotis, ut, si de hac periclitaretur, aliquid vice dotis dissipatae haberet: §. 3. *Inst. de Donat.* [y]). Ea quum initio donatio ante nuptias vocaretur, eo, quod tantum ante matrimonium impletum fieret: postea D. Justini constitutione permissum est, ut tam ante, quam post nuptias constitui vel augeri posset, quumque jam nomen antiquum inconcinnum videretur: Justiniani jussu *donatio propter nuptias* vocari coepit: §. 3. *Inst. h. t. L. ult. C. de Donat. propter nupt.* Graecis est ἀντιφέρνα, ad quam proxime adce-

---

quamvis sibi ipsi non satis constent. *Hein.* Non jam ab omni tempore jus obtinuit, ut donationes a patribus factae liberis suis convalescerent eo, quod donans in eodem judicio perseverans moreretur, verum ad similitudinem eorum, quae de donationibus inter virum et uxorem confirmandis constituta fuerant, postea agnitum atque confirmatum est; cf. *Vat. Fr.* §. 277. 278. 281. *L. ult. C. de donat. int. V. et U.* Nec utique est, quare in dubium vocetur veritas ejus rationis, unde JCti Romani originem prohibitionis istius repetere consueverunt. Vid. Francke im *Arch. f. civilist. Pr.* XVIII. p. 2. 3. *Mühl.*

x) De donatione propter nuptias cf. praeter Heineccii ipsius Diss. *quae uxor Romana per propter nuptias donationem de alimentis secura tantum sistitur* (Hal. 1740. 4.): Christ. Alex. Vivigentz a Winterfeld Diss. *Historia juris civ. Rom. de donationib. propter nuptias.* Traj. ad Viadr. 1776. 4. Aug. Guil. Foersteri Diss. *de origine atque propagatione donationis ante nuptias apud Romanos.* Vratisl. 1812. 4. et Car. Einerti Diss. *de donationibus propter nuptias* (Lips. 1818. 4.) c. 1. p. 1 — 15., denique de hypobolo Jo. Gfr. Sammet Diss. *de hypobolo.* Lips. 1746. 4. et in *Opusc.* p. 1 — 32. nec non in *Supplem. Thes. Meerm.* p. 375 — 383. *Haub.* Praeterea de donatione propter nuptias vid. Burchardi im *Arch. f. civ. Pr.* T. IX. num. X. (cf. Hepp *in Ephemerid. jur. Tub.* III. p. 241. sqq.). Warnkönig *ibid.* T. XIII. num. I. de Löhr *ibid.* T. XV. num. XX. T. XVI. num. I. — Cf. Zimmern *R. G.* §. 163. *Mühl.*

y) Non modo ut securior dotis nomine mulier praestaretur p. n. donationes constitui solebant, verum etiam, tamquam antipherna, sustentandis matrimonii oneribus hujusmodi donationes inserviebant. Praeterea et in viduitatis casum mulieribus propter nuptias donatione consulebatur, tum certe, quum liberi ex eo matrimonio procreati atque superstites erant. Caeterum jam a Justiniano observatum est, p. n. sive ante nuptias donationem pudentibus (i. e. JCtis, quos classicos vocare consuevimus) penitus fuisse incognitum. Antiphernorum usum, apud Orientales, ut videtur, receptum inveteratumque, imperatores Romani confirmarunt, eundemque, ut colore romano imbuerent, sponsalitiarum largitatum jure aestimandum esse existimarunt, atque *ante nuptias donationis* nomine appellarunt. Unde effectum est, ut complura hanc in rem inferrentur juris praecepta, quae ab hujus instituti indole pristina ac ratione prorsus essent aliena. Cf. Mühlenbruch *Doctr. Pand.* T. III. §. 539. (ed. IV.). *Mühl.*

dunt θεώρητρον et ὑπόβολον, quorum hoc est, quod ob dotis quantitatem, quum soluto matrimonio dos repetitur, huic subjicitur, et veluti sub dote, quae in majorem quantitatem excrescit, tamquam minus et infirmius ponitur [z]): Harmenopulus *IV.* 10. 1. illud autem quod virgini, non viduae, datur, *διὰ τὴν τιμὴν τῆς παρθενίας, in honorem virginitatis:* Idem *Promtuar. V.* 5. 7. Unde hoc cum veterum ἀνακαλυπτηρίῳ non male comparat Dionys. Gothofredus. Similis quoque est theoretro Germanorum *morgengaba*, uti et ὑποβόλῳ *incrementum dotis*, ibidem passim receptum. Erat autem *theoretri* quantitas in singulas libras dotis semiaureus: Harmenopulus *ib.* §. 9. et hypoboli apud veteres dotis dimidia pars, postea pro libra librae triens: Idem §. 4. Videtur res pactis definita, eoque pertinere puto *instrumenta ὑποβολικά*, vel, ut ibi codices habent, *hyperbolica* apud Sidon. Appollin. *Epist. VII.* 2. et συμφωνηθὲν ὑπόβολον, *pactum hypobolum*, apud Harmenopulum *IV.* 10. 7.

§. 19.

Donatio mortis caussa.

Quemadmodum vero donationes inter vivos sua natura erant irrevocabiles, nisi ob certas caussas, quas Jureconsulti exponunt: ita semper revocari poterant donationes MORTIS CAUSSA factae, morte non sequuta. Sed et hic ad formulas erat respiciendum. Poterat enim etiam sic mortis caussa donari: UT NULLO CASU EJUS REPETITIO ESSET, id est, ne si convaluisset quidem donator, et tunc credebatur inter vivos donatum: *L. 27. D. de Mort. causs. don.* Plures formulas in hujusmodi donationibus usurpatas adcurate suo more collegit Barn. Brissonius *de Form. VII. p.* 690. [a]).

---

z) At potius dixerim, Hypobolon proprie fuisse pecuniam, quae, nuptiis finitis, pro dote, cum incremento aliquo, ex pactione restituenda esset mulieri. Idque ex locorum testimoniis collegerim, a Sammetio (vid. not. x) cumulatissime allatorum. *Mühl.*

a) De mortis causa donationis jure et historia non est, quod hoc in loco latius dicatur. Plura hac de re exposuerunt: A. Gu. Cramer *dispunct. jur. civ.* c. 10. Haubold Diss. *de mortis causa donationum conjecturis ex mortis mentione capiendis.* Lips. 1792. 4. (et in *opusc.* Vol. I. p. 439 — 496.) W. Müller *über die Natur der Schenkung auf den Todesfall.* Giess. 1827. v. Schröter in d. *Zeitschr. f. Civilr. u. Pr.* T. II. num. IV. p. 97. sqq. Hasse im *Rhein. Mus.* T. II. p. 300 — 366. T. III. p. 1 — 22. et p. 371 — 417. Rosshirt *die Lehre von den Vermächtn.* T. I. p. 80. sqq. (§. 2.). *Mühl.*

§. 20.

Leges adjectae donationibus.

Postremo et hoc monendum videtur, donationibus consuevisse varias conditiones ac leges adjici, ut non modo ex multis juris nostri fragmentis constat, quae idem colligit Brisson. *de Form. VI. c.* 150. *p.* 557. verum etiam ex Plauti *Asin. IV.* 1. ubi scitum et elegans exstat syngraphi inter adolescentem, amicam, et lenonem conscripti exemplum, in quo plurimae leges viginti minarum donationi adjiciuntur. Imo et lapides exstant, in quibus curiis, vel integris corporibus donationes fiunt, certis adjectis legibus, veluti UT QUOTANNIS NATALI SUO SPORTULAE VIRITIM DIVIDANTUR, vel UT. LARGIUS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO. SUO. ET. QUANDOQUE. SIBI. PONERENTUR. et quae sunt hujus generis aliae: Brissonius *ibidem*.

LIB. II. TIT. VIII.

QUIBUS ALIENARE LICET, VEL NON.

Conjunctim hoc titulo exhibet Imperator, quae dici poterant de iis, quae vel non alienari poterant a dominis, vel poterant a non dominis. Nos singula ex antiquitatibus Romanis illustrabimus.

§. 1.

Fundus dotalis alienari non poterat a marito.

A marito alienari non poterat fundus dotalis, quamvis alias ejus esset dominus: *pr. Inst. h. t.* Ad quae rectius intelligenda monere nonnulla licebit de dotium origine et natura, maxime *quum* haec materia in Institutionibus plane praetermissa sit a Triboniano [a]).

§. 2.

Dotium origo et natura apud alias gentes.

Dotes quo fine olim inter mortales constitutae sint, a nemine, quod sciam, adcuratius ostensum est, quam a Jac. Perizonio, V.C.,

---

a) De jure dotium antiquo: Ed. Schenk *das Recht der Dos vor Justinian, ein historisch-civilistischer Versuch.* Landsh. 1812. 8. von Löhr: *Wer ist Eigenthümer der Dos?* in Dessen *Magaz. für Rechtswiss.* T. IV. num. 5. p. 57—77. *Haub.* Jam adjic.: Hasse *Güterrecht der Ehegatten, nach Röm. R.* (Berl. 1824.) T. I. Abschn. II. Zimmern *Röm. R. G.* Th. II. §. 156—161. §. 166—171. Ulp. *Fragm. Tit. VI. de dotib. Vat. Fragm.* §. 94—122. *Mühl.*

in Dissert. ad Leg. Vocon. p. 113. *sq.* Quemadmodum scilicet filii apud plerasque gentes in domo paterna manebant, domini ac heredes omnium, quae parentes reliquissent, bonorum futuri: ita filiae contra per nuptias in perpetuum dimittebantur e domo paterna, atque hinc innuptae debebant ex bonis paternis ali, nuptae vero instrui dote, ne plane exsortes essent paternae hereditatis. Apud plerasque tamen gentes dotem maritus uxori, non uxor marito offerebat. Ista sane consuetudo viguit inter Germanos, teste Tacito *de mor. Germ. c.* 18. Assyrios, teste Aeliano *Hist. Var. IV.* 1. Babylonios, teste Herodoto *I.* 196. et Armenios, ut patet ex *Nov. XXI.* [Hebraeos: Selden. *uxor. Hebr. L. II. c.* 2. *p.* 96.] Sed diutissime permansit apud Germanos ejusdemque originis gentes, ut ex multis medii aevi testimoniis et diplomatibus alio loco probavimus.

§. 3.

Ut et apud Romanos.

Communis hic mos erat omnibus fere gentibus, praeterquam Romanis, qui dotem dabant filiabus [b]), etiamsi easdem ad aequas hereditatis partes admitterent. Tam necessariae enim Romanis videbantur dotes, ut vel his solis se a concubinis sejungerent matronae. Hinc apud Plautum *Trinummo Act. III. scena* 2. *v.* 63. *sqq.* adolescens:

Sed ut inops infamis ne sim; ne mi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedidisse, magis quam in matrimonium.

Cf. Idem *Act. III. scena* 3. *v.* 3. *sqq.* et *L.* 1. *D. Solut. matrim.* ubi Pomponius *publice interesse*, ait, *dotes mulieribus conservari, quum dotatas esse feminas, ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem quam maxime sit necessarium:* nec non Paulus *L.* 2. *D. de Jur. dot.* qui *reipublicae interesse*, ait, *mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possint.* Postea tamen, lata lege Voconia, Romanae quoque mulieres contentae esse jussae sunt dote sua, nec hereditates adfectare. Eae dotes fuere luculentissimae. L. Paulo uxor secunda attulerat dotem XXV. talentorum: *Excerpt. Peiresc.*

b) Dos illa Romanarum mulierum veluti complementum pretii erat, quo mulieres sibi viros coemebant, et hinc Tacitus tamquam rem a Romanis moribus diversissimam notat, quod apud Germanos soli viri sibi coemerint uxores, non uxores viros: vid. Tacit. *de morib. Germ. c.* 19. *Hein.*

ex Polyb. p. 99. Africanus quoque major utrique filiae dotis nomine promiserat L. talenta: *Ibid. p.* 155. [c]). Non semper tamen dos in numerata pecunia constabat, sed et in fundis et praediis, tam urbanis, quam rusticis: *L.* 13. *L.* 14. §. 1. *D. de Fund. dotal.* imo et in servis vel ancillis: *L.* 9. *C. de Rei vind.* aliisque, quae aestimationem admittebant, et usui esse poterant marito ad ferenda matrimonii onera.

§. 4.

Ea vel dabatur.

Triplex vero erat dotem constituendi ratio. Aut enim DABATUR, aut PROMITTEBATUR, aut DICEBATUR: Ulpiani *Fragm. VI.* 1. Quae saepe conjunguntur in jure veteri, quamvis a Triboniano sollemnia haec vocabula passim sublata, aliaque reposita sint, uti observat Cujacius *Observatt. XI.* 29. et *Papin. Quaestt. Lib. XI. ad L.* 7. §. 1. *D. Solut. matr.* DARI dos dicebatur, si praesens offerretur marito, idque plerumque fiebat eo ritu, ut pecunia illa dotalis consignata pridie nuptiarum apud auspices deponeretur, in crastino nuptiarum viro tradenda. De Messalina Sueton. *Claud. c.* 26. *Messalinam, quum comperisset, super flagitia atque dedecora C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio adfecit.* Et Juvenalis *Sat. X. v.* 333. *sqq.* de eadem Messalina:

— — — *: dudum sedet illa parato*
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et RITU *decies centena* DABUNTUR
ANTIQUO*: veniet cum* SIGNATORIBUS *auspex.*

§. 5.

Vel promittebatur.

Dos PROMITTEBATUR interposita stipulatione, dummodo *persona*

---

c) Plerumque tamen dos illustrium feminarum erant *decies centena,* id est, *decies centum millia sestertium:* Martial. *Epigr. XI.* 24.

Nubere Sila mihi, nulla non lege, parata est,
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Quum tamen instaret: decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis? dixi. Quid minus esse potest?

Hortalum quoque Augustus, promisso decies sestertii censu, quem fortassis uxor in dotem non datura sit, illexit ad ducendam uxorem procreandosque liberos: Tacit. *Annal. II.* 37. Eamdem dotem Flaviae, Athenagorae filiae, dedit Severus: *L.* 6. §. 1. *D. de Usur. et fruct.* Adde Juvenal. *Sat. VI.* et *X. v.* 335. Martial. *Epigr. II.* 65. Senecam *Consolat. ad Helv. c.* 12. *Hein.*

interrogata responderet, et stipulato promitteret, ut ait Gajus *Inst. II.* 9. 3. Exemplum ejusmodi stipulationis est apud Plautum *Trinummo Act. V. scena* 2. *v.* 34. *sqq.*

Ly. Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
Char. Spondeo, et mille auri Philippum dotis.
Ly. Dotem nil moror.
Char. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.
Postremo hoc, quod vis, non duces, nisi illud, quod non vis, feres.
Cal. Jus hic orat. Ly. Impetrabit te advocato atque arbitro.
Istac lege filiam tuam sponden' mi uxorem dari?
Char. Spondeo. Cal. Et ego spondeo idem.

Illud addo, dotem promissam solvi consuevisse tribus pensionibus, annua, bima, trima die, ut docent exempla apud Ciceronem *Epist. ad Attic. XI.* 4. 23. et *ult.* et in *Excerptis Peirescianis p.* 157. ubi id fieri oportuisse ait Polybius κατὰ τοὺς Ῥωμαίων νόμους, *secundum Romanorum leges.* Quem locum a Salmasio mirifice perturbatum egregie illustrat Ger. Noodt *de foen. et usur. III.* 6.

§. 6.

Vel dicebatur.

Dotis denique DICTIO fiebat verbis quibusdam sollemnibus [d]), ut recte notarunt Cujacius *ad Ulpiani Fragm. VI.* 1. Barn. Brisson. *de Form. VI. p.* 543. At docet tamen Gajus *Instit. ibid. obligationem hanc et nulla praecedente interrogatione contrahi potuisse.* Videtur ergo haec dotis dictio in eo constitisse, quod dotem dicturus summam nominaret, sponsus eamdem, stipulatione haud interposita, acciperet.

d) Negant hoc Cl. Salmas. *de modo usur. c.* 16. et Oisel. *ad Gaji Instit. l. c.* Sed non sequitur, ut ideo, quod nulla intercesserit stipulatio, verba quoque sollemnia adhibita fuisse negemus. Erant etiam praeter stipulationes multae aliae formulae sollemnes. Sane sollemnium verborum in dotis dictione observandorum meminit *L.* 3. *C. Theod. de Incest. nupt.* et dictio dotis a datione minus sollemni distinguitur in *L. ult. C. Theod. de Dotib. Hein.* At praeterea quaeritur, utrum in dotis dictione acceptio a sponso facienda necessaria fuerit, an sola dictio, i. e. promissio solennibus verbis facta, suffecerit negotio? Cum Auctore faciunt Hasse *l. l.* §. 82. Glück *Pand.* XXV. p. 165. sq. (num. 1.). Zimmern *R. G.* §. 158. p. 578. num. 3. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 225. sqq. alii. Contrariam sententiam defenderunt: C. G. de Winckler *Pr. de dotis dictione* (Lips. 1782. 4. et in *opusc.* Vol. I. p. 372. sqq.) p. 371. sqq. *opusc.* Hugo *civ. Magaz.* I. p. 199. (ed. 2.) et *R. G.* p. 625. v. Löhr in d. *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* T. I. p. 227. sqq. num. 1. *Mühl.*

Exemplum est apud Terentium *Andr. Act. V. scena* 4. *v.* 47. *sq.* Chremes:

— — Dos, Pamphile, est
Decem talenta. Pa. *Accipio.*

Ea enim verba sollemnia et legitima fuisse observat Donatus Scholiastes his verbis: *Ille nisi dixisset:* accipio, *dos non esset.* Unde facile patet, hanc sollemnem fuisse dotem constituendi formulam a *datione* ac *promissione dotis* diversissimam: add. Sidon. Apollin. *Epist. I.* 11. Tales formulae dotem dicendi occurrunt etiam in jure nostro: *L.* 25. *L.* 44. §. 1. *L.* 46. §. 1. *L.* 57. *princ. D. de Jure dot.*

§. 7.

Qui dare, promittere, dicere dotem potuerint?

Dicere vero dotem poterat ipsa mulier, vel ejus debitor, vel pater, avus, aliique per virilem sexum cognatione juncti. *Dare* autem et *promittere* licebat omnibus, etiamsi nulla propinquitate conjunctis: Ulpiani *Fragm. VI.* 2. et Paullus *L.* 41. *D. de Jure dot.* Ipsa vero mulier nihil in his poterat sine auctoritate tutorum: Cicero *pro Flacco c.* 34. et 35. *Doti Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quaecumque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est.* Addatur Cicero *ibid. c.* 25. Ulpiani *Fragm. XI.* 27. Hinc si nullus erat mulieri tutor: dandus erat a Praetore urbano ex lege Papia Poppaea ad dotem dandam, dicendam, promittendamve: Ulpiani *Fragm. XI.* 20. De eo tutore plura diximus in *Comment. ad L. Jul. et Pap. Popp. Lib. II. c.* 13. *p.* 253. *sq.* ubi et ostendimus, tutorem mulieri ob dotem, vel pupillo ob litem cum tutore datum, *ideo Praetorianum,* vel *Praetorium* adpellatum esse, quia hic non dabatnr suffragante majore parte Tribunorum plebis, ut alii tutores ex lege Atilia dati, sed a solo Praetore. Add. Ulpiani *Fragm. XI.* 24.

§. 8.

Quid dos profectitia, adventitia, receptitia.

Quaecumque pater genero vel ejus patri ad ferenda matrimonii onera dederat, ea dotis *profectitiae* nomine veniebant. Quae alius quicumque obtulerat, dos *adventitia* vocabatur. Ac olim quidem profectitia aeque ac adventitia dos marito cedebat: (vid. supra *Lib. I. Tit. X.* §. 7.) Postea quum raro uxores in manum convenirent, et frequentissima contra essent divortia, distingui inter profectitiam

et adventitiam coepit. Profectitia, mortua in matrimonio muliere, ad patrem tota revertebatur, sive esset filiafamilias, sive sui juris: *L.* 59. *D. Sol. matr.* liberis tamen relictis, in singulos quintae partes manebant penes virum, quemadmodum et, praemortuo patre, dos profectitia tota penes virum remanebat: Ulpiani *Fragm. VI.* 4. Adventitia dos semper penes maritum remanebat [e]): Cujacii *Observatt. IX.* 4. praeterquam si is, qui dederat, ut sibi redderetur, esset stipulatus: quae dos specialiter *receptitia* dicebatur: Ulpianus *l. c.* §. 5. [f]). Quae tamen omnia jure novo mutata esse, ex *L.* 6. *D. de*

---

e) Exemplum tamen Augusti, qui marito dotem adventitiam abjudicavit, exstat apud Valer. Max. *VII.* 7. 4. Sed tum Augustus facti indignitate motus, magis ex aequo et bono, quam ex juris rigore vel fori usu, decrevit, ut observat Ant. Schultingius *ad Ulpiani Fragm. VI.* 5. *p.* 582. *Hein.* Cf. et supra Adp. I. §. 45. not. d. *Mühl.*

f) Recte Heineccius, ut nobis quidem videtur, discrimen hoc in loco statuit nullum inter mulierum, quae maritorum in manum conveniebant, aliarumque dotes. Nam in sola constituendae dotis ratione quaedam apparebat differentia, siquidem in manum conveniendo omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiebant *dotis nomine* (Cic. *Top. c.* 4.), contra vero in reliquis matrimoniis ea tantummodo, quae in mariti bona dotis nomine illata sunt. Ceterum unum et nomen et jus dotium utramque in causam similiter valebat. Cujus rei id argumento satis est, quod dissimilitudinis nec vola nec vestigium ullum apud veteres scriptores exstat. Unde etiam factum est, ut, quae in altero matrimoniorum genere usitata erant vocabula, ad alterum facile transferrentur; (vid. v. c. *Vat. Fragm.* §. 115. — „verum est, quod a quibusdam dicitur, *omnia in dotem — — dari posse, argumento esse in manum conventionem*"). Nec igitur dubitamus, quin ea, quae juris maritorum coarctandi causa pedetentim invaluerunt, aeque in omne nuptiarum genus convenire dicamus. Quae quum ita sint, non video equidem, quare alio sensu, eoque *proprio,* in liberis matrimoniis accipiendum sit jus dotium, atque in iis, quibus maritorum manui subjiciebantur mulieres. At in alia abierunt: Wächterus *über Ehescheid. bei den Röm.* p. 115. sqq. p. 163. sqq. Hasse *Güterr. d. Ehegatten* §. 63. p. 222. et *Rhein. Mus.* T. II. p. 75—86.; qui quidem scriptor haud scio an secum ipse pugnet, quum rei uxoriae et cautionem et actionem in justis quoque nuptiis locum habuisse non diffiteatur (*Güterr.* §. 43. 44. §. 59—64. *Rhein. Mus. l. l.* p. 80.). Nam quod idem defendit, non nisi in divortiorum causis simile utraque in causa dotis repetendae obtinuisse jus, tum vero, profectitiarum adventitiarumque dotium discrimen solum spectasse ad libera matrimonia: id meris nititur conjecturis, nec, si utique esset verum, tantam haberet vim, ut in justis nuptiis jus dotium proprie quidem nullum fuisse vere dici posset. — Nobiscum, genere quidem toto, facit Schillingus (*Bem. üb. R. G.* p. 174—179.), quem tamen accuratius exposuisse vellem: qua in re, et postquam repetendarum dotium jus invaluerat, justarum nuptiarum et solutioris matrimonii dotes inter se dissimiles fuerint, praeterquam in eo, quod illic per universitatem maritus succederet uxori? *Mühl.*

Jur. dot. L. 12. *pr. L.* 26. §. 2. *D. de Pact. dot. L.* 5. *D. de Divort. L.* 48. *L.* 59. *D. Solut. matr. L. un.* §. 6. *C. de Rei ux. act.* satis constat.

§. 9.

Alienatio fundi dotalis Italici lege Julia prohibita.

Quum vero frequentissima essent apud Romanos divortia, adeoque verendum videretur, ne, dissipata dote, uxores domo extruderentur: non modo repudiatae concessum, ut dotem actione rei uxoriae repeteret, quam in actionem ex stipulatu convertit Justinianus: *L. un.* §. 14. *C. de Rei uxor. act. in exact. stipul.* verum etiam cautum est sub Augusti imperio, ne maritus fundum Italicum dotalem uxore vel invita alienaret, vel consentiente obligaret. Ex qua lege istud jus manarit, dubium visum est viris doctis. Legi *Juliae* et Papiae illud tribuit Jac. Gothofredus *ad L. Jul. et Pap.* c. 20. sq. sed argumentis admodum incertis, et quae ipse postea deserit *p.* 335. Magis probabile est, esse hoc caput legis Juliae de adulteriis, cui etiam illud inserit Barn. Brisson. *ad L. Jul. de adult. c.* 39. *p.* 123. Nam huic legi istud caput diserte tribuit Paulus *Receptt. Sententt. II.* 21. [Add. Jo. Guil. Hoffmanni *Comm. ad L. Juliam de adulter. c.* 8. §. 7. *p.* 163. *sq.*] g). Et caput legis Juliae de dote soluto matrimonio repetenda plane aliud, et ab hoc diversissimum fuisse, demonstravimus in *Comm. ad L. Jul. et Pap. Popp. II.* 19. *p.* 327. Cur vero ad sola praedia Italica haec lex pertinuerit, facile patet. Sola praedia Italica poterant usucapi, non item provincialia, ut supra ostensum. Hinc non necesse erat, ut viro alienatione praedii dotalis provincialis interdiceretur, quum hoc ab uxore, soluto matrimonio, facile posset vindicari, nullaque ei opponi posset exceptio usucapionis h). Ex quo vero Justinianus usucapionis jus etiam ad praedia provincialia protulit: non potuit non etiam praediorum dotalium in provinciis sitorum alienationem inhibere: *L. un.* §. 15. *C. de Rei ux. act.* qua etiam maritum fundum dotalem, consentiente uxore, alienare vetuit.

---

g) Add. Steph. Luzac *Diss. exhibens obss. nonnullas ad legem Juliam de fundo dotali.* L. B. 1781. 4. *Haub.*

h) Caeterum vid. Gaji *inst.* II. §. 63. — „quod quidem jus, utrum ad Italica tantum praedia, an etiam ad provincialia pertineat, *dubitatur.*" — Cf. et Hugo *R. G.* XI. p. 66. *Mühl.*

§. 10.

Alienare pignus poterat creditor, et quomodo.

Vidimus maritum, licet dominum, praedia dotalia alienare haud potuisse: secus in pignore se res habebat, quod alienari poterat a creditore, non solvente debitore, etiamsi ille non esset dominus: §. 1. *Inst. h. t.* Et quidem, si ea lege traditum fuerat pignus, ut a creditore distraheretur, non opus erat ulla denunciatione: *L.* 4. *princ. D. de Pign. act.* nec exigebatur denunciatio, si certo die solvenda erat pecunia, et pignus simpliciter datum esset, modo non, antequam dies venerat, vendidisset, siquidem tunc furti se obligabat: *L.* 73. *D. de Furt.* At postea tamen et hoc casu requiri coepit una denunciatio, et mora biennii: *L.* 4. *C. de Dist. pign. L. ult.* §. 1. *C. de Jur. dom. imp.* Reliquis casibus trina requirebatur denunciatio, ut debitor vel pignus lueret, vel sciret, illud distractum iri: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 5. 1. [i]). Justinianus vero veteres ambages novis, iisque multo longioribus commutavit, et trinam quidem denunciationem plerisque casibus sustulit, unicamque sufficere voluit: addidit tamen, ut, facta denunciatione, elapsoque post eam biennio, pignus creditori adjudicaretur, dato insuper debitori biennio, intra quod rem suam posset recuperare: *L. ult.* §. 3. *C. de Jure domin. impetr.*

§. 11.

De alienatione rerum pupillarium remissive.

Pupillos pupillasve alienare haud posse, nisi auctoribus tutori-

---

i) Male haec exposuit Heineccius. Si convenisset de distrahendo pignore, venditio permissa fuit, nec denunciatio desiderabatur, quam male alii ex *L.* 4. *de Distr. pign.* requirunt. Si nihil de distrahendo pignore convenerit, Javoleni tempore venditio creditori non permissa fuit ex *L.* 73. *D. de Furt.* Licuit tamen Ulpiani aetate, dummodo trina denunciatio creditoris praecessisset, ut pignus lueret debitor: Paulus *Sententt. Receptt. Lib. II. n.* 5. §. 1. si pactum expresse fuerit, ne vendatur pignus, distractionem nihilominus licitam censent ex *L.* 4. *D. de Pign. act.* si creditor ante debitori ter denunciaverit, ut solvat, nec ei pareat. Illud vero non puto juri consentaneum, ut docui latius alias. *Cann.* Respicit Cannegieterus suas *juris Romani observationes* Lib. II. c. 7. p. 171. At, licet concedamus, interpolatum esse locum Ulpiani, qui est *L.* 4. *D. de pign. act.*, tamen ex mente Justinianei juris concinnatorum recte Heineccius hunc locum interpretatus est. Praeterea Justiniani quadam constitutione (*L.* 3. §. 1. *C. de jure domin. impetr.*) sat manifesto evincitur, eo in casu, ubi de pignoris venditione nil convenerit, unicam denunciationem pignoribus distrahendis suffecisse. *Mühl.*

bus, vel jus naturae suadet [k]). Et quid Romae hac in re usitatum fuerit, jam supra ad titulum *de Auctoritate tutorum* dicere occupavimus.

LIB. II. TIT. IX.

PER QUAS PERSONAS CUIQUE ADQUIRITUR [a]).

Quicumque erant alieni juris: ii non sibi adquirebant, sed iis, quorum in potestate erant. Quia enim et servi omnino, et liberi ratione patris in classe rerum esse censebantur [b]): nihil magis videbatur rationi consentaneum, quam unumquemque per rem suam adquirere. Vid. *Elem. nostra jur. civ. Lib. II.* §. 470. Ea de re hoc demum titulo agit Tribonianus.

§. 1.

Adquaestus per liberos.

Et liberi quidem, quum ex Romuli instituto non multo melioris essent conditionis, quam servi, instar horum quoque non sibi adquirebant, sed patri, qui liberam habebat rerum omnium, quas liberi quocumque titulo adquisiverant, dispositionem, adeo ut eas alteri ex liberis, imo et extraneis, donare possent. Vid. Sexti Empir. *Pyrrhon. Hypotyp. III.* 24. Adde Senecam *de Benef. VII.* 4. Dionys. Hal. *Ant. Rom. VIII.* 79. ubi hic auctor πολιτικώτατος: *Romanis,* inquit, *filiis nihil proprii est vivis patribus, sed et pecunias, et corpora liberorum patribus ad eorum arbitrium tradidit lex Romuli.* Et Arrian. *Diss. Epictet. II.* 10. Υἱοῦ τοῦ προσώπου ἐπαγγελία πάντα αὐτοῦ ἡγεῖσθαι τοῦ πατρός. *Filii officium est, ut, quae habet, omnia patris esse ducat.* Add. Sueton. *Tiber.* c. 15.

§. 2.

Mutatio hujus juris.

Postea tamen filiis concessum tamquam peculium [c]), quidquid

---

k) Ita et traditur in §. 2. *Inst. h. t.* Sed puto corrupta esse verba, quae sequuntur: *at ex contrario omnes res pupillo et pupillae sine tutoris auctoritate dari possunt. Cann.* Cf. Gaj. II. §. 83. 84. *Mühl.*

a) Cf. Gaji *inst.* II. §. 86—96. Vid. et supra Adp. Tit. XII. Lib. I. §. 1. *Mühl.*

b) Vid. tamen, quae supra observavimus, Lib. I. Tit. IX. §. 1. not. d. *Mühl.*

c) Cf. Chr. Rau Diss. *Historia juris civilis de peculiis.* Lips. 1770. 4. *Haub.* Zimmern *R. G.* §. 186 — 190. *Mühl.*

militiae labore erant lucrati. Et id quidem eodem tempore factum videtur, quo ipsa libera testamentifactio concessa est militibus. (Vid. infra Tit. X — XII. §. 18.) Id primo sub Julio Caesare factum ad tempus; postea id jus auctum a Tito, Domitiano, Nerva et Trajano, Imperatoribus: uti testatur Ulpianus *L.* 1. *pr. de Test. milit.* Sane sub Claudio et Nerone non ignotum fuisse peculium militare, docet Juvenalis *Sat. ult. v.* 52. *sqq.*

> — — — *: nam, quae sunt parta labore*
> *Militiae, placuit non esse in corpore census,*
> *Omne tenet cujus regimen pater.* — —

Quem locum frustra sollicitavit P. Pithoeus [d]). Additum postea et *quasi castrense peculium* [e]), permissumque liberis, quidquid artibus liberalibus adquisiverint, separatum habere a rationibus paternis: §. *ult. Inst. de Milit. test.* Excepit etiam Constantinus M. [f]) bona

---

d) De peculio castrensi tantum militantibus jus testandi primus dedit Augustus: v. *initium Inst. h. t.* Illud ab Ulpiano quoque tradi arbitror in *Fragmentis tit.* 20. §. 10. *Sed Divus Augustus Marcus constituit, ut filiusfamilias miles de eo peculio, quod in castris adquisivit, testamentum facere possit.* Pro *Marcus* scribi velim *militibus*, ut docui latius in *Observationibus* (I. 3.), unde fuit aliquis, qui haec suffuratus suo nomine hanc conjecturam proposuit. Libera testamentifactio militibus concessa a Julio Caesare, sed ea concessio temporalis erat, postea vero primus Titus dedit. Juvenalis de temporibus Domitiani agit, non de Claudio et Nerone. *Cann.* Jam vero cf. quae de vexatissimo illo Ulpiani loco scripsit: F. A. Schilling *Spec. III. animadvers. critic. ad Ulp. Fragm.* p. 14 — 17. *Mühl.*

e) Fit illius mentio etiam in Digestis *L.* 1. §. 15. *de Collat. L.* 3. §. 5. *de Bon. possess. L.* 7. §. *ult. de Donat. L.* 16. §. 12. *ad SCtum Trebell.* quae loca omnia a Triboniano interpolata esse putat Fr. Balduin. *Justinian. III.* Sed Jac. Gothofr. *ad L.* 3. *C. Theod. de Postul. Tom. I. p.* 143. *sq.* de omnibus id adfirmare non audet, quia, quamvis advocatis primus hoc privilegium tribuerint Theodosius junior et Valentinianus III. tamen ante ea tempora peculium quasicastrense habuerint praecincti, vel administratores provinciarum: Hieronym. *ad Nepotian.* c. 17. Absolvit etiam Tribonianum V. C. Ant. Schulting. *ad Pauli Sententt. Receptt. V.* 9. 4. *p.* 470. ob *L.* 8. *D. Pro soc.* ubi locum habere haud potuit interpolatio. *Hein.* Originem quasicastrensis peculii multo recentiorem, quam Auctor aliique superioris aevi JCti eamdem finxerunt, quippe potius e *L. un. C. de Castrensi omnium Palatin. peculio,* quae est Constantini M., repetendam, probavit J. Valckenaer (Pr. B. Voorda) Diss. *de peculio quasicastrensi veteribus JCtis incognito, ejusque vera origine.* L. B. 1780. 4. *Haub.* Vid. tamen quae pro communi sententia tuenda scripserunt: v. Löhr im *Arch. f. civ. Pr.* X. p. 175. (num. 3.) et Mühlenbruch in *continuatis comment. Glückian.* T. XXXV. p. 200. not. 49. *Mühl.*

f) Jam ante Constantinum M. notabilem quamdam exceptionem introduxit Hadrianus, quae exstat *L.* 50. *D. ad SCtum Trebell.* alteramque Antoninus

materna, quorum usumfructum tantum patribus concessit: *L.* 1. *C. de Bon. mat.* Unde multo magis rationi videbatur consentaneum, bona materni generis ad liberos pertinere, et ista statuerunt Gratianus, Valentinianus et Theodosius: *L.* 6. *C. Theod. eod.* Porro idem ad lucra nuptialia et sponsalitia porrectum est a Theodosio et Valentiniano, itemque a Leone, et Anthemio: *L.* 1. *L.* 4. *L.* 5. *C. de Bon. quae liber.* Denique Justinianus haec generatim ad omnia bona liberorum adventitia produxit, quorum dominium penes liberos, usumfructum penes parentes esse jussit: *L.* 6. *C. de Bon. quae liber.* Reliqua, quae vel a patre, vel ejus contemplatione ad filium perveniebant, patri adquirebantur g). Quo etiam pertinuisse, quae filius accipiebat, congiaria, ostendit Cujacius *Observatt. XXI.* 7. h).

§. 3.

Adquaestus per servos.

Simile quid in servo observatur, qui nihil habebat proprii, nisi quod dominus habere ei permitteret, idque itidem vocabatur *peculium.* Solebant illud de demenso suo unciatim comparcere servi, ac eo deinde ita negotiari, ut lucrum inde qualecumque ad se rediret. Demensi loco singulis mensibus accipiebant servi quinque modios et quinque denarios, idque vocabatur *menstruum:* [* Plinii *Epistt. X.* 24.] Lips. *Elect. I.* 8. Talia etiam erant *annua,* quae dabantur servis publicis: Plin. *Epistt. X.* 40. Lips. *Elect. I.* 22. Quidquid ergo de hisce menstruis annuisque stipendiis deparserant, id peculii loco erat. Apud Terentium *Phorm. Act. I. Sc.* 1. *v.* 9. *sqq.* servus conservi fortunam dolens:

Pius, quae est in *L.* 52. *D. de Adquir. vel omitt. hered.* Vid. Ger. Noodt *de usufructu II.* 4. *p.* 608. *Hein.*

g) Male putat Auctor, et cum eo alii, quae contemplatione patris filio data sunt, patri fuisse adquisita. Equidem illa filio adquisita sunt, patri unice usufructu competente. *Cann.*

h) Omisit Heineccius de eo dicere peculii filiorum genere, quod, ut antiquissimum, prae reliquis, nec ullo adjecto alio vocabulo, peculii nomine venit; (hodie vocare solent peculium *profectitium*). In quo quidem erant, quae patres familiarum filiis, simili ratione, ut servis (vid. §. seq.), velut precario jure concesserant. — Caeterum hac nostra aetate acriter disputatur: num *adventitiis* liberorum bonis (h. e. iis, quae nec a patre profecta, nec militiam, aut armatam aut togatam, exerendo quaesita sunt) omnino conveniat peculii nomen? Vid. quae novissime hac de re scripta sunt in Mühlenbruchii *Doctr. Pand.* T. III. §. 564. not. 4. *ed. IV. Mühl.*

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existumans,
Quanto labore partum. — — —

Eam deinde pecuniam, permittente domino, vel foenore locabant, vel inde sibi emebant servulum, cujus ex operis lucrarentur. Talis servus servi vocabatur *vicarius*, et pertinebat ad peculium. Imo si his quoque servis vicariis aliquid peculii esset, et hi servulos haberent: erant hi vicariorum vicarii, quorum mentio fit in *L.* 25. *D. de Pecul. leg.* Haec sunt servorum peculia, in quae quid juris fuerit domino, Jureconsulti docere solent.

§. 4.

Adquaestus per matremfamilias.

Addi personis, per quas adquiritur, veteri jure oportebat etiam matresfamilias, quae et ipsae olim in manu vel potestate maritorum [i]) erant, adeoque omnia maritis adquirebant [k]). Jam addo, inde natam esse praesumtionem, quod, quidquid habet uxor, id mariti esse intelligatur: *L.* 51. *D. de Donat. inter vir. et ux.* cujus legis sensum plane exprimere videntur illa Plauti *Casina Act. II. Sc.* 2. *v.* 25. *sqq.* ubi Murrhina:

— — — — *Ita est. Unde ea tibi est?*
Nam PECULI probam nihil habere addecet
Clam virum: et quae habet partum, ei haud commodi est,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum est.

§. 5.

Adquaestus per personas liberas.

Solebant nonnumquam et liberae personae in servitute esse,

---

i) Vid. tamen quae supra ad Lib. I. Tit. X. §. 6. not. i. sunt observata. *Mühl.*

k) At quaedam sibi recipere poterant mulieres, quibus ad instar peculii concessi uterentur, hoc tamen pacto, ut nullus ad eadem regressus pateret viris. Itemque *peculii* nomen hujusmodi bonis fuisse videtur, tum vero *receptitiorum*, nec non *paraphernorum;* cf. Gellius *N. A.* XVII. 6. *Vat. Fragm.* §. 112. et §. 254. *L.* 9. §. 3. *D. de jure dotium. L.* 31. §. 1. *D. de donat.* cf. Menagii *amoenit. jur. civ.* c. III. p. m. 7. Postea paraphernorum vocabulum ad libera quoque matrimonia translatum est, hoc quidem sensu, ut eorum in numero bonorum essent, quaecunque *praeter dotem* mulier habebat, ea vel maxime, quae ipsa marito custodienda administrandaque commiserat. Cf. *L.* 9. §. 3. *D. de jure dot. L.* 8. *C. de pact. convent. tam super dote* rel. *Mühl.*

quamvis non essent servilis conditionis. Et hae quoque adquirebant possessoribus ex operis suis, quamdiu bona fide eas in servitute tenebant. Alias per extraneam personam nihil adquiri poterat, si discesseris a procuratoribus, quos ipse excipit Imperator: §. 5. *Inst. h. t.* qui tamen, si in judicio aliorum caussas agerent, domini litis esse fingebantur: de quo dominio litis vide Boehmeri *Diss. sing.* et Christ. Gothofr. Hoffmanni *Diss. de procurat. c.* 1. §. 7. et *sq.* (et infra Lib. IV. Tit. X. §. 4. sq.)

§. 6.

Quid juris post emancipationem liberorum.

Tollebatur istud jus parentum et dominorum emancipatione et manumissione. Sed emancipatorum liberorum antiquo jure parentes tertiam peculii adventitii partem propriam sibi retinebant, ex constitutione vero Justiniani dimidii peculii usumfructum, tamquam pretium emancipationis: *L.* 6. §. 3. *C. de Bon. quae lib.*

LIB. II. TIT. X. XI. XII.

DE

TESTAMENTIS ORDINANDIS, TESTAMENTIS MILITARIBUS, ET QUI TESTARI NON POSSUNT.

Sequuntur jam ultimae voluntates, quibus vel universitatem adquirimus, seu, ut Ambros. *Lib. I. de Caino et Abele* loquitur, *bonorum hereditatem,* vel res singulas. Ad prius potissimum genus testamenta pertinent, quorum antiquissimam rationem hic expendemus, maxime quum ipse Imperator moneat: *nihil hic antiquitatis non penitus ignorare debere:* §. 1. *Inst. de Testam. ordin.* [a]).

§. 1.

Testamenta quotuplicia.

Duorum generum apud Romanos fuisse testamenta, quorum

---

a) Heineccius ipse non usus est sua Diss. *de origine testamentifactionis et ritu testandi antiquo.* Franeq. 1726. 4. et in *Opp.* Tom. II. p. 484 — 516., multo minus libro multifariae eruditionis: Alb. Diet. Trekelli *Tractatio de origine atque progressu testamentifactionis praesertim apud Romanos.* Lips. 1739. 4. Novissime de historia testamentorum scripsit: J. H. Dernburg *Beiträge zur Geschichte der Testamente.* Bonn. 1821. 8. *Haub.* Aliorum, qui de historia testamentorum nostra aetate meruerunt, singulis in locis laudabuntur scripta. *Mühl.*

altero IN PACE, altero in PROCINCTU usi sunt, recte docuit Justinianus: §. 1. *Inst. de Testam. ordin.* quamvis satis incommode ipsa testamenta haec *procincta* vocat, quae veteres et ipse Theophilus rectius IN PROCINCTU, vel, uti in vetere Glossa est, ENDO PROCINCTU, adpellitant [b]). Utraque sunt antiquissima, et jam ante leges XII tabularum Romae invaluerant. Sane testamenta IN PROCINCTU facta sunt jam tempore M. Coriolani, qui ante Decemviros vixit: Plutarchi *Coriolan. c.* 9. Testamenti vero in pace jam sub regibus facti idem meminisse videtur Plutarchus in *Romulo c.* 5. ubi Tarrutius Anci Marci temporibus Laurentiam dicitur τελευτήσας ἀπολείψαι κληρονόμον, quae phrasis alias hereditatem testamento delatam denotat. Vid. Perizon. *ad Leg. Vocon. p.* 134. Fallitur ergo Desid. Herald. *Rer. quotid. c. ult.* §. 4. et 9. falluntur et alii interpretes, qui haec testamentorum genera demum in XII Tabulis exemplo juris Attici recepta fuisse putant.

§. 2.

Testamenta in comitiis calatis facta.

Testamenta IN PACE fiebant in comitiis calatis, id est, quae pro collegio Pontificum, aut Regis [sacrorum] Flaminumve inaugurandorum caussa habebantur, et dividebantur in *curiata* per lictorem curiatim calata, et *centuriata*, per cornicinem: Lael. Felix apud Gellium *Noctt. Att. XV.* 27. [c]). In his ergo et testamenta fiebant per modum legis, et praemissa procul dubio sollemni rogatione, qualem in adrogatione factam observat Gell. *Noctt. Att. V.* 19. VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES. UTI. L. VALERIUS. L. TITIO. TAM. JURE. LEGEQUE. FILIUS. SIBI. SIET. QUAM. SI. EX. EO. PATRE. MATREQUE. FAMILIAS. EJUS. NATUS ESSET. UTIQUE. EI. VITAE. NECISQUE. IN. EUM. POTESTAS. SIET. UTI. PATRI. ENDO. FILIO. EST. HAEC. ITA. UTI. DIXI. ITA. VOS. QUIRITES. ROGO. Unde recte observavit illustris Thomas. *Diss. de prim. init. success. testam.* §. 12. heredes hoc modo institutos legitimos potius fuisse, quam testamentarios. Scilicet existimabant Romani, legem nonnisi nova lege tolli posse, adeoque et nemini licere leges de hereditatibus intestatorum migrare, aliumque instituere he-

b) Vid. Gaj. II. §. 101. *Mühl.*

c) Quomodo intelligenda sint verba, quae Laelius Felix apud Gellium ex Labeone refert (calata comitia esse, *quae pro collegio pontificum* habentur *rel.*)? non una est eruditorum sententia. Cf. Heineccius *Diss. alleg.* §. 13. Trekell *l. l.* c. II. §. 15. p. 33—36. Huschke im *Rhein. Mus.* T. VI. p. 290. *Mühl.*

redem, nisi nova lege in comitiis calatis condita: V. A. Bynkersh. *Obs. II.* 2. *p.* 113. d). Ex quo fundamento etiam pacta successoria irrita putabant, quia *privatorum cautio legum auctoritate non censebatur: L. ult. D. de Suis et legit. hered.* neque *jus publicum privatorum pactis mutari poterat: L. 38. D. de Pact.* Haec certa sunt: reliqua, quae refert Theophilus *ad* §. 1. *Inst. h. t.* de populo bis in anno hujus rei caussa convocato, ab eruditis vocantur in dubium e). Probabile vero est, ideo electa esse comitia calata, ut notio Pontificum interveniret, sine quorum auctoritate sacra privata ad heredem transire non potuissent. Unde etiam auctores eos fieri oportebat in adrogationibus: Cic. *pro domo c.* 13.

§. 3.

Testamenta in procinctu f).

Testamenta IN PROCINCTU fiebant a militibus in cinctu Gabino (vid. Serv. *ad Virgil. Aen. VII. v.* 612.) ad proelium ituris. Vellejus Paterc. *II.* 5. In procinctu enim stantes vel cinctu Gabino, et scutis manus inserentes, sagaque adcingentes, simul etiam tribus aut quatuor g) audientibus, heredem suum nuncupabant: Plutarch. in *Coriolano c.* 9. Unde ignorantiam antiquitatum produnt, qui hujus generis testamenta ob militum simplicitatem inventa putant: *arg. princ. Inst. de Milit. testam.* Nimirum lecta erat antiqua militia ex civibus, et quidem non ex ultima faece plebis, sed ex flore deli-

d) Caeterum verosimile est, non in *curiatis* comitiis, neque per populi *suffragia* testamenta esse condita, (id quod haud ita pridem a plerisque defensum est, ab ipso quoque Heineccio *l. l.* §. 13. atque Trekello *l. l.* cap. II. §. 11–13.), sed in centuriatis, tum vero, non nisi testimonii solennitatisque causa populum fuisse adhibitum. Vid. Theophili Paraphr. *h. t.* §. 1. atque Reitz. not. i. p. 329. Dernburg *l. l.* §. 7—13. atque inprimis Huschkium *l. l.* p. 286—292. *Mühl.*

e) Theophilum contra Auctorem (nec non Trekellum) defendit Reitzius *ad Theoph.* II. 10. 1. p. 329. not. h. Nunc res prorsus liquet e Gajo II. §. 101., qui et ipse comitia calata bis in anno testamentis faciendis destinata fuisse memoriae prodidit. *Haub.*

f) Aug. Fr. Schott *Diatr. de testamento in procinctu facto.* Lips. 1764. 4. et in *Opusc.* p. 126—163. *Haub.* Praeterea cfr. Heineccius *Diss. laud.* §. 14. 15. Trekell *l. l.* c. II. §. 20—23. Schrader in Hugo's *civ. Mag.* T. V. p. 154. sqq. not. *** *Mühl.*

g) In Plutarchi textu est: τριῶν, καὶ τεττάρων, qui conficiunt septem, sed aut particula conjunctiva hic, ut alias saepe, pro disjunctiva ponitur, aut pro καὶ legendum ἤ. *Hein.* Non credo desiderari tot numero testes, sed haec exempli tantum gratia a Plutarcho traduntur: vid. Trekell. *l. c.* §. 20. *p.* 49. *Cann.*

bato civium. Quare potius ad pelliciendos in militiam animos inventum est hoc testandi privilegium: imo et religionis caussa admissum, et hinc abolitum, simul ac bella auspicato geri desierant: Cic. *de Nat. Deor. II.* 3. Cinctum enim Gabinum sumebant Imperatores, qui se Dis Manibus pro exercitu devovebant: Liv. *VIII.* 9. 10. *X.* 7. 28. Hinc eodem induebantur milites in rebus trepidis, quasi devoti Dis Manibus. Ultima vero horum devotorum voluntas quum pro lege esset: Liv. *X.* 29. *junct. XXVI.* 11.: etiam testamenta militum in procinctu facta rata esse jubebantur, tacito populi suffragio, tamquam νόμοι ἄγραφοι, quemadmodum testamenta in comitiis calatis condita tamquam νόμοι ἔγγραφοι valebant. Hinc facile reddideris rationem, cur tam raro et nonnisi in extremo rerum discrimine hujusmodi testamenta condita: vid. Vellejus Paterc. *II.* 5. Plutarchus in *Coriolano c.* 9. Extra periculum enim et cinctum Gabinum milites testabantur jure ordinario: Caesar *de bello Gall. I.* 39. Flor. *III.* 10.

§. 4.

An haec rata fuerint post periculum?

Quum vero nonnisi praesentissimo mortis periculo in procinctu fierent testamenta: Vellejus Paterc. *Hist. II.* 5. Cic. *de Orat. I.* 53. verosimile est, defunctis periculo testatoribus, testamenta illa evanuisse, instar donationum mortis caussa, licet verbis disertis haud revocata: Thomas. *Diss. laudata* §. 27.

§. 5.

Testamenti factio per leges XII Tab. introducta.

Ceterum testamenta in calatis comitiis facta exolevisse videntur, latis legibus XII Tabularum. Iis enim quum fuisset cautum: PATER FAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER FAMILIAE PECUNIAE TUTELAEVE SUAE REI; ITA JUS ESTO: Ulpiani *Fragm. XI.* 14. *L.* 53. *pr. D. de V. S. pr. Inst. de L. Falc. Nov. XXII. c.* 2. Cic. *de Invent. II.* 50. Auct. ad Herenn. *I.* 18. latissima profecto omnibus facta fuerat testandi facultas [h]). Quumque cives jam suo arbitrio possent de bonis disponere: quis, quaeso, adeo desipuisset, ut mallet in comitiis calatis,

h) Verbum *paterfamilias* legi decemvirali idoneis de causis exemit Car. Aug. Erbius in Comm. *Unächtheit des „Paterfamilias uti legassit" in den zwölf Tafeln;* in Hugo *civil. Magaz.* T. IV. num. 15. p. 462—483. *Haub.* Vid. et Dirksen *Uebers. d. bisher. Vers. zur Krit. u. Herstellung d. Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente.* p. 324—342. Schilling *Bem. üb R. R. G.* p. 97. not. 228. *Mühl.*

auctore populo, collegioque Pontificum testari? Ergo tum demum videntur testamenta proprie sic dicta exemplo juris Attici invaluisse [i]).

§. 6.

Testamentorum forma.

Quemadmodum vero Jureconsulti eodem fere tempore legis actiones componebant: *L.* 2. §. 6. *D. de O. J.* ita et testamentis certam quamdam formam dabant, inveniebantque TESTAMENTUM PER AES ET LIBRAM, cujus meminit Imperator §. 2. *Inst. de Testam. ordin.* vel *per familiae emtionem*, uti vocatur §. *eod.* [k]). Quum enim ex juris Romani principiis leges de successione intestatorum nonnisi alia lege tolli possent, et tamen Decemviri liberam cuivis patrifamilias testamentifactionem concessissent: inveniendus erat color, quo *juris* analogia servaretur. Itaque fingebant, hereditatem non tam per ultimam voluntatem, quam per venditionem et mancipationem transferri. [Bynkersh. *de Reb. manc. c.* 1. *p.* 105.] Unde errat Balduin. *ad XII. Tab. XXIX. p.* 119. *edit. Basil.* qui ipsum ritum mancipationis vel *aeris* et *librae* in testamentis ejusmodi adhibendum duodecim tabulis praescriptum putat [l]). Vid. Thomas. *Diss. ead.* §. 33. *sq.*

§. 7.

Testamentum per aes et libram.

In testamento vero, quod per aes et libram fiebat, duae res agebantur, nam et FAMILIAE MANCIPATIO *fiebat* et NUNCUPATIO TE-

---

i) Leges enim Solonis Atheniensibus, non exstantibus liberis, concessisse liberam testandi facultatem, constat ex Plutarchi *Solone c.* 21. et Demosthene *Κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυριῶν B. p.* 1133. [* *Orator. Graec.* edit. Reiskii.] Exempla testamentorum Atticorum haud pauca exstant apud Diogenem Laertium. Adde Pfeifferi *Antiquitatt. Graec. IV.* 63. *p.* 770. *sq.* Quin in testamentorum vi atque auctoritate Graeciae populos alioquin inter se moribus et institutis dissidentes convenisse, Isocrates in *Aegenetico* tradit. *Hein.*

k) Gaj. II. §. 102. — Schrader: *Ursprung d. Vertragsform* (aes et libra) *bei den Testamenten der Römer;* in Hugo *civilist. Magaz.* T. V. num. 7. p. 152—162. *Haub.* Add. Huschke im *Rhein. Mus.* T. VI. p. 292—296. cf. Puchta *Lehrb. für Institutionenvorlesungen* p. XLIII. sqq. Mühlenbruch *in continuatis comment. Glückian.* T. XXXVIII. p. 255—258. not. 45. *Mühl.*

l) Exstitit equidem in XII Tabulis lex: QUI SE SIERIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FUERIT, NI TESTIMONIUM FARIATUR, IMPROBUS INTESTABILISQUE ESTO: Gellius *Noctt. Attic. XV.* 13. *VI.* 7. Sed ea non ad testamenta pertinuit, verum ad eos, qui in mancipatione quacumque vel testes adhibiti vel libripendes, postea testimonium ferre de eo, cui interfuerant, detrectabant. Vid. Jac. Gothofr. *XII. Tabb.*

STAMENTI. Constituebantur scilicet *familiae emtor, antestatus* [m]) et *libripens*, cum *quinque testibus* civibus Romanis, quibus praesentibus more majorum fiebat mancipatio vel imaginaria venditio hereditatis: Quinctilian. *Declam.* 308. *Non dixerim*, inquit, *testamentum, cui libripens deest, et emtor familiae, et cetera jure necessaria.* Perfecta rite mancipatione testator tabulas tenens: HAEC, inquit, UTI IN HIS TABULIS, CERISVE SCRIPTA SUNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR: ITAQUE VOS, QUIRITES, TESTIMONIUM PRAEBITOTE: Ulpiani *Fragm. XX.* 9. Isidorus *Orig. IV.* 24. Tum ultimis verbis adcedebat antestatio, auresque testium tangebantur, ut docet Clem. Alex. *Strom. V. p.* 574. in testamentifactione sui temporis memorans *ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμούς τε καὶ τὰς τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις*, *libras, asses, mancipationes, et attrectationes aurium.* Testium vero nec subscriptio requirebatur, nec subsignatio, quam primus exegit Praetor: §. 1. *Inst. de Testam. ordin.* [n]).

---

tab. VII. p. 221. Idemque sentiendum de altero capite: QUI NEXUM FACIT MANCIPIUMQUE, UTI LINGUA NUNCUPASSIT, ITA JUS ESTO: Festus sub voce: *nuncupata.* Nam hoc quoque caput ad mancipationem, non ad testamentum, pertinet, ut contra Franc. Hotomanum docuit Jac. Gothofr. *ad XII Tabb. tab. VI. p.* 210. *Hein.*

m) Nimirum ex Gaji Visigothorum epitome (II. Tit. 6. §. 3. cf. Hugo *R. G.* p. 213. et 590. Schilling *Lehrb.* §. 153. not. n.). Nam in genuinis commentariis nulla fit antestati mentio. Sic autem Gajus testandi actum descriptum nobis reliquit (II. §. 104.): „*Eaque res ita agitur: qui facit* (testamentum), *adhibitis, sicut in ceteris mancipationibus, quinque testibus civibus Romanis puberibus et libripende, postquam tabulas testamenti scripserit, mancipat alicui dicis gratia familiam suam. In qua re his verbis familiae emtor utitur: „„familiam pecuniamque tuam endo mandatam tutelam custodelamque meam recipio, eaque, quo tu jure testamentum facere possis secundum legem publicam hoc aere,"" et ut quidam adjiciunt, „„aeneaque libra, esto mihi emta."" Deinde aere percutit libram idque aes dat testatori velut pretii loco; deinde testator tabulas testamenti tenens ita dicit: „„haec ita, ut in his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, ita vos, Quirites, testimonium mihi perhibetote."" Et hoc dicitur nuncupatio: nuncupare est enim palam nominare; et sane, quae testator specialiter in tabulis testamenti scripserit, ea videtur generali sermone nominare atque confirmare." Mühl.*

n) Num Praetores, aut post eos Imperatores, desideraverint, ut subscriptionibus adponerentur sigilla, an, ut testium sigillis, itemque adscriptis nominibus, *occluderentur* testamenta? hodie quaeri solet. Cf. de Savigny *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. II. p. 182. sqq. (s. §. 67. ed. II.), Spangenberg: *Jur. Rom. tab. negot. solenn. superstites* (Lips. 1822.) p. 123. sqq. num. III. et *Arch. f. civ. Pr.* T. V. num. V. von Löhr *ibid.* T. VI. num. XVI. Glück. *Comment.* T. XXXIV. §. 1415[b]. p. 441. sqq. *Mühl.*

§. 8.

Testamentis conficiendis adhibiti Jureconsulti.

Ipsis concipiendis consignandisque tabulis plerumque adhibebant Jureconsultum, ne quidquam, quod ad earum sollemnitates pertinet, praetermitteretur. Docet id Arrian. *Dissert. Epict. II.* 13. *Νομικὸς καὶ ἐξηγεῖται τὰ νόμιμα, ἀλλὰ διαθήκην μὲν οὐ γράφει, μὴ εἰδὼς, πῶς δεῖ γράφειν, ἢ παραλαβὼν τὸν εἰδότα. Jureconsultus ei leges enarrat. Atqui testamentum nemo scribit, nisi aut ipse sciat, quomodo scribendum sit, aut ejus rei peritum adhibeat.* Cicero *de Orat. II.* 6. Scaevolae illudens: *Nam si nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus.* Add. Sueton. *Ner. c.* 32. ubi *studiosis juris*, id est, Jureconsultis o), sub Nerone id *haud impune fuisse* dicitur, *si testamenta scripsissent aut dictassent*, in quibus Principi nihil fuerit relictum. Nonnumquam tamen testatores, non adhibito Jureconsulto, voluntatem suam, quam poterant, clarissime exprimebant. Cujus rei elegans exemplum est in *l. Lucius Titius* 88. §. 17. *D. de Legat.* 2. ubi testator: *Lucius*, inquit, *Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo Jurisperito, rationem animi mei potius sequutus, quam nimiam et miseram diligentiam: et si minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas.* Quo casu petita intestati bonorum possessione, heredes scripti portiones suas ex fideicommisso petere poterant.

§. 9.

Scribendis vero liberti, servi, amici. Quaedam testamenta holographa.

Scribendo nonnumquam servi vel liberti, nonnumquam amici, adhibebantur; aliquando etiam ipsi testatores testamenta sua integra conscribebant: *L.* 28. §. 1. *C. h. t.* quae tunc vocabantur *holographa*. Testamentorum a servis et libertis scriptorum exempla sunt in *L.* 1. §. 8. *L.* 15. *princ. D. ad L. Cornel. de Fals.* nec non apud Suetonium *Aug. c.* 101. *Tiber. c. ult.* De amicis testamenta scribentibus videndus Plin. *Epist. VI.* 22. De holographis agit Isidorus *Orig. V.* 24. Testamenti alieni scriptor *testamentarius* in jure nostro vocatur, de quo vocabulo Brisson. *de Form. VII. p.* 587. et *de Verb. signif.* sub hac voce. Ceterum vel sub Nerone, vel sub Claudio, ut ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet, (SCto

---

o) Vid. tamen Hugo *R. G.* XI. p. 812. *Mühl.*

Liboniano) cautum est: Suet. *Ner. c.* 17. *L.* 1. §. 7. *L.* 6. *pr. L.* 14. *pr.* §. 2. *L.* 15. *pr. D. ad L. Corn. de Fals. Pariat. Leg. Mos. et Rom. VIII.* 9.

§. 10.

Conscribenda erant lingua Latina.

In testamentis semper utebantur lingua Latina p), ac proinde legatum, Graece scriptum, haud valebat, teste Ulpiano *Fragm. XXV.* 9. Secus se res habebat in fideicommissis, quae et Graece relinqui poterant, imo et Punice, et quacumque alia lingua. Quae enim juris gentium erant, et alia lingua; quae juris civilis, Latina dumtaxat poterant explicari: *L.* 8. §. 4. *D. de Acceptilat.*

§. 11.

Saepe plures tabulae eodem exemplo factae.

Plerumque plures tabulae eodem exemplo conficiebantur: *L. ult. D. de His, quae in test. L.* 1. §. 5. *D. de Bon. poss. sec. tab.* Quem morem etiam Augustus observavit, teste Suet. *Oct. c.* 101. et Tiberius, teste eodem in *Tiber. c. ult.* Tabulas has vel privatim apud amicum, vel in aede sacra apud virgines Vestales, vel aedituos, deponebant: *L.* 1. §. 2. *D. de Bon. poss. sec. tab. L.* 3. §. 2. *D. de Tab. exhib.* Lips. *ad Tacit. Ann. I. p.* 17. Virgini Vestali maximae testamentum suum commendaverat Julius Caesar: Suet. *Jul. Caes. c.* 83. cujus exemplum sequutus etiam Augustus: Idem *Octav. c.* 101. Cf. Tac. *Annal. I.* 8.

§. 12.

Testamenta quomodo scripta?

Scribebantur fere testamenta in ceris, quae ligneis tabulis erant infusae. Unde in formula nuncupationis dicitur: *uti in his ta-*

---

p) Plura testamenta Romanorum integra ex vetustis lapidibus aliisque monumentis collegit Barn. Brisson. *de Form. VII. p.* 677. *sq.* et Mabillon in *Addend. de re diplom.* qui tamen et testamentum Julii Caesaris, manifesto suppositium, retulit *Lib. V. tab. I. n. III. Hein.* Inter exempla testamentorum hodie reliqua eminet, ad quod commentatus est Savignius: *Erklärung einer Urkunde des sechsten Jahrhunderts, nebst einem Abdrucke des Textes dieser Urkunde;* in Dessen *Abhandlungen in der Berl. Akad. vorgelesen in den Jahren* 1814. *u.* 1815. (Berl. 1817. 4.) p. 27—44. Universe autem formam reliquiarum hujus generis illustravit Ern. Spangenberg: *Beitrag zu der Lehre von den Testamenten,* im *Arch. f. civ. Pr.* T. V. num. 5. p. 144—176. *Haub.* Plura exstant testamentorum exempla in ejusd. Spangenbergii *Jur. Rom. tab. negot. solenn.* p. 55—131. *Mühl.*

bulis cerisve scripta sunt, quemadmodum et alias loquebantur veteres: Liv. *I.* 24. Utrumque jungebatur evitandae captionis ergo. Proprie enim non inscribebatur tabulis, sed ceris: V. A. Corn. van Bynkersh. *Observv. III.* 21. Schulting. *Jurisprud. Antejust. p.* 629. Male ergo Cl. Salmasius per ceras intelligit ceras exteriores, quibus signa impressa erant, negatque ceratarum tabularum mentionem facere in scriptis suis Jureconsultos [q]): Salmasius *de subscrib. et sign. testam. c.* 19. 20. 26.

§. 13.
Testamentum praetorium.

Aliud postea testamentorum genus sensim invaluit, quia Praetor, insuper habitis illis sollemnitatibus, mancipatione scilicet et nuncupatione, sola exigebat septem testium signacula. Septem, *inquam*, testium, ut scilicet praeter quinque illos, quos exigebat jus civile, etiam essent, qui emtorem familiae et libripendem referrent: Vid. §. 1. *Inst. h. t. et ibi interpretes.* Ceterum satis antiquum est hoc testamentum praetorium, jam Ciceroni *in Verr. I.* 45. memoratum. Ibi enim Verres Praetor edixisse dicitur: SI DE HEREDITATE AMBIGATUR, ET TABULAE TESTAMENTI NON MINUS MULTIS SIGNIS, QUAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTUR, SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POSSESSIONEM HEREDITATIS DABO. Et, ne quis hoc edictum a Verre primum inventum existimet, statim addit Cicero: *Hoc tralatitium est*, id est, edictum vetus, et ex anteriorum Praetorum albis in illud Verrinum translatum [r]).

§. 14.
Nova testandi ratio per constitutiones introducta.

Mansit antiqua testandi ratio per aes et libram diutissime, adeo, ut Ulpianus scribat *Fragm. XX.* 2. *Illis duobus testamentis* (calatis comitiis, et in procinctu) *abolitis, hodie solum in usu est, quod* PER AES *et* LIBRAM *fit, id est, per mancipationem imaginariam* [s]). Unum

---

q) Quamvis enim earum usus, reperta papyro, rarior fuerit; aliquem tamen adhuc fuisse tempore Constantini M. imo et Theodosii, ex Themist. *Orat. XVI. et XVIII.* patet, ubi mentio fit *πιναχιδίων χαὶ τοῦ σιδήρου.* Occurrunt etiam cerati codicilli: *L.* 52. *D. de Legat.* 3. et ligneae tabulae: *L.* 1. *D. de Bon. possess. contra tab.* Adde Schulting. *ad Ulpiani Fragm. XX.* 9. *p.* 629. *Hein.*

r) De praetorio testamento vid. Gaj. II. §. 119. — Cf. Dernburg *l. l.* §. 26. Fabricius: *Ursprung u. Entw. der Bon. Poss.* (Berl. 1837.) p. 121—124. Huschke in *huj. libri censura: krit. Jahrb. f. deutsche R. W.* Leipz. 1839. p. 22. sq. *Mühl.*

s) Similiter Gajus II. §. 103. *Mühl.*

itaque memorat testandi modum. Quamvis enim et praetoria testamenta tunc frequentarentur: ea tamen nonnisi improprie hoc nomen sustinebant, quum ex eis non hereditas, sed bonorum possessio daretur: *L. 7. L. 9. D. de Bon. poss. sec. tab.* Denique quum et constitutionibus quaedam novae inveherentur observationes: in unum conflari coeperunt ritus, ex jure civili, praetorio et constitutionibus principum nati, id quod temporibus Theodosii junioris factum esse, non sine adparatu docet Jac. Gothofredus *ad L.* 1. *C. Theod. de Testament. et codicill. Tom. I. p.* 334. *sq.* Ex eo itaque invaluit, ut testamenta I. uno contextu, II. praesentibus septem testibus, III. iisdemque subscribentibus et IV. annullo signantibus, fierent, et V. a testatore ipso vel scriberentur vel subscriberentur: §. 3. *Inst. h. t.* Quibus sextam sollemnitatem addiderat Justinianus, ut per manus testatoris et testium nomen heredis exprimeretur: §. 4. *Inst. h. t.* Eam vero ipse iterum sustulit *Nov. CXIX.* 9. ut adeo parum diuturna fuerit hujus subtilitatis observatio [t]).

§. 15.

Cur quidam testes esse non potuerint?

His praemissis, et maxime si observaveris, testamenta olim in comitiis calatis facta esse, facile patet, cur quidam testes esse non potuerint, veluti mulieres, impuberes, servi, furiosi, surdi, muti. Nam nullus horum admittebatur ad comitia: Thomas. *Not. ad Inst. h. t.* Et hinc etiam dicitur, nullam cum iis esse testamentifactionem.

§. 16.

Testamentum militare [u]).

Ad TESTAMENTUM MILITARE quod attinet, quo ritu illud antiquissimis temporibus in procinctu factum sit, jam supra (§. 3.) diximus. Ubi etiam, illud cum auspiciis evanuisse, ex Cicerone observavimus. Sub Imperatoribus [x]), quum loco militiae lectae placeret mercenaria: eo quoque inter alia privilegio ornati sunt mili-

---

t) De origine formae testamentorum constitutionibus Principum introductae et jure Justinianeo receptae vid. inprimis: de Savigny *Beitrag zur Geschichte der Römischen Testamente;* in der *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. I. num. 5. p. 78—95. *Haub.* Add. Dernburg *l. l.* §. 29. 30. *Mühl.*

u) Gust. Frid. Haenel Diss. I. et II. *de testamento militari.* Lips. 1815. 1816. 4. *Haub.*

x) Quia testamenta in procinctu facta jam Ciceronis tempore exoleverant: militaria testamenta, de quibus in jure nostro agitur, ex constitutionibus Prin-

tes, ut quomodocumque facta ab iis testamenta valerent, etiam sine legitima observatione: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 10. (Cf. Gaji II. §. 109—111. §. 114.) Hinc et ratum erat militare testamentum, si, praesentibus commilitonibus aliquot, heredem quis nuncupasset, vel si ejus nomen gladio in arena, vel litteris sanguine rutilantibus in vagina scripsisset: *L.* 15. *C. de Test. milit.* Ita vero demum valebat testamentum, si testator vel in castris mortuus esset, vel post missionem intra annum: Ulpianus *ibid.* Neque opus tamen erat, ut in acie extremoque periculo fierent testamenta, donec Justinianus in expeditione et castris tantum constitutis militibus sollemnitates remitteret. Sibi sane hanc militaris testamenti restrictionem disertis verbis tribuit Justinianus: *pr. Inst. h. t. L.* 17. *C. eod.* y).

§. 17.

Distinctio inter paganos et milites.

Nihil horum licebat *paganis*. Ita enim sub Imperatoribus dici coeperant, quicumque non erant milites: Suet. *Aug. c.* 27. *Galb. c.* 19. Plin. *Epistt. VII.* 25. *X.* 18. Tacit. *Hist. I.* 35. *II.* 14. 88. *III.* 43. et 77. Eaque adpellatione nihil est in jure frequentius. Ratio videtur, quia milites emeriti impetrata missione ab Imperatoribus in pagis ad colendos agros sibi donatos collocabantur. [Quo in primis pertinebant fundi limitrophi, de quibus singulari *titulo LIX. Cod. Lib. XI.* Cf. Jac. Gothofred. *Tom. II. Cod. Theod. p.* 234. et *Gundlingiana Part. I. Diss.* 1.] Unde pagani, qui non amplius erant milites, et producto vocis usu, omnes ἀπόλεμοι καὶ ἀστράτευτοι, qui et *privati* saepissime adpellantur.

§. 18.

Quinam testari non poterant.

Imo inter paganos ne poterant quidem omnes testari. Cujus rei

---

cipum derivanda sunt: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 10. et quidem primum ex edicto Caesaris, hinc Titi, postea Domitiani, mox Nervae, ac postremo Trajani: *L.* 1. *pr. D. h. t. Hein.*

y) Tribonianismum ergo esse oportet, quod *L.* 1. et 15. *C. de Milit. test.* hujus coarctati privilegii mentio fit. Vid. Giphan. ad *L.* 1. *C. eod.* Donell. *Comm. VI.* 28. *Hein.* Haec ex Schultingio *ad Ulpiani Fragm. tit. XXIII.* §. 10. *n.* 21. sunt depromta: illa tamen refutavit G. Schroederus in *Observv. jur. civil. Lib. IV. c.* 2. *p.* 316. 317. et ex eo alius. Verba *L.* 1. *C. de Test. mil. in expeditione occupati* desunt in omnibus vetustis Codd. at *L.* 15. *C. eod.* tota expeditionem ipsam loquitur. Adde et *L. un. D. de Bon. poss. ex test. mil. Cann.*

in promtu est ratio. Non peregrinis hoc licebat, quia testamenti factio ad jura Quiritium pertinebat. Non filiisfamilias, quia nihil habebant, de quo testarentur, praeter peculia castrense et quasi castrense, in quibus pro patribusfamilias erant. Nec filiifamilias participes erant juris comitiorum, nisi magistratum gererent: Ulpiani *Fragm. XX.* 10. ut taceam, legem XII Tabularum non filiisfamilias, sed patribusfamilias liberam fecisse testandi facultatem [z]). Non impuberibus, quia iis nec in comitiis locus erat, nec in militia [a]): non furiosis, quia nullum iis erat animi judicium. Hinc si dilucida erant furoris intervalla, interea, dum furor remiserat, poterant testari: *L.* 9. *C. Qui testam. fac. poss.* Non prodigis porro, quia vetere jure furiosis aequiparabantur: *L.* 12. *in fine D. de Tut. et curat. dat.* non surdis et mutis, quia et hi nec rogationem audire, nec suffragium dare in comitiis poterant, imo nec testes rogare, pronunciata sollemni formula: *vos Quirites testimonium praebitote:* Appuleji *Metamorphos. Lib. II.* [*p. 149. ed. Oudendorp.] Ulpiani *Fragm. XX.* 9. Cujacii *Observatt. VI.* 37. Quod secus erat in coecis. Denique nec captis ab hoste, deportatisve in insulam, ut et quamcumque capitis deminutionem vel maximam, vel mediam passis testari licebat, amisso quippe jure civitatis, quum testamentifactio esset civium Romanorum propria: Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. I.* 12. *p.* 153. [b]).

§. 19.

An feminis olim testari licuerit?

Feminae olim in comitiis calatis plane testari non poterant, quia nullus iis adcessus erat ad comitia. Postea permissa iis testamenti factio, si essent sui juris, sed nonnisi auctoribus tutoribus:

---

z) Unde Juvenalis *Sat. XVI. v.* 51. *sq.*

Solis praeterea testandi militibus jus
Vivo patre datur: — — — —

Exceptum tamen peculium castrense et quasi castrense per constitutiones Principum. *Hein.* Cf. et Mühlenbruch *observat. jur. Rom.* I. §. 11. p. 28—32. *Mühl.*

a) Augustum etiam impuberes Tribunos militum fecisse, probant ex Suetonii *Aug. c.* 33. Unde et Tribunis militum impuberibus factam esse testandi potestatem ex *L.* 4. *C. de Test. milit.* observat Aleander *ad Gaji Inst. II.* 3. 3. Sed nec Suetonius, nec dicta lex loquitur de impuberibus: vid. notas Graevii, Rubenii, Casaub. *ad Suet.* et Schult. *ad Gaji Inst. l. c. p.* 45. *Hein.*

b) Servos non habuisse testamenti condendi jus, vix est, quod moneatur. Invaluit tamen, ut servi publici populi Romani pro dimidia parte peculii, i. e.

Ulpiani *Fragm. XX.* 15. (Gaj. I. §. 115. II. §. 112. 113. 118. 121. 122.) Cic. *pro A. Caecin. c.* 6. Hinc earum testamenta non poterant esse arcana, sed magno periculo subjiciebant feminas, ut discimus ex *L.* 77. §. 24. *D. de Legat.* 2. Ex qua lege inferri haud potest, feminas nonnisi nuncupativa testamenta condidisse, quamvis id intulit Merill. *Observatt. II.* 1. *p.*69. et *IV.* 39. *p.* 55. Tabularum enim a feminis scriptarum exempla habemus apud Valer. Max. *VII.* 8. 2. Sueton. *Galb. c.* 5. Plin. *Epistt. II.* 20. Heredum quoque a feminis scriptorum mentio fit *L.* 19. *D. de Inoff. test. L.* 37. §. 6. *D. de Legat.* 3. *L.* 3. *C. de Inoff. test. L.* 33. *D. de Vulg. et pup. subst.* Vid. *Comment. nostr. ad L. Jul. et Pap. II.* 11. *p.* 240. *sq.* Feminae, quae in manum convenerant, capite deminutae, et filiarumfamilias loco erant, neque adeo testari poterant, ut recte docent M. Aur. Galvan. *de usufr. IX. ult.* et V. C. Ant. Schult. *ad Ulpian. p.* 632. Unde errant Cujacius *Observatt. VII.* 11. et Aleander *ad Gaji Inst. II.* 2. 1. qui matribusfamilias, si in manum convenissent, testandi fuisse facultatem existimant [c]).

§. 20.

Jus exheredandi olim liberrimum.

Ad exheredationem quod attinet, liberum olim erat, ex XII Tabulis, filios uti occidere, ita exheredare: *L.* 11. *in fine D. de Liber. et postum.* imo et praeterire, idque adhuc tempore Ciceronis ob-

---

eorum, quae comparserant, testamentum facere possent. (Ulp. *Fragm.* Tit. XX. §. 16.). Latini autem Juniani (vid. supra Lib. I. Tit. IV. V. §. 14.) hoc *jure* prorsus carebant; Gaj. I. §. 23. Ulp. XX. §. 14. Cf. v. Vangerow *über die Latini Juniani* §. 23. p. 111. sqq. *Mühl.*

c) Ad testamentifactionem feminarum spectat locus vexatissimus in Ciceronis *Topic. c.* 4. „*Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite numquam diminuit*" etc., nunc demum lucem nactus e Gajo I. §. 115., prout hujus verba, Codice Veronensi inspecto, Frid. Blumius restituit; e quo intelligimus, Ciceronem in mente habuisse coëmtionem fiduciariam, testamenti faciendi gratia excogitatam. En ipsum Gaji testimonium jam integrum: „*olim etiam testamenti faciendi gratia fiduciaria fiebat coëmtio; tunc enim non aliter feminae testamenti faciendi jus habebant, exceptis quibusdam personis, quam si coëmtionem fecissent remancipataeque et manumissae fuissent. Sed hanc necessitatem coëmtionis faciendae ex auctoritate D. Hadriani senatus remisit.*" — Quid, antequam haec invenirentur, viri docti conjecerint, patet e Christ. Guil. Küstneri Pr. *de testamento feminae capite non diminutae.* Lips. 1768. 4. et F. L. Hoffmann *Versuch eine Stelle des Cic., Top. c.* 4., *zu erklären;* in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. III. num. 9. p. 309—327. *Haub.* Cf. et supra Adp. ad Tit. XII. Lib. I. §. 2. *Mühl.*

servabatur, ut patet ex Libro *de Orat. I.* 38. [d]). Postea filii, in potestate constituti, aut instituendi, aut nominatim exheredandi erant: *pr. Inst. de Exh. lib. L.* 30. *D. de Lib. et post.* Itaque ex eo tempore filios suos exheredare quidem licebat, at nominatim [e]). Idemque observandum erat in adoptivo, quamdiu in potestate erat, itemque in postumo, non item in postuma. Filiae enim postumae, nepotes et pronepotes, exheredari poterant inter ceteros, imo et praeteriri, dummodo postumae legatum relinqueretur, ne per oblivionem videretur praeterita: Ulpiani *Fragm. XXII.* 21. *sq.* [f]).

§. 21.

Postea restrictum per querelam inofficiosi testamenti.

At quum parentes abuti coepissent hac exheredandi licentia, veluti Tettius, qui in gratiam novercae filium infantem exheredabat: Valer. Max. *VII.* 7. Reines. *ad Inscriptt. Class. I. n. X. p.* 24. factum est, ut querela inofficiosi testamenti concederetur liberis injuste exheredatis. Et de ea judicabant Centumviri: Valer. Max. *VII.* 7. Quinctil. *Inst. IV.* 7. Plin. *Epistt. IV.* 8. Qua de re plura ad *titulum XVIII.*

§. 22.

Nova Justiniani constitutio.

Sed Justiniano minus e republica visum est, tantam rem esse arbitrariam. Hinc certas tantum ob caussas ratam esse jussit exheredationem, quas recensuit *Nov. CXV.* et de quibus plura tradunt Jureconsulti.

§. 23.

Abdicatio discernenda ab exheredatione.

Addimus sub finem, distinguendam ab exheredatione esse AB-

d) Cf. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 189—191. *Mühl.*

e) Non requirebatur tamen praecise nomen proprium, sed et sufficiebat descriptio, vel demonstratio, e. g. *filius meus exheres esto,* dummodo unus esset filius: aut cum elogio vel convicio: *non nominandus, non filius meus, latro, gladiator: L.* 1. 2. et 3. *D. de Lib. et postum.* Cf. Aleand. et Oisel. *ad Gaji Inst. II.* 3. *princ.* Barn. Brisson. *de Form. VIII. p.* 605. *Hein.*

f) Add. Gaj. II. §. 123—137. et de necessariorum heredum jure universim: Aug. Guil. Foerster Diss. *de bonorum possessione liberorum praeteritorum contra tabulas parentum.* Vratisl. 1821. 8. J. C. Bluntschli *Entwickelung der Erbfolge gegen den letzten Willen nach R. R.* Bonn. 1829. 8. W. Francke *das Recht der Notherben und Pflichttheilsberechtigten.* Goett. 1831. 8. Mühlenbruch in *contin. commentar. Glückian.* T. XXXV—XXXVII. *Mühl.*

DICATIONEM, qua parentes liberos degeneres, et se indignos, e conspectu suo protinus abire jubebant. Exempla sunt apud Valerium Max. *V.* 8. 3. et 4. Unde recte quidem Hotomanus in *Partit. jur. X.* 10. statuit, abdicationem non fuisse modum solvendi patriam potestatem: in eo tamen ipsi adsentiri nolim, quod Graecis tantum nota fuerit, qui liberos per praecones e familia ejicere solebant, idque vocabant *ἀπειπεῖν* vel *ἀποκηρύσσειν* vel *ἐκκηρύσσειν*. Nec probabile est, Quinctilianum, dum hujus abdicationis toties meminit, exempla tantum puerilium exercitationum ex Graecorum scholis proferre voluisse. Graecum enim hunc ritum etiam inter Romanos sensim inolevisse, quamvis eum leges Romanae haud probarent, adparet ex *L.* 6. *C. de Patr. potest.*

LIB. II. TIT. XIV.

DE

HEREDIBUS INSTITUENDIS.

Satis succincte hanc materiam tractavit Tribonianus, quum latius multo patuerint veteres illae de heredum institutione leges. Juvabit ergo, quae desunt, ex antiquitatibus Romanis supplere.

§. 1.

Etiam servi institui poterant heredes a).

Nihil intererat, liberumne quis hominem, an servulum heredem institueret. Nam et servi heredes esse poterant, sive alieni, sive proprii. Illi, quia hereditatem adquirebant dominis adire jubentibus: hi, quia libertatem simul consequebantur, et sic fiebant hereditatis capaces. Hinc est, quod servi proprii, nonnisi data simul libertate, institui possent, donec Justinianus, Jureconsultos quosdam sequutus, institutionem servi proprii, etiam sine expressa libertatis datione, valere voluit: *L. pen. C. de Necess. serv. hered. instit.*

§. 2.

Qui heredes institui non potuerint?

Institui tamen non poterant I. *peregrini*, qui plane nihil ex te-

---

a) Gaj. II. §. 185—190. et 276. — Vid. Greg. Majansius: *Disput. jur.* num. XXXII. (T. I. p. 472. sqq.). C. G. Hübner *disput. jur. civil.* (Jen. 1806. 8.) cap. VIII. *Mühl.*

stamento civis Romani capiebant: Cic. *pro A. Caecina c.* 35. (Gaj. II. §. 285.) nec II. *caelibes*, per legem Papiam Poppaeam [b]): Dio Cass. *LIV.* 16. Sozom. *Hist. eccl. I.* 9. Quae caelibatus poena a Constantino demum M. sublata est: Sozom. *ibid. L. un. C. Theod. de Infirm. poen. caelib.* nec III. *orbi*, id est parentes, qui sterile matrimonium fuerant experti. Hi enim inter se decimam tantum, non solidum, capiebant [c]). Sin vero ex priore matrimonio superessent liberi, totidem decimas capere poterant, quod sustulerant liberos: Ulpiani *Fragm. XIII.* 1. Ex testamento extranei nonnisi semissem capere poterant: vid. *Comm. nostr. ad L. Jul. et Pap. II.* 21. *p.* 343. Excipiebantur porro IV. *universitates* [d]), quas quidquam capere potuisse negant Plinius *Epistt. V.* 7. Ulpianus *Fragm. XXII.* 5. Quód ideo receptum videtur, quoniam universitates hereditatem cernere non poterant. Capere tamen iis licebat fideicommissa: Ulpianus *l. c.* idque concesserat *SCtum Apronianum*, cujus originem non cum Cujacio *ad Ulpianum ibid.* ad tempora D. Marci, sed cum Ant. Augustino *de Legibus et SCtis* ad Hadriani imperium referimus, sub quo occurrit Consul Apronius A. C. CXVII. et CXXIII. Vid. Schulting. *ad Ulpiani Fragm. XXII.* 5. *p.* 635. [e]). Videtur tamen tempore D. Marci id, quod civitatibus concessum fuerat SCto Aproniano, etiam ad collegia fuisse productum, idque adparet ex *L.* 20. *D. de Reb. dub.* Imo

---

b) Confundit hoc in loco Auctor cum testamentifactione passiva, ut vocant, jus capiendi ex testamentis extraneorum, quod ad caducorum ereptitiorumque vindicationem maxime spectabat; qui eo tantum carebat, tamen testamento heres institui poterat. Vid. Mühlenbruch in *contin. comment. Glückian.* T. XXXIX. p. 172—179. Jam eorum in numero, qui ex testamento capere prohibebantur, etiam erant Latini Juniani, Gaj. I. §. 23. Ulp. XXII. §. 3. — „Latinus Junianus, siquidem mortis testatoris tempore, vel intra diem cretionis civis Romanus sit, heres esse potest." Cf. *ibid.* XVII. 1. et Gaj. II. §. 275. De caelibum autem jure vid. Gaj. II. §. 111. 286. Ulp. XVII. §. 1. *Mühl.*

c) Bachius *de legibus Trajani p.* 137. de eo adcuratius disquirit. *Cann.*

d) Christ. Rau Diss. *Historia juris civilis Rom. de personis incertis ex testamento heredibus.* Lips. 1784. 4. *Haub.* (Caeterum in personarum incertarum numero non modo erant universitates, omninoque fictae personae, verum etiam postumi, de quibus vid. Gaj. II. §. 242. 287.) — H. E. Dirksen *über den Zustand der jurist. Personen nach röm. R.* (*civilist. Abh.* II. num. 1.) p. 110—143. *Mühl.*

e) Per legem Papiam Poppaeam, cujus caput ea de re agens singulari nomine dicitur *lex decimaria: L.* 2. *C. Theod. de Jure liberor.* Praeter decimam tamen etiam usumfructum tertiae partis bonorum, et dotem praelegatam, et si liberos habebant, ejusdem partis proprietatem capere poterant: Ulpiani *Fragm. XV.* Add. *Comm. nostr. ad L. Jul. et Pap. Popp. II.* 14. *p.* 259. [*Tom. VIII. Opp.*] *Hein.*

et alio SCto concessum est, ut municipia heredes institui possent a libertis suis: Ulpian. *L.* 1. §. 1. *D. de Libert univ.* Erant vero liberti universitatum servi publici manumissi. Hinc apud Gruterum *p. LXXXIII. n.* 13.

ISID. REG
L. PUBLICIUS. EUTYCHES
MUN. TAR. LIB

Porro V. nec mulieres heredes in parte quantacumque institui poterant post legem Voconiam: Cic. *Verrin. I.* 43. f). Eas enim capere potuisse *δύο ἥμισυ μυριάδας οὐσίας*, *XXV. millia nummum*, ex Dione Cass. *LVI.* 10. patet. Male haec verba Dionis habita sunt ab interpretibus, quorum plerique crediderunt, legem Voconiam prohibuisse, ne quis, qui centum millia HS in bonis haberet, plus quam quadrantem bonorum, id est XXV millia HS, feminae relinqueret. Vidit eum errorem Bachovius *ad Inst. h. t.* Sed eo se ne ipse quidem expedire potuit. Felicius V. C. Jac. Perizonius *de lege Vocon. p.* 144. *sq.* docuit, in textu Dionis intelligendas esse drachmas, quas semper in animo habent Graeci scriptores, quoties de Romana pecunia loquuntur: Gronov. *de pecun. vet. III.* 16. Itaque per hanc legem mulieri non licuit relinquere ultra *XXV* millia drachmarum, seu CM sestertium, antequam lex illa Voconia per opulentiam civitatis subverteretur: Gellii *Noctt. Att. XX.* 1.

§. 3.

Universitates quaedam heredes scribi poterant.

Dum vero universitates heredes institui potuisse negavimus, intelligendum id est de municipiis et collegiis, Romanorum imperio subjectis, non de civitatibus *αὐτονόμοις*, quae jure suo legibusque utebantur. Sic apud Tacitum *Annal. IV.* 43. Vulcatius Moschus, exsul, bona sua reliquit Massiliensibus. Quod exemplum frustra Plinio et

---

f) Nunc Savignius: Comm. *über die Lex Voconia; vorgelesen in der Berlin. Akad.* 1820. 4. probavit, argumentum legis Voconiae fuisse duplex: 1) ne mulieres a testatore 100,000 sestertiis censo, nisi eaedem huic etiam ab intestato fuissent successurae, testamento heredes scriberentur; 2) ne legatario plus relinqueretur, quam ad heredem pervenisset. Circa idem tempus, quo Savignius difficultates, quibus legis hujus sententia antea laboraverat, extricavit, lucem viderunt: Maur. Kindii Diss. *de lege Voconia.* Lips. 1820. 4. et Zimmern in Dessen u. Neustetel *Römisch-rechtl. Unters.* T. I. num. 13. p. 311—331. *Haub.* At cfr. etiam, quod ad legis Voconiae primum illud caput attinet: Cic. *de republ.* III. 10. Gaj. II. §. 274. Hasse *Rhein. Mus.* III. p. 183. sqq. *Mühl.*

Ulpiano opponit Muretus *ad Tacit. ibid.* Erant enim Massilienses αὐτόνομοι et liberi, teste Strabone *Geogr. IV. c.* 1. §. 5. Cf. Grot. *de jure belli et pac. I.* 3. 12. Postremo etiam universitates heredes institui poterant: *L.* 12. *C. de Her. inst.* iisque legare etiam Pauli temporibus licebat: *L.* 122. *princ. D. de Legat.* 1.

§. 4.

Qui Dii potuerint institui heredes?

Heredes quoque institui non poterant VI. Dii g). Quod ideo procul dubio inductum, ne bona civium usibus subtracta sacerdotum luxuriae servirent, quamvis et altera civilis ratio adcederet, quod Dii hereditatem cernere atque adire non possent. Coeperunt tamen Romani Principes Diis quibusdam, ut hereditatum capaces essent, jus liberorum dare ridicula profecto liberalitate: Dio Cass. *LV.* 2. Tale jus, teste Ulpiano *Fragm. XXV.* 6. impetraverant Jupiter Tarpejus, de quo Petr. Faber. *Semestr. III.* 4. Just. Rycqu. *de Capitol. Rom.* c. 18—20. Apollo Didymaeus, (qui et Branchides vel Branchiades: Pompon. Mela *de situ orb. I.* 17. et ibi Isaac. Vossius *p.* 83.) Mileti cultus, quae urbs etiam in numis suis praefert *ΔΙΔΥΜΕΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ*, apud Patin. *Numism. Imp. aer. p.* 73. Cf. V. C. Burmanni *Jovem* καταβάτην *p.* 100. Mars in Gallia, de quo Caesar *de bello Gall. VI.* 17. Minerva Miliensis, vel, ut alii h) legunt, Iliensis, de qua L. Holstenius *ad Steph.* sub voce Ἴλιον. Hercules Gaditanus, de quo Justinus *Hist. XLIV.* 5. Appianus *de rebus Hispan. VI.* 2. Diana Ephesia, de qua legi merentur Jac. Menetreji *Symbolica Dianae Ephes. statua* et L. Holsten. *Epist. de fulcris seu verubus Dianae Ephesiae Dianae simulacro adpositis*, apud Gronovium *Thes. Ant. Graec. Tomo VII.* Mater Deorum Sipelensis, vel, ut alii legere jubent, Sipylensis, vel Sipylene. Sane *ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗ Φ* legitur in *Marmoribus Arundellianis p.* 11. et 12. Reinesii *Inscriptt. Classe I. p.* 87. *n. XLIII.* Jac. Spon. *Miscell. p.* 350. Ita enim dicta a Sipylo monte, ut adparet ex marmore Smyrnensi, quod com-

---

g) Hoc quoque observat Ulpianus *Fragm. XXV.* 6. quem locum minus adcurate Petr. Faber *Semestr. III.* 1. de religionibus privatis non suscipiendis, Diisve praeter Senatus auctoritatem non colendis interpretatur: vid. Schulting. *Jurispr. Antejustin. p.* 635. *Hein.*

h) Veluti Hadr. Turnebus *Advers. VII.* 21. Cujacius *Observatt. X.* 5. licet dissentiant Petr. Faber *Semestr. III.* 4. et Rad. Forner. *Rer. Quotid. II.* 8. qui Meliensem legi jubet. *Hein.*

mentario illustravit Car. Patinus Patav. MDCLXXXV. 4. De ea Diva videndus Heins. *ad Prudent.* περὶ στεφαν. *X. v.* 196. Marqu. Gud. *ad Phaedri Fab. III.* 20. Denique Coelestis Salinensis Carthaginis, de qua, ut et reliquis, copiosissime Schulting. *Jurispr. Antejustin. p.* 636. *sq.* [i]).

§. 5.

As hereditarius.

Ceterum hereditatem veteres semper ut ASSEM considerabant, ejusque adeo duodecim concipiebant uncias. Erat enim AS quidquid ad μονάδα atque unitatis rationem poterat reduci, quasi εἷς: Salmas. *de usur. p.* 536. Idem *de modo usurar. p.* 261. Fluxit *assis* vox a Doribus, Siculis, et Tarentinis, a quibus et ipsum gravis ponderis numum, et plerasque rei pecuniariae adpellationes Romani acceperant. Nam ex Dorico αἴς Tarentini et Siculi fecerunt ἄς, inde Romani utrumque vocabulum *aes* et *as* habuerunt. Quorum vocabulorum eadem erat significatio, quia primus as ex aere fuerat percussus: cf. Scalig. *in Varr. de lat. lingua IV. p.* 69. Porro quum ἄς a Siculis etiam λίτρα diceretur: factum est, ut et Romani *assem* vocarent *libram* [k]). Et quum duodecima pars τῆς λίτρας Siculis esse οὐγκία, idem nomen etiam placebat Romanis. Praeclarus hanc in rem locus est Julii Pollucis *L. IX. c.* 6. *segm.* 80. Ἀλλὰ μέντοι παρ' αὐτῷ (Ἀριστοτέλει) τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροι Σικελικῶν νομισμάτων ὀνόματα, οἷον οὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. *Ceterum apud eumdem* (Aristotelem) *in Himereorum Politia etiam alia inveniet Siculorum nomina, utpote* UNCIAM, *quae valet aereum unum.* Hinc Romani omne totum *assem* vocabant; idque dividebant in duodecim uncias, quasi id demum esset perfectum, quod XII partibus vel unciis constaret. Eleganter Balbus *de asse* apud Jo. Frider. Gronovium *de pec. vet. p.* 400. *Quidquid unum est, et quod ex integrorum divisione remanet, assem ratiocinatores vocant.* Exemplum est non modo in hereditate, verum etiam in usuris, de

i) Add. Franc. Car. Conradi Diss. *de diis heredib. ex testamento apud Romanos.* Lips. 1725. 4. et in *Collect. Dissertt. histor. antiq. juridd. in Acadd. Germ. habit.* p. 57—108. *Haub.* (in *script. min.* ed. Pernice Vol. I. num. II.) *Mühl.*

k) Asses enim erant librales usque ad bellum Punicum primum. Postea asses sextantarii cudi coeperunt: Plin. *Hist. Nat. XXXIII.* 13. Unde errat Festus sub vocc. *sextantarii asses*, dum hanc mutationem demum a bello Punico secundo factam existimat: vid. Jo. Harduin. *Not. ad Plin. l. c. Hein.*

quarum computandi ratione per uncias post Salmasium egregie commentati sunt Jo. Frider. Gronovius in *Dissertatt. tribus de centesima et asse unciario,* et Gerard. Noodt. *de foen. et usuris II.* 2.

§. 6.

Ejus partes.

Hinc facile explicantur nomina, quibus hereditatis partes designare solent Jureconsulti. Quum enim AS integrum bonorum corpus significet, in duodecim uncias divisum: undecim unciae vocabantur DEUNX, quasi *uncia una demta* [l]). Pari ratione *decem unciae* vocabantur DEXTANS, quasi *desextans*, hoc est, demta sexta parte, nec non DECUNX, quasi *decem unciae. Novem unciae* DODRANS, quasi *dequadrans*, id est, demto *quadrante; octo unciae* BES, sive a veteri *des,* ut Varro conjicit, sive quasi *bis triens,* ut Festus mavult. Balbus *ibid.* potius *bessis* dicendum esse monet, quam *bes* vel *des: quoniam binas ex tribus assis partes sibi vindicet.* Qua de re pluribus inter se disceptant Scaliger, Salmasius, Vossius: cf. Jan. Vinc. Gravina *ad XII Tab. p.* 338. *sq. Septem unciae* dicebantur SEPTUNX, cujus nominis ratio per se patet, *sex unciae SEMIS;* quasi *semias; quinque unciae QUINCUNX; quatuor unciae TRIENS*, id est, tertia pars assis; *tres unciae QUADRANS*, id est, quarta pars assis; *duae unciae SEXTANS,* quasi sexta pars assis. Quae vero de partitione harum unciarum in jure inculcantur, de iis copiose disserunt doctores, et in primis Gu. Budaeus *de asse.* Sunt tamen et alia vocabula juris eodem pertinentia. Nam duplicatus as erat DUPONDIUS, quemadmodum unum pondus ASSIPONDIUM vocabatur. Dimidia pars unciae est SEMUNCIA, tertia DUELLA, vel BINAE SEXTULAE, pars ejusdem quarta SICILICUM, vel uti Balbus *p.* 402. scribit, SICILIQUUS: *L.* 21. §. 2. *D. de Ann. legat.* pars sexta SEXTULA, quam minimam aeris partem vocat Varro *de Ling. Lat. Lib. IV. p.* 40. *edit. Scalig.* et tamen octava etiam pars unciae vocatur DRACHMA, duodecima HEMISESCLA, vel DIMIDIA SEXTULA, sexta decima TREMISSIS, quarta et vicesima SCRUPULUS. Ita Balbus *de asse p.* 402. Add. Volus. Maecian. *de asse* apud eumdem Gronov. *p.* 397. [m]).

l) *De* enim in compositione tollit, ut patet exemplis, *demens, destruere, undeviginti, duodeviginti. Hein.*

m) Edit. novissima Böckingii in *corp. jur. Rom. antejustin. Bonnensi* Fasc. I. p. 183 — 190. *Mühl.*

LIB. II. TIT. XV. XVI.

DE

VULGARI ET PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

De substitutionibus vix est, quod ex antiquitate moneamus, quod non jam a Jureconsultis sit explicatum. Quare paucis tantum de origine substitutionum, et quibusdam earum circumstantiis dicemus.

§. 1.

Substitutionum origo.

Multum intererat Romanorum, ne testamenta destituerentur, tum ob conditiones varias, quibus plerumque ab herede satisfactum cupiebant, tum maxime ob sacra privata, quae interire nolebant.

§. 2.

Heredes secundi.

Ne ergo deesset heres, ei vel eis, quem quosve instituerant, substituere solebant alios, ad quos in casum deficientium priorum bona devolverentur [a]), eosque vocabant HEREDES SECUNDOS: Cic. *de Invent. II.* 21. *pro A. Cluent. c.* 11. Gruteri *Inscriptt. p. DXVIII. n.* 7. *p. DLXIX. n.* 7. Reinesii *Inscriptt. Class. VIII. p.* 515. *n. XIII.* et *XIV.* Rem ita describit Appianus *de bellis civilib. II.* 143. Ἔθος Ῥωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. ***Mos est Romanis, heredibus substituere alios, si priores here-***

a) Substitutio ergo vulgaris e XII tabulis est et consequens amplissimae potestatis de rebus suis disponendi: pupillaris moribus inducta dicitur *L.* 2. *D. h. t.* Cujacii *Observatt. VII.* 6. Enimvero et haec in legibus XII tabularum omnino reperit fundamentum. Pater enim familias ex ea lege etiam de PECUNIA SUAE REI legare poterat. Suis rebus etiam adcensebantur filiifamilias, quippe qui, tamquam res mancipi, in dominio juris Quiritium erant: Bynkershoek *de jure occid. lib. I. p.* 145. Ergo rationi consentaneum videbatur, patrem de pecunia filii sui, qui ipse per aetatem testari non posset, testari, adeoque eidem substituere pupillariter posse. *Hein.* Male Heineccius statuit, pupillaris substitutionis jus ex eo esse repetendum, quod in rerum numero patris olim fuerint filiifamilias. Numquam enim apud Romanos liberi homines in rerum censu habiti sunt (vid. supra Lib. I. Tit. IX. §. 1. not. d. Lib. II. Tit. I. §. 18. not. i.), nec, si id maxime verum esset, sine offensione aliquis dixerit, posse dominum *de rerum suarum pecunia* testari. Potius in patrum jure, omnia sibi habendi, quaecunque acquirerent liberi, pupillaris substitutionis jus ac nomen quaerendum esse existimaverim. Nam quum impuberes testamenti condendi jure non uterentur, at metuendum esset, ne insidiae iis fierent a legitimis heredibus (Gaj. II. §. 181. §. 3. *I. de pup. subst.*), jus illud obtinuit patrum, quasi continuata patriae potestatis

des non fierent. Porro et his heredibus nonnumquam substituebantur, qui tertio vel ulteriore gradu succederent. Sic Augustus testamento suo primo loco Tiberium et Liviam; secundo nepotes pronepotesque; tertio primores civitatis scripserat: Tacitus *Ann. I.* 8. Suetonius *Aug. c.* 101. Meminit quoque *tertiorum heredum* Suetonius *Claud. c.* 6.

§. 3.

Formula substituendi vulgariter.

Formula vulgariter substituendi est apud Gajum *Inst. II.* 4. 1. ILLE HERES MIHI ESTO, QUOD SI HEREDITATEM MEAM ADIRE NOLUERIT, ILLUM SUBSTITUO, AD QUEM HEREDITAS MEA DEBEAT PERTINERE. Videtur tamen haec formula ab Aniani manu esse, observante Aleandro *ad Gajum ibid.* Certe non fuit perpetua, ut ex plurimis Pandectarum locis patet, quos colligit Brissonius *de Form. VI. p.* 607. b).

§. 4.

Substitutio pupillaris c) *ejusque formula.*

Haec vulgaris substitutio. Pupillaris quasi duplex testamentum complectebatur, siquidem prius sibi paterfamilias, deinde filio impuberi heredem instituebat in eum casum, si hic intra pubertatem decessisset: *L.* 2. §. 4. *D. de Vulg. et pupill. subst. L.* 20. *D. eod.* §. 2. *Inst. h. t.* Quamvis enim et hic dissentiebant Proculejani et Sabi-

---

vi ad eam usque aetatem, qua ipsi sibi condere possent testamentum. Qua quidem adhibita fictione, quidquid fortunarum post patris obitum liberis quomodocumque obvenerit, id beneficio paterno ipsis esse quaesitum visum fuit, unde etiam is, cui patris judicio hereditas data est pupilli, huic tamquam substitutus, adeoque in ipsius patris bona succedebat. Idque luculenter confirmatur pupillaris substitutionis formula, quae quum a Cicerone, tum vero a juris nostri auctoribus prodita est hisce verbis: „Si filius prius moritur (quam in suam tutelam veniat), tum ut mihi ille sit heres." Cic. *de Or.* II. 32. in f. (cf. *de invent.* II. 21.) *L.* 1. §. 1. *D. h. t. L.* 8. §. 1. *D. de B. P. sec. tab.* — Vid. Vinnius ad pr. *I. h. t.* in f. J. L. Conradi *opusc. e jure civili.* Vol. I. p. 229. Gust. Alex. Frank *de origine et natura vulgaris ac pupillaris substitutionis.* Jen. 1829. 8. ibique vel maxime p. 6. sqq. *Mühl.*

b) Neque in genuinis Gaji commentariis talis legitur formula. *Mühl.*

c) Ge. Sam. Madihn *Diatr. vicissitudinis substitutionis impuberum complexa.* Hal. 1769. 4. Jo. Balth. Küstneri (potius: Christ. Glob. Richteri) Diss. *de pupillari testamento praeterita impuberis matre rato.* (Lips. 1788. 4.) c. 1. p. 1 — 28. ubi historia pupillaris substitutionis egregie narratur. *Haub.* Add. Frankii Diss. in fine not. a. alleg. *Mühl.*

niani, quorum illi id adfirmare, hi negare solebant [d]): Merillii *Observatt. III.* 12. posteris tamen Proculi doctrina constanter placuit. Recepta hic erat formula: ILLE FILIUS SI INTRA PUBERTATEM DECESSERIT, ILLUM SUBSTITUO: Gaji *Inst. II.* 4. 2. [e]). Cujusmodi substitutionem ita describit Horatius *Sermon. Lib. II. sat.* 5. *v.* 45. *sqq.*

Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur; ne manifestum
Coelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres, et si quis casus puerum egerit orco,
In vacuum venias: — — — —

§. 5.

Cautela in substitutione pupillari observata.

In primis vero id adcurate observatum legimus, quod parentibus de liberorum salute sollicitis commendat Justinianus §. 3. *Inst. de Pupill. subst.* (Gaj. II. §. 181.) ut substitutionem pupillarem in ima parte tabularum scriberent, eamque separatim signarent [f]), ne substitutus heres pupillo strueret insidias, malletque rapere hereditatem, quam incerta spe exspectare. Sic Horatius *Sermm. II. sat.* 5. *v.* 53. *sq.*

— — — — , *quid prima secundo*
Cera velit versu; — — — —

Ad quae verba videnda virorum doctorum *scholia.* Eamdem cautionem nonnumquam in vulgari substitutione adhibebant. Et huc quoque pertinent illa Suetonii *Caes. c.* 83. *Novissimo testamento tres instituit heredes, sororum nepotes, C. Octavium, ex dodrante,* et L.

---

d) I. e. dissensus fuisse dicitur inter veteres JCtos, quorum alii unum, alii duplex esse testamentum patris et filii impuberis censuerint. Vid. tamen Gaj. II. §. 180. (§. 2. *I. de pup. subst.*): „duo *quodammodo* sunt testamenta — —, aut certe *unum est testamentum duarum causarum*, i. e. duarum hereditatum; quae quidem neutiquam inter se sunt contraria. Cf. G. Mascovius *de sectis Sabinianorum et Proculianorum* c. IX. §. 2. *Mühl.*

e) In genuinis Gaji comment. (II. §. 179.) haec traditur formula: „*si filius* — — — *prius moriatur, quam in suam tutelam venerit, Sejus heres esto;*" quacum etiam conveniunt fere, quae aliunde nobis proditae sunt formulae; vid. not. a. *Mühl.*

f) Unde et tabulae secundae adpellatae ultimi illi versus, qui substitutionem pupillarem complectebantur: vid. Barn. Brissonii *Select. Ant. Rom. III.* 12. *Hein.*

Pinarium, et Q. Pedium, ex quadrante reliquo: in IMA CERA *C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit.* Cf. Salmasius *de mod. usurar. c.* 11.

LIB. II. TIT. XVII. XVIII. XIX.

QUIBUS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTUR; DE QUERELA INOFFICIOSI; ET DE HEREDUM QUALITATE ET DIFFERENTIA.

De modis, quibus testamenta infirmantur, paullo adcuratius dicere poterat Justinianus. Nos, ne actum agamus, pauca ab eo omissa supplebimus.

§. 1.

Testamenta nulla et injusta.

Quemadmodum Jureconsulti rebus omnibus nomina sua tribuebant: ita et modos infirmandi testamenta adcurate suis distinguebant vocabulis. Sic quae ab initio invalida erant testamenta ob personarum vel voluntatis vitium, ea NULLA esse dicebant. Alia sunt INJUSTA, sive non jure facta, in quibus scilicet non observata sunt sollemnia juris: *L.* 1. *D. de Injust. rupt. irrito fact. testam.*

§. 2.

Infirmata ex post facto.

Ex post facto infirmabatur testamentum jure vel *praetorio* vel *civili.* Priori casu dicebatur BONORUM POSSESSIO CONTRA TABULAS DARI, de qua suo loco. Posteriore testamenta vel RUMPI, vel IRRITA FIERI, vel DESTITUI, vel RESCINDI ferebantur.

§. 3.

Rupta.

RUMPEBANTUR testamenta partim adgnatione heredis sui, vel certe quasi adgnatione, de qua Huberus *Praelectt. II.* 17. 1. *p.* 189. partim novo testamento sollemniter facto: *L.* 2. *D. eod.* partim incisione, deletione, cancellatione: *tit. de His, quae in test. delent.* (Gaj. II. §. 138—144.)

§. 4.

Irrita et destituta.

IRRITUM FIEBAT TESTAMENTUM capitis deminutione maxima, media, ac minima. *Maxima* enim servum faciebat, *media* peregrinum,

minima filiumfamilias. Quum vero nullus horum testari posset: facile patet, sic rem incidisse in casum, a quo incipere non posset. (Gaj. II. §. 45. 46.) DESTITUTUM denique dictum esse testamentum, ex quo nullus heres erat, vel dupondii sciunt.

§. 5.

Rescissa per querelam inofficiosi, cujus quae origo?

Denique RESCINDI testamentum dicebatur per QUERELAM INOFFICIOSI. Ejus originem diu ignoratam ex antiquitatis parietinis restituere juvabit. Franc. Duarenus *ad h. t. c.* 2. eam a Principibus inventam putat. Sed ante Principes eam notam fuisse, patet ex Valerio Max. *VII.* 7. 2. Nec felicius eam ex Praetoris edicto derivat Pithoeus *ad Collat. legg. Mos. et Rom. XVI.* 3. Nam haec actio non, ut aliae Praetoriae rei persequutoriae, ad actum rescindendum comparatae, annalis est, verum quinquennium durat. Nec Praetor umquam exheredatis succurrit, uti ait Ulpianus *L.* 8. *pr. D. de Bon. possess. contra tab.* Nec denique locus Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 8.5. ex quo id collegerat Pithoeus, hoc dicit, ubi tantum *actionis Praetoriae,* non querelae inofficiosi fit mentio. Veriorem ergo originem sibi invenire visus est Cujacius *Observatt. II.* 21. *XVII.* 17. Docet enim ex inscriptione *L.* 4. *D. de Inoffic. test.* querelam hanc introductam esse lege GLICIA, quam lectionem etiam Codicis Florentini tuetur auctoritas. Et nihil sane Gliciis Romae est celebrius. Frequenter eorum meminere Tacitus, Suetonius, Florus, Livius, quin et marmora Capitolina, in quibus A. U. C. DIIII. laudatur

M. CLAUDIUS C. F. GLICIA. QUI. SCRIBA. FUERAT. DICTATOR. COACT. ABDIC. SINE. MAG. EQU.

Steph. Vinand. Pigh. *Annal. Tom. II. p.* 50. Gruteri *Inscriptt. p. CCXII.* Unde invidia stimulatus videri poterat Hotomanus, qui *Disp. de quarta legit. c.* 1. ne Cujacio gloriam detectae legis tribuat, legem plane nullam adgnoscit Gliciam, querelamque inofficiosi ex moribus magis, et consilio Jureconsultorum, quam ex certa aliqua lege fluxisse contendit. Cum Cujacio sane faciunt recentiores paene omnes, et in his Ant. Augustinus *de Legibus et SCtis in lege Glicia,* et Jan. Vinc. Gravina *de Legibus et SCtis c.* 80. *p.* 649. *sq.* Sed negari nequit, Hotomani sententiam Cujaciana esse verosimiliorem. Gliciorum enim nomen familiae, non gentile est. Leges vero a cognominibus cognominatae non desinebant in IA sed in ANA; v. c.

lex Junia Norbana: Sigon. *de nom. propr. p. m.* 1426. Ergo haec lex aut *Claudia* dicenda fuisset, aut *Gliciana*, non *Glicia* [a]). Quare nihil dici potest verosimilius, quam quod moribus et Jureconsultorum auctoritate invaluerit haec querela, et quidem libera adhuc republica. Meminerunt enim illius Cicero *adv. Verr. I.* 42. et Valerius Max. *VII.* 7. 5. ex quo constat, jam ad C. Calpurnium Pisonem hanc querelam fuisse delatam. Atqui praeturam hic Calpurnius gessit anno U. C. DCLXXXII. Scilicet liberrima olim erat patribusfamilias testandi exheredandique facultas. Quum vero ea abuterentur homines maxime blanditiis novercalibus deliniti: Jureconsulti de remedio cogitare coeperunt, quo injuste exheredatis succurreretur. Quod non obscure innuit Pomponius, dum latissimam illam potestatem testatorum *coangustatam* fuisse ait *interpretatione jura constituentium: L.* 120. *D. de Verb. signif.* Jam quamvis Jureconsultis novas leges condere vel veteres evertere haud liceret: tamen quum ex juris principiis furiosi condere non possent testamentum, non alio ac commodiore colore injuste exheredatis succurrere poterant, quam si fingerent, parentem liberos injuste exheredantem sanae ac integrae mentis haud fuisse, idque inde demonstrarent, quod liberos bene de se meritos sine justa caussa vel praeterierit vel exheredes scripserit: Bynkersh. *Observatt. II.* 12. *p.* 153. *Πῶς γὰρ οὐκ ἄν τις εἴποι μανίαν, τὸ κατ' αὐτῆς ὥσπερ ἀλόγως χαλεπαίνειν τῆς φύσεως; Cur enim furorem non diceremus, ita naturae succensere?* inquit interpres *Basilic. XXXIX.* 1. *T. V. p.* 224. Ceterum hanc actio-

---

a) De lege Glicia cf. Dukerus *ad Liv. Epit.* XIX. T. III. p. 298. Cujacii de origine querelae inofficiosi testamenti ex hac lege repetenda sententiam data opera propugnavit Car. Lovardus (potius *Volardus*) *Lib. de vera origine querelae inofficiosi testamenti ex lege Glicia.* Dresd. 1762. 8. Meliora dedit: Schrader comm. *de nexu successionis ab intestato et querelae inoff. testamenti* (Gott. 1802. 4.) Sect. I. et II. p. 6—22. *Haub.* Cujacii sententiam, post Bynkershoekii (*observat. jur. Rom.* II. 12.) aliorumque labores, jam ipse Heineccius optime refutavit in Diss. *de levis notae macula* (in *opuscul. varior. Syll.* num. VII.) §. X. Vid. et Westenbergii Diss. I. *de legitima* c. II. §. 5 — 14. et Zepernick ad Siccamae Lib. II. c. 6. *de judicio centumvirali* not. c. Neque est quod dubitemus, falsam esse inscriptionem *Leg.* 4. *D. de inoff. test.* quae Florentiae ita legitur: *Gajus lib. sing. ad Legem Glitiam.* Potius legendum censeo: *ad Legem Falcidiam;* non quasi hac lege introductum sit jus, de inofficioso testamento querendi, sed quoniam veri esse videtur simillimum, JCtos veteres, Falcidiam legem interpretatione illustrantes, etiam de legitimae portionis quantitate, quippe ad exemplum Falcidiae definita, simul disseruisse. *Mühl.*

nem vocabant QUERELAM, εὐφημίας ἕνεκα. Cognati enim non se invicem adcusare, sed inter se *conqueri* dicebantur: Voss. *Inst. Orat. I.* 6. 2. Neque tamen semper eo nomine venisse hoc remedium animadvertimus, sed illud aliquando actio: *L.* 12. §. *ult. L.* 15. §. 2. *D. L.* 25. *L.* 27. *C. de Inoff. test.* aliquando adcusatio adpellatur, ut *L.* 6. §. *ult. L.* 17. *L.* 22. *D. eod. tit.* Vocabant eamdem querelam INOFFICIOSI, quia quemadmodum *beneficia alienorum sunt*, ita *officia eorum, quos necessitudo suscitat, et opem ferre jubet:* Seneca *de Benefic. III.* 18. Contra officium ergo testati videbantur, qui proximos vel praeterierant, vel exheredes injuste scripserant.

§. 6.

Ejusdem natura.

Ceterum hac querela testamento, ceteroquin sollemniter facto, objiciebatur dementia furorve testatoris. Non enim tanta inhumanitas cadere videbatur in sani capitis hominem, ut sine caussa exheredes scriberet filios. Instituebatur ea in judicio Centumvirali, ut patet ex Plinii *Epistt. IV.* 24. Unde et ipsa haec querela aliquando *judicii Centumviralis* nomine venit: *L.* 13. *D. de Inoff. test.* Adde *L.* 17. *D. eod.* Valerium Max. *VII.* 7. 1. et 2. et *VII.* 8. 1.

§. 7.

Origo legitimae portionis.

Ceterum cessabat querela, relicta legitima, seu certa et legibus definita bonorum portione. Ea olim semper erat hereditatis quadrans: *L.* 8. §. 6. et 8. *D. de Inoff. test. L.* 2. *C. de Inoffic. donat.* Quae quarta quando et qua occassione inoleverit, incompertum sibi esse fatetur Jacob. Cujacius *Observatt. II.* 21. *III.* 8. ubi tamen eamdem a Marco Imperatore inventam suspicatur, deceptus loco Nicephori. At inter primos Jan. a Costa *princ. Inst. de Inoff. test.* et Claud. Chifletius *de legit. port.* [*Tom. V. Thes. jur. civ. p.* 721.] nec non post hos Ant. Schultingius *Jurispr. Antejust. p.* 381. docuerunt, legitimam illam portionem ex legis Falcidiae rationibus prudentum interpretatione esse inductam. Sane heredibus, quibus inofficiosi querela competit, QUARTAM FALCIDIAM deberi, disertis verbis dicunt Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 5. 5. et Ulpianus *L.* 8. §. 9. et 14. *D. de Inoffic. testam.* Absolute quoque illam portionem QUARTAM vocat Plinius *Epistt. V.* 1. et FALCIDIAM Justinianus *L.* 31. *C. de Inoff. test.* Unde

patet, satis antiquam et forsan Augusti temporibus aequalem b) esse legitimam illam portionem.

§. 8.

Invecta a Justiniano mutatio.

Sed auxit illam portionem Justinianus per *Nov. XCII.* et *Nov. XVIII.* 1. ubi legitimam portionem, si quatuor, vel pauciores essent, trientem: sin quinque vel plures, semissem esse jussit.

§. 9.

Quibus casibus haec querela locum habuerit, vel non habuerit?

Competebat porro haec querela non modo liberis adversus parentes, sed et his adversus liberos. Sane et matrum testamenta hac querela impugnata, legimus, jam ante SCtum Orphitianum, apud Plinium *Epistt. V.* 1. Valerium Max. *VII.* 7. 4. Quod eo minus mirandum, quia ex eodem Valerio Max. *VII.* 7. 2. constat, etiam filios in adoptionem datos patrum naturalium testamenta impugnasse. Postea id remedium ad solos parentes, liberos, fratres restrictum: *L.* 1. *D. h. t.* Imo jure novo cessabat haec querela etiam in fratribus et sororibus, nisi turpis instituta esset persona: *L.* 27. *C. h. t.* cessabat etiam contra testamentum militis: *L. ult.* §. 1. *C. eod.* cessabat denique praescriptione quinquennii: *L.* 8. §. *ult. D. eod.* de quibus omnibus plenius agunt Jureconsulti.

§. 10.

Heredes quotuplices?

Pergimus ad heredum qualitatem et differentiam. Erant illi vel NECESSARII, vel SUI et NECESSARII, vel EXTRANEI ac VOLUNTARII: *pr. Inst. de Her. qual.*

§. 11.

Heredes necessarii.

NECESSARII erant, qui cogebantur esse heredes etiam inviti.

---

b) Augusti enim temporibus latam esse legem Falcidiam, ostendemus infra *Lib. II. Tit. XX. sq.* §. *XIV.* Occasionem forsan dedit T. Tettius Vibo, qui filium infantem exheredaverat: Valerius Max. *VII.* 7. 3. Reinesii *Inscriptt. p.* 23. *sq. ad n.* X. *Hein.* Origines legitimae prudentum interpretationi ad L. Falcidiam deberi, erudite demonstravit Fr. Goth. Schlegtendal in Diss. *de originibus legitimae* [**Duisb.* 1752. 4.] *Cann.* Princeps de origine et fatis legitimae portionis scriptor est Car. Frid. Zepernick in Diss. *Historia juris civ. de legitima portione parentum.* Hal. 1773. 4. cui conf. Christ. Frid. Glück Diss. *de constituenda legitimae portionis parentum quantitate* (Erl. 1788. 4.) §. 5. et 7. *Opuscc. Fasc. III.* p. 36—47. et p. 64—76. *Haub.*

Tales erant servi, quibus pro libertate data id jugum imponebant leges, ut heredes esse cogerentur, quo subhastatio bonorum non fieret nomine dominorum, si forte aes alienum aliter dissolvi non posset, sed sub eorum nomine [c]). Infamiae enim quid habere videbatur illa subhastatio, quam hoc ordine factam novimus [d]). Proponebatur edictum a Praetore, quo creditoribus possessio bonorum dabatur. Qui ubi triginta dies possederant [e]): ejusdem Praetoris jussu creari solebat magister ad bona distrahenda: Cic. *ad Attic. VI.* 1. Quinctilian. *Inst. Orat. VI.* 4. *L. ult. D. de Curat. bon. dand.* Tum fiebat proscriptio in celeberrimis urbis locis: ITA ILLE DEBITOR NOSTER IN EJUSMODI CAUSSA EST, UT BONA EJUS DIVENDI DEBEANT, QUICUMQUE EMERE VOLET, ADESTO: Theoph. *pr. Inst. de Success. subl. quae fieb. per bon. vendit. Idque* est illud *triste carmen magistri*, de quo Cicero *de Orator. I.* 57. vel *libellus, bonis alicujus suspensus,* apud Senecam *de Benefic. IV.* 12. Paucis diebus post denuo adeundus erat Praetor, ut liceret legem bonorum vendendorum facere, atque inde ita v. c. praescribebant: HAEC QUICUMQUE EMERIT,

c) Gaj. II. §. 153—155. *Mühl.*

d) De bonorum venditione, cujus Auctor hic, etsi loco minus apto, mentionem fecit, et de qua Gajus (II. §. 167. III. §. 77—81. IV. §. 35. 65—68. 145. 146.) vid. et *Lex de Gallia Cisalpina* c. 22. Mazochii *Comment. in tabulas Heracleenses* P. II. p. 434—436. Niebuhr *Röm. Gesch.* T. II. p. 310—317. Schrader *Rechtsgeschichtl. Bemerkungen num.* 6. in Hugo *Civil. Magaz.* T. V. num. VII. p. 184—187. de Savigny *Behandl. der sacra privata bei den Römern* §. 1. in der *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. II. num. 15. p. 374—377. Mühlenbruch *Obss. jur. Rom.* Sp. I. c. 1. §. 7. p. 15—18. et Joh. Christ. Hasse *Ueber universitas juris und rerum,* in dem *Arch. f. civ. Pr.* T. V. num. 1. p. 24. et 50. sq. *Haub.* Add. inprimis T. C. G. Stieber *de Bonorum emtione apud veteres Romanos* P. I. Lips. 1827. 8. Puggé im *Rhein. Mus.* T. II. p. 87. sqq. Bethmann-Hollweg *Gerichtsverfassung u. Process des sinkenden Röm. Reichs.* §. 29. Vid. et quae supra ad Tit. I. §. 25. a nobis notata sunt. Caeterum Hauboldus plures hic nominavit scriptores, qui aut in emtoris bonorum per universitatem succedendi, aut in nexorum addictorumque jure exponendo potissimum versantur. Cujus tamen sequi exemplum nolui. Alios igitur, qui his de rebus scripserunt, infra invenies nominatos: Lib. III. Tit. XII. (XI.) et XXX. (XXIX.) §. 2. sqq. *Mühl.*

e) At vid. Gaj. III. §. 79. „Siquidem vivi bona veneant, jubet ea Praetor per dies continuos XXX. possideri et proscribi, si vero mortui, post dies XV. Postea jubet convenire creditores, et ex eo numero magistrum creari, i. e. eum, per quem bona veneant; — — — vivi bona triginta, mortui vero viginti (diebus) emtori addici jubet. Quare autem tardius viventium bonorum venditionem complere jubeat, illa ratio est, quia de vivis curandum erat, ne facile bonorum venditiones paterentur." *Mühl.*

CREDITORIBUS IN DIMIDIAM PARTEM EORUM, QUAE IPSIS DEBENTUR, RESPONDERE DEBET: Theophil. *ibid.* Interea aderant bonorum emtores, qui totam massam bonorum emebant, vocati etiam *sectores* f), de quibus Cic. *pro S. Rosc. Amer. c.* 6. Scilicet sectores vocabantur, *qui spem lucri sui sequuti bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis, ac deinde pro compendio suo singulas quasque res populo vendebant:* Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urbana* [* *p.* 84. 226. 262. *sq.* ex *edit.* quae prodiit *Lugd. Batav.* 1675. 12.]. Nonnumquam, si deesset sector, auctio fiebat, eaque indicebatur acerba voce praeconis, cujus formula, sed jocosa, est apud Plautum *Menaechm. V.* 9. *in fine.* Qua de re Cicero *Epist. ad Attic. VI.* 1. Sigonius *de ant. jure civ. Rom. I.* 11. *p.* 149. et *de judic. I.* 18. *p.* 449. *sq.* Ne ergo haec infamia in defuncti domini manes redundaret, ab obaeratis servus instituebatur heres, et is cogebatur hereditatem adire, atque hinc dici solebat HERES NECESSARIUS.

§. 12.

Sui et necessarii.

SUI et NECESSARII erant liberi, NECESSARII, quia et ipsi heredes esse cogebantur: SUI, quia jam vivis parentibus quasi domini habebantur: §. 2. *Inst. h. t.* §. 3. *Inst. de Hered. quae ab intest. L.* 11. *D. de Lib. et postum.* Unde et *particeps patris* eleganter dicitur filiusfamilias apud Terentium *Heautontim. Act. I. sc.* 1. *v.* 97. *sq.*

Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.

Quia tamen durum videbatur, ob defuncti parentis infortunium liberos superstites quasi infamiam contrahere: Praetor ipsis postea concesserat beneficium abstinendi: *L.* 11. *L.* 12. *L.* 57. §. 1. *D. de Adquir. hered. L.* 71. §. 9. *eod.* ex quo loco, id beneficium jam ante Sabini tempora liberis datum fuisse, adparet.

§. 13.

Extranei.

Denique EXTRANEI erant, qui nec necessarii erant nec sui. His ergo liberum erat, vel adire hereditatem, vel repudiare, si magis

f) Vid. tamen de ea, quae ex veterum mente huic nomini inest vi ac potestate: Stieber *l. l.* p. 4. sqq. Cf. etiam quae supra adnotavimus Tit. I. huj. libri §. 22. not. p. *Mühl.*

expedire videretur [g]), unde et VOLUNTARII dicti. Adquirebatur scilicet hereditas *cretione,* si Charondae credimus, *aditione*, *pro herede gestione*, *immixtione, adgnitione.* Charond. *ad Ulpiani Fragm. XXII.* 27. qui tamen fallitur, dum immixtionem huc refert, quum ea ad heredes suos pertineat, quos ipso jure heredes esse diximus. Quamvis autem *cretio* et *aditio* semper erant conjunctae: tamen ideo non illa erant synonyma, uti sibi persuasit Donellus *Comm. jur. civ. VII.* 8. sed actus diversi. Idque vel inde patet, quod sequiore aevo hereditas etiam sine cretione adiretur, quale privilegium matri, patruis, aliisque cognatis tribuerat Constantinus: *L.* 1. et 2. *C. Theod. de Legit. heredit.*

§. 14.

Cretio hereditatis quid et quotuplex [h]).

CRETIO erat actus eorum, qui cum cretione erant heredes instituti [i]). Cum cretione dicebatur institutus, cui testator injunxerat, ut hereditatem cerneret. Ea cretio erat vel PERFECTA vel IMPERFECTA. Nam si scripserat testator: TITIUS HERES ESTO, CERNITOQUE IN DIEBUS CENTUM PROXIMIS, QUIBUS SCIERIS, POTERISQUE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO: Ulpianus *l. c.* §. 27. Haec formula pertinebat ad *cretionem perfectam.* Sin ultima verba essent omissa: dicebatur heres institutus cum *cretione imperfecta*, itemque, si loco exheredationis adjectum esset, SI NON CREVERIS, TUNC MAEVIUS HERES

---

g) Cf. Gaj. II. §. 161 — 163. *Mühl.*

h) De cretione vid. Ulp. XXII. §. 25 — 34. et Gaj. II. §. 164 — 178. 187. 189. 190. *Mühl.*

i) Caeterum crétionis solennitatem priscis quidem temporibus omnino in adeunda hereditate observandam fuisse, ex eo colligi poterit, quod hereditatis aditio inter actus referatur legitimos, qui non recipiant procuratorem: *L.* 77. *D. de reg. jur.* Cf. Gaj. II. §. 167. 187. 189. ubi is quoque dicitur *cernere hereditatem,* qui tamen non erat institutus cum cretione. Vid. et Huschke *Studien des Röm. R.* p. 255 — 258. Meminit etiam Gajus cretionis a legitimo herede faciendae, II. §. 167. Ex quo quidem cretionis observatio ab institutionis formula maxime pendere coepit, nec amplius in legitimis hereditatibus necessaria fuit; at nihilominus imperatores, qui posteriore aetate vixerunt, id sibi faciendum esse putarunt, ut a solennitatis illius observandae necessitate relaxarent legitimos heredes; ita enim inveteravit cernendi ista consuetudo. Vid. *L.* 1. *Th. Cod. de legit. hered. L.* 1. *Th. C. de cretione, vel bonorum possessione.* At non eadem est hac de re peritorum sententia. Cfr. Wenckius *ad h. l.* in sua *Cod. Theodos.* edit. p. 201. sq. Hugo *R. G.* XI. p. 254. not. 2. Schilling *Bem. über Rechtsgesch.* p. 78. sq. not. 183. *Mühl.*

ESTO k). Ulpianus *ibid.* §. 34. Erat quoque cretio vel VULGARIS vel CONTINUA. *Vulgaris*, in qua adjiciebantur verba: QUIBUS SCIERIS POTERISQUE. *Continua*, in qua non adjiciebantur: Ulpiani *Fragm. tit. eod.* §. 31. 32. l). Ceterum horum verborum ea erat vis et potestas, ut in cretione vulgari dies tantum utiles; in continua omnes numerarentur: Schultingius *ad Ulpian. ibid. p.* 644. Cernere vero hereditatem, non erat facere, ut viderent, aliquem esse heredem, ut interpretatur Varro *de lingua lat. V.* 8. *p.* 43. ex *edit. Gothofr.* sed decernere, se heredem esse velle, ut ipse Varro *Lib. VI.* 5. *p.* 57. rectius atque adcuratius docet: Cujacii *Observatt. VII.* 18. Jac. Perizonii *not.* 6. *ad Sanctii Minervam Lib. IV. c.* 15. [* *Tom. II. p.* 462. *sqq.* ex *edit. Baueri* m).] Fiebat ista cretio intra certos dies, praesentibus testibus: Cicero *ad Att. XIII.* 44. Sic centum dierum meminit Ulpianus *ibid.* et jus nostrum *L.* 22. §. 1. *D. Quando dies leg. ced. L.* 3. §. 8. *D. de Minorib. L.* 2. §. *ult. D. de Suis et legit. hered.* quae loca veterem ritum cretionis redolere videntur; sexaginta dierum: Cicero *Epist. ad Attic. XIII.* 44. In ipso actu dicenda ab herede erant verba cretionis: QUUM ME MAEVIUS HEREDEM INSTITUERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQUE: Ulpianus *ibid.* §. 28. Barn. Brisson. *de Form. VII. p.* 600. et 601. Et hinc CRETIONIS SOLLEMNITAS: *L. un. C. Theod. de Cret. et bonor. possess.* SCRUPULOSA SOLLEMNITAS: *L.* 8. *C. Theod. de Matern. bon.* CRETIONIS COMMENTUM: *L.* 1. *C. Theod. eod.* CRETIONEM DICERE: *L.* 5. *C. Theodos. eod. tit.*

§. 15.

An aliis sollemnitatibus opus fuerit adituris hereditatem?

Dictis cretionis verbis, heres dicebatur *hereditatem adiisse.* Nec

k) Conf. Gaji II. §. 177. 178. — Sunt qui ad imperfectam hanc cretionis speciem referant Pomponii locum plane singularem, qui est *L.* 41. *D. de hered. inst.* (cf. §. ult. in f. *I. de vulg. subst.*), velut Löhrius in commentatione, quae inscribitur *Parthenius;* in Ej. Grolmanique *Magaz. f. R. W.* T. III. num V. p. 139. sqq. Vid. tamen, quae monui in *continuatis Glückii comment.* T. XL. p. 351. Cf. et Gans *Scholien zu Gajus* p. 289. sq. *Mühl.*

l) Gaj. II. §. 171—173. — — „Continua haec cretio vocatur, quia continui dies numerantur; sed quia tamen dura est haec cretio, *altera magis in usu habetur, unde etiam vulgaris dicta est.*" *Mühl.*

m) A Perizonio quae notata sunt, vellicavit Ludph. Kusterus *Diatribe de verbo* CERNO: *in qua phrasis illa vexatissima,* CERNERE HEREDITATEM, *adcurate exponitur.* Adnexa est haec Diatribe *Diatribae Anti-Gronovianae edit. II. Amstelaed.* 1712. *Responsio ad Lud. Kusteri, V. Doctissimi, Diatriben de verbo* CERNO exstat in Baueri *edit. Sanctii Minervae Tom. II. p.* 466—489. *Cann.*

aliis ritibus, quam illa testatione mentis, facta videtur hereditatis aditio. Sunt equidem, qui aditas hereditates existimant percussione digitorum: Cujacii *Observatt. VII.* 19. Merillii *Observatt. IV.* 34. quod signum dominii apud veteres fuisse putant. Alii etiam saltationem addunt, quasi laetitiae signum: Ant. Dadin. Alteserra *de fiction. jur. Tract. III.* 19. Sed utrumque ritum collegere ex male intellecto loco Ciceronis *de Offic. III.* 19. ad quem addendae eruditae observationes Jo. Ge. Graevii. Addunt alii Ambros. *de offic. III.* 2. Sed et hic Ciceronem non intellectum manifesto exscripsit [n]).

§. 16.

Quid pro herede gestio?

Qui sine cretione heredes erant scripti, ii etiam sine aditione, sola PRO HEREDE GESTIONE heredes fieri poterant [o]). Pro herede vero gerebat, qui rebus hereditariis, tamquam dominus, utebatur, veluti qui auctionem rerum hereditariarum faciebat, servis hereditariis cibaria dabat etc. Ulpiani *Fragm. XXII.* 26.

§. 17.

Quid immixtio et adgnitio?

IMMIXTIO ad necessarios et suos heredes pertinebat. ADGNITIONEM, sublata cretione sollemni, ajunt invaluisse: §. *ult. Inst. de Hered. qual. et different.* §. *ult. Inst. de Bon. poss.* Sed sic ea vel ab aditione non differt, vel ad bonorum possessionem potius, quam ad hereditatem pertinet. Sustulit vero cretionem in bonis maternis Constantinus: *L.* 1. *C. Theod. de Matern. bon.* nec non Constantius: *L.* 4. *Cod. Theod. eod.* et Valentinianus: *L. un. C. Theod. de Cretione.* Postea eamdem penitus abolevit non Arcadius, ut in *L.* 17. *C. de Jure delib.* dicitur, sed Justinianus, invento beneficio inventarii, (de quo *L. fin. C. de Jure delib. Nov. I.* 2. 1.) Quilibet enim tuto adire ex eo potuit hereditatem, quum eo ipso bona heredis et defuncti separentur, omnisque impediatur actionum confusio.

---

n) De cretionis ritibus vid. Otto in *Jurisprud. Symb. Ex. II. c.* 13. et Reinoldus *Variorum c.* 14. [*in *Opuscc. p.* 113—117.] *Cann.*

o) Addidi *etiam*, quia et hi cernere poterant hereditatem, si volebant, nec tamen cogebantur: Petr. Fabri *Semestr. II.* 22. Averan. *Interpp. jur. II.* 12. 15. *p.* 151. *Hein.*

LIB. II. TIT. XX — XXII.

DE

LEGATIS, EORUMQUE ADEMTIONE, ET TRANSLATIONE, ET LEGE FALCIDIA.

Hactenus Imperator de universalibus adquisitionibus egit, ad easque etiam plures, qui infra sequentur, tituli pertinent. Placuit tamen illi, interserere hic singularum rerum adquisitionem, quae per legata fit. An satis concinne, alii videant. Nos pauca ad hos quoque titulos delibabimus.

§. 1.

Legatum quid?

LEGATUM est donatio, quae legis modo, id est, imperative, testamento relinquitur: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 1. *Legis modo,* inquit Ulpianus, quia veluti legem testator dicit heredi, quid ab eo praestari velit, unde et Graecis legare est νομοθετεῖν a) *Novell. XXII.* 2. Jo. Chrysost. *Homil. I. ad Act. Apost. p.* 615. Quin et ipsum verbum LEGARE nihil significat aliud, quam mandare et veluti legem dicere. Ita Plautus *Casina Act. I. v.* 12. *sqq.*

Quin potius, quod LEGATUM EST tibi negotium,
Id curas? — — — — —

Hinc LEGATI dicuntur a *legando,* quia cum mandatis mittuntur, non quia publice leguntur, ut conjicit Varro *de lingua lat. VI.* 16. *n.* 7. Nec aliam ob caussam RELEGATI adpellantur, quam quia *lege,* a populo vel principe lata, civitate exesse jubentur. *Imperative* ergo fieri debebat haec donatio, id est, *verbis directis: L.* 2. *C. commun. de Legat. L.* 15. *C. de Testam.* Scholiast. Horat. *ad Satir. II.* 1. 9. Verba enim precaria non erant valida ex legibus XII tabularum, sed ex voluntate tantum heredum descendebant. Denique *testamento* relinquenda erant legata, non codicillo, antequam scilicet Justinianus legatorum et fideicommissorum naturam exaequasset.

---

a) Hinc testatores plane more legislatorum loquebantur. Hi verbis imperativis uti solebant: iisdem utebantur testatores: PRAECIPITO, SUMITO etc. Legislatorum formula erat DAMNAS ESTO: *L.* 2. *pr. L.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquill.* Eadem vero etiam testatoribus sollemnis erat. *Hein.*

§. 2.

Legata quotuplicia?

Legatorum genera erant quatuor, VINDICATIONIS, DAMNATIONIS, SINENDI MODO, et PRAECEPTIONIS: Gajus *Instit. II.* 5. 1. (s. *comment.* II. §. 192.) Ulpiani *Fragm. XXIV.* 2. Pauli *Sententt. Receptt. III.* 6. §. 1—17. b). Quorum differentiam licet sustulerit Justinianus, dum legatorum omnium, quibuscumque tandem relicta sint verbis, eamdem naturam esse voluit: *L.* 2. *C. Comm. de legat.* olim tamen permultum intererat inter haec legatorum genera, quae a Jureconsultis disputatione fori inducta esse non abs re existimat V. C. Schultingius *ad Ulpian. l. c. p.* 649.

§. 3.

Legatum per vindicationem.

Per VINDICATIONEM his verbis legabant: DO, LEGO: CAPITO, SUMITO, SIVE HABETO: Ulpianus *ibid.* §. 3. quibus Gajus *Inst. II.* 5. addit formulas: ILLAM REM TIBI PRAESUME, VINDICA c). Tunc vero legatum erat in legatarii arbitrio, idque ipse sibi, adita hereditate, statim capere vel rei vindicatione petere poterat. Tale erat illud apud Virgilium *Aeneid. V. v.* 533. *sqq.*

SUME, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisae longaevi hoc munus HABEBIS,
Cratera impressum signis: — — —

Ad quae verba Servius, Scholiastes: *Sume*, inquit, *percipe. Nam verbum est Jureconsultorum, quo utuntur, quoties legatum non ab herede datur, sed est in accipientis arbitrio, id est, vindicationis, vel optionis.*

§. 4.

Legatum per damnationem.

Per DAMNATIONEM legabatur his verbis d): HERES MEUS DAMNAS

---

b) Ant. Faber *Conject. VI.* 1. quatuor species ad duas revocat: *vindicationis* et *damnationis*, cui tamen respondit Osw. Hillig. *Donello enucleato L. VIII. p.* 3. *Hein.* De differentia legatorum ex jure antiquo adeunda inprimis: J. F. Ludw. Goeschen Diss. *Spec. Obss. jur. Romani* (Berol. 1811. 8.) c. 1. p. 29—33. et c. 2. p. 40—43. *Haub.* Jam add. Marezoll *zu der Lehre von den Vermächtnissen*, in d. *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* T. IX. num. IV. p. 63—116. *Mühl.*

c) Rectius legitur formula in *genuinis comment.* II. §. 193. De jure autem hujusce legati vid. *ibid.* §. 194—200. *Mühl.*

d) Dicebatur enim tunc res *optimo jure* legata: Ulpiani *Fragm. XXIV.*

esto dare: dato, facito: heredem meum dare jubeo: Ulpianus *ibid.* §. 4. Vim verborum illorum, quibus, ut ex *L.* 2. *pr.* et *L.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquill.* adparet, etiam legislatores utebantur, idem explicat Servius *ad Virgil. Aeneid. XII. v.* 727. *In jure quum dicitur* damnas esto, *hoc est, damnatus es, ut des, hoc est, damno te, ut des, neque alias libereris.* Perinde ergo hic heres erat obligatus, ac si vel a judice, vel ab ipso legislatore, esset damnatus. Unde et lis infitiando crescebat in duplum: Pauli *Sententt. Receptt. I.* 19. 1.

§. 5.

Legatum sinendi modo.

Sinendi modo ita legabatur: heres meus damnas esto sinere lucium titium sumere illam rem, sibique habere: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 5. Gaji *Inst. II.* 5. 9. (Cf. *genuin. comment.* II. 209—215.) Heres ergo damnabatur quidem, ut aliquid sumi pateretur, sed legatario simul permittebatur, ut aliquid sumere posset.

§. 6.

Legatum per praeceptionem.

Denique per praeceptionem legabant sic: lucius titius illam rem praecipito: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 6. vel, ut in notis Magnonis est: P. S. T. Q. H. praecipito, sumito, tibique habeto. (Gaj. II. §. 216—223.) Res hoc modo legata *praelegatum* vocabatur, vel *praecipuum:* Festus sub voce *Excipuum p.* 284. idque relinquebatur uni ex coheredibus. Exempla sunt apud Valerium Max. *VII.* 8. 4. Plinium *Epistt. V.* 7. Sidonium *Epistt. VI.* 12.

§. 7.

Differentia horum legatorum.

Differentia inter hos legandi modos non una erat. Per vindicationem legari poterant res, quae tempore mortis et facti testamenti testatoris ex jure Quiritium fuerant [e]). Quod si tamen res, quae

11. *Hein.* Vid. et Gaj. II. §. 197. in f. omninoque de jure per damnationem legati §. 201—208. Vocabatur etiam *do lego* legatum; *Vat. Fragm.* §. 75. *Mühl.*

e) Si res legata pondere, mensura, numero constabat, sufficiebat, si tempore mortis jure Quiritium testatoris esset. Ratio vero, ob quam hic exigebatur dominium Quiritarium, haec erat, quia legatario ejusmodi concedebatur rei vindicatio, quae olim instituebatur hac formula: hanc ego rem ex jure quiritium meam esse ajo: Cicero *pro Muraena c.* 12. Hac vero formula utique uti haud potuisset legatarius, nisi res legata testatoris fuisset ex jure Quiritium. Vid. V. C. Schulting. *Jurisprud. Antejust. p.* 651. *Hein.*

non utroque tempore in dominio testatoris erat, ita legaretur: SCtum Neronianum hujusmodi legatum eatenus sustinebat, ut in legatum damnationis inflecteretur: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 11. (Gaj. II. §. 197.) Per DAMNATIONEM res omnes legari poterant, etiam alienae, dummodo tales essent, ut dari possent: Ulpiani *Fragm. l. c.* §. 8. Gaji *Inst. II.* 5. 6. SINENDI MODO legabantur res propriae testatoris et heredis: Ulpianus *ibid.* §. 10. non alienae, ut visum Gajo f). Denique PER PRAECEPTIONEM relinquebantur eaedem, quae per vindicationem: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 11. Si conjunctim una res legata fuerat pluribus PER VINDICATIONEM: pars deficiens ceteris collegatariis adcrescebat: sin vero PER DAMNATIONEM: pars deficiens penes heredem manebat: Oiselius *ad Gaji Inst. II.* 5. 4. Legatum *vindicationis* poterat repudiari: *L.* 7. *L.* 44. §. 1. *L.* 86. §. 2. *D. de Legat. I.* non aeque legatum *damnationis*. Plures differentias dedit Merillius *Observatt. VI.* 32.

§. 8.

Ea sublata est a Justiniano.

Sustulit hanc differentiam, ut supra diximus, Justinianus g), ita tamen sustulit, ut non satis caute plures leges, quae ad istud discri-

---

f) Epitomato, non genuino: II. §. 212. *Haub.* Nullum vere est dissidium inter epitomatum Gajum atque genuinum. Hic enim refert, plerisque quidem placere, inutile esse ejusmodi legatum, sustineri tamen ex Neroniano SCto. (cf. not. g.) Caeter. vid. et Marezoll *l. l.* p. 104. 105. *Mühl.*

g) Primo SCto Neroniano non sublata quidem, quae inter formulas legandi erat, differentia; sed tamen constitutum, ut, si alio modo aliquid relictum esset, saltem valeret, tamquam si esset per damnationem relictum: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 11. Postea Constantinus M. verborum quidem, at non actionum, differentiam sustulit: *L.* 15. *C. de Test. L.* 21. *C. h. t.* Denique et hanc abolevit Justinianus: vid. Jan. a Costa *ad Inst.* §. 2. *h. t. Hein.* Senatusconsulto Neroniano, teste quidem Ulpiano, cautum erat, *ut, quod minus pactis* (h. e. rite conceptis s. legitimis) *verbis legatum est, perinde sit, ac si optimo jure legatum esset;"* seu, ut habet Gajus: „ut, si eam rem quisque legaverit, quae ejus numquam fuerit, perinde utile sit legatum, atque si optimo jure relictum esset" (§. 197.). Adjicit uterque: optimum esse jus per damnationem legatum, quoniam (Gajo quidem interprete) eo legati genere etiam aliena res legari possit. Atque alio in loco ita rem explicat: Neroniano senatusconsulto confirmari legata, *quae verborum vitio jure civili non valeant* (§. 218.). Caeterum accuratius Ulpianus quam Gajus SCti verba retulisse videtur; nec, si simpliciter Senatusconsultum cavisset de re aliena legata, quaeri potuisset: num valeat rei alienae legatum sinendi modo relictum (Gaj. §. 112.), rursus vero: an ex SCto Neroniano sustentetur legatum per praeceptionem datum extraneo (*ib.* §. 218. et

men pertinent, Pandectis inseri permiserit: vid. M. Aurel. Galvan. *de usufr. c.* 40. §. *ult.* V. C. Schulting. *Jurispr. Antejustin. p.* 649. Merillii *Observatt. VI.* 33.

§. 9.

Legata pars hereditatis.

Porro non modo singulae res legari poterant, sed universarum quoque summa legari poterat, ut puta: MAEVIUS HERES MEUS CUM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO, DIVIDITO: quo casu dimidia pars bonorum legata videbatur. Poterat et alia pars, velut tertia, vel quarta, quinta, legari: quae species PARTITIO adpellabatur: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 25. §. 5. *Inst. de Fideicomm. hered.* Cicero *pro Caecina c.* 4. et 5. [h]).

§. 10.

A quo et quibus legari potuerit [i]).

Legari non poterat a legatario, nec legatum dabatur, nisi extraneo. Non autem filiofamilias heredi instituto, vel servo proprio, nec ei, qui in heredis potestate mancipiove erat, nisi sub conditione: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 20. *sq.* Legari etiam olim non poterat civitatibus, postea poterat civitatibus illis, quae sub imperio populi Romani erant: idque primum a Divo Nerva introductum, postea sub Hadriano SCto diligentius cautum fuerat: Ulpiani *Fragm. XXIV.* 28. [k]). Quod deinde D. Marcus etiam ad collegia: *L.* 20. *D. de Reb. dub.* imo et ad vicos extendit: *L.* 73. §. 1. *D. de Legat. I.*

---

§. 220.). Cf. et *Vat. Fragm.* §. 85.; quem in locum vid. Ge. Bruns: *quid conferant Vat. Fragm. ad melius cognoscendum jus Rom.* (Tub. 1838.) p. 110. sq. Cf. et Marezoll *l. l.* p. 70. 88. 98. 99. Rosshirt: *die Lehre von den Vermächtn.* I. (Heidelb. 1835.) p. 93. 94. — De hujus autem juris mutationibus, quae impp. Christianorum aetate atque vel maxime Justiniani auctoritate invaluerunt, inprimis vid. Marezoll *Zeitschr. f. Civilr. u. Pr.* IX. num. IX. p. 247—310. Cf. et Rosshirt *l. l.* p. 101—119. *Mühl.*

h) Jac. Voorda: Diss. *de legato partitionis;* adj. Ej. *Commentar. ad Leg. Falcid.* p. 430—464. d'Arnaud: *Variar. Conjecturar.* II. 2. von Löhr: *Bruchstücke aus d. Lehre von den Legaten u. Fideic.* num. 4. in Dess. *Mag. f. R. W.* u. s. w. T. IV. num. 6. p. 92 — 95. *Haub.* Cf. Rosshirt *l. l.* p. 138. sqq. (§. 3.). *Mühl.*

i) Gaj. II. §. 238—241. 244. 245. 286—287. *Mühl.*

k) Male Petr. Faber ad *l. c.* Ulpiani his obstare putat Plinii *ep.* 7. *Lib. V.* namque ibi non de legato reipublicae relicto sermo est, sed de hereditate. Fallitur idem *l. c.* in *Thes. Jur. Meerm. Tom. VII. p.* 769. quum Hadriani adpellatione D. Marcum intelligi credidit. *Cann.* Cf. supra Tit. XIV. §. 3. *Mühl.*

Vid. Merillii *Variant. ex Cujacio II.* 14. V. C. Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 659.

§. 11.

Legata poenae nomine relicta.

Anceps quoque inter eruditos quaestio est de legatis POENAE NOMINE RELICTIS [1]). Justinianus enim haec ita definit §. *ult. Inst. de Legat. Poenae nomine legari videtur, quod coërcendi heredis caussa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis ita scripserit:* HERES MEUS, SI FILIAM SUAM IN MATRIMONIUM TITIO COLLOCAVERIT, *vel ex diverso,* SI NON COLLOCAVERIT, DATO DECEM AUREOS SEJO. Addit Justinianus, ejusmodi legata veteri jure prohibita fuisse, (idque etiam constat ex Jul. Capitolini *Antonino Pio c.* 8. *Pertin. Imperat. c.* 7.), se vero ea rata esse jussisse, dummodo nihil impossibile, vel legibus interdictum, vel alias probrosum fuerit heredi injunctum.

§. 12.

Dubia adversus hanc doctrinam.

Sed animadvertit Amplissimus Bynkershoekius, hac admissa definitione, vix superesse discrimen inter legata conditionata et poenae nomine relicta. Legislatorum instar erant morientes, et si in tabulis scripserant: LEGO SEJO CENTUM, SI FILIAM TITIO UXOREM DEDERIT, rata erat haec ultima voluntas. Cur, quaeso, legatum poenae nomine relictum illicitum fuisset habitum, si scriptum esset in tabulis: HERES, SI FILIAM TITIO UXOREM DEDERIT, SEJO DECEM AUREOS DATO. Quid, quaeso, inter utramque formulam interest? Bynkersh. *de legat. poenae nomine relict. c.* 3. *p.* 361. *sq.*

§. 13.

Clarissimi Bynkershoekii sententia.

Existimat ergo vir laudatissimus, Tribonianum, quid veteribus legata poenae nomine relicta fuerint, non satis intellexisse: nam ex *L.* 1. *D. de His, quae poenae caussa relinquuntur* adparere, ea legata

---

1) Gaj. II. §. 235—237. — De poenae nomine legatis in primis subtiliter disputavit: Goeschen *Diss. laud.* c. 3. p. 47 — 108. quacum cf. *Goett. G. A.* 1812. num. 12. p. 119. sq. (et in Hugonis *Beitr. zur jurist. Bücherkenntniss* Vol. II. p. 74. sq.) Multa etiam praeclara habet Jo. Gfr. Sammet Diss. *de legatis poenae nomine.* Lips. 1748. 4. et in *Opuscc.* p. 41—61. *Haub.* Cf. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 202—204. et W. Sell *die Lehre von den unmöglichen Bedingungen* (Giess. 1834.) §. 64. *Mühl.*

poenae nomine visa relinqui, quibus testator heredem ad probrosum aliquid faciendum cogere voluerit: Bynkersh. *ib. c.* 4. Quae quum ita sint, Justinianus profecto nihil novi statuit, dum, quae veteres tamquam regulam posuerant, ipse loco exceptionis habuit, regulam fingens veteribus incognitam.

§. 14.

Ejus illustratio.

Sed non est fortassis, quod Justinianum plane deseramus, quippe cujus definitionem etiam Ulpianus adgnovit: *Fragm. XXIV.* 17. (et Gaj. II. §. 235.) Scilicet saepe heredem legatis nonnisi vexandi caussa onerabant testatores, iisque illum ad aliquid faciendum omittendumque adigebant, nulla alia adducti ratione, quam stolida voluntate. Tale erat testamentum Staberi, de quo Horatius *Sermon. Lib. II. sat.* 3. *v.* 84. *sqq.*

Heredes Staberi summam incidere sepulcro:
„Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnari populo paria, atque epulum, arbitrio Arri;
Frumenti quantum metit Africa." — —

Quum ergo disputarent veteres, an legata ejusmodi valerent, quibus heres ad aliquid sine ratione contra animi sententiam faciendum omittendumque cogeretur: Justinianus has tricas sustulit, jussitque, haec legata rata esse, exceptis iis, quae vel impossibilia essent, vel legibus interdicta, vel alias aperte probrosa: vid. Gundlingii *Diss. de principe herede c.* 6. §. 32. *p.* 78. [m]).

§. 15.

Lex Furia testamentaria.

Quemadmodum vero legibus XII Tabularum tantum quisque legare poterat, quantum volebat: ita inde fiebat, ut plures hereditatem tot legatis exhaustam adire nollent. Hinc primo lata LEX FURIA testamentaria a C. Furio, Tribuno plebis [n]), qua cautum, ne

---

m) Caeterum rationem prohibitionis magis probabilem affert Theophilus in *Paraphr. Inst. h. t.* §. 36. *Mühl.* De caeteris inutilibus legatis: Gaj. II. §. 229 — 234. *Haub.* Velut: ne *ante heredis institutionem* legata relinquantur, neu *post mortem heredis;* at haec quoque novo jure mutata sunt; §. 34. 35. *I. h. t. Mühl.*

n) Vir doctus Guid. Panciroł. *Thesaur. Varr. Lectt. II.* 278. eamdem hanc legem putat cum Furia Caninia. Qua in re eum perspicue errare vel inde patet, quod haec lex fuit Voconia antiquior: Fusiam autem Caniniam demum sub Augusto latam supra demonstravimus. *Hein.* De lege Furia testamentaria eru-

cui liceret ultra mille asses o) vel legare, vel mortis caussa donare, praeterquam cognatis certisque personis, quales erant e. g. cognati manumissoris: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 7. (Gaj. II. §. 224. 225. IV. §. 23. 24. 109.) Si quis alius ultra hanc summam legatum acceperat: non rescindebatur quidem legatum, sed legatarius tamen quadruplum reddere cogebatur. Unde haec lex *minus quam perfecta* dicitur Ulpiano: *Fragm. I.* 2. Cf. Cujacii *Observatt. XX.* 31.

§. 16.

Lex Voconia.

Mox vero hanc legem elusit Romanorum calliditas. Coeperunt enim uni quidem non ultra mille asses legare, sed tamen tot scribere legatarios, ut et sic penes heredem nihil, aut parum, remaneret. Hinc postea LEX VOCONIA, a Q. Voconio Saxa A. U. C. DXCIV. Caepione et Philippo Coss. lata est, ex qua lege non solum femina heres institui haud poterat, nisi in certa bonorum parte; sed et illud cautum fuerat, ne quis census plus ulli legaret, quam ad heredem heredesve perveniret: Cicero in *Verr. I.* 43. p).

§. 17.

Ejus oblitteratio.

Enimvero etiam Voconia illa lex oblitterata demum est per opulentiam civitatis: Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. nec *sufficiens ad rei consummationem visa est: princ. Inst. de L. Falcid.* Ergo novissime demum lata est LEX FALCIDIA.

---

dite disputavit Abrah. Wielingius in *Commentatione singulari* anno 1729. luci data. *Cann.* Repetita Wielingii *Comm.* in Ejus *Lectt. jur. civ.* II. 18. Add. Schrader *Rechtsgeschichtl. Bemerkungen* num. 3. in Hugo *civ. Mag.* T. V. num. VII. p. 162 — 174. *Haub.*

o) Cujacius *Observatt. XIX.* 31. Substituit *mille aeris*, quomodo et Varro *de lingua lat. L. VIII.* [* p. 148. in fine ex edit. Bipont.] dicit, *mille aeris legasse.* Sed *as* et *aes* olim promiscue dicebatur. Pondus vero assium pro temporum ratione varium fuisse, docet Plinius *Hist. Nat. XXXIII.* 3. *Hein.*

p) Wieling *Lectt. jur. civ.* II. 25. Cf. quae diximus supra ad II. 14. 2. *Haub.* Disputatur etiam inter eruditos: annon hoc quoque Legis Voconiae caput ad solas mulieres pertinuerit? Affirmant quaestionem: Maur. Kind Diss. *de lege Voconia* (Lips. 1820.) c. V. p. 36. sqq. Schrader *in ephemerid. jur. Tub.* T. I. H. 2. p. 135. sq. At vid. Gaj. §. 226. Theophili *Paraphr. ad pr. Inst. de lege Falcidia.* de Savigny *über die Lex Voconia,* (in den *Abhandl. der hist. philol. Klasse der Königl. Pr. Akad. der Wissensch. a. d. J.* 1820. 1821. p. 219—233.) p. 231. Mühlenbruch in *contin. commentariis Glückianis* T. 39. p. 283. sq. not. 86. *Mühl.*

§. 18.

Lex Falcidia q).

Est et hoc plebiscitum, quod tulit P. Falcidius, Tribunus plebis r), temporibus Triumvirorum, Cn. Domitio, M. F. Calvino [* *II.*] et C. Asinio Pollione Coss. s) A. U. C. DCCXIV. ut testantur Dio Cass. *XLVIII.* 33. Eusebii *Chronicon ad a. MDCCCCLXXXVI.* et Isidorus *Etymol. V.* 15. §. 2. Brevissime Dio: *καὶ ὁ νόμος ὁ Φαλκίδιος ὀνομασμένος, (πλείστην καὶ νῦν ἔτι ἰσχὺν ἐς τὰς τῶν κλήρων διαδοχάς, ὥστε τινὰ τὸ τέταρτον τῆς καταλειφθείσης οἱ οὐσίας, ἄν γέ πῃ βαρύνηται, λαβόντα, τὸ λοιπὸν ἀφεῖναι, ἔχων,) ὑπὸ τοῦ Πουπλίου Φαλκιδίου δημαρχοῦντος ἐτέθη. Lex etiam Falcidia a P. Falcidio, Tribuno plebis, lata, quae nunc quoque plurimum valet in hereditatibus adeundis, permittit, ut heres, si adire hereditatem gravetur, quadrante accepto, reliquum dimittat.* Sed non videtur tamen vir doctissimus vim legis satis percepisse. Ea enim non permittit heredi, quadrante accepto, hereditatem repudiare, sed testatorem obstringit, ut quartam heredi salvam relinquat, idque si non fecerit, heredi potestatem facit, tantum detrahendi legatariis, quantum desit quartae suae.

§. 19.

Ejus capita et legitima verba.

Lex, cujus ipsa legitima verba supersunt *L.* 1. *D. ad L. Falcid.* pluribus constitit capitibus t), quorum priore libera permittitur legandi facultas his verbis: QUI CIVES ROMANI SUNT, QUI EORUM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACERE VOLET, UT EAM PECUNIAM EASQUE RES QUIBUSQUE DARE, LEGARE VOLET, JUS POTESTASQUE

---

q) Jac. Voorda *Commentarius ad Legem Falcidiam* (Traj. ad Rh. 1730. 8.) in primis c. 3. Wieling *l. l.* II. c. 29—31. *Haub.*

r) Ridiculus ergo glossatorum [* graecorum] error est, qui Falcidiam hanc legem dictam volunt *ἀπὸ τοῦ φάλκους, ὃ δηλοῖ δρεπάνην*, id est, *a falce* vel *defalcando:* Vid. Scholiast. in Harmenopuli *Promtuar. V.* 9. Eumdem tamen errorem etiam latini glossatores errarunt. *Hein.*

s) Non anno DCCXIII. P. Servilio Isaurico iterum et L. Antonio Coss. ut tradit Aleander *ad Gaji Inst. II.* 6. 1. *p.* 121. *Hein.* Vid. Abrah. Wielingius in *Lection. jur. civ. Lib. II. c.* 29., qui et pluribus de lege Falcidia ejusque capitibus disputavit. *Cann.*

t) Magna cura ea capita collegit illustravitque Francisc. Balduinus, et cum lege Voconia, Julia, Papia Poppaea, Rhodia, Aquillia edidit *Basileae* 1559. 8. [nec non V. C. Jacob. Voorda, cujus in hanc legem *Commentarius* [* *Trajecti ad Rhen.* 1730. 8.] prodiit.] *Hein.*

ESTO [u]). Secundo capite modus legatorum constituitur: QUICUMQUE CIVIS ROMANUS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACIET, IS QUANTAM CUIQUE CIVI ROMANO PECUNIAM JURE PUBLICO DARE, LEGARE VOLET, JUS POTESTASQUE ESTO: DUM ITA DETUR LEGATUM, NE MINUS, QUAM PARTEM QUARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HEREDES CAPIANT. EIS, QUIBUS QUID ITA DATUM LEGATUMVE ERIT, EAM PECUNIAM SINE FRAUDE SUA CAPERE LICETO: ISQUE HERES, QUI EAM PECUNIAM DARE JUSSUS DAMNATUS ERIT, EAM PECUNIAM DEBETO DARE, QUAM DAMNATUS EST. Ex his ergo satis constat de vera legis Falcidiae sententia, meritoque pro inepti leguleji additamento reputanda sunt illa apud Hieronymum *in Chron. C. Falcidius, Tribunus plebis, legem tulit, ne quis testamento plus legaret, quam ut quarta pars apud heredes superesset, SI HEREDES QUATUOR AUT MINUS ESSENT: SIN AUTEM PLUS QUATUOR; TUNC II SEMISSEM RETINERENT* [x]): vid. A. Cont. *Lectt. subsec. I.* 3.

§. 20.

Relationes et mutationes hujus legis.

Ceterum deductio quartae, quam lex haec Falcidia permisit, imperante Vespasiano ad fideicommissa universalia primum producta est SCto Pegasiano; [*Tit. XXIII.* §. 6.] deinde etiam ad singularia: §. 5. *Inst. de Fideic. hered.* imo et ad fideicommissa ab intestato relicta, quod a D. Pio factum refert Paulus Jureconsultus *L.* 18. *D. ad L. Falcid.* ac denique ad donationes mortis caussa ex constitutione Severi: *L.* 5. *C. eod. L.* 2. *C. de Donat. mort. causs.* Id quod tamen ab intestato admittendum haud videtur Cujacio *Observatt. III.* 17. quia mortis caussa donationes ab intestato factae legatis non aequiparentur: *L.* 20. §. 1. *D. de legat. praestand.* Verum legis Falcidiae vires maxime elisit JUSTINIANUS, permissa facultate testatoribus utiliter prohibendi Falcidiae detractionem, quum antea hujuscemodi voluntati, quantumvis expressae, heredes minime parere cogerentur: vid. Vinc. Gravina *de Legibus et SCtis Rom. c.* 77. *p.* 637.

§. 21.

Conclusio tituli.

Quae alias de sensu legis Falcidiae casibusque eo pertinenti-

---

u) Adduntur in vulgatis editionibus verba: UT HAC LEGE SEQUENTI LICEBIT: sed ea νοθεύονται, ut observavit Cujacius *ad C. ad L. Falcid. Hein.*

x) Haec enim ex recentissimo Graecorum jure esse, erudite demonstravit Oiselius *ad Gaji Inst. II.* 6. 1. ap. Schulting. p. 121. *Hein.*

bus disputari solent, ea a doctoribus dudum sunt occupata, nec tam ad antiquitates, quam ad ipsam jurisprudentiam pertinere videntur.

LIB. II. TIT. XXIII—XXV.

DE

FIDEICOMMISSIS UNIVERSALIBUS ET SINGULARIBUS, ET DE CODICILLIS.

Hactenus de hereditatibus et legatis, quae verbis directis relinquuntur: jam etiam de FIDEICOMMISSIS agendum, propter quae quum codicilli reperti sint, eadem opera etiam de codicillorum origine ac jure erit disserendum.

§. 1.

Fideicommissa veteri jure invalida.

Vetere jure Romano non ratae erant ultimae voluntates, nisi verbis imperativis conceptae. Lex enim XII Tabularum ea solum confirmabat, quae quis *legassit.* LEGARE vero erat veluti *legem dicere*, atque adeo testatoris non erat, uti verbis precativis, sed directis et imperativis [a]). Hinc inter ea, quae ex XII tabulis erant licita, *L.* 120. *D. de Verb. signif.* non referuntur fideicommissa, et id sibi volunt verba Ulpiani *Fragm. XXV.* 1. *FIDEICOMMISSUM est, quod non civilibus verbis, sed precative relinquitur: nec ex rigore juris civilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.*

§. 2.

Quibus formulis relicta?

Relinquebantur ergo fideicommissa verbis precativis, vel ad heredem fiduciarium, vel ad eum, cui relinquebantur, directis: Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 1. 5. et 6. Magis enim hic voluntas spectanda videbatur, quam verba: *L.* 16. *C. de Fideic.* nec proinde tam quaerendum, quocum quis loqueretur, quam in quem voluntatis dirigeretur intentio: *L.* 77. §. 26. *D. de Legat. II.* Hinc passim in jure nostro formulae occurrunt: FIDEI TUAE COMMITTO, PETO, C. SEJI, CONTENTUS SIS ILLA RE. VOLO TIBI ILLUD PRAESTARI. ROGO, PETO, VOLO, MANDO [b]). DEPRECOR. CUPIO, INJUNGO, DESIDERO, IMPERO etc. Et

---

a) Vide supra *Lib. II. Tit. XX — XXII.* §. 1. *Hein.*

b) Imo et JUBEO, quod precativum esse negat Alciatus. Vid. *L.* 28. §. *ult. D. de Liberat. leg. Hein.*

quamvis Paulus *l. c.* excludat verba RELINQUO et COMMENDO, quae ipse nullam fideicommissi actionem parere existimat: hae tamen formulae etiam, ut et aliae omnes, idoneae visae sunt post *L. 2. C. Commun. de legat. et fideicomm.* Vid. Cujacius *ad Paul. ibid. p. m.* 385. *sq.* Barn. Brissonius *de Form. VII. p.* 668. *sq.* (Add. Gaj. II. §. 249. 250. et Ulp. XXV. §. 2.)

§. 3.

Fideicommissorum natura ante Augusti tempora.

Quod si ergo verbis ejusmodi precativis aliquid esset relictum: heredis erat arbitrium, velletne illud praestare, an nollet. Nullo enim juris vinculo, sed tantum pudore et fide eorum, qui rogati erant, continebantur fideicommissa: §. 1. *Inst. h. t.* Saepius tamen veteres heredum fidei committebant, sive clam, sive verbis in testamento expressis, maxime si iis quidquam relinquere cuperent, qui per leges erant incapaces [c]). Cujus rei exempla sunt apud Ciceronem *de Finib. bonor. et malor. II.* 18. §. 58. Quinctilianum *Declam.* 325. et Valerium Max. *IV.* 2. 7. qui refert, Q. Pompejum Rufum exsulem, quum ex testamento civis Romani nihil capere potuisset, tamen bona cujusdam accepisse, qui matri praedia sua fideicommiserat, ut haec illa filio Pompejo restitueret. Sed ejusmodi fideicommissa, ut dixi, non necessario praestabantur [d]), poteratque adeo hereditas ab herede fiduciario impune retineri. Quamobrem et hereditatem, ex fideicommisso restitutam, fiduciarii veluti liberalitati imputabant. Et ita ego interpretor verba in marmore apud Reinesium *Inscriptt. Class. II. p.* 291. *sq. n. LXXIII.* fere in *med.*

L. CESTIUS. QUA. EX. PARTE. AD
EUM. FRATRIS. HEREDITAS
M. AGRIPPAE. MUNERE. PER
VENIT. — — — —

§. 4.

Augusti ea de re constitutio.

Primus rem mutavit, et fideicommissa, quorum antea mos inter

---

c) A juris nostri auctoribus ejusmodi vocantur fideicommissa *tacita*, is autem, qui ea recipit solvenda, tacitam fidem in fraudem juris accommodare dicitur. Vid. v. c. *L.* 103. *de leg.* I. *L.* 10. et 11. *D. de his, quae ut indignis.* Ulp. *Fragm.* XXV. §. 17. *Mühl.*

d) Caeter. vid. Gaj. II. §. 285. — „*peregrini poterant fideicommissa capere*, et fere haec fuit origo fideicommissorum; *sed postea id prohibitum est*, et nunc ex oratione Divi Hadriani factum est, ut ea fideicommissa fisco vindicarentur." *Mühl.*

exempla probitatis et perfidiae fluctuaverat, et exemplo et severitate stabilivit Augustus. De quo ipse Imperator noster §. 1. *Inst. h. t.* *Postea D. Augustus primus semel iterumque, gratia personarum motus, vel ob insignem quorumdam perfidiam, jussit Consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia justum videbatur, et populare erat, paullatim conversum est in adsiduam jurisdictionem, tantusque eorum favor factus est, ut paullatim etiam Praetor proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret, quem* FIDEICOMMISSARIUM *adpellant.* Ex hoc ergo loco patet I. primum Augustum fidei suae commissa praestitisse gratia personarum motum. Personae vero illae procul dubio fuerunt L. Lentulus, et ejus heres fideicommissarius. Nam *ex illius persona etiam fideicommissa coepisse* dicuntur: *pr. Inst. de Codicill.* Discimus deinde II. Augustum negotium dedisse Consulibus cognoscendi de fideicommissis, nominatosque heredes ad restituendas hereditates compellendi. Quae jurisdictio Coss. tantum delegata erat a Principe, nec ad provincias pertinebat, ubi fideicommissa exsequutionem nullam habebant, antequam Claudius id negotium Praesidibus daret: Suetonius *Claud. c.* 23. Praeterea ex eo loco intelligimus III. Praetorem fideicommissarium [e]) ideo postea creatum, ut tanto adcuratius de fideicommissis jus diceretur. In quo tamen nescio an Imperator fallatur. Constat enim primo ex Suetonii *Claud. c.* 23. Claudium Imperatorem non unum, sed duos constituisse Praetores fideicommissarios, qui praeter morem non darent judices pedaneos, sed ipsi cognoscerent, et ferrent sententias, quamvis postea unum horum Praetorum detraxerit Trajanus: *L.* 2. §. 32. *D. de Orig. jur.* Deinde et constitutis jam Praetoribus fideicommissariis, Consules concurrentem jurisdictionem cum iis exercebant: Ulpiani *Fragm. XXV.* 12. ita quidem, ut apud Consules de majoribus, apud Praetores fideicommissarios de minoribus summis ageretur: Quinctilianus *Instt. Oratt. III.* 6. Cf. Cujacius *Observatt. XXI.* 34. Merillius *Observatt. VI.* 36. Imo nonnumquam ipsi Imperatores de fideicommissis cognoscebant: quale quid de Commodo Imperatore refert Papinianus *L.* 26. *D. de Probat.*

---

e) Vocatur et PR. DE FIDEI. COMMISS. in Gruteri *Inscriptt. p. CCCXCIII. n.* 6. *Hein.* Cf. Gaj. II. §. 278. *Mühl.*

§. 5.

Senatusconsultum Trebellianum f).

Quum ergo semel fiduciarii essent certa juris necessitate obstricti, neque amplius fideicommissorum restitutio ex heredum voluntate penderet: factum est, ut saepe in hunc onus omne obligationum, commodum vero in fideicommissarium transferretur. Cujus rei caussa quum haud raro testamenta destituerentur: imperante Nerone VIII. Kal. Sept. L. Annaeo Seneca et Trebellio Maximo Coss. suffectis factum est SCtum, ut, restituta ex testamento universa hereditate, actiones omnes, quae heredi et in heredem competebant, simul cum hereditatis commodo transirent in eum, cui restitueretur hereditas: §. 4. *Inst. h. t.* Non vero directe actiones ab herede removebantur, sed utiles tantum fideicommissario et in eum dabantur a Praetore, adeoque heres conventus a creditoribus ex SCto Trebelliano habebat exceptionem: *L.* 1. §. 4. *D. ad SCtum Treb. L.* 1. §. 8. *D. Quand. de pecul. act. annal. est* g).

§. 6.

Senatusconsultum Pegasianum.

Quoniam vero sic etiam heredes rogati, inutilem molestiam refugientes, repudiabant hereditatem, ex qua nihil ad eos commodi esset rediturum: sub Vespasiano, Pegaso et Pusione Coss. SCtum conditum est, quo permittebatur heredi fiduciario detrahere quartam ex bonis fidei suae commissis. Adeoque hoc SCtum legem Falcidiam, quae ad legata tantum pertinebat, ad fideicommissa etiam universalia protulit: §. 5. *Inst. h. t.* Gravina *de Legibus et SCtis c.* 78. *p.* 639. [Cf. V. Cl. Jacob. Voorda *Commentar. ad leg. Falcid. c.* 6. *p.* 83.]

§. 7.

Stipulationes necessariae inter heredem et fideicommissarium; et novum jus a Justiniano introductum.

Nihil tamen hoc SCto fuerat de actionibus hereditariis cautum,

f) Vid. ad h. §. et sqq. 6. et 7.: Gaj. II. §. 251—259. Andr. Guil. Crameri: *D. Vespasianus, seu de vita et legislatione Vespasiani Comm.* p. 94—142. *Haub.*

g) Antea *emtoris* loco fuerat is, cui hereditas restituebatur, unde dicis causa, s. uno nummo, ei venibat hereditas, atque inter ipsum et heredem stipulationes interponebantur, quae in hereditatum venditionibus interponi solitae erant; at SCto facto hae cautiones, ut supervacaneae, in usu esse desierunt; Gaj. II. §. 252. 253. *Mühl.*

sed post illud ipse heres onera hereditaria sustinebat: *d.* §. 5. *Inst. h. t.* Opus ergo erat certis stipulationibus, inter heredem et fideicommissarium interponendis, ut lucrum et damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune esset. Quae stipulationes partis et pro parte dicebantur: Ulpiani *Fragm. XXV.* 15. [h]). Hinc quoties heredi fiduciario quarta ex testamento erat salva, toties hereditatem restituebat ex SCto Trebelliano. Sin plus dodrante esset restituendum, quartam ex SCto Pegasiano detrahebat, et de obligationibus sibi cavebat interpositis stipulationibus: §. 6. *Inst. h. t.* At quum stipulationes illae multis viderentur captiosae: placuit Justiniano, exploso SCto Pegasiano, Trebelliano omnem auctoritatem praestare, vel potius ex duobus facere unicum, idque Trebelliani nomine insignire, ita quidem, ut quartam heres semper haberet salvam, actionesque inter eum et fideicommissarium pro rata dividerentur, heredi vero simul adeundi hereditatem imponeretur necessitas: §. 7. *Inst. h. t.* Imo jure novissimo, si heres adire quartaque contentus esse nollet, deficientibus coheredibus aut substitutis, ipse fideicommissarius adire potest per *Novell. I. c.* 1. §. 1. [i]).

§. 8.

Senatusconsultum Apronianum.

Ad fideicommissa pertinet quoque SCtum APRONIANUM. Nec municipia enim olim, nec municipes, heredes institui poterant, quoniam incertum corpus erat, ut neque cernere universi, neque pro herede gerere possent: Ulpiani *Fragm. XXII.* 5. Plinii *Epistt. V.* 7. Fideicommissaria tamen hereditas municipibus restituenda erat per SCtum Apronianum, cujus de aetate jam *Lib. II. Tit. XIV.* §. 2. disseruimus [k]).

§. 9.

Differentia inter legata et fideicommissa singularia.

Haec de *FIDEICOMMISSIS universalibus.* Ad *singularia* quod atti-

---

h) Partiarii enim legatarii loco is erat, cui ex SCto Pegasiano restituta est hereditas; Gaj. §. 254. et Ulp. *l. l. Mühl.*

i) Caeterum novella haec constitutio de eo loquitur, qui, jam heres factus, tamen intra annum suscipere atque implere detrectat onera hereditaria; W. Francke *Beiträge* u. s. w. p. 158. sqq. (§. 7.) Mühlenbruch in *contin. comment. Glückian.* XXXIX. p. 51. sqq. *Mühl.*

k) Rau: *Historia jur. civil. de personis incertis ex testamento heredib.* §. 6. p. 27—35. *Haub.*

net, magna olim erat inter ea et legata differentia [l]). In legatis rigor juris; in fideicommissis favor voluntatis regnabat: *L. pen. D. de Legat. I.* Fideicommissum ad eum, cui aliquid dimissum erat, poterat pervenire, herede licet mortuo, si talis erat conditio testamenti [m]): legatum ita relinqui non poterat. Fideicommissum codicillis, etiamsi per testamentum non essent confirmati, relinquere licebat: legatum codicillis relictum non valebat, nisi illi essent testamento confirmati. A legatario legatum alteri relinqui non poterat; fideicommissum poterat. Per legatum servo alieno directa libertas non dabatur; per fideicommissum recte dabatur. Fideicommissis tardius, quam scriptum erat, solutis, usurae et fructus debebantur, legatorum non usura, sed duplum debebatur, si inficiaretur heres [n]).

§. 10.

Eam sustulit Justinianus.

At Justinianus, ne quid antiqui juris integrum relinqueret, legata et fideicommissa per omnia, quod ad effectum attinet, exaequavit: §. 3. *Inst. de Legat. L. 2. C. Comm. de leg.* [o]).

§. 11.

Codicillorum nomen et natura [p]).

Quemadmodum fideicommissa eludendis legibus fuerant reperta:

---

l) De quib. vid. Gaj. §. 260—262. 268—289. Cf. von Löhr *Bruchstücke aus der Lehre von den Legaten und Fideicommissen* num. 1. in Dessen *Magaz. f. Rechtsw.* T. IV. num. 6. p. 78—81. *Haub.*

m) I. e. fideicommissum post mortem heredis relinqui poterat, legatum non poterat; Gaj. II. §. 232. et 269. (In quem locum vid. not. Goeschenii in sua Gaji edit. et Böckingii in *Gaji et Justiniani instit. jur. Rom.* ad h. l. Ulp. *Fr.* XXIV. 16. Pauli *rec. sent.* Lib. III. Tit. VI. §. 5. 6. — §. 35. *I. de leg.* „sed simili modo hoc correximus, firmitatem hujusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem praestantes." *Mühl.*

n) Ultimam hanc differentiam, ex qua se expedire haud possunt Aleander et Oiselius *ad Gaj. l. c.* adcurate explicant atque illustrant V. C. Schultingius *Jurispr. Antejustin.. p. m.* 130. Gerard. Noodt *de foenor. et usur. III. 7. Hein.*

o) Cf. Rosshirt *Lehre von den Vermächtn.* I. p. 99—108. et Marezoll *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* IX. p. 247 – 274. *Mühl.*

p) De origine et forma codicillorum: Em. Dunii Comm. *de veteri ac novo jure codicillorum.* Rom. 1752. 4. Ge. Aug. Spangenbergii Comm. *de muliere ob testium sollemnitatem testimonii ferendi in codicillis experte* (Gott. 1770. 4.) §. 3—12. p. 6 — 39. *Haub.* Aug. Danz *de externa codicillorum forma comm.* Lips. 1835. 8. Rosshirt *Lehre v. Verm.* I. p. 1 — 73. Danz in der *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* T. IX. num. VIII. *Mühl.*

ita declinandae juris testamentarii subtilitati acceptus est usus CODICILLORUM. CODICILLORUM vero voce nihil denotabant aliud veteres, quam scripturam quamdam ad alios missam. Hinc saepe codicillos pro epistolis ponit Cicero *Epist. ad Div. IV.* 12. *VI.* 18. *ad Attic. XII.* 8. *ad Quint. Fratr. II.* 10. Praecipue tamen id nomen tribuebatur epistolis ad praesentes missis. Unde Seneca *Epist.* 55. *in fine: video te, mi Lucili, quum maxime audio: adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed* CODICILLOS *tibi scribere.* Unde recte colligas, codicillos, quos deinde Imperatores, tamquam ultimae voluntatis genus, adprobarunt, nihil aliud fuisse, quam *epistolas scriptas ad heredes de eo, quod post mortem suam scribentes ab heredibus fieri vellent* [q]): Boehmerus *Diss. de codicill. sine testib. valid. c.* 1. §. 3. 4. *p.* 5. 6.

§. 12.

Eorumdem origo.

Primus ejusmodi codicillos ad Augustum scripserat L. Lentulus, (quem A. U. C. DCCLI. cum M. Valerio Messalino Consulem fuisse, ex Reinesii *Inscriptt. Class. X. p.* 597. *n. III.* discimus) qui Romae fecerat testamentum, et Augustum filiamque heredem instituerat, deinde decedens in Africa, scripserat codicillos, quibus aliquid ab heredibus fieri petierat. Quamvis vero ante ea tempora inauditum esset, per epistolam vel codicillos heredi aliquid injungi, quod ei necessitatem imponeret, ultimam illam defuncti voluntatem implendi: parebat tamen Augustus Lentuli codicillis, ipsaque filia ejus exemplo rubore suffusa ex iis legata praestabat. Quod Principis exemplum facile imitati sunt alii. Quare Augustus, convocatis sapientibus viris, interque eos C. Trebatio Testa, cujus tum auctoritas maxima erat, quaesivit, an possit recipi, nec abhorreret a juris ratione codicillorum usus? Adnuente Trebatio et illud codicillorum institutum magnopere probante, Augustus auctoritatem illi adcommodavit. Post quae tempora, quum et Antistius Labeo, (qui tamen *nihil, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis anti-*

---

q) Hinc *codicilli* etiam *epistolae* vocantur: *L.* 89. *pr. D. de Legat. II. L.* 41. §. 2. *D. de Legat. III.* Et quamvis vulgo differentiam statuant inter codicillos et epistolas fideicommissarias, ut facit Petr. Müllerus *ad Struv. Ex. XXIV.* 68. non opus tamen esse hac subtilitate praeclare evicit laudatissimus Boehmerus *Diss. laud.* c. 1. §. 7. et 8. *Hein.*

30

quitatibus legisset, ratum pensumque habere solebat: Gellii *Noctt. Att. XIII.* 12. ac proinde magna apud omnes auctoritate, teste Tacito *Annal. III.* 75. erat) codicillos fecisset: jam nemini dubium erat, quin jure optimo codicilli admitterentur. Ita rem refert Justinianus ipse *princ. Inst. h. t.*

§. 13.

Formulae codicillorum.

Non aliter vero concipi solebant codicilli ac epistolae. Hinc praemittebatur sollemnis illa, qua epistolas auspicari solebant, salutatio: *L. Titius heredibus primis et substitutis salutem: L.* 56. *D. de Fideic. libert. L.* 37. §. 2. et 3. *D. de Leg. III. L.* 30. §. 1. *de Adim. vel transf. leg.* Nec tamen semper ad heredes, sed et nonnumquam ad ipsos fideicommissarios verba dirigebantur. Cujus rei exemplum exstat *L.* 75. *pr. D. de Leg. II.* Integras formulas Latinas aeque ac Graecas magno studio collegerunt Barn. Brisson. *de Form. VIII. p.* 686. *sq.* et Guido Pancirolus *Thesaur. Varr. Lectt. I.* 29.

§. 14.

Codicilli testamento confirmati.

Confirmati tamen codicilli esse debebant testamento, ut heredi necessitas imponeretur praestandi, quod erat rogatus. Hinc testamentis inseri solebat formula: *si quos codicillos reliquero, valere volo: L.* 56. *pr. D. de Fideic. libert.* Alias ultimam defuncti voluntatem implere non debebat heres, nisi ultro vellet. Quod facere se solere, ait Plinius *Epistt. II.* 16. Sed postea per Severi et Antonini constitutionem illa codicillos confirmandi necessitas remissa est, modo adpareret, testatorem a voluntate, quam in codicillis expresserat, non recessisse: Ant. Faber *Conject. XV.* 16. [r]).

§. 15.

Sollemnitatibus an opus fuerit in codicillis?

Ex his ergo facile adparet, in codicillis non magis, quam in epistolis, desideratam esse ullam sollemnitatem: §. 3. *Inst. h. t.* Non ergo testibus opus erat in codicillis testamento confirmatis, qui omnem virtutem atque efficaciam suam a testamento mutuabantur,

---

r) Add. Schrader ad *pr. I. de codic.* v. *testamento. Mühl.*

ut recte animadvertunt Bachovius *ad tit. Inst. de Fideicommiss. hered.* §. *ult.* et Boehmerus *Diss. eadem c.* 1. §. 10. Sane in Digestis numquam exiguntur testes, imo alia omnia elucent ex *L.* 8. §. 2. *D. de Jure codicill.* et *L.* 89. *pr. D. de Legat. II.* Quin nec in codicillis ab intestato necessarios visos esse testes, erudite probat laudatissimus Boehmerus *Diss. ead. c.* 1. §. 23. *p.* 22.

§. 16.

Jus novum sensim introductum.

Sed et hanc antiqui juris simplicitatem sensim pervertit sequentium Imperatorum νομοθεσία. Hac permissum, ut codicilli etiam nuncupatione, sine ulla scriptura, fierent: *L.* 13. *C. de SS. Eccles. L.* 3. *pr. C. de Bon. libert.* Id quod tamen codicillorum ab indole plane abhorret [s]). Hinc ex eo tempore etiam testibus opus visum est, quos in codicillis ab intestato primum exegit Constantinus M. vel, ut alii malunt, Constantius [t]): *L.* 1. *C. Theod. de Testam. et codicill.* Postea Theodosius vulgo dicitur generatim in omnibus codicillis testes desiderasse ob *L. ult.* §. *ult. C. de Codicill.* [u]). Sed jam Jacobus Gothofredus animadvertit, comma ultimum illius legis non esse Theodosii, verum a Triboniano adsutum, quod etiam ex *L.* 7.

---

s) Caeterum jam Ulpianus meminit *fideicommissi sine scriptura pronuntiati, L.* 5. §. 1. *D. de re jud.* Quid? quod *nutu* etiam relinqui poterat fideicommissum, *L.* 21. *pr. de leg.* III. Verumtamen nihil impedit, quo minus utrumque, et dictum et factum, in ipso testandi actu explicandum fuisse dicamus. Id quod innuere videtur Diocletianus imp. ita verba faciens: „Et — — sine scriptura, immo etiam nutu fideicommissum relinqui posse *adhibitis testibus*, nulla dubitatio est;" *L.* 22. *C. de fideic.* Quem quidem locum alii aliter interpretantur. Vid. Boehmer. *not. seq. alleg.* et Danz *de ext. cod. forma* p. 15. sq. *Mühl.*

t) Vulgo jam Diocletiani tempore testes adhibendos fuisse codicillis, colligunt ex *L.* 22. *C. de Fideicomm.* Sed conferatur Boehmerus *Diss. ead. c.* 1. §. 25. *p.* 24. (et nota proxime superior s.) *Hein.*

u) Rem sic habeto. Primum Constantinus (non Constantius) Codicillos, *quos quidem testamentum non praecesserit*, aliter fieri noluit, nisi septem vel quinque testes intervenerint, i. e. nisi aut praetorii aut civilis testamenti formâ (vid. supra Tit. X. §. 13.) adhibitâ. Quo ita constituto, inter codicillos, quos in futurum non confirmaverat testator, et solenne testamentum, nihil quidem qua *externam formam* superfuit differentiae; at *internorum* ratione vetus jus et aliquanto post retentum est, hoc pacto, ut in codicillis nec verbis civilibus s. directis opus esset, nec heredis institutione, quae aliter nisi verbis solennibus, adeoque codicillis fieri plane nequivit, non magis, quam exheredatio (Gaj. II. §. 173). Ex quo autem omnino in ultimis voluntatibus verborum formularumque obser-

C. Theod. de Testam. et codicill. clarissime patet. An testes etiam in codicillis, testamento confirmatis exegerit Justinianus, adhuc sub judice lis est. Plerique adfirmant ob *L.* 28. §. 1. *C. de Testam. L. ult. C. de Codicillis:* sed non contemnendis rationibus id negat laudatus Boehmerus *Diss. ead. c.* 1. §. 27. *sq. p.* 26. *sq.*

---

vatio insuper haberi coepit, tum vero conspirantibus et legibus et moribus, civilis et praetorii testamenti solennitas in unam coaluit formam, necessarium visum fuit, ne prorsus confunderetur codicillorum et testamentorum jus, formae differentiam statuere, qua codicilli internoscerentur a testamentis. Idque perfecit Justinianus *L.* 8. §. 3. *C. de Codicillis*, non plane atque aperte, verum misere interpolando Theodosianae constitutionis clausulam, quae a Visigothis omissa, et nostris demum temporibus reperta, nunc in novissima Theodosiani codicis editione legitur; vid. *L.* 7. *Th. C. de testam. et codic.* p. 368. sqq. *corp. jur. Rom. antejustin.* Bonn. Cf. et Danz *comm. laud. Mühl.*

JO. GOTTL. HEINECCII JC.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

JURISPRUDENTIAM ILLUSTRANTIUM

SYNTAGMA

SECUNDUM ORDINEM INSTITUTIONUM JUSTINIANI.

PARS II.

LIB. III. TIT. I.*

DE

HEREDITATIBUS, QUAE AB INTESTATO DEFERUNTUR [a]).

Quam libera et lata fuerit Romanorum de facultatibus suis disponendi potestas, ex iis, quae adhuc dicta a nobis sunt, satis intelligitur. Si quis vero eo arbitrio non esset usus: bona devolvebantur ad proximas necessitudines, eaequae HEREDITATES vocabantur LEGITIMAE: *L.* 1. 2. 3. *D. de Petit. heredit. L.* 1. §. 8. *D. ad SCtum-Tertull.* nec non HEREDITATES INTESTATORUM: *Auct. Collat. Legg. Mosaic. et Roman. c.* 16. Quum ergo antiquum succedendi ordinem totum immutarint leges recentiores, et maxime *Novella CXVIII:* operae pretium facturi videbimur, si antiquitates Romanas hic rimemur paullo adcuratius.

§. 1.

Primi omnium succedebant heredes sui.

Veteres Romani in successione intestatorum non id agebant, ut heredes essent, quos defunctus reliquis cariores habuisse videretur, (quod principium postea Justiniano placuit) sed ut facultates penes familiam manerent, nec ad alias gentes pervenirent. Itaque non alios ad intestatorum hereditatem vocabant, quam qui ejusdem essent gentis et familiae: V. A. Bynkershoek *Observatt. II.* 1. Et hinc est, quod hujusmodi hereditates REDIRE dicerentur: Terentius *Andria Act. IV. sc.* 5. *v.* 4.

Ejus morte ea ad me lege REDIERUNT *bona.*

Ad quae verba adposite Donatus: *Hic jus tractavit, dicendo:* REDIERUNT, *quia in familiam redeunt, si non est heres de proximo, aut ex testamento.* Primo omnium vero intestatorum hereditas deferebatur

---

a) Quir. Glieb. Schacher Diss. *Spec. historiae jur. civ. vicissitudines successionis ab intestato apud Romanos exponens.* Lips. 1762. 4. Christ. Fr. Glück *Hermeneut. system. Erörterung der Lehre von der Intestaterbfolge nach den Grundsätzen des ältern und neuern Röm. Rechts.* 1) Erlang. 1803. 2) auct. et emend. ib. 1822. 8. *Haub.* Add. C. F. Rosshirt *Einleit. in das Erbrecht u. Darst. des ganzen Intestaterbrechts.* Landsh. 1831. *Mühl.*

HEREDIBUS SUIS [b]), idque ex legibus XII Tabularum est [c]), in quibus ita fuerat cautum: AST SI INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, ADGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO: Paul. *L.* 9. §. 2. *D. de Liber. et postum.* Ulpiani *Fragm. XXVI.* 1. (Gaj. III. 1.) Jacobi Gothofredi *Leges XII Tabb. tab. V.* 2. Non ergo singulare fuit in XII Tabulis caput de successione suorum, nec proprie dici potest, eos ad successionem lege vocari, quia per se et ipso jure heredes erant, et jus sui heredis eos dominos quodammodo faciebat, etiam vivo parente: §. 2. *Inst. de Hered. qual. et differ. L.* 11. *D. de Lib. et postum.* adeo, ut eorum successio non tam hereditas esse videretur, quam continuatio dominii: Cujacii *Observatt. XXV.* 14. Jacob. Gothofredus *ad Legg. XII Tabb. tab. V.* Ant. Faber *de error. pragmat. Dec. III. err.* 1. [d]).

§. 2.

Quinam dicti heredes sui?

Vocabantur vero heredes SUI, in potestate defuncti constituti, quique proximum potestatis locum obtinebant. (Gaj. III. 2. 3.) Tales erant et filii et filiae. Neque enim Decemviri ea in re sequuti erant jus Atticum, quod primo ordine filios, et post eos demum filias ad hereditatem paternam admittebat: Isaeus *Orat. IX.* Sed ab initio urbis filii et filiae aequo jure heredes sui erant: Perizonius *de L. Vocon. p.* 133. Porro sui heredes erant nepotes et neptes ex filiis masculis, quos in potestate avus habebat, dummodo in potestatem patris non essent recasuri: Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 8 4. *sq.* Nec intererat, naturales essent hi liberi, an adoptivi. Imo et uxor, quae in manu erat mariti, et nurus, quae in manu erat filii, quem quis in potestate habebat, inter suos heredes referebantur, teste Ulpiano *Fragm. XXII.* 14. et Gajo *apud Auctorem Collat. Legg.*

---

b) Ludw. Frid. Griesinger *Geschichte und neue Theorie der Suität.* Stuttg. 1807. 8. *Haub.* Cf. Mühlenbruch in *continuatis comment. Glückian.* T. XXXVI. p. 140—178. *Mühl.*

c) Imo et jam antea sub regibus heredes suos ab intestato primos omnium successisse, existimat Schultingius *ad Ulpiani Fragm. p.* 665. eaque in re discessionem facit a Galvano *de usufruct. c.* 8. §. 13. *sq.* qui hanc legem ex institutis Solonis derivare mavult. *Hein.*

d) Praecipue huc facit locus Plauti *Trinummo Act. II. sc.* 2. *v.* 53. apud quem Lysiteles patri interroganti, num de suo subvenire amico vellet, respondet:

De meo: nam quod tuumst, meumst: omne
meum autem tuumst. Hein.

Mosaic. et Roman. Tit. XVI. 2. Gell. *Noctt. Att. XVIII.* 6. Dionys. Halic. *II.* 25. e). Idem jus sequiore aevo consequebantur liberi, sive per subsequens matrimonium, sive per curiae dationem, sive per rescriptum principis legitimati, modo hi postremi in hunc finem legitimati essent, ut succederent: §. 2. *Inst. h. t.*

§. 3.

Sui etiam adcensebantur postumi, reversi ex captivitate, bis mancipati, per errorem ex impari connubio procreati.

Quin et *post mortem patris nati, vel reversi ab hostibus, aut ex primo secundove mancipio manumissi, cujusve erroris caussa probata, licet non essent in potestate, sui tamen patri heredes efficiebantur,* ut tradit Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 8. 7. Quem locum ut intelligamus, sciendum est, loqui eum I. de *postumis:* nam et hi sui heredes erant, quia si vivo parente nati essent, in ejus potestate fuissent futuri. (Gaj. III. 4.) II. De *reversis ex captivitate,* qui ut omnia jura, ita et civitatem ac suitatem postliminio recipiebant: §. 4. *Inst. h. t.* f). III. De *filiis ex primo vel secundo mancipio manumissis.* Si enim filiusfamilias emancipandi gratia alicui fuerat mancipatus, ac in hujus mancipio ad tempus manserat (quod poterat fieri), amittebat jura suitatis. Ex primo vero et secundo mancipio manumissus eadem recipiebat, siquidem nonnisi ter venditus, et ter manumissus, a patria potestate liberabatur. Quemadmodum ergo primum et secundum manumissus, si tertia mancipatio non adcessisset, testamentum patris rumpebat: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 3. ita idem et ab intestato succedendi jus recuperabat: Gaji *Inst. II.* 8. 1. (III. 6.) Denique et IV. de iis loquitur Paulus, *quorum erroris caussa fuerat probata.* Per errorem scilicet nonnumquam contrahebatur matrimonium inter disparis conditionis personas, veluti si civis Romanus peregrinam aut Latinam, aut dedititiam duxisset, quam civem existimarat, aut si civis Romana per errorem nupsisset peregrino, vel Latino, vel dedititio. Quotiescumque id fuerat factum, cessabat suitas, siquidem liberi ex ejusmodi nuptiis procreati in potestate haud erant. At si erroris caussa probata erat, parentes ipsi aeque ac liberi

---

e) Cf. supra *Lib. I. Tit. X.* §. 4. 6. et Pithoeus *ad Collat. Legg. Roman. et Mosaic. p. m.* 790. *Hein.*

f) Sin in captivitate obiissent, fingebantur ante captivitatem decessisse ex lege Cornelia: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 5. *Hein.*

eorumdem et civitatis, et familiae jura adipiscebantur: Ulpiani *Fragm. VII.* 4. g). Add. *Comment. nostr. ad L. Jul. et Pap. Popp. II.* 1. *p.* 117.

§. 4.

Quomodo heredes sui successerint?

Hi ergo heredes sui omnes quidem hereditatem partiebantur, sed ita, ut filii filiaeque in capita; remotiores in stirpes, hoc est, in patris sui locum portionemque succederent: §. 6. *Inst. h. t.* (Gaj. III. 7. 8.) Nec ullum inter filios filiasque, nepotes neptesque intercedebat discrimen, quippe qui aequis portionibus, nullaque habita sexus ratione defunctorum hereditates consequebantur, ut erudite docet Jac. Perizonius *Diss. de lege Vocon. p.* 133. *sq.* At has quidem feminarum hereditates demum coërcuit lex Voconia, qua praeter alia fuerat cautum, ne femina ad ullam defunctorum successionem admitteretur: Perizonius *l. c. p.* 135. Eaque lex etiam ad heredes suas et consanguineas pertinebat, adeo, ut neque unicam filiam heredem instituere liceret: Augustinus *de civit. Dei III.* 21. imo ne fidei quidem commissam hereditatem restituere ei feminae, cui destinata erat a testatore: Cicero *de Finib. II.* 17. §. 55. Nec enim tantum ad testamenta haec lex pertinebat; verum etiam ad hereditates ab intestato, ut luculenter idem demonstravit Perizonius *p.* 105. *sq.* Hinc, quum Polybius *Excerptis de virtutibus et vitiis p.* 158. [* ex *edit.* Henr. Valesii *Paris.* 1634. 4.] retulisset, Scipionem Africanum hereditatem maternam permisisse sororibus, statim addit, ἧς (sc. οὐσίας) οὐδὲν αὐταῖς προσῆκε κατὰ τοὺς νόμους, *ex qua nihil ad ipsas secundum leges pertinebat.* Ubi per νόμους (*leges*) intelligenda lex Voconia. Ex quo vero lex illa Voconia oblitterata est per opulentiam civitatis (Gellius *Noctt. Att. XX.* 1.): mansit tamen mos, ut feminae ad hereditates legitimas saltem ultra consanguineas non admitterentur. Quod institutum ex ratione legis Voconiae derivat Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 8. 12. h).

---

g) Gaj. III. §. 5. Vid. supra Lib. I. Tit. VI. §. 5. not. c. *Mühl.*

h) Lege Voconia nihil de mulierum successione ab intestato cautum esse, Savignius *Comm. supra ad II.* 14, 2. *laudata* probavit. *Haub.* Idem alii quoque ostenderunt scriptores, quorum ibi mentionem fecimus, nemo tamen melius Hassio (in *Mus. Rhen.* III. p. 183. sqq.) docuit, quomodo intelligendum sit, quod Paulus dicit, Voconiana ratione esse effectum, ut non ultra consanguineas foeminae ad legitimas hereditates admitterentur. *Mühl.*

§. 5.

Inter suas heredes erant etiam uxores, quae in manum convenerant.

Ad uxores quod attinet, eas, si in manu essent, inter suas fuisse heredes, adeoque marito successisse, jam supra §. 2. observavimus, idque diserte tradit Dionys. Hal. *II.* 25. ubi eas dicit fuisse κοινωνοὺς ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, *participes omnium bonorum pariter ac sacrorum.* Idque firmatur exemplo Laurentiae, quae mortuo marito Tarrutio, admodum locuplete, omnium bonorum ejus facta est compos: Macrobius *Saturnal. I.* 10. Plutarchus *Quaestt. Roman. c.* 35. Quamvis, utrum ex testamento, an ab intestato successerit, nondum liqueat. At postea et id mutatum [i]), forsan quod rarius uxores in manum convenire coepissent. Unde invaluit, ut denique uxores nonnisi ex edicto Praetoris UNDE VIR ET UXOR ad bonorum possessionem vocarentur. Qua de re infra erit agendum.

§. 6.

Jus suitatis quo pacto sublatum.

Tollebatur illud jus suitatis quum majore ac media capitis deminutione, tum etiam emancipatione. Hinc emancipati omni hereditate excidebant, nec ullum erat medium jure civili proditum ad aliquam paternarum facultatum partem consequendam: §. 9. *Inst. h. t.* (Gaj. III. 19.) Imo nec emancipatorum filii, si essent post emancipationem concepti, suorum heredum loco erant avo: §. 9. *Inst. Quib. mod. jus patr. pot. solv.* adeoque nec hi ullam avitae hereditatis partem sortiebantur, quemadmodum nec adoptati a filio emancipato: Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 8. 12.

§. 7.

Emancipatis succurrebat Praetor.

Consuluit tamen emancipatis Praetor naturali aequitate motus: siquidem edicto UNDE LIBERI eis dedit bonorum possessionem, non secus, ac si tempore mortis in potestate parentis fuissent: *tit. D. Unde liberi.* (Gaj. III. 25. 26.) Quo beneficio etiam emancipatorum liberi fruebantur: non vero eorum adoptivi, qui ne tamquam quasi cognati quidem bonorum possessionem petere poterant: Paulus *Sententt. Receptt. VI.* 6. 12. Nec eodem Praetoris edicto vocabantur ipsi emancipati, si se aliis in adoptionem dedissent, nisi

---

i) Non mutatum est hoc jus, sed cum ipsa in manum conventione sponte ex usu recessit. *Mühl.*

ante mortem patris iterum fuissent emancipati. Tunc enim jus Praetorium versus suum parentem recuperabant: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 8. §. 10. 11. *Inst. h. t.*

§. 8.

Jus recentius, quo discrimen inter suos et emancipatos sublatum.

At omnia haec jus recentius correxit, quippe quo et emancipati ad parentum successionem vocantur: *Nov. CXVIII.* 1. (collatis tamen bonis antea acceptis) et ipsi, qui se in adoptionem aliis dederunt, per *L. pen. C. de Adopt.* [k]).

§. 9.

Nepotes ex filiabus inter cognatos succedebant.

Quae de nepotum neptiumque successione supra diximus: ea ad eos demum easve pertinent, qui quaeve ex virili sexu descendebant. Nam qui ex filiabus nati fuerant nepotes, aut ex neptibus pronepotes, ii non una cum filiis et filiabus nepotibusque ex filiis ad successionem vocabantur, sed post adgnatorum lineam inter cognatos connumerari consueverant: §. 15. *Inst. h. t.* Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 8. 10. At hoc quoque mutandum putarunt Valentinianus, Theodosius et Arcadius Imperatores: *L.* 9. *C. de Suis et legit. lib.* qui jusserunt nepotes ex filia avo materno aviaeque una cum defuncti filiis ac filiabus succedere; ita tamen, ut duas tantum partes maternae portionis acciperent, tertia penes filios filiasque maneret. Sed et id denique mutavit in *Novella CXVIII.* 1. Justinianus [l]).

§. 10.

Heredes sui succedebant etiam ignorantes.

Id adhuc videtur monendum, suos heredes, quia ipso jure tales erant, etiam ignorantes esse hereditatem consequutos, veluti furiosos, infantes, peregrinantes, nec tutoris auctoritate pupillo, nec

---

k) Verum huj. l. sensum aut non assecutus est Auctor, aut saltem non reddidit. Maxima ex parte de eo loquitur Lex, quem pater *extraneo* in adoptionem dat, quippe qui jura omnia in naturalis patris familia retineat, adoptivi autem patris non aggregetur familiae. De homine vero sui juris, qui ipse se adrogandum dederit, in extrema legis parte diserte cautum est, intactum illibatumque jus antiquius in ejus persona servari. *Mühl.*

l) Vocat id jus barbarum *principio Novellae XXI.* quum tamen et Deus filios filiabus in hereditate praeferendos sanxerit: *Num. c.* 27. *v.* 8. Cf. Jacob. Perizonius *ad L. Vocon. p.* 109. Seldenus *de success. Hebr. I. pag.* 2. *Hein.*

furiosis consensu curatoris fuisse opus, nisi forte solvendo haud esset hereditas: Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 8. 5. et 6. (Cf. Schulting *ad h. l. not.* 20.).

LIB. III. TIT. II.

DE

LEGITIMA ADGNATORUM SUCCESSIONE.

Deficientibus heredibus suis, lex duodecim Tabularum ad superiorem titulum §. 1. relata, ad successionem vocabat proximos ADGNATOS, et, his quoque deficientibus, GENTILES. Unde de legitima ADGNATORUM GENTILIUMQUE SUCCESSIONE ad hunc titulum erit agendum.

§. 1.

Adgnati quinam dicti?

Adgnatos definiunt Jureconsulti *cognatos, per virilis sexus personas cognatione conjunctos*, sive naturale sit id vinculum, sive civile, quale est adoptio. Nam et per adoptionem quis adgnationis jura consequitur: §. 2. *Inst. h. t.* Dictos vero ita putant, quasi *a patre cognatos:* §. 1. *Inst. de Legit. adgnat. tutela* §. 1. *Inst. h. t.* eamque etiam LEGITIMAM COGNATIONEM vocant Gaji *Inst. II.* 8. 3. (III. 10. cf. cum I. 156.) *L.* 12. §. *ult. D. de Rit. nupt.* [a]). Sed quamvis ea omnia recte se habeant, si adgnati opponantur *cognatis:* minus tamen sufficit definitio, si *adgnati* distinguendi sint a *gentilibus.* Nam et hi sunt cognati, per virilis sexus *personas cognatione conjuncti* [b]), et

---

a) Alias tamen *legitima cognatio* ea est, quae adoptione constat, adeoque opponitur *naturali: L.* 4. §. 2. *D. de Gradib. et adfin.* Cf. Brissonius *de Verb. Sign. Lib. X.* sub vocc. *legitimae cognationes. Hein.* Quaeritur, an etiam adgnatio sit in linea recta, adeoque filius patri adgnatus proximus: adfirmant Cujacius et Schultingius: negat d'Arnaud in *Variis Conjectur. L. I. c.* 6. Sed hunc refutavit Püttmannus in *Interpretatt. et Observatt. c.* 10. *Adgnati* dicti sunt vel omnes filii, quod patri adgnascebantur, vel proprie filii minores, qui primogenito in eamdem hereditatem et familiam patris adgnascebantur: postea vero ut filii et sui heredes ab adgnatis coepere distingui, adgnatorum voce fratres potissimum sunt designati: sed et extensa est paullatim haec adgnatio usque ad sextum vel septimum gradum: vid. Perizonius *ad Mel. Lib. I. c.* 8. in *Misc. Obss. Amstelod. Vol. VIII. p.* 118. *Cann.*

b) Hoc non ita esse, eo in loco, qui mox sequetur (§. 2. not. e) exponemus. *Mühl.*

tamen in legibus XII Tabularum ab adgnatis sejunguntur. Quare paullo adcuratius ex antiquitatibus Romanis, quinam adgnati, quinam gentiles, quinam cognati denique dicti sint, erit indagandum.

§. 2.

Romanorum gentes, familiae, nomina. Quinam adgnati? quinam gentiles?

Romanorum multae erant GENTES, *patriciae* partim, partim *plebejae* c), quas adcurate descripserunt Glandorpius, Ant. Augustinus, Fulvius Ursinus, et qui hujus opus multis additamentis locupletarunt, Car. Patinus et Vaillantius. Singulae gentes nominibus suis distinguebantur, et hinc gens alia dicta est *Cornelia*, alia *Sempronia*, alia *Tullia*, alia *Cincia*, et sic porro. Quemadmodum vero fieri solet, ut gens una in varias stirpes ac familias abeat: ita et Romae unius gentis plures fuere familiae, quae et ipsae cognominibus suis discernebantur: Festus *p.* 161. [* ex *edit.* Andr. Dacerii *Amstelodami* 1699. 4.] *Gens adpellatur, quae ex multis familiis conficitur.* Sic e Cornelia gente natae sunt familiae *Scipionum*, *Lentulorum, Sullarum, Cinnarum, Cossorum, Dolabellarum.* Denique, quum et familiae denuo in novas stirpes abirent, factum est, ut et hae *adgnominibus* secernerentur. Sic gens *Virginia* in plures familias abiit, hinc cognomina *Tricostorum*, *Rufforum*, etc. *Tricostis* iterum in diversas stirpes divisis, nata inde sunt adgnomina *Rutilorum* et *Caelimontanorum.* Et inde est, quod Romani tot usi sint nominibus, quorum primum, quod personae proprium erat, *praenomen* d); secundum, quod universae genti commune, *nomen*; tertium, quod familiam ex ea gente notabat, *cognomen;* et quartum denique, quod stirpem plerumque ejus familiae, vel aliquam rem gestam, vel

---

c) Antiquissimis quidem reipublicae temporibus soli patricii gentem habere dicebantur. P. Decius apud Livium *X.* 8. *Semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere.* Hinc etiam patricii alii *majorum*, alii *minorum gentium* dicebantur: Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I. 7. p.* 109. At postremo quum honores, auspicia, connubia cum plebe communicarentur: etiam gentilia jura acceperunt plebeji. Unde aliae gentes patriciae, aliae plebejae. *Hein.*

d) Singulare id fuit in gente Sulpicia, quod duplici saepe praenomine usa sit, altero communi *Servius;* altero proprio singulis: e. g. *Cajus:* Fulv. Ursinus *de famil. Rom. p.* 268. quamvis errare videatur vir doctissimus, quum id semper in gente Sulpicia observatum esse existimat. Nam celeberrimus Jureconsultus uno plerumque *Servii* cognomine usus est, nec duo habuisse videtur viris doctissimis, et maxime V. C. Ever. Ottoni in *vita Servii Sulpicii c.* 1. §. 4. *Tomo V. Thesaur. jur. p.* 1561. *Hein.*

fatum, habitumve corporis aut animi indicabat, *adgnomen* dicebatur. Sic in nomine A. VIRGINIUS TRICOSTUS CAELIMONTANUS, *Aulus* erat *praenomen*, huic viro proprium; *Virginius nomen* gentilitium; *Tricostus cognomen*, familiam illam gentis Virginiae, ex qua Aulus prodierat, designans; denique *Caelimontanus adgnomen*, quod certam illius familiae stirpem denotabat. Vid. Car. Sigonius *de nom. Rom. p.* 1403. et 1427. ex *edit.* Dionys. Gothofredi. Jam facile ergo patet, quinam fuerint ADGNATI, quinam GENTILES dicti? Quicumque ex eadem stirpe familiaque prodierant, vocabantur adgnati. Sic P. Cornelio Scipioni omnes Scipiones erant adgnati. Quicumque vero ex eadem Cornelia gente descenderant, veluti Lentuli, Cossi, Cinnae, Sullae, Dolabellae, ei erant gentiles. Hinc Cicero in *Topic.* c. 6. *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt; qui ab ingenuis oriundi sunt; quorum majorum nemo servitutem servivit; qui capite non sunt deminuti.* Et Festus sub voce *Gentilis p.* 161. *Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus, et is, qui simili nomine adpellatur, ut ait Cincius: gentiles mihi sunt, qui meo nomine adpellantur.* Adparet ergo, gentiles esse omnes, qui eodem nomine utuntur. Quod vero Cicero addit, *qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit,* inde factum est, quod et liberti patronorum nomina aeque ac cognomina adsumebant, qui tamen ideo non erant gentiles. Sic *P. Terentius Afer* non fuit Terentiorum gentilis, quia ipse non erat ingenuus, quemadmodum et *Tiro* non ideo erat M. Tullii adgnatus, quia et ipse id cognomen adsumserat. Denique idem Cicero addit, gentiles non debere esse *capite deminutos.* Capitis enim deminutio, etiam minima, ut supra dictum, familiae jura perimebat [e]).

---

e) Cum plerisque suae aetatis scriptoribus gravissimo in errore versatur Heineccius, dum putat, generis et sanguinis origine inter se semper fuisse conjunctos, qui ejusdem essent gentis. Meliora quidem jam odoratus est Ern. Mart. Chladenius *in libro singul. de gentilitate veter. Romanorum* (Lips. 1742. 4.) Cap. I. §. 3. p. 6.; at ipse a via rursus deflectit, gentiles definiens *esse cives Romanos ejusdem gentis, de quorum tamen proximitate consanguinitatis non constaret.* Alii fuere, qui dicerent: ad decimum usque agnatorum gradum familiam esse computatam, in ulterioribus vero gradibus constitutos gentilium numero habitos, velut Hotomanus ad §. 5. *J. de succ. cognatorum,* ubi Justinianus: „hoc loco," inquit, „admonendi sumus, agnationis quidem jure admitti aliquem ad hereditatem, *etsi decimo gradu sit.*" Jam vero inter omnes constat, gentem fuisse plurium familiarum nominis et sacrorum communione inter se conjunctarum

§. 3.

Lex XII Tabularum de successione adgnatorum.

Jam ut ad ipsam adgnatorum successionem veniamus: de ea ita cautum fuerat in legibus XII Tabularum: AST SI INTESTATUS MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, ADGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO. Non ergo vocabantur adgnati, nisi deficientibus heredibus suis [f]). Nec omnibus simul adgnatis lex dabat hereditatem, sed ei tantum, qui tunc, quum certum esset, aliquem intestato decessisse, proximo gradu erat. (Gaj. III. 9. 11.) Qua in re adeo legis litterae inhaerebant juris interpretes, ut, si proximus adgnatus omisisset, vel ante aditam hereditatem decessisset, non daretur ad hereditatem adcessus remotioribus [g]): §. 7. *Inst. h. t.* Gaji *Inst. II.* 8. 4. (III. 12. 13.) Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 8. 23. Ulpiani *Fragm. XXVI.* 5. Fabrotus *ad Theophilum* §. 7. *de Legit. adgn. succ.*

§. 4.

Plures ejusdem gradus adgnati succedebant in capita.

Sin plures ejusdem gradus essent adgnati, omnes succedebant in capita, sive masculi essent, sive mulieres. (Gaj. III. 15. 16.) Neque enim XII Tabulae ullum inter sexus hac in re statuerant discrimen, ut recte animadvertit Justinianus §. 3. *Inst. h. t.* et Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 8. 22. Postea autem exclusae sunt adgnatae

---

complexum. Et in singulis quidem gentibus hi prae ceteris vocati sunt gentiles, qui antiquo genere nati, sive in nobiliore gentis familia erant; ad eosque spectat gentilium definitio, quae in Cic. *Top. c.* 6. prodita est. Iidemque etiam *gentem habere* dicebantur, quoniam penes ipsos omne erat *jus gentilitium*, velut jus succedendi; humiliorum familiarum consortes tantum *erant in gente*. Neque vero de omnibus singulisque quaestionibus inter se consentiunt, qui nostra aetate hac de re scripserunt, velut de *plebejarum gentium* origine, vi ac potestate, tum vero de gentilium successione (vid. infra §. 7.) Cfr. Hugo *R. G.* (XI.) p. 71. 85. 86. 139. 167. 263 — 268. 459. Niebuhr *Röm. Gesch.* I. p. 317 — 348. (ed. 2.) Zimmern *R. G.* §. 230. Walter *R. G.* p. 17 — 20. Huschke *Studien des Röm. Rechts* p. 135 — 156. Id. *Verfass. des Königs Serv. Tullius* p. 26. sq. p. 68 — 71. p. 116. sq. *Mühl.*

f) Et ita quidem deficientibus, ut ne spes quidem superesset. Nam *quamdiu suus heres speratur heres fieri posse, tamdiu locus adgnatis non est: velut si uxor defuncti praegnans sit, aut filius apud hostes sit:* Ulpiani *Fragm. XXVI.* 3. *Hein.*

g) Existimant quidem Aleander et Jac. Oiselius *ad Gajum ibid.* adgnatum remotiorem jure civili exclusum, a Praetore vocatum edicto *Unde cognati*: sed id quidem non fiebat, nisi simul esset proximus cognatus. Adgnato enim proximo non veniente, successive cognati vocabantur, ut recte observat Schultingius *Jurisprudent. Antejustin. p.* 139. *Hein.*

omnes, praeterquam sorores. Unde Paulus. *Sententt. Receptt. IV.* 8. 22. *Feminae ad hereditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur.* Add. Ulpiani *Fragm. XXVI.* 6. Quam mutationem jurisprudentiae mediae adscribit Imperator *d.* §. 3. Paulus vero id jure civili *Voconiana ratione* introductum esse dicit. Quod quomodo sit intelligendum, erudite exponunt Perizonius *Diss. de lege Vocon. p.* 106. *sq.* Schultingius *Jurisprud. Antejustin. p.* 412. (cf. supra Tit. I. §. 4. not. h.) Tamen et his consuluit Praetor, edicto *Unde cognati* eas ad successionem vocans: *d.* §. 3. *h. t.*

§. 5.

Quo jure successerint patres emancipatis liberis?

Non adgnationis, sed patronatus jure etiam succedebant patres liberis emancipatis, quos contracta fiducia emancipaverant: §. 8. *Inst. h. t.* Quod eleganter explicat Gajus *Inst. I.* 6. 3. *Tamen quum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre remancipetur, et a naturali patre manumittatur: ut, si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius, succedat.* Succedebat ergo pater filiis emancipatis, tamquam patronus, vel manumissor, si interposuisset illam fiduciam. Sin eam omisisset, succedebat eodem jure pater fiduciarius. Praetor tamen deinde, aequitate naturali motus, patrem naturalem vocavit ad bonorum possessionem edicto *Unde decem personae:* §. 1. et 2. *Inst. de Bon. poss.* (Vid. infra Tit. X. (IX.) §. 7.)

§. 6.

Mutationes novo jure invectae.

Sed haec omnia denuo mutavit jus recentius a Justiniano maxime introductum. Nam primo et remotiores adgnati, propioribus hereditatem repudiantibus, vocati sunt per constitutionem, cujus meminit Imperator §. 7. *Inst. h. t.* Deinde ad adgnatas quod attinet, iis idem jus dedit Justinianus, quo adgnati gaudebant, quamvis illae haud essent consanguineae: *L. pen. C. de Legit. hered.* Porro et fiducia non amplius opus erat, postquam Justinianus, edita constitutione, voluit, ut emancipationes semper interposita fiducia factae fingerentur: §. 8. *Inst. h. t.* Denique omnem, quae inter suos et emancipatos intercedebat, differentiam ratione successionis plane sustulit idem Justinianus *Nov. CXVIII.* 2., imo confusa sunt adgnationis et cognationis jura *eadem Nov.* 4.

31

§. 7.

Successio gentilium.

Deficientibus adgnatis, ex legibus XII Tabularum vocabantur GENTILES. Ita enim Decemviri: SI ADGNATUS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HABENTO: Ulpiani *Fragm. XXVI.* 1. (Gaj. III. 17.) Processit ergo lex XII Tabularum a domo ad familiam, a familia ad gentem, ex ea procul dubio ratione, ut ne bona, si cognati succederent, in aliam gentem transferrentur: Bynkershoek *Observatt. II.* 1. Meminit hujus gentilium successionis adhuc Cicero *de Orat. I.* 39. [b]) unde colligas, ejus tempore gentilitias successiones nondum in desuetudinem abiisse, quemadmodum et Caesarem refert Suetonius *C. Jul. Caes. c.* 1. a Sulla *uxoris dote et gentilitiis hereditatibus mulctatum.* Sed eas procul dubio abolevit Praetoris edictum, quo et cognati succedere jussi sunt. Sane sua jam aetate obsolevisse illam gentilium successionem, testantur Ulpianus *ibid.* et Gajus apud *Auct. Collat. Legg. Mosaic. et Roman. tit.* 16. §. 2. (*comm.* III. 17.).

LIB. III. TIT. III.

DE

SENATUSCONSULTO TERTULLIANO [a]).

Quum matres liberos non haberent in potestate, nec adgnatis possent adcenseri, nisi convenissent in manum: consequens erat ex juris Romani principiis, ut nec mutua esset inter matres liberosque successio. At postea hoc visum est ab aequitate pietateque abhorrere. Unde utrisque consultum est a posterioribus legislatoribus, et maxime duobus SCtis, de quibus hoc et insequente titulo uberius agendum.

§. 1.

Primus Praetor liberos ad matris et hanc ad illorum successionem vocavit.

Ac primum quidem Praetor, naturalem sequutus aequitatem,

---

b) — — „quum Marcelli ab liberti filio *stirpe*, Claudii patricii ejusdem hominis hereditatem *gente* ad se rediisse dicerent.“ De quo loco cf. Chladenius *de gentilitate veter. Rom.* cap. X. §. 4. Huschke *Studien* p. 141. et p. 149 — 155. Hugo *civ. Mag.* VI. num. 24. *Mühl.*

a) Cf. von Löhr *Von dem Erbrechte der Mutter vor der Nov.* 118. in Dessen *Magaz. für R. W.* u. s. w. T. IV. num. 8. p. 109 — 127. *Haub.*

matres ad liberorum, liberosque ad matrum successionem vocavit edicto *Unde cognati: princ. Inst. h. t.*

§. 2.

Postea et Claudius matribus hoc beneficium indulsit.

Postea et Claudius Imperator, misertus materni luctus, in solatium amissorum filiorum legitimas matribus detulit eorum hereditates: §. 1. *Inst. h. t.* Quo vulgo referunt locum Suetonii in *Claudio* c. 19. *Naves mercaturae caussa fabricantibus magna commoda constituit, pro conditione cujusque: civi, vacationem legis Papiae Poppaeae; Latino, jus Quiritium; feminis, jus quatuor liberorum.* Sed locus hic referri non potest ad jus succedendi, matribus trium quatuorve liberorum in bonis filiorum datum, quum id demum Hadriani temporibus inductum sit, sed ad liberationem a tutela, mulieribus ejusmodi concessam, teste Ulpiano *Fragm. XXIX.* 3. Schultingius *Adnot. ad h. l. p.* 677. Probabile est, quod observavit Cujacius *Not. posteriorib. ad* §. 1. *Inst. h. l.* et cum eo Janus a Costa, personale magis fuisse illud Claudii beneficium, quam jus omnibus commune mulieribus.

§. 3.

Senatusconsulti Tertulliani historia.

Tandem asperam illam juris civilis subtilitatem plane sustulit SCtum TERTULLIANUM, cujus de aetate in tanta fastorum Consularium obscuritate vix licet certi quidquam statuere. Divi Hadriani temporibus illud factum esse dicitur: §. 2. *Inst. h. t.* Sed quia, imperante Hadriano, nullus in fastis occurrit Tertullius Consul, quum contra sub Antonino anno Christi 158. memorentur *Tertullus et Sacerdos Coss.* dudum suspicatus est Cujacius in *Not. priorib. ad. Inst. h. t.* b) in illa Institutionum paragrapho intelligendum esse Antoninum Pium, qui et ipse aliquando ductum ex adoptione nomen *Hadriani* prae se tulerit. Vid. *L.* 37. *D. de Judic. junct. L.* 5. §. 1. *D. ad L. Jul. de Vi publ. L.* 91. *D. ad L. Falcid. junct. L.* 93. *D. eod. L.* 58. §. 3. *D. ad SCtum Trebell.* c). Sed dubito, an haec omnia rem conficiant. Nullus sub Hadriano in fastis occurrit Tertullus Consul:

---

b) Ita etiam Hotomanus *de Leg. p. m.* 157. Jan. Vinc. Gravina *de Legibus et SCtis c.* 83. *p.* 655. *sq. Hein.*

c) Addit Cujacius aliud exemplum, epistolam nimirum D. Hadriani de beneficio divisionis fidejussoribus concesso: §. 4. *Inst. de Fidejuss. L.* 26. *D. eod.* Nam et hanc D. Pii esse existimat, ob *L.* 49. §. 1. *D. de Fidejuss.* Sed falsum

31 *

sed quis nescit, plures uno anno suffectos fuisse, quorum rarius meminerint fasti Consulares? Sane in ipso jure nostro laudantur *Tertullus et Maximus Coss. L. 29. §. 5. D. Ad leg. Jul. de Adult.* quorum nec fasti faciunt mentionem, nec annus ipse certus est. Rarissimum deinde hoc, quod Hadriani et Antonini nomina confunduntur: nec temere unus pro altero videtur intelligendus. Juvare Cujacium videri posset Zonaras *XII.* [* *c.* 1. *T. I.*] *p.* 593. qui ait, legem esse Antonini Pii, qua statutum sit, ut liberis intestato mortuis parentes succederent, ac liberi, si ipsi liberis carerent, parentibus partem legitimam relinquerent. Sed ea omnia falsa esse, nemo historiae juris paullo peritior potest ignorare [d]). Nam et patri multo ante Pii tempora successio ab intestato data est etiam in bonis filii emancipati, eique jam antea competiit querela inofficiosi, et jus quoque quartae ad excludendam inofficiosi querelam antiquius esse, jam supra observavimus ad *Lib. II. Tit. XVIII. XIX.* §. 7.

§. 4.

Ejus aetas.

Quare tutissimum videtur statuere, SCtum Tertullianum omnino Hadriani temporibus fuisse confectum, Consulum vero suffectorum, sub quibus id factum, periisse memoriam, nec adeo certum annum ei facile posse adsignari [e]). Id modo exploratum videtur, Tertullianum SCtum Orphitiano esse antiquius, priusque matribus de bonis liberorum, quam liberis de bonis maternis fuisse prospectum. Cujus rei rationem, quam sese ignorare fatetur Vinnius *ad princ. Inst. de SCto Orphit.* hanc esse suspicatur V. C. Ant. Schultingius *ad Ulpiani Fragm. XXVI.* 8. *p.* 669. quod mater, si voluerit, pietatis officio per testamentum potuerit satisfacere, id quod per aetatem saepe non licuerit liberis. Quia ergo saepius liberorum hereditate exciderint matres, quam materna liberi: mirum haud esse putat laudatissimus

---

id esse, vel inde intelligitur, quod illa D. Hadriani Epistola edicto perpetuo fuit comprehensa: Paulus *Sententt. Receptt. I.* 21. 1. adeoque eam jam ante Antonini Pii imperium exstitisse oportet. *Hein.*

d) Idem sentiendum de narratione Chronici Paschalis *ad annum* 176. ubi tum constitutum esse ait auctor, ut ab intestato pater liberis succederet, ac filio ingrato τριούγκιον relinqueretur ex bonis paternis. Sed quam raro historici recentiores ea, quae ad jus pertinent, adcurate exponant, jam a Jac. Gothofredo ostensum est *ad L.* 1. *C. Theod. de Infirm. poen. coelib. et orbit. Hein.*

e) Cum auctore etiam sentit Schrader in not. ad §. 1. *I. h. t. Mühl.*

Schultingius, quod prius de matrum, quam de liberorum, successione cogitavit Senatus.

§. 5.

Ejusdem materia.

Ceterum SCto illo Tertulliano cautum est, ut mater ingenua trium, libertina quatuor liberorum jus habens, ad bona filiorum filiarumve admitteretur intestato mortuorum, licet ea in potestate parentis esset, ita tamén, ut, si alieno juri subjecta esset, jussu ejus adiret hereditatem, cujus juri esset subjecta: §. 2. *Inst. h. t.*

§. 6.

Quae matres ex hoc SCto successerint liberis?

Indulgetur ergo id beneficium matri, non item aviae, ut disertis verbis tradit Justinianus §. *eod.* Neque omnes matres eo beneficio gavisae sunt: sed quae jus liberorum habebant, de quo supra ad *Lib. I. Tit. XXV.* §. 2. *sq.* egimus. Et ingenuis quidem matribus tribus; Latinis jus Quiritium consequutis totidem; libertinis quatuor liberis opus erat, si vellent succedere in bonis liberorum: Jul. Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 9. 1. et 7. 8. Porro hos liberos fuisse oportebat vivos [f]), et quidem vel septimo pleno [g]), vel decimo mense natos, siquidem immaturi non proderant, quemadmodum nec tergemini uno partu editi [h]), nec monstrosi aut prodigiosi [i]), nec abortus abactique infantes proficiebant: Paulus *loc. cit.* §. 1. *sq.* Defectus tamen omnes, quin et ipsam orbitatem supplebat beneficium Principis, quo etiam jus liberorum consequebantur eae, quae numquam peperissent: de quo supra *Lib. I. Tit. XXV.* §. 8. diximus.

---

f) Mortui enim non proderant, ut nec in lege Papia Poppaea: *L.* 129. *D. de V. S. Hein.*

g) Ita fere Paulus *rec. sent.* IV. Tit. 9. §. 5. Quod tamen, quum minime congruat cum his, quae alibi eidem Paulo tribuuntur auctori (*L.* 12. *D. de statu hom.*), ita nos legere jubet Ger. Noodt in *comm. ad tit. de his qui sui vel alieni jur.* (opp. T. II. p. 21. sq.): *aut septimo mense, aut pleno decimo mense;* optima sane ratione. *Mühl.*

h) Nisi per intervalla infantes nati: qualia exempla sunt *L.* 3. *D. Si pars hered. pet.* et apud Plinium *Hist. Nat. VII.* 11. Vid. Paul. *sent. l. l.* §. 2. *Hein.*

i) Secus ac in lege Papia Poppaea, secundum quam etiam monstrosi partus numerum liberorum supplebant: *L.* 135. *D. de V. S.* Jacob. Gothofredus *ad L. Pap. c.* 12. Sed in promtu caussa est, siquidem in lege Papia de damno vitando, in SCto Tertulliano de captando lucro agebatur. *Hein.*

§. 7.

Quinam matribus praelati?

Observandum etiam est, anteferre hoc SCtum matri liberos defuncti, omnesque, qui ei heredum suorum loco sunt, sive primi gradus, sive ulterioris, quin et emancipatos, quippe quos et Praetor ante matrem ad bonorum possessionem vocabat. Praeferebatur etiam pater, ad quem ipsa lege hereditas bonorumve possessio edicto *Unde legitimi*, vel *Unde decem personae* pertinebat. Denique et frater consangineus matri praeferebatur, quin et adoptivus: *L.* 1. §. *ult. D. de Suis et legit. hered.* Soror vero consanguinea non excludebat matrem, sed simul cum ea adibat hereditatem pro dimidia, si filia decessisset: at, si filius, pro virili: *L.* 2. *C. Theod. de Sec. nupt.* Quae omnia breviter, at adcurate, complexus est Ulpianus *Fragm. XXVI.* 8.

§. 8.

Mutationes jure novo invectae.

Sed haec omnia suo more immutavit Justinianus. Nam praeterquam quod trium quatuorve liberorum jus noluit amplius a matribus desiderari, fratres etiam tam consanguineos, quam uterinos, matres excludere vetuit *Nov. CXVIII.* 2. Quae omnia a doctoribus uberius ad hunc titulum ipsamque Novellam istam solent explicari.

LIB. III. TIT. IV.

DE

SCTO ORPHITIANO.

Quemadmodum matribus consultum fuerat SCto Tertulliano, ita liberi ad successionem in bonis maternis vocantur SCto ORPHITIANO [a]), de quo hoc titulo disserendum.

---

a) Alterius SCti Orphitiani, quod ad manumissiones pertinuit, meminit Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 14. 1. quod idem esse cum hoc putat Guil. Ranchin. *de success. ab intest.* §. 5. 2. diversum a nostro mavult Schultingius *Jurisprud. Antejust. p.* 427. cujus sententia videtur verosimillima, quia vix intelligas, quid commune inter se habeat manumissio et successio liberorum in bonis maternis. *Hein.* Illum locum Pauli emendat Athanasius Oteyza in *Tom. I. Thesauri Jur. Meerman. p.* 459. *Cann.*

§. 1.

Ex legibus XII Tabularum matris intestatae hereditas non pertinebat ad liberos.

Ex legibus XII Tabularum ad liberos matris intestatae hereditas non pertinebat, quia feminae suos heredes non habebant: Ulpiani *Fragm. XXVI.* 7. Imo nec locus erat bonorum possessioni *Unde liberi* ad obtinenda bona materna: siquidem haec tantum suis dabatur, vel iis, qui sui mansissent, nisi fuissent emancipati: *L.* 1. §. 6. *D. Unde liberi.*

§. 2.

Poterant tamen liberi uti querela inofficiosi.

Poterat tamen contingere, ut liberis liceret maternam petere hereditatem, aut querelam instituere inofficiosi testamenti, etiam antequam liberi SCto Orphitiano ad successionem in maternis bonis vocarentur. Quando enim matres a patribus fuerant emancipatae, adeoque nullos habebant adgnatos, liberis ab intestato competebat bonorum possessio *Unde cognati:* qua impetrata, omnino testamentum matris poterant impugnare, quemadmodum idem licebat aliis, quibus haec bonorum possessio fuerat data: *L.* 6. *pr. D. de Inoffic. test.* Sin in manum convenissent matres, liberis suis erant loco consanguinearum, et hinc etiam hoc casu liberi tamquam proximi heredes ab intestato, hereditate adita, procul dubio poterant materna testamenta querela inofficiosi impugnare, arg. *L.* 7. *D. eod.* Et talia fuere exempla querelae inofficiosi adversus matrum testamenta motae ante SCtum Orphitianum, quorum meminit Valerius Max. *VII.* 7. 4. *VII.* 8. 2. Plinius *Epistt. V.* 1. Vid. Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 668.

§. 3.

SCti Orphitiani historia.

Sed praecipue liberis consultum est SCto ORPHITIANO, facto Rufo et Orphito Coss. *princ. Inst. h. t.* Atqui Julianus Rufus et Gavius Orphitus [b]), vel, ut in fastis Hub. Golzii *ad ann.* DCCCCXXX. vocantur, Vettius Rufus et Cornelius Scipio Orphitus, fasces tenuere A. U. C. DCCCCXXXI. Christi 178. teste Henr. Norisio *Epist. Consul. p.* 462. *Tom. XI. Thes. Ant. Rom.* Unde constat, eodem anno

---

b) *Orphitianum an Orphicianum* scribendum sit, nondum constat. *Orphitorum* cognomen in antiquitate notissimum. Tamen et Q. ORFICI mentio fit apud Gruterum in *Inscriptt. p. DLXXV. n.* 1. *Hein.*

prodiisse illud SCtum. Antecessit illud Imperatorum Antonini et Commodi Oratio in Senatu recitata, cujus meminit Ulpianus *Fragm. XXVI.* 7. Qua de re Jul. Capitolinus *vita M. Antonini Philosophi c.* 11.: (M. Antoninus) *leges etiam addidit de vicesima hereditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis, et item de filiorum successionibus pro parte materna.* Ultima enim lex non alia est, quam SCtum Orphitianum, quod et alias soli M. Antonino tribuitur: *L.* 9. *D. ad SCtum Tertullianum et Orphitianum. L.* 6. *D. eod. L.* 230. *D. de Verbor. signif.*

§. 4.

Ejus materia.

Ceterum hoc SCto data est tam filio, quam filiae, legitima matris hereditas, etiamsi alieno juri subjecti subjectaeve essent, ita, ut praeferrentur consanguineis et adgnatis defunctae matris: *pr. Inst. h. t.* Liberis vero omnibus hoc concessum beneficium, etiam vulgo quaesitis, quippe quorum mater incerta esse haud potest: §. 3. *Inst. eod.* Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 10. 1. Nec capitis deminutione perimebantur istae successiones: §. 2. *Inst. eod.* Quod tamen de minima intelligendum. Nam ad filiam, quae vel ancilla, vel liberta ex SCto Claudiano fuerat facta [c]), non magis, quam ad Latinos et peregrinos, legitima illa matris intestatae hereditas pertinebat: Paulus *ibid.* §. 2. 3.

§. 5.

Quo pacto liberi ex hoc SCto matris heredes facti?

Quamvis vero liberi patri ipso jure heredes essent (vide supra *Lib. III. Tit. I.* §. 1.): matris tamen illi heredes fiebant non ipso jure, sed vel aditione hereditatis simplici, vel bonorum possessionis petitione, vel cretionis sollemnitate: Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 10. 4. et *ibi* Cujacius, imo et pro herede gestione maternam hereditatem adquirere potuisse filium, ex *L.* 3. *C. ad SCtum Orphitianum* patet.

§. 6.

Mutationes novo jure invectae.

At ne hoc quidem SCtum mutatione caruit. Primo enim constitutionibus illud ad nepotes etiam et pronepotes prolatum est: §. 1. *Inst. h. t. L.* 11. *C. de Suis et legit. lib.* Deinde et vulgo quaesitos eo tantum casu matribus succedere passus est Justinianus, si

---

c) Vid. supra Lib. I. Tit. XVI. §. 8. *Mühl.*

haec non sit illustris, quae quidem alios liberos non habeat legitimos: *L. pen. C. ad SCtum Orphitianum.* Denique usus hujus SCti plane obsolevit, ex quo per *Nov. CXVIII.* 1. liberi matri patrique eodem jure succedere coeperunt.

LIB. III. TIT. V.

DE

SUCCESSIONE COGNATORUM.

Deficientibus suis et adgnatis, proxime ad successionem vocabantur COGNATI, cujus juris originem ad hunc titulum ex antiquitatibus repetere juvabit.

§. 1.

An cognatos ad successionem vocarit lex XII Tabularum.

Leges XII Tabularum nullam habebant cognatorum rationem, quidquid in contrarium nitatur M. Vertran. Maurus *de jure liber. c.* 27. Quamvis enim apud Paulum *Sententt. Receptt. IV.* 8. 22. legimus: *Ceterum lex XII Tabularum nulla discretione sexus cognatos admittit:* recte tamen Rittershusius *ad h. t.* et Jacob. Gothofredus *ad Leges XII Tab. tab. V.* observarunt, in mendo cubare illum Pauli locum, legendumque esse non *cognatos,* sed *adgnatos.* Sane praeter heredes suos, adgnatos, et gentiles, nullus jure decemvirali succedendi ordo proditus legitur. (Gaj. III. 18—21. 24.).

§. 2.

Cognatorum successio ex jure praetorio est.

Tota ergo illa succedendi ratio e jure Praetorio descendit, quo bonorum possessio ex edicto *Unde cognati* promittebatur cognatis, si sui heredes adgnati deficerent, ut observat ipse Imperator *princ. Inst. h. t.* (Gaj. III. 27—31.).

§. 3.

Quinam cognati?

Cognati quinam vocentur, notum est, scilicet qui propinquitate sanguinis etiam per feminas conjunguntur: *L. ult.* §. 2. *D. de Gradib.* Per adoptiones contingebat adgnatio civilis, quae tamen non cognationis, sed adgnationis jura tribuebat: *L.* 4. §. 2. *D. de Gra-*

dib. [a]). Sed et vulgo quaesiti, qui nullos adgnatos habebant, cognatos tamen suos habere poterant: non vero servi saltem ratione successionis, quia servilium cognationum in successionibus nulla habebatur ratio: *L.* 1. §. 2. *D. Unde cognati*, adeo ut ne per manumissionem quidem cognationem reciperent: *L.* 7. *D. eod.*

§. 4.

Iis etiam adcensi adgnati capite deminuti.

Cognatorum loco etiam habebantur adgnati, minimam capitis deminutionem passi (Gaj. III. 27—29.), exceptis fratribus et sororibus emancipatis, non tamen etiam liberis eorum, qui una cum fratribus, in potestate retentis, succedebant pro portionibus dimidiis [b]): §. 1. *Inst. h. t.* ibique Theophilus.

§. 5.

Ad quotum gradum successerint cognati?

Quamvis vero etiam cognati gradu tantum proximi ad successionem vocabantur: non ultra septimum tamen gradum hoc Praetoris beneficium sese porrigebat, siquidem e septimo gradu vocabantur sobrino sobrinave nati nataeve: §. *ult. Inst. h. t.* quum adgnati non solum ad decimum usque gradum, sed in infinitum, vocarentur: Franc. Duaren. *Comment. ad tit. Unde cognati p.* 580.

§. 6.

Jus novum.

Sed et haec omnia mutavit jurisprudentia Justinianea. Ex quo enim per *Nov. CXVIII.* 4. cognati adgnatis per omnia sunt aequiparati: isto Praetoris beneficio non amplius opus fuit: nec ad septimum tantum gradum, sed in infinitum, cognati aeque atque adgnati admitti coeperunt.

---

a) Imo vero, qui adoptatur, his quoque cognatus fit, quibus adgnascitur. *L.* 23. *pr. D. de adopt. Mühl.*

b) Hoc tamen non ex Praetoris edicto est, sed ex lege Anastasiana, cujus mentio fit *L.* 4. *C. de Legit. tutor. L. ult.* §. 1. *C. de Legit. hered. Hein.* Vid. et von Löhr *Von dem Successionsrechte der Geschwister vor der Nov.* 118. in Dessen *Magaz. für R. W.* u. s. w. T. IV. num. 9. p. 128—134. *Haub.*

LIB. III. TIT. VI.

DE

GRADIBUS COGNATIONUM.

Quum *στέμματα COGNATIONUM* in quaestionibus de successione soleant numerari: operae pretium se facturum credidit Tribonianus, si de gradibus cognationis singulari titulo ageret.

§. 1.

Gradus unde dicti?

GRADUS vero dictos docet Paulus *L.* 10. §. 10. *D. h. t. a similitudine scalarum, locorumque proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus.* Tota illa lex prolixissima decerpta est ex Pauli *libro singulari de gradibus, et adfinibus et nominibus eorum,* quem libellum Pauli lege ista non multo prolixiorem integrum in amici cujusdam sui bibliotheca exstitisse, refert Cujacius *Observatt. VI.* 40.

§. 2.

Lineae quid et quotuplices?

LINEAS concipiebant duas, DIRECTAM alteram, alteram TRANSVERSAM, quarum illa genitores et genitos: haec e latere junctos, comprehendit. Illa iterum in SUPERIOREM et INFERIOREM distinguebatur. In his vero lineis ita numerabant personas, ut semper generata persona novum gradum adjiceret: *princ.* et §. 7. *Inst. h. t.*

§. 3.

Linea directa superior; inferior. Transversa.

In linea directa superiore primo gradu erant *pater* et *mater:* secundo *avus* et *avia:* tertio *proavus* et *proavia:* quarto *abavus* et *abavia:* quinto *atavus* et *atavia:* sexto *tritavus* et *tritavia:* septimo et reliquis gradibus propria nomina deficiunt, iique communi vocabulo *majores* adpellantur: *L.* 10. §. 7. *D. h. t.* In linea inferiore primo gradu erant *filii* et *filiae:* secundo *nepotes* et *neptes:* tertio *pronepotes* et *proneptes:* quarto *abnepotes* et *abneptes:* quinto *atnepotes* et *atneptes:* sexto *trinepotes* et *trineptes:* septimo gradu denuo nomina cognationum propria exspirant, et remotiores descendentes *posteri* vel *posteriores* dicuntur: *d. L.* 10. §. 7. *eod.* Denique in linea transversa numerabantur secundo gradu *fratres* et *sorores:* tertio *fratris*

sororisque filii et *filiae* [a]), *patruus*, *amita*, *avunculus* et *matertera:* quarto *fratris* et *sororum nepotes*, *neptes*, *fratres patrueles*, *sorores patrueles*, *consobrini* et *consobrinae*, *amitini* et *amitinae*, *patruus magnus* et *amita magna*, *avunculus magnus*, et *matertera magna:* quinto *fratris* et *sororis pronepotes* et *proneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrinorum consobrinarumve filii*, *filiae*, *propior sobrino sobrina* [b]), *propatruus*, *proavunculus*, *promatertera:* sexto *fratrum sororumque abnepotes* et *abneptes*, *fratris patruelis*, *sororis patruelis*, *amitini*, *amitinae*, *consobrini*, *consobrinae nepos neptis: patrui magni*, *amitae magnae*, *avunculi magni*, *materterae magnae nepos*, *neptis: propatrui*, *proamitae*, *proavunculi*, *promaterterae filii*, *filiae*, *abpatruus*, *abamita*, *abavunculus*, *abmatertera.* Reliqui gradus denuo propriis nominibus destituuntur: §. 7. *Inst. h. t.* Pauli *Sententt. Receptt. IV.* 11. 1. *sq.*

§. 4.

Schema graduum cognationis.

Quum vero haec omnia difficilius concipiantur: in schemate quodam veteres Jureconsulti solebant rem omnem ob oculos ponere. Quale etiam Institutionibus suis inseruerat Justinianus secundum §. *ult. Inst. h. t.* et in paraphrasi Theophilus, quod tamen utrumque periit. At plura tamen ejusmodi schemata antiqua supersunt. Tria elegantissima dedit Isidorus Hispalensis *Orig. IX.* 7. *p.* 1059. *sq.* ex *edit.* Dionys. Gothofredi, quorum primum scalarum, alterum arboris, tertium rotae refert imaginem. Alia hujus generis in scriniis suis habuit Cujacius, quorum unum codici cuidam Theodosiano praemissum edidit *Lib. VI. Observatt. c.* 40. *p. m.* 268. quod licet nonnisi adgnatos complectatur, dignum tamen videtur, quod et hic ponatur ob oculos, ut modus ille veterum delineandi gradus adgnationis eo rectius intelligatur. (TAB. A.) [c]).


---

a) Propriis nominibus et hae cognationes destituuntur. Vid. Plauti *Poenul. Act. V. sc.* 2. *v.* 82. *sqq.* Paulus *L.* 10. §. 14. *D. de Grad.* Vulgo tamen vocantur *nepotes.* Vid. Casaubonus *ad Ael. Spartiani Hadrian. c.* 2. *Hein.*

b) Id est patrui magni, amitae magnae, avunculi magni et materterae magnae filii filiae. Cf. Theod. Ryck. *ad Taciti Annal. XII.* 64. *Hein.*

c) Schema graduum, de quo h. l. Auctor, emendatius, quam apud Nostrum, legitur tum in antiquioribus Observationum Cujacianarum exemplis, veluti iis, quae insunt *Operum edd. Parisiensibus* annorum 1577. et 1584., tum in *Codicis Theodosiani ed. Parisiensi* a. 1586. P. II. p. 137., unde ipsi illud correximus,

Tab. A. ad pag. 492.



LIB. III. TIT. VII. (*Tit. VI.* §. 10—12.)

DE

SERVILI COGNATIONE.

Quum Vinnius, tum ceteri fere omnes notant, in plerisque MSS. et in Graeca paraphrasi hunc locum nullam novam inscriptionem habere, sed cohaerere titulo praecedenti. Nos tamen insuper habita illa *κρίσει* [a]), pauca tantum delibabimus, quae ad antiquitates facere videbuntur.

§. 1.

Nulla cognatio servilis.

SERVORUM nulla olim cognatio intelligebatur in caussa successionis. Quamquam enim in nuptiis contrahendis etiam jure antiquo servilis cognationis ratio habebatur, eaque nuptiis erat impedimento, si forte pater et filia, frater et soror essent manumissi: §. 10. *Inst. de Nupt. L.* 14. §. 2. 3. *D. de Ritu nupt.* in successionibus tamen naturalis illa servorum cognatio insuper habita est: *L. ult.* §. 5. *D. de Grad. et adfinit.*

§. 2.

Libertis succedebant sui, et deinde patroni ex lege XII Tabularum.

Neque id solum de servis ipsis nondum manumissis intelligendum, qui nec successorem habere, nec alteri succedere poterant: *L.* 4. *C. Comm. de success.* sed et de LIBERTINIS. Nam et his defunctis sui tantum heredes, non vero adgnati ulli aut cognati, ad successionem vocabantur. (Gaj. III. 40.) Deficientibus suis, proximi heredes erant patroni, de quibus in lege XII Tabularum fuerat cautum: SI LIBERTUS INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HERES NEC ESCIT, AST PATRONUS, PATRONIVE LIBERI ESCINT, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM PROXIMO PECUNIA DUITOR: Jacob. Gothofred. *Legg. XII Tabb. tab. V.* De qua lege titulo sequente agemus.

§. 3.

Justiniani constitutio deperdita.

Id vero quum inhumanum videretur humanissimo Imperatori,

---

admoniti ab Hugone *R. G.* p. 424. not. 2. *junct.* p. 436. not. 5. ed. VIII. (p. 596 —599. ed. XI.) Eadem vitia postmodum migraverunt in editionem Observationum Cujacianarum Halensem, quam Jo. Lud. Uhlius curavit, ubi tamen tabula nostra extrinsecus ornatior exhibetur. *Haub.*

a) Quae tamen crisis solidis confirmatur rationibus. Vid. Biener *ad h. t.* not. X. et Schrader *ad eund. tit.* p. 454. *Mühl.*

§. 3.

Eadem mutata a Praetoribus, tum restricta libertorum testamenti factione. b).

Sed iniqua postea haec testandi libertas visa est Praetoribus, qui, ne patroni c) libertorum hereditatibus fraudarentur, edicto illis consulendum putabant. Illo libertus, facto testamento, decedens, liberis suis et naturalibus haud relictis, jubebatur patrono ejusve liberis dimidiam bonorum partem relinquere d): si nihil, aut minus certe parte dimidia reliquerat: dabatur patrono contra tabulas partis dimidiae bonorum possessio e): Ulpianus *ibid.* Dio Cass. *LI.* 15.

§. 4.

Tum exclusis quibusdam heredibus suis.

Quod si vero intestatus decesserat libertus, relicto herede suo, sed adoptivo tantum, vel uxore, quae in manum convenerat: dabatur

b) Gaj. III. §. 41. — Cf. von Löhr: *Einige Bemerkungen aus der Lehre von der bonorum possessio* num. 6. in Dessen *Magaz. für Rechtsw.* u. s. w. T. III. p. 261 — 280. Vid. et infra *h. Lib. tit.* 9. (10.) §. 7. *Haub.* Add. Unterholzner: *über das patronatische Erbrecht,* in der *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. V. num. II. p. 26 — 122. Huschke: *Beiträge zur Erläuterung des Rechts der Succession in die Güter der Freigelassenen,* in Dessen *Studien* u. s. w. num. II. p. 25 — 167. Ejusd. comm. *über den Einfluss der capitis deminutio des Patrons oder seiner Kinder auf ihr Intestaterbrecht,* im *Rhein. Mus.* T. VI. num. III. p. 95 — 124. — Quae quidem commentationes maximam partem ad jus pertinent, quod sub imperatoribus, atque inprimis Lege Papia Poppaea, de successione in libertorum bona sancitum est. *Mühl.*

c) Totum illud beneficium ad patronos, non item ad patronas pertinuit, quum tamen inter eos haud distinxissent leges XII Tabularum: Ulpiani *Fragm.* *XXIX.* 4 *et* 5. (Gaj. III. 49.) *Hein.*

d) Praetorum edicta de successione libertorum non eadem omnium fuerunt. Verres edixit, ut patrono et liberis ejus pars sexta hereditatis relinqueretur: vid. Cicero *in Verrem Action. II. Lib. I. c.* 48. A Cajo Sacerdote Praetore, qui Praeturam ante Verrem gessit, nihil cautum fuit de parte patrono relinquenda. Nero (Sueton. *vita Neronis* c. 32.) *ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans cogeretur ei, si qui sine probabili caussa eo nomine essent, quo fuissent ullae familiae, quas ipse contingeret.* Non una hic est codicum lectio, alii *dextans,* alii *dodrans* exhibent. Puto ita legendum: *ut pro semisse dextans cogeretur ei, dodrans, si qui sine probabili* etc. Caussam hujus conjecturae olim [* *Lib. I. Obss. jur. Rom. c.* 1.] latius proposui. *Cann.*

e) Non dabatur haec bonorum possessio, nisi hereditas a scriptis heredibus esset adita, aut bonorum possessio petita, quod secus fiebat in bonorum possessione, quae liberis contra tabulas dabatur. Latius haec exsequitur Ant. Faber *Error. pragm. Decad. L. err. 7. n. 6. sq. Hein.* Cf. *L. 4. pr. L.* 19. 20. *D. de Bon. poss. contra tab. L.* 3. §. 5. 6. *L.* 42. §. 1. *D. de bonis libert.* — Schulting ad Ulp. *Fr.* XXIX. 1. p. 676. not. 12. von Löhr *l. l.* p. 271. *Mühl.*

denuo patrono contra hos suos heredes partis dimidiae bonorum possessio: Ulpianus *l. c.* Soli ergo patronum excludebant naturales liberi, sive sui, sive emancipati, sive in adoptionem dati, si modo ex ulla parte scripti heredes erant, vel bonorum possessionem contra tabulas petierant. Nam alias exheredati videbantur, adeoque patronum excludere non poterant: §. 1. *Inst. h. t.*

§. 5.

In libertae bona semper succedebat patronus.

At haec omnia de libertorum tantum bonis edixerat Praetor. *In bonis libertae,* inquit Ulpianus, *patrono nihil juris ex edicto datur: Fragm. XXIX.* 2. Quod non ita intelligendum, ac si patronis Praetor hic succurrere noluerit, sed quod non opus hac in re fuerit Praetoris beneficio. Libertae enim nullos habebant heredes suos, qui patronum excluderent. Quumque patroni legitimi essent earum tutores: consequens erat, ut nec testari, nec in manum convenire sine eorum auctoritate possent: Ulpiani *Fragm. XI.* 27. (Gaj. III. 43.). Itaque intestatis mortuis, semper hereditas ad patronos pertinebat, neque contingebat, ut hi bonis earum exciderent.

§. 6.

Lex tamen Papia quibusdam libertabus concessit testamenti factionem.

At lege Papia Poppaea, quae varia foecunditati praemia proposuit, etiam libertabus quodammodo facultas data est patronos hereditate excludendi. Ea enim lex tutela liberavit libertas, quae vel quatuor liberos essent enixae: Ulpiani *Fragm. XXIX.* 3. (Gaj. III. 44.), vel certe jus quatuor liberorum beneficio Principum impetrassent, cujus rei exemplum exstat apud Suetonium *Claud c.* 19. nec non apud Gruterum *Inscrippt. p. DCXXXI. n.* 2. ubi mentio fit Corneliae Zosimae, HABENTIS JUS. QUATUOR. LIBER. BENEFICIO. CAESAR. Consequens ergo erat, ut hae libertae et libere sine auctoritate patronorum testarentur, et patronos hereditate excluderent. Ne tamen id fraudi esset patronis, eadem lege cautum est, ut pro numero liberorum libertae superstitum, patrono virilis pars deberetur: Ulpianus *ibid.* Add. *Comment. nostr. ad L. Jul. et Pap. Popp. II.* 11. *p.* 242.

§. 7.

Ejusdem legis caput de bonis liberti centenarii.

Eadem lege etiam de bonis libertorum nonnulla statuta sunt, quae nobis servavit Justinianus §. 2. *Inst. h. t.* Cautum est enim, ut

ex bonis liberti ejus, qui sestertium CM patrimonium reliquerat, et pauciores, quam tres liberos, (sive is testamento facto, sive intestatus mortuus erat,) virilis pars patrono, ejusve liberis masculis, deberetur, sin tres liberos haberet, patrono in ejus hereditate nihil juris esset. (Gaj. III. 42.) Sin non haberet sestertium centum, liberam libertus haberet testandi facultatem, et si libertus liberos non haberet, jure antiquo patroni eorumve liberi masculi ab intestato succederent: sin relictis liberis decederet, patronus jus nullum in ejus bonis haberet. Nam summa haec pro Augustei aevi opulentia minor procul dubio videbatur, quam ut ejus rationem haberent leges: Perizonius *Dissert. de Lege Vocon. p.* 171. Cf. Jacob. Gothofredus *ad Leg. Pap. Popp. c.* 25. *p.* 296. et *Comment. nostr. II.* 22. *p.* 350. *sq.*

§. 8.

Aliud ejusdem legis caput de successione patronae.

Denique quum beneficium Praetoris, quod §. 3. et 4. descripsimus, ad solos patronos, non item patronas, pertineret: eadem lex Papia Poppaea patronae ingenuae duos, libertinae tres liberos enixae, id juris dedit, quod patronus habebat ex edicto, ut scilicet posset bonorum possessionem contra tabulas liberti, aut ab intestato contra heredes non naturales petere: Ulpiani *Fragm. XXIX.* 5. 6. Vid. *Comm. nostr. ad Leg. Jul. et Pap. Poppaeam II.* 22. *p.* 357. Eadem lex Papia liberis patronae ingenuae trium liberorum jure honoratae idem jus concessit, quod ipsi patronae tribuerat: Ulpianus *ibid. n.* 7. [f]). Add. *Comm. nostr. II.* 22. *p.* 358.

§. 9.

Qualis fuerit successio in bonis dedititiorum et Latinorum.

Omnes vero hae leges nonnisi de libertis, civibus Romanis, loquuntur. Tempore enim conscriptarum XII Tabularum, uti et libera republica, omnes libertini ad civitatem Romanam adspirabant. Postea sub Augusto, quo imperante etiam lex Papia Poppaea lata est, libertini quidam dedititiae conditionis esse coeperunt, quemadmodum sub Tiberio Juniani Latini orti sunt: (vide supra *ad Lib. I. Tit. IV. V.* §. 11. *sq.*) at ne Latini quidem, nedum dedititii, habebant testamentifactionem: *L.* 1. *pr. D. de Suis et legit. hered.* sed bona eorum, tamquam servorum peculia, manumissores retinebant: §. 4.

---

f) Uberius rem prosecutus est Gaj. III. §. 50 — 53. *Mühl.*

Inst. h. t. Porro SCto Largiano g) cautum, ut liberi manumissoris non nominatim exheredes scripti extraneis heredibus in bonis Latinorum praeferrentur: *L. un. C. de Lat. lib. toll.* Imo et D. Trajanus edixit, ut liberti Latini, qui invito vel ignorante patrono ad civitatis jura festinassent ex beneficio Principis, vivi quidem cives Romani haberentur, at morerentur tamen Latini: §. 4. *Inst. h. t. L. un. princ.* et §. *ult. C. de Lat. lib. toll.* Quare in eo durissima erat Latinorum dedititiorumque conditio, nec poterat ullo casu patronus libertorum ejusmodi hereditate privari. h).

§. 10.

Novum jus a Justiniano invectum.

Verum Justinianus nullam hic antiqui juris vel volam vel vestigium reliquit. In constitutione enim, quam *superiore titulo* §. 4. adlegavimus, quaeque in *Basilicis* exstat *Tom. VI. p.* 595. i) jussit, ut, si libertus, vel liberta minores centenariis essent, id est, minus, quam centum aureorum haberent substantiam k), nullum locum haberet patronus in eorum successione, dummodo testamentum fecerint. Sin intestati decesserint, nullis liberis relictis, patronatus jus ex lege XII Tabularum integrum maneret. In majorum centenariis

g) Videtur id SCtum conditum A. U. C. DCCXCIIII. Ti. Claudio, Drusi F. Caes. Aug. et A. Caecina Largo Coss. Quod vero Largianum, non Claudianum dictum id SCtum, id inde factum videtur, quod Claudius Caesar hunc Consulatum per duos tantum menses gessit, collegae vero Largo magistratum in annum totum prorogavit, teste Dione Cassio *LX.* 10. *Hein.*

h) De hujus §phi argumento locupletissimos vide *commentarios* Gaji Lib. III. §. 56 — 76. *Mühl.*

i) Hac Justiniani constitutione, Parti Basilicorum ope MS. Bibl. Reg. Par. in *Thes. Meerm. T. V.* restitutae illata (XLIX. 1, 28. p. 4 — 10.), jam aucta est *Codicis Justinianei editio Spangenbergiana*, ubi p. 336 — 341. exstat tamquam *L.* 4. *C. de Bonis libertor. Haub.* Vid. et K. Witte: *Die leges restitutae des Justinianeischen Codex*, p. 193 — 198. tum vero Biener: *Revision des Justin. Codex*, in der *Zeitschr. für Gesch. R. W.* T. VII. p. 307. sq. *Mühl.*

k) Pro mille enim sestertiis Lege Papia Poppaea definitis Imperator unum aureum substituit, ei quidem tamquam interpres. (Vid. §. 3. *Inst. h. t.*) Sed haec interpretatio historiae plane repugnat. Aureus enim, qualis Justiniani aevo in usu fuit, vix centum sestertiis respondit. Siquidem adhuc Ulpiani aevo dena tantum sestertia centum aureos conficiebant. Hinc advocatorum honorarium denis sestertiis definitum dicitur apud Tacitum *Ann. XI.* 7. centum aureis apud Ulpianum: *L.* 1. §. 12. *D. de Extraord. cognit.* Vid. Gronov. *de pecun. vet. I.* 5. Sed saepius in Pandectis ex CM sestertium Tribonianus exsculpsit C aureos. Vid. Cujacii *Observatt. XIX.* 31. et *ad L.* 10. *D. de Dolo malo. Hein.*

bona, si liberos haberent heredes vel bonorum possessores, nihil juris patrono esset: sin sine liberis decesserint intestati, ad omnem hereditatem patroni patronaeve vocarentur; sin vero fecerint testamentum, patronosque aut patronas praeterierint, hi per bonorum possessionem tertiam bonorum partem, (non ut antea dimidiam) consequerentur, ita, ut eam portionem sine onere haberent, et ne legata quidem fideicommissa liberis liberti libertaeve praestare cogerentur. Jus porro illud succedendi in bonis libertorum Justinianus etiam ad collaterales patronorum cognatosque usque ad quintum gradum extendit: §. 3. *Inst. h. t.* Denique, sublata Latinitatis et dedititiorum conditione, omnibus promiscue libertinis testandi jus indulsit: *L. un. C. de Lat. lib. toll. et L. un. C. de Ded. lib. toll.* adeoque patronis vel jus suum, vel saltem partem speratae hereditatis non exiguam ademit.

LIB. III. TIT. IX. (VIII.)

DE

ADSIGNATIONE LIBERTORUM.

Adsignatio libertorum veluti exceptio erat legum de successione libertorum. Nam quod generaliter superiore titulo definitum est, patroni liberos, mortuo parente, aequis portionibus in bonis libertorum succedere, id hanc habere exceptionem intelligitur, nisi uni ex liberis libertum adsignaverit patronus. Quae adsignatio qualis fuerit, ad hunc titulum docendum est.

§. 1.

Jura patronatus in quonam constiterint?

Satis opima olim erant jura patronatus. Praeter spem enim successionis cum isto jure conjunctam, de qua titulo praecedente actum, patrono debebantur operae, dona, munera: vid. Jac. Oiselius *ad Gaji Inst. II. 9. 4. p. m.* 156. Imo libertus, non minus, quam filius, alere tenebatur patronum, pro modo facultatum, si is ad egestatem vergeret: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 32. 1. *L.* 5. §. 18. et *L. ult. D. de Adgnosc. et alend. lib.* Unde opulenti liberti veluti pars quaedam erant patrimonii, et jure is locuples videbatur, cui plures essent liberti locupletiores.

§. 2.

Adsignatio libertorum qualis?

Quemadmodum igitur parentes liberis certam bonorum portionem solebant dare, ita et iisdem poterant adsignare libertos. ADSIGNARE vero LIBERTUM erat testificari, cujus ex liberis libertum parens esse velit: *L.* 107. *D. de Verb. signif.* Ea adsignatio non solum testamento et codicillis fiebat, sed et per modum contractus, aut donationis inter vivos vel mortis caussa, quibuscumque verbis, epistola, chirographo, pure, sub conditione, imo et solo nutu: *L.* 1. §. 3. et *L.* 7. *D. de Adsign. lib.* Dabatur tamen ea adsignandi facultas tantum ei, qui duos pluresve liberos in potestate habebat: §. 2. *Inst. h. t.* Quodsi is, cui adsignatus erat libertus, emancipatus fuisset, evanescebat adsignatio: *L.* 1. *fin. D. eod.* §. 2. *Inst. h. t.* Cui non opponenda *L.* 9. *D. h. t.* ubi Modestinus et emancipato libertum adsignari posse statuit. Potest enim pater et emancipato adsignare, si velit. At si suo adsignarit, eumque postea emanciparit, mutasse videtur sententiam: Merillii *Observatt. VII.* 13.

§. 3.

De ea SCtum Claudianum.

De hac ergo libertorum adsignatione prodiit SCtum CLAUDIANUM A. U. C. DCCXCVIII. Vellejo Rufo et P. Ostorio Scapula Coss. suffectis [a]), cujus ipsa legitima verba nobis servavit Ulpianus *L.* 1. *pr. D. h. t.* SI, QUI DUOS PLURESVE LIBEROS, JUSTIS NUPTIIS QUAESITOS, IN POTESTATE HABERET, DE LIBERTO LIBERTAVE SUA SIGNIFICASSET, CUJUS EX LIBERIS SUIS EUM LIBERTUM EAMVE LIBERTAM ESSE VELLET: IS EAVE, QUANDOQUE IS, QUI EUM EAMVE MANUMISIT INTER VIVOS VEL TESTAMENTO, IN CIVITATE ESSE DESISSET, SOLUS EI PATRONUS SOLAVE PATRONA ESSET, PERINDE, ATQUE SI AB EO EAVE LIBERTATEM CONSEQUUTUS, CONSEQUUTAVE EST. UTIQUE, SI EX LIBERIS QUIS IN CIVITATE ESSE DESISSET, NEQUE EI LIBERI ULLI ESSENT: CETERIS EJUS LIBERIS, QUI MANUMISIT, PERINDE OMNIA JURA SERVEN-

a) In §. 3. *Inst. h. t.* hi Consules vocantur Sabellius Rufus et Asterius Scapula: in *L.* 1. *pr. D. eod.* Vellejus Rufus et Osterius Scapula, quomodo etiam apud Hub. Golzium *in Fastis p.* 239. legitur. Genuina nomina restituisse sibi videtur Pigh. *Annal. Lib. XVIII. p.* 576. *Tom. III.* ubi alterum Consulem *P. Suilium Rufum;* alterum *P. Ostorium Scapulam* vocat. Ceterum alias nomina *Asterius, Hasterius, Osterius, Austerius, Austerus* saepe confundi, docuit V. A. Bynkershoek *Observatt. III.* 7. *p.* 242. *Hein.* Add. Schrader *in not. ad* §. 3. *I. h. t. Mühl.*

TUR, AC SI NIHIL DE EO LIBERTO SAVE LIBERTA IS PARENS SIGNIFICASSET.

§. 4.

Ejus explicatio.

Ex hoc ergo SCto quisque libertum uni ex liberis in potestate constitutis pro arbitrio adsignabat. Quo facto non omnes patroni liberi, sed is, cui adsignatus libertus fuerat, ad successionem vocabatur. Quod jus etiam tum salvum erat illi, cui libertus adsignatus, si patronus mediam capitis deminutionem fuisset passus. Eo vero, cui libertus adsignatus fuerat, ita capite deminuto, reliquis liberis jura patronatus salva erant, perinde ac si nihil patronus de adsignatione liberti significasset: Jan. Vinc. Gravina *de Legibus et SCtis c.* 82. *p.* 652. Arn. Vinnius *Comment. ad Inst. h. t.* (Add. Huschke im *Rhein. Mus.* VI. p. 119. sqq.)

LIB. III. TIT. X. (IX.)

DE

BONORUM POSSESSIONIBUS [a]).

Diximus supra ad *Lib. I. Tit. II.* §. 24. Praetores id praecipue egisse, ut leges sub specie aequitatis edictis suis everterent, eumque in finem nova commentatos esse vocabula [b]). Hujus rei speci-

---

a) Doctrina de bonorum possessione nostro tempore pláne novam formam induit, cognoscendam in primis ex Hugonis, qui etiam hac in re facem praetulit, *R. G.* p. 163. p. 406 — 408. p. 425 — 448. p. 691. sq. et p. 830. sq. ed. VIII. (s. p. 238. p. 550 — 554. p. 678 — 713. 940. sq. 1127. sq. ed. XI.). Add. J. C. Koch: *Bonorum possessio.* Giess. 1799. 8. von Löhr: *Einige Bemerkungen aus der Lehre von der Bonorum possessio;* in Dessen *Magaz. für R. W.* u. s. w. T. III. num. 8. p. 216 — 353. junct. p. XVIII. sq. Ejusd. *Nachträge zu der Lehre von der bonorum possessio;* in Dessen *kurzen Bemerkungen* num. 7. ib. T. IV. num. 10. p. 149 — 158. *Haub.* A. G. Foerster: *de bonorum possessione liberorum praeteritorum contra tabulas parentum.* Vratisl. 1823. 8. J. H. Dernburg: *Beitr. zur Geschichte der Röm. Testamente* (Bonn 1821.) p. 186 — 237. W. Francke: *das Recht der Notherben und Pflichttheilsberechtigten* (Goett. 1831.) §. 7 — 14. C. F. Fabricius: *Ursprung und Entwickelung der Bonorum possessio bis zum Aufhören des ordo judiciorum privatorum.* Berl. 1837. (s. *histor. Forschungen im Gebiete des R. R.* I.) Quocum libro comparanda est Huschkii censurá in: *Krit. Jahrb. für R. W. a Richtero Schneideroque edit.* 1839. p. 1 — 34. *Mühl.*

b) Alia tamen, eaque probabiliora, ut quidem speramus, eorum in locum, quae ibi ab Auctore dicta fuerant, subjecimus §. 25. *d. Tit. Mühl.*

men hic titulus dabit. Saepe enim, ubi HEREDITATEM negabant leges, Praetores dabant BONORUM POSSESSIONEM c), quum tamen inter ea vocabula, quod ad effectum attinet, parum differentiae esset.

§. 1.

Quid bonorum possessio, quid possessio bonorum?

Quum hic in vocabulis luserit Praetor, de ipso illo vocabulo praetorio nonnulla praemittenda sunt. Notandum ergo, plerumque differre BONORUM POSSESSIONEM, et POSSESSIONEM BONORUM. Illa enim hereditatem Praetoriam; haec illam possessionem, in quam creditores, legatarii aliive immittebantur, denotat: Brissonius *de verb. signif. p. m.* 4. Vocabatur etiam Praetoria ista hereditas absolute POSSESSIO, et Graecis διαδοχή vel διακατοχή. Unde Ulpianus Titulum *XXVIII.* Fragmentorum inscribit *de Possessionibus dandis.* Ad quam rubricam quidem observat V. C. Schultingius *p.* 671. vocabulum *possessionis* simpliciter hoc sensu non solere usurpari: sed aliud evincunt *L.* 12. *D. de Carbon. edict. L.* 77. §. 31. *D. de Legat.* 2. Aliquando et *hereditatis possessionem* apud veteres legi, jam observavit Cujacius *Observatt. IV.* 16.

§. 2.

Quid sit bonorum possessio?

Ulpiano *L.* 3. §. 2. *D. de Bon. possess.* BONORUM POSSESSIO est *jus persequendi retinendive patrimonii, sive rei, quae cujusque, quum moritur, fuit.* Sed quum paullo obscurior ea sit definitio d): rectius dixeris, esse hereditatem personis quibusdam jure civili inhabilibus e)

---

c) Auctoris et reliquorum superioris aevi interpretum πρῶτον ψεῦδος in eo versatur, ut sibi persuaserint, ad bonorum possessionem vocari dumtaxat eos, qui successionis ex jure civili sint expertes, a quo errore facile sibi cavere potuissent, si bonorum possessionis ex edicto *Unde legitimi* memores fuissent. Ceterum de notione et origine b. p. vid. von Löhr *l. l.* T. III. p. 217—224. ac num. 5. ibid. p. 250 — 260. atque Foerster *de B. P. liberor. praeter.* Praef. p. 1—18. *Haub.* Add. Dernburg *l. l.* p. 186. sqq. §. 23. Francke *l. l.* p. 97. sqq. Fabricius *l. l.* p. 17. sqq. Cf. Huschke *l. l.* p. 6—11. Vid. et infra not. e ad §. 2. *Mühl.*

d) At vid. Fabricius *l. l.* p. 44. 45. *Mühl.*

e) Vid. quae contra vulgarem huncce errorem Hauboldus supra (not. c) monuit. Quaedam tamen etiam addenda esse videntur, ut non modo a turpissimis erroribus sibi caveant tirones, verum etiam habeant, unde rectiora petant. Jam antiquitus bonorum possessio *adjuvandi juris civilis causa* data est, i. e. nihil erat, nisi hereditatis possessio, ei accommodata, qui ad se pertinere hereditatem probabiliter ostenderat. Qua de re sic edixisse videtur Praetor: *si de*

edicto arbitrioque [f]) Praetoris delatam. Unde et Graeci eam saepius vocant *πραιτωρίαν διαδοχήν*, **vel, uti in Glossis est,** *ὑπαρχόντων διακατοχήν*.

---

hereditate ambigetur, et tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam e lege oporteat, ad me proferentur: SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POTISSIMUM HEREDITATEM DABO. *Si tabulae testamenti non proferentur, tum quem ei* (de cujus hereditate quaeritur) *heredem esse oporteret, si intestatus mortuus esset, ad bonorum possessionem admittam.* Cf. Cic. Lib. I. c. 45. et *L.* 1. *D. unde legitimi.* — Westenberg *princ. jur. sec. ord. Dig. tit. unde legit.* §. 2. Fabricius *l. l.* p. 33. sq. Accesserunt *deinde* bonorum possessiones, quae *emendandi s. supplendi juris civilis gratia* introductae esse dicuntur. Ejusque rei ratio haec fuit. Quodsi nec testamentum proferebatur, nec legitimus heres praesto erat, periculum imminebat, ne aut lucrativa illa usucapione, de qua supra (Lib. II. Tit. VI. §. 11.) locuti sumus, in extraneorum manus devenirent bona simul cum sacris, dissiparenturve, aut cum defuncti contumelia a creditoribus possiderentur atque publice venirent, aut certe longior mora fieret creditoribus, quippe qui non haberent, quem convenirent. (Vid. §. 8. *I. h. t. L.* 1. *pr. D. de successorio ed.* Cf. et Huschke *l. l.* p. 12. not. *). Praetor itaque edixit, ut ad bonorum possessionem admitterentur quoque cognati, qui in conjunctarum numero essent personarum (*Vat. Fragm.* §. 298. et 301. §. 5. *I. de succ. cognat.* Klenze in d. *Zeitschr. für geschichtl. R. W.* T. VI. num. I. *über Cognaten und Affinen* atque ibi vel maxime p. 76. sqq.), tum vero etiam defunctae personae aut vir, aut uxor, simulque tempus praestituit bonorum possessionis petendae, atque ordinem, quo alius alium exciperet. (Vid. *Tit. Dig. de success. edicto*). Jam quicumque ad bonorum possessionem admissi erant, heredis loco constituebantur; *interdicto quorum bonorum,* rerum hereditariarum persequendarum causa iis succursum est (vid. *Tit. Dig. Quorum bonorum*), et fictitiae actiones eis in eosve tamquam heredibus et in heredes dabantur (Gaj. III. §. 32. IV. §. 34. Ulp. *Fr.* XXVIII. §. 12.). Quod tamen non impediebat, quo minus *heres civilis,* qui aut tempore erat exclusus, aut posteriore loco vocatus, a bonorum possessore rem, i. e. hereditatem evincere posset; ejus igitur B. P., qui non nisi Praetoris edicto ad hereditatem vocatus est, *sine re,* i. e. sine effectu erat (Gaj. II. §. 148. 149. III. §. 35—37. Ulp. *Fr.* XXVIII. §. 13.), saltem usque eo, donec pro herede usucapione hereditatem suam fecerat bonorum possessor, (vid. L. Arndts *Beitr. zu verschiedenen Lehren des Civilr. u. Civilproc.* p. 77. sq. not. 42.). At *postremo* etiam *impugnandi s. corrigendi juris civilis gratia bonorum possessiones* additae sunt. Idque cum Praetoris fiebat edicto, tum vero imperatorum rescriptis. Praetor enim edicto *unde liberi* proposito, una cum descendentibus in patris defuncti potestate constitutis, emancipatos quoque vocavit, nimirum rescissa eorum capitis deminutione (*L.* 6. §. 1. *D. de bon. poss.*), adeoque pleno cum effectu, unde fieri non poterat, quin iidem etiam ad contra tabulas bonorum possessionem eodem ordine et jure ut sui heredes admitterentur (*L.* 1. §. 1. *D. de bon. poss. contra tab.*). Praeterea impp. rescriptis subinde invaluit, ut, certis ex causis qui secundum tabulas bonorum possessionem obtinuerant, civili heredi praeferrentur. Quibus in causis duae vel maxime eminent. Primum enim D. Hadrianus statuit, ut ex testamento per postumi agnationem rupto, si vivo testatore rursus decesserit postumus, secundum

§. 3.

Quotuplex?

Ceterum varie dividuntur BONORUM POSSESSIONES. Aliae ORDINARIAE sunt, a Praetore introductae: *L.* 3. §. *ult. de Carbon. edict.* aliae EXTRAORDINARIAE, quae ex legibus, SCtis, constitutionibus Principum, vel jure novo descendunt: §. 3. *Inst. h. t.* De bonorum possessionibus extraordinariis, quae ex constitutionibus Principum natae sunt, consulendus est Cujacius *Observatt. XI.* 14. g). Ordinariae vel EDICTALES erant, ubi nulla opus erat caussae cognitione:

tabulas possessio cum re daretur heredi instituto (*L.* 12. *pr. D. de injusto, rupto, irrito facto test.*). Dein D. Marci rescripto agnitum est, eos, qui ex testamento non jure facto (i. e. quod non nisi praetorio jure valet) secundum tabulas bonorum possessionem petierint, posse adversus eos, qui ab intestato legitimam hereditatem vindicent, defendere se per exceptionem doli mali. (Gaj. II. §. 119. 120., ubi imp. Antonino hoc rescriptum tribuitur. At intelligendus est M. Aurelius; vid. de Savigny in d. *Zeitschr. f. Gesch. R. W.* T. V. p. 18. not. 24. Fabricius *l. l.* p. 98. not. 128. p. 114. not. 157.). At de tali id intelligi debet testamento, cui nihil deficiebat, praeter formam civilem; neque enim secundum tabulas bonorum possessio cum effectu dabatur ex testamento, quod aut nullius momenti erat propter filii sui praeteritionem, aut contra tabulas bonorum possessione impugnari poterat, aut, quum jure factum esset, propter testatoris capitis deminutionem in irritum constituebatur. (Cf. Gaj. II. §. 123. 147—149. Francke *Notherbenrecht* p. 117. sq. Universe autem de mutationibus hisce sub imperatoribus factis vid. Fabricius *l. l.* p. 107 — 144. Huschke *l. l.* p. 20 — 24.). Caeterum hic erat ordo bonorum possessionis deferendae, ut primo loco daretur *contra tabulas*, deinde *secundum tabulas*, postremo *intestati* b. p. Nec umquam alius observabatur ordo, siquidem jam ex Praetoris edicto *in bonorum possessione petenda* secundum tabulas b. p. eam praeibat, quae ex intestati causa admittebatur. Nam rescripto illo D. Marci, quod refert Gajus (II. §. 120.), non ordinem immutavit imperator bonorum possessionis deferendae, verum legitimorum heredum jus minuit. — Quae quidem semel monuisse sufficiat, ne eadem redarguere falsa in sequentibus locis Heineccianis cogamur. *Mühl.*

f) In Praetoris fuisse potestate, velletne bonorum possessionem dare, nec ne, satis evincunt exempla, quibus Praetor bonorum possessionem certis personis negavit, quas tamen edicto suo non exceperat. Sane Q. Metellus, Praetor, Vecilio, lenoni, bonorum Juventii possessionem secundum tabulas dare recusabat, tantum quod leno esset: Val. Maximus *VII.* 7. 7. Nonnumquam tamen et Consules intercedebant. Sic quum Genucius, Matris magnae Gallus, a Cn. Oreste, Praetore, bonorum possessionem secundum tabulas impetrasset: Mamercus Aemilius Lepidus Cons. Praetoriam jurisdictionem abrogare non dubitavit, non aliam ob caussam, quam quia Genucius amputatis genitalibus nec vir esset, nec mulier: Valerius Max. *VII.* 7. 6. *Hein.*

g) De b. p. extraordinaria vid. von Löhr *l. l.* num. 3. et 4. in Dessen *Magaz. u. s. w.* T. III. p. 231 — 250. *Haub.*

L. 30. §. 1. *D. de Adquir. hered. L.* 1. §. 4. *D. Si tabulae test. nullae exstab.* vel DECRETALES, quae cognitionem [h]) decretumque desiderabant: *L.* 1. §. 7. *D. de Success. edict. L.* 2. §. 1. *D. Quis ordo in possess. servetur. L.* 2. §. 11. *D. ad SCtum Tertull. et Orphit.* [i]). Utraque vel EX TESTAMENTO dabatur, vel AB INTESTATO. Si ex testamento, tum vel CONTRA TABULAS, id est, contra testamentum, sive *contra lignum*, dabatur, eaque Graecis ἐναντίωσις κατὰ διαθήκης dicitur: vel SECUNDUM TABULAS: *princ. Inst. h. t.* aut, si sine scripto testamentum conditum, tum vel SECUNDUM NUNCUPATIONEM, vel CONTRA EAMDEM bonorum possessio competebat: *L. ult. C. de Bonor. poss. secund. tab. L.* 1. *C. de Bon. poss. contra tab.* Ab intestato vero dabatur vel jus legitimum habentibus, vel non habentibus propter capitis deminutionem. Denique bonorum possessio aut CUM RE dabatur, aut SINE RE. *Cum re,* si is, qui acceperat, cum effectu bona retinebat; *sine re,* quum alius jure civili evincere hereditatem poterat [k]). Sic, si suus heres intestato erat; bonorum possessio alii data erat sine re, siquidem suo heredi evincere hereditatem jure legitimo licebat: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 6. *XXVIII.* 13. (Gaj. II. 148. 149. III. 35—37.)

§. 4.

Bonorum possessio contra tabulas.

Quod ad bonorum possessiones attinet, quae ex testamento descendunt, eae, ut dixi, vel secundum tabulas dabantur, vel contra tabulas. CONTRA TABULAS bonorum possessio erat omnium prima, de qua edixerat Praetor, unde et *ex prima parte vel ex primo edicto* bonorum possessio dari dicebatur, quoties dabatur contra tabulas: *L.* 4.

---

h) Bonorum quidem possessiones aliae de plano, aliae pro tribunali petebantur: *L.* 2. §. 1. *D. Quis ordo in bon. possess.* At dari aliter non poterant, quae exigebant decretum, quam pro tribunali: quia neque decretum de plano interponi, nec caussae cognitio alibi, quam pro tribunali fiebat: *L.* 3. §. 8. *Si causa D. de Bon. possess. Hein.*

i) De decretali b. p. vid. v. Löhr: *Bonorum possessio decretalis* in v. Grolman *Magaz. für die Philosophie u. Gesch. des Rechts.* p. 437. sqq. *Haub.* Fabricius *l. l.* p. 162—197. Huschke *l. l.* p. 27—33. *Mühl.*

k) De b. p. *cum re et sine re:* von Savigny *über die jurist. Behandlung der sacra privata bei den Römern* §. 1. in der *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. II. num. 15. p. 371 — 373. v. Löhr *Einige Bemerkungen* u. s. w. num. 7 et 8. in Dessen *Magaz.* u. s. w. T. III. p. 281 — 332. *Nachträge* u. s. w. *ibid.* T. IV. p. 152. sq. *Haub.* Quibus jungend. Hugo *R. G.* p. 607 — 613. (ed. XI.) et qui praeterea supra laudati sunt scriptores not. a. *h. t. Mühl.*

et *L.* 12. *D. de Edict. Carbon.* et *L.* 2. *D. de Bon. libert.* Quem ordinem ab aequitate etiam atque etiam commendat Ulpianus *L.* 2. *pr. D. de Bon. poss. sec. tab.*

§. 5.

Cui data sit?

Dabatur autem ea bonorum possessio liberis emancipatis a patre testamento praeteritis: non autem suis, qui praeteriti testamentum nullum dicunt: *L.* 1. *D. de Injust. rupt. irr. fact. test.* nisi hoc remedio uti malint, quod ipsis licet jure novo: *L.* 2. *C. de Bon. poss. contra tab.* Proprie tamen haec bonorum possessio, uti dixi, ad solos emancipatos pertinet [1]). Quamvis enim iis non debetur legitima hereditas: Praetor tamen naturalem sequutus aequitatem hos quoque ad bonorum possessionem vocabat: *L.* 1. §. *ult. D. Quis ordo in bon. possess.* Eadem parte edicti vocabat adoptivos, non vero in adoptionem datos: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 3. Hos enim, quia in aliam familiam aliaque sacra transierant, non juvabat Praetor, nisi eo casu, si ipsi a patre naturali heredes instituti essent, et alii liberi praeteriti. Tunc enim, his bonorum possessionem petentibus, illi quoque una admittebantur: *L.* 8. §. 11. *D. de Bon. possess. contra tab. L.* 1. §. 12. *D. de Ventre in poss. mitt.* Alias nihil intererat, sive emancipati naturales essent, sive adoptivi [m]), sive nati, sive postumi, sive primi, sive ulteriorum graduum: *L.* 1. *pr. L.* 3. *pr.* §. 1. et *sq. D. de Bon. poss. contra tab.* Ceterum emancipati, impetrata contra tabulas bonorum possessione, cavere debebant fratribus, qui in potestate man-

---

1) De personis, quae ad contra tabulas bonorum possessionem vocantur, vid. Gaj. II. §. 135. (cf. ibid. §. 125. 126.) 136. et Foersteri librum supra (not. a) laudatum, qui in hoc loco explicando totus fere occupatus est. — De vulgari eorum sententia, qui ante nostram aetatem de bonorum possessione scripserunt, nimirum illorum dumtaxat in gratiam, qui successionis ex jure civili fuerint expertes, bonorum possessionem esse introductam, jam satis multa supra sunt observata (not. c et e). At notandus hic etiam est foedissimus, qui inde prodiit, Auctoris error, quippe sic explicantis Ulpiani locum (*L.* 1. *pr. D. de bon. poss. contra tab.* „In contra tab. B. P. liberos accipere debemus, sive naturales, sive adoptivos"), quasi adoptivis quoque iisque emancipatis contra tabulas parentis quondam adoptivi data sit bonorum possessio. Ne id quidem animadvertit Noster, quod statim Ulpianus disertis verbis ipse subjicit: emancipatum ab adoptivo patre ad hujus bonorum possessionem non admitti: *L.* 1. §. 6. *D. de bon. poss. contra tab.* Vid. et *L.* 3. §. 2. eod. Gaj. II. §. 136. Foerster *l. l.* p. 160. *Mühl.*

m) Vid. quae contra monuimus not. l. *Mühl.*

serant, ea bona, quae moriente patre habuerant, se collaturos: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 9. 4. Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 4. n).

§. 6.

Bonorum possessio secundum tabulas.

SECUNDUM TABULAS dabatur bonorum possessio iis, quibus, licet testamento scriptis heredibus, subtilitas aliqua juris civilis obstabat o). Quodsi enim eorum, quibus contra tabulas competebat bonorum possessio, aut esset, aut peteret nemo p): Praetor scriptos heredes admittebat, dummodo testamentum non minus, quam septem testium civium Romanorum signis esset signatum: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 6. q). Eam enim solam sollemnitatem in testamentis requirebat Praetor. Unde in edicto suo Verres apud Ciceronem *in Verrem Act. II. Lib. I. c.* 45. SI DE HEREDITATE AMBIGETUR, ET TABULAE TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINUS MULTIS SIGNIS, QUAM E LEGE OPORTET, AD ME PROFERENTUR: SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POTISSIMUM HEREDITATEM DABO. Ex quo loco simul discimus, hanc bonorum possessionem satis antiquam esse, maxime quum Cicero eo loco observet, id edictum *translatitium* esse.

§. 7.

Ordo bonorum possessionis ab intestato.

INTESTATI dabatur bonorum possessio, si tabulae nullae exsta-

---

n) Fuit hoc quidem initium hujus juris. At postea obtinuit, ut, etiam si intestatus mortuus esset pater, bona conferrentur ab emancipatis (*L.* 6. *D. si tab. test. nullae exstab.*), tum a filia, licet illa nuptiis secutis in sacris paternis remansisset, dos esset conferenda fratribus sororibusve, quibuscum una succedere vellet (*Tit. Dig. de dotis collatione.* Vid. F. Kämmerer *Beitr. zur Gesch. u. Theorie des Röm. R.* Nr. VII.). Reliquas hujus juris immutationes prosequi longum est, atque a nostri operis fine alienum. Caeterum de historia collationis cfr. C. A. D. Unterholzner: *historia doctr. jur. Rom. de collat.* Alt. 1809. 8. Foerster *l. l.* p. 354 — 373. W. Francke *civilist. Abhandl.* (Goett. 1826.) Nr. IV. *Mühl.*

o) Vocatur etiam *juxta* tabulas b. p. (Ulp. *Fr.* XXIII. §. 6). Quod apud eundem legimus Ulpianum: *adversus* tabulas (pro secundum; vid. *Fr.* XXVIII. §. 1. cf. XX. §. 14. in f.), ex siglarum aut confusione aut perversa interpretatione profectum esse videtur; cf. Hugo *R. G.* (XI). p. 582. not. 1. Böcking *in not. crit. ad suam Ulpiani edit. h. l. Mühl.*

p) Praetor enim nulli legitimo heredi jus suum adimere poterat. Quare haec bonorum possessio *secundum tabulas* non semper dabatur cum re, obstante jure civili: Ulpiani *Fragm. XXIII.* 6. *Hein.*

q) Gaj. II. §. 119 — 122. 147 — 149. Dernburg *Beitr. z. Gesch. der Röm. Testamente* p. 180 — 265. *Haub.* In primis autem scripta supra (not. e) laudata et Fabricii (p. 107 — 144.) et Huschkii (p. 20 — 24). *Mühl.*

rent, per octo gradus r). Primus dictus est UNDE LIBERI. Dabatur ea bonorum possessio liberis, non solum emancipatis, et adoptivis, sed et suis, quos confirmandi juris civilis caussa vocabat, non vero in adoptionem datis: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 8. Secundus UNDE LEGITIMI. Hac edicti parte vocabat Praetor ad bonorum possessionem, QUEM DEFUNCTO HEREDEM ESSE OPORTERET, SI INTESTATUS MORTUUS ESSET s). Tales erant adgnati (et patroni), quibus ex lege XII Tabularum hereditas debebatur. Nec non omnes reliqui, quos vel lex alia, vel SCtum heredes faciebat: *L.* 2. §. 4. *L.* 3. *D. Unde legit.* His vetere jure etiam extraneus manumissor adcensebatur. Si quis enim filium emancipaturus extraneo cuidam illum imaginaria venditione ter mancipaverat, et hic extraneus eumdem manumiserat, non interposita a patre naturali fiducia de remancipatione: extraneus adquirebat sibi jus patronatus, adeoque adgnati loco erat. Vid. supra *Lib. I. Tit. XII.* §. 9. et *Lib. III. Tit. VIII.* §. 1. Attamen huic extraneo manumissori Praetor praeferebat decem personas. Et haec est origo tertii gradus UNDE DECEM PERSONAE. Tales erant pater, mater, avus, avia, tam paterni quam materni, filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio quam ex filia, frater sororve, consanguinei vel uterini: §. 1. *Inst. h. t.* Ulpianus apud *Auct. Collat. Legg. Mos. et Rom. XVI.* 9. t). Et ex hoc

r) Cf. §. 3. *I. h. t.* — Ulpianus *Fragm. XXVIII.* 7. tantum septem numerat gradus, omittitque gradum tertium. *Hein.* Cf. Göschen *über die b. p. libertini intestati;* in Hugo *civilist. Magaz. T. IV.* num. 12. p. 257 — 358. et Erb: *Es gab nur sieben gradus der b. p. intestati;* ibid. T. V. num. 6. p. 129 — 140. *Haub.* Add. Unterholzner in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. V. p. 55 — 84. (§. 5.). Huschke *Studien* p. 58 — 133. — Et in Ulpiani Fragmentis et in Institutionibus Justiniani junguntur et velut miscentur gradus bonorum possessionis tum eorum, qui non sunt passi manumissionem, tum manumissorum, unde septem, sive, ex Justiniani doctrina, octo efficiuntur gradus. Bonorum possessionis ingenuorum, qui non sunt manumissi, quatuor dumtaxat constituti sunt gradus; et primo quidem vocantur *liberi,* secundo *legitimi* (i. e. agnati), tertio *cognati* (vid. supra Tit. V. §. 5. huj. libri), quarto *vir et uxor.* Cf. *L.* 1. §. 1. *D. si tab. test. nullae exstab.* et Gaj. III. §. 26 — 31. *Mühl.*

s) Legitima haec sunt edicti verba, quae servavit Julianus *L.* 1. et 4. *D. Unde legitimi,* unde et haec bonorum possessio vocatur TUM QUEM HEREDEM, a vocabulis initialibus: *L. un.* §. *ult. D. Ut ex legib. Hein.*

t) In Fragmentis Ulpiani omissus est ille bonorum possessionis gradus UNDE DECEM PERSONAE, quia forsan ordinarie tum emancipatio fiebat contracta fiducia, adeoque hoc edictum haud magni usus esset. In Pandectis vero altum de hac bonorum possessione silentium est, quia ea ob constitutionem Justiniani, de qua §. 2. *Inst. h. t.,* evanuerat. *Hein.*

capite profecta est bonorum possessio, de qua Valerius Max. *VII.* 7.5. Quartus gradus erat UNDE COGNATI. Quamquam enim hos non vocabant leges XII Tabularum: *L.* 1. *pr. D. Unde cogn.* proximos tamen eorum vocabat Praetor, iisque etiam adcensebat adgnatos capite minutos: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 9. Quinto TAMQUAM EX FAMILIA [u]), vocabantur adgnati patronorum, quibus alias ex legibus XII Tabularum non debebatur successio in bonis libertorum: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 7. Sextus PATRONO, PATRONAE inscribebatur [x]). Quamvis enim satis hactenus cautum videretur patronis eorumque liberis, qui erant in familia: denuo tamen eos vocandos censuit Praetor, si forte tempore vel repudiatione factum esset, quo minus ex praecedentibus partibus edicti venire possent. Quin eadem edicti parte vocabantur etiam liberi patronorum emancipati, et in adoptionem dati, nec non patronorum parentes, quorum omnium nulla in jure civili habita fuerat ratio. Vid. Theophilus *ad* §. 1. *Inst. h. t.* Schultingius *Jurisprud. vet. Antejustin. p.* 673. Unde non est, quod mirentur Fr. Hotomanus, Bachovius, Arn. Vinnius aliique viri doctissimi, toties in edicto Praetoris patronos ad bonorum possessionem vocari. Septimus gradus est UNDE VIR ET UXOR. Quamvis enim Praetoris beneficio olim opus haud erat conjugibus, quum nuptiae fierent vel per confarreationem, vel per coemtionem, vel per usum, siquidem tunc vir omnia uxoris bona dotis nomine capiebat, uxor vero marito erat heres sua (vide supra *Lib. I. Tit. X.* §. 6. 7.): magnus tamen erat illius usus, ex quo rariores esse coeperant illi nuptiarum ritus. Ceterum ex hoc edicto vir uxori intestatae, et uxor viro intestato succedebat, si nemo esset, qui ex anterioribus gradibus ad bonorum possessionem vocaretur: Theophilus *ad* §. 1. *Inst. h. t.* Octavo denique loco vocabantur COGNATI MANUMISSORIS. Vocari enim ad bona filii emancipati manumissorem patrem, ejusque adgnatos et cognatos, nec non patronum patroni, etiamsi is ipse libertinus esset, tradit Imperator in saepius laudata *constitutione de successione libertorum*, quae exstat in *Basilicis Tom. VI. p.* 595.

---

u) Vel potius TUM QUEM EX FAMILIA. Omnia enim haec genera bonorum possessionum nomina a vocibus initialibus capitum edicti sortita sunt: Cujacius *ad Ulpiani Fragm. XXVIII.* 7. Jan. a Costa *ad* §. 2. *Inst. h. t.* et §. 4. *Inst. Quib. mod. tut. fin. Hein.* At vide Wiclingium in *notis ad Chassanei Paratitla p.* 166. *Cann.* Cf. Schrader tum in *not. crit.* tum in *comment. ad* §. 3. *I. h. t. Mühl.*

x) Seu, ut alii malunt: patroni patrono. Sed vid. Unterholzner et Huschke in locis modo (not. r) laudatis; cf. et Hugo *R. G.* (XI.) p. 602. not. 3. *Mühl.*

§. 8.

Bona caduca.

o usque Praetoris beneficium porrigebatur. Si nemo esset, ad bonorum pertineret possessio, aut si quis esset quidem, sed um omisisset, vel capere non posset, vel ante apertum testaum decessisset, ex lege Papia Poppaea bona omnia, tamquam a, quasi caduca, ereptitia, vacantia, populo deferebantur, ade succedebat aerarium: Ulpiani *Fragm. XXVIII. 7. I. 21. L. r.* et *L.* 15. §. 3. *D. de Jure fisci.* Tacitus *Annal. III.* 28. Postea smodi bona ex parte non populus, sed fiscus occupabat, prae e tempore Hadriani: *L.* 20. §. 6. *D. de Hered. petit.* Denique oninus Bassianus Caracalla [y]) omnia caduca fisco vindicavit: iani *Fragm. XVII.* 2. [z]).

---

y) Hunc enim ab Ulpiano plerumque indigitari, quoties vel Imperatoris lute meminit, vel Antonini, luculenter post Ezech. Spanhemium ostendit V. ichultingius *Jurisprud. vet. Antejustin. p.* 617. *Hein.*

z) Quum de jure aerarii s. fisci (vid. Lib. I. Tit. XXV. §. 10. sqq.) quaeritur, nctorum bona sibi vindicandi, tria sunt distinguenda, quae quidem hoc in inconsiderate miscuit Auctor: 1) *bona vacantia,* i. e. ea, quae non habent cessorem (v. Schröter in d. *Zeitschr. f. Civilr. u. Proc.* T. X. num. III. C. A. midt *de succ. fisci in bona vacantia.* Jen. 1836. 8. K. A. Schneider: *das altle u. Justin. Anwachsungsrecht bei Legaten u. die caducarischen Bestimmungen Lex Jul. et P. P.* Berl. 1837. p. 152. sqq.); 2) *ereptitium* (de vocabulo *ereptum* in Ulp. *Fr.* XIX. 17. vid. Schilling *Bem. üb. Röm. R. G.* p. 312.), i. e. od heredibus vel legatariis ut indignis eripitur (Schneider *l. l.* p. 94 — 97. 139 — 144.); 3) bona caduca, quae similiter, ut vacantia et ereptitia, ex Legis liae et Papiae Poppaeae parte caducaria populo deferebantur. Et caduca quim prae ceteris ea appellata sunt, quae, quum jure essent scripta testamento, iqua tamen ex causa (velut coelibatus et orbitatis, vid. Lib. II. Tit. XIV. §. 2.) pi non poterant ab heredibus vel legatariis. (Cf. Gaj. II. §. 111. 144. 150. 206. sq. 36. *Fragm. vet. JCti de jure fisci* §. 3. Ulp. *Fragm.* Tit. I. §. 21. Tit. XIII — VIII. XXV. 17. in f.) At non solum praeter regulam solidi capacitas (h. e. s omne ejus capiendi, quod testamento relictum erat) quibusdam personis atum est (v. Ulp. *Fragm. Tit. XVI.* atque ibi notae in edit. Schult.), verum tiam aerario praeferebantur a) liberi et parentes testatoris usque ad tertium radum, iique heredes instituti, quippe quibus *jus antiquum in caducis,* i. e. jus ccrescendi, relictum esset (Ulp. *Fr. XVIII.*), b) hi, quibus *caducorum vindicatio* data est, nimirum heredes et legatarii *patres* (Gaj. II. §. 206. 286. Cf. *Fr. vet. JCti de jure Fisci* §. 3.), hoc pacto, ut, qui juncti vocati essent cum eo, a quo pars cecidit, aliis praeferrentur (Gaj. II. §. 207.). At christianorum imperatorum temporibus caducaria lex partim constitutionibus abolita est, partim sponte ex usu recessit, donec postremo Justinianus jus accrescendi antiquum, quod arctissimis finibus Papia lex circumscripserat, propemodum restituit. Jam de his

§. 9.

Quid si bonorum possessio non petita.

Quum vero plures gradus successionis introduxisset Praetor, eosque per ordinem disposuisset: in unaquaque vero specie successionis plures saepe exstarent disparis gradus personae: ne actiones creditorum differrentur, sed haberent, quos convenirent, et ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, petendae bonorum possessioni certum tempus praefiniverat, et parentibus quidem liberisque annum, ceteris centum dies utiles: Ulpiani *Fragm. XXVIII.* 10. §. 4. 6. *Inst. h. t.* An dies, quibus pater sciverat, bonorum possessionem competere, etiam filio cedant, disputant Cujacius *Observatt. XIV.* 8. et Merillius *Observatt. V.* 2. Intra hos dies si quis non petierat, ad bonorum possessionem sequens gradus admittebatur, perinde ac si superiores non essent: §. 5. *Inst. h. t.* Ulpianus *ibid.* §. 11. Quae omnia ex SUCCESSORIO EDICTO proficiscuntur, de quo singularis exstat in Pandectis titulus [a]).

§. 10.

Quomodo petita.

Ceterum vetus petitio, postulatio, vel adgnitio bonorum possessionis sollemnis erat, ut patet ex *L.* 1. *C. Comm. de success.* adeoque fieri debebat conceptis verbis ac formulis, quae quales fuerint, hodie vix liquet, siquidem nec Brissonius eas restituere potuit. Nec apud quemvis magistratum peti poterat bonorum possessio, sed in urbe apud Praetorem, in provincia apud Praesidem: *L.* 2. §. 1. *sq. D. Quis ordo in bon. possess.* At formulas aeque, ac illam Praetores et Praesides adeundi necessitatem sustulere posteriores Imperatores: §. *ult. Inst. h. t.* in primis Constantinus, qui, exclusis inanibus

---

omnibus cfr. Rudorff *über die caducorum vindicatio,* in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. VI. num. VI. p. 397. sqq. Schilling *Bem. üb. R. G.* p. 310. sq. et ibid. not. 843. et scriptores, qui nostra aetate de jure accrescendi exposuerunt: W. Francke *Beiträge zur Erläut. einzelner Rechtsmat.* I. (Gött. 1828.) num. VI. H. Baumeister *das Anwachsungsrecht der Miterben nach Röm. Recht.* (Tüb. 1829.) p. 74. sqq. M. S. Mayer *das Recht der Anwachsung bei dem testamentarischen u. gesetzlichen Erbrecht u. bei Legaten oder Fideicommissen.* (Tüb. 1835.) Schneider *opus modo laudatum* et hujus libri censura (auctore Huschkio) in *Ephemeridib.* a Richtero 1838. edit. p. 307 — 332. K. Witte in *Weiskii Rechtslexicon u. Anwachsungsrecht,* p. 270 — 323. atque ibi vel maxime p. 305. sqq. *Mühl.*

a) Vid. von Löhr *Einige Bemerkungen* u. s. w. num. 2. in Dessen *Magaz.* T. III. p. 224 — 231. *Haub.*

verborum captionibus, concessit, ut quilibet judex vel magistratus, etiam municipalis, posset adiri, atque apud hunc, interposita qualicumque voluntatis testatione, bonorum possessio peti: *L. ult. C. Qui admitt. ad bon. possess.*

§. 11.

Quomodo data?

Quemadmodum vero successores Praetorii bonorum possessionem PETERE et POSTULARE dicebantur: ita Praetor eamdem DABAT, et tum bonorum possessio ACCIPI et ADGNOSCI dicebatur. In danda bonorum possessione formula utebatur Praetor: BONORUM POSSESSIONEM DO. At si decreto interposito daret, dicebat: IN BONA IRE JUBEO: Valerius Max. *VII.* 7. 3. Formulae IN POSSESSIONEM ESSE JUBEO: alia erat ratio, quae tunc locum habebat, quando Praetor in possessionem mittebat rei servandae caussa, vel legatorum servandorum gratia, sive quod reus neque potestatem sui faceret, neque defenderetur. Adeoque haec sollemnia verba ad possessionem potius bonorum, quam ad bonorum possessionem videntur pertinuisse: Brissonius *de Form. V. p.* 408.

§. 12.

Jus novum.

Et hoc quidem fuit jus antiquum bonorum possessionis. At Justinianus hic quoque multa suo more mutavit. Nam ex intestati bonorum possessionibus tertiam, quintam et octavam speciem plane sustulit; reliquas in Pandectas referri jussit, mox et illas inutiles redditurus, inducta per *Novellam CXVIII.* nova ab intestato succedendi ratione: §. 2. 3. *Inst. h. t.* b).

LIB. III. TIT. XI. (X.)

DE

ADQUISITIONE PER ADROGATIONEM.

Plures sunt modi adquirendi per universitatem. Gajus *Inst. II.* 2. *princ.* a) eo refert *hereditatem, emtionem* (per quam non cum Contio mulieris in manum conventionem, nec cum Aleandro emtionem

---

b) Vid. von Löhr *l. l.* num. 9. ibid. p. 333 — 353. *Haub.*

a) Vid. *genuin.* Gaji *comment.* II. §. 98.: „Si cui *heredes* facti sumus, sive cujus *bonorum possessionem* petierimus, sive cujus *bona emerimus*, sive quem

familiae, sed emtionem bonorum debitoris intelligimus. Vid. Jacob. Oiselius *ad Gaji Inst. l. c. p. m.* 92.) et *adrogationem.* Sed recte Ant. Contius *Dispp. jur. civ. I.* 12. alios quosdam addit adquirendi modos, veluti *bonorum possessionem*, *addictionem bonorum libertatum conservandarum caussa*, et eam, quae fiebat *redacta libera muliere in servitutem ex SCto Claudiano.* Quum ergo de *hereditatibus* et *bonorum possessionibus* satis prolixe adhuc egerit Imperator, *emtio* vero *bonorum*, quae jam Justiniani aevo ab usu recesserat, itidem supra satis explicata sit: nunc reliquas adquisitionum, quae per universitatem fiunt [b]), species exsequemur, et hoc quidem titulo de *adquisitione per* ADROGATIONEM; sequente *XII.* de *bonorum addictione, quae fit libertatis conservandae caussa*, et titulo denique *XIII.* de *SCto Claudiano* agemus.

§. 1.

Omnia bona et jura adrogati transibant ad adrogatorem.

Quid ADROGATIO sit, et quo ritu, quaque sollemnitate fieri debuerit, jam supra *Libro I. Tit. XI.* §. 5. *sq.* dicere occupavimus. Ubi etiam §. 6. 7. et 18. observatum est, adrogatum transisse in alia sacra, aliamque familiam, adeoque adrogatorem adrogatum in potestate habuisse: Gellius *Noctt. Attic. V.* 19. Quum itaque patria potestas etiam illud jus complecteretur, ut, quidquid adquirerent filii, non sibi, sed patri adquirerent (vid. supra *Lib. I. Tit. IX.* §. 7.): consequens erat, ut et adrogati bona universa et jura adquireret adrogator. Unde omnia, quae adrogati fuerant, tacito jure ad eum transire dicuntur, qui adrogavit: *L.* 15. *pr. D. de Adopt.* Cum capite ergo etiam fortunae ejus in familiam et domum adrogatoris transferebantur, adeo, ut et actiones et nomina transirent sine cessione: §. 1. *Inst. h. t.* Attamen filius stricto jure manebat debitor [c]) adeo-

---

adrogaverimus, sive quam *in manum ut uxorem receperimus*, ejus res ad nos transeunt." Tractat Gajus de hisce successionibus per universitatem, praeter hereditates et bonorum possessiones, Lib. III. §. 77—84., quacum jungit *in jure cessionem hereditatis legitimae* i. e. nondum acquisitae, quoniam is, cui eo modo cessa erat hereditas, perinde heres fiebat, atque si ipsa lege ad hereditatem vocatus esset (ibid. §. 85—87. junct. II. 35—37. Vid. et supra II. 1. 23.). *Mühl.*

b) Vid. Lib. II. Tit. I. §. 22. not. p. Tit. XVII—XIX. §. 11. Quaedam tamen infra etiam adjiciemus Tit. XIII (XII.) not. a. *Mühl.*

c) At civiles actiones summo jure exstinctae sunt, nec nisi per in integrum restitutionem rescissa capitis deminutione in eum dabantur (*L.* 2. §. 1. *D. de cap. min.*); quodsi adversus actiones non defendebatur adrogatus, bona

que adrogator ex debito filii directe conveniri non poterat: §. *ult.* *Inst. h. t. L. pen. C. Ne ux. pro marito etc.*

§. 2.

Exceptis iis, quae capitis deminutione perimebantur.

Excepta tamen erant ea jura, quae capitis deminutione perimi solebant. Talia erant operarum officialium obligationes, jus adgnationis, usus et ususfructus. Haec quum capitis deminutione perire possent: *L. 7. D. de Cap. demin. L. 1. D. Quibus mod. ususfr. amitt.* Paulus *Sententt. Receptt. III.* 6. 39. omnes vero, qui se adrogari sinunt, capitis deminutionem paterentur: non poterant profecto cum reliquis juribus ad adrogatorem transire: §. 1. *Inst. h. t.*

§. 3.

Jus novum.

Sed et haec sustulit Justinianus. Adrogatoribus enim non omnium bonorum adquisitionem, sed usumfructum tantum, dominio adrogatis integro servato, concessit. Mortuo autem filio adrogato, in adoptiva familia etiam dominium rerum ejus ad adrogatorem transire voluit, nisi superessent aliae personae, quae patrem in iis, quae adquiri non possent, ex constitutione antecedant: §. 2. *Inst. h. t.* d). Idem etiam Justinianus consultissima ratione sanxit, ut adrogator ex filii adrogati contractibus conveniretur, et, si ille hunc defendere nollet, creditoribus bona filii, quorum pater adrogator usumfructum habiturus fuisset, possidere permitteretur: §. *ult. Inst. h. t.* e).

LIB. III. TIT. XII. (XI.)

DE

EO CUI LIBERTATIS CAUSSA BONA ADDICUNTUR.

Bonorum addictio libertatum conservandarum caussa tota ita comparata est, ut sine antiquitatum cognitione intelligi nequeat.

---

quae ejus fuissent, si se alieno juri non subjecisset, universa vendere creditoribus Praetor permittebat. Simile erat jus uxorum, quae per in manum conventionem bona sua in maritum transtulerant. Vid. Gaj. III. §. 84. IV. §. 38. et 80. *Mühl.*

d) *L. ult. C. comm. de successionib. Mühl.*

e) Vix tamen novi quidquam hac in re statuisse videtur Imperator (Gaj. III. §. 84. in f.), nisi quod in integrum restitutio creditorum non amplius necessaria esset, sed statim adrogator filii nomine conveniri posset. *Mühl.*

At antiquorum mores in venditione bonorum observati aliaque, ad quae hoc titulo alluditur, jam alio loco exposita sunt, ad quae hic licebit lectorem remittere.

§. 1.

Casus hoc titulo supponendus.

Saepe fiebat, ut obaeratus quisquam, facto testamento, heredem institueret extraneum, simulque servis quibusdam libertatem vel legaret, vel fideicommisso daret. Non adeunte ergo herede, et hereditatem ob latitans aes alienum sibi suspectam repudiante, libertates etiam corruebant: *L.* 2. *C. de Testam. manum. L.* 1. *C. de Fideic. libert.*

§. 2.

Rescriptum D. Marci.

Quum vero nihilominus magnus esset libertatis favor: D. Marcus Imperator rescripto ad Pompilium Rufum statuit, ut bona, quae jam non sine ignominia defuncti venire debebant, servo potius cuidam testamento manumisso addicerentur [a]), ea tamen lege, ut non solum servi, quibus tum directo, tum per fideicommissum libertas data, libertatem consequerentur, verum etiam creditoribus caveretur de solido singulis solvendo. Quin et fisco bona non aliter addici passus est Imperator, quam ut libertas iis esset salva, qui eam adita hereditate consequi potuissent. Ipsum rescriptum D. Marci integrum exstat §. 1. *Inst. h. t.* De Pompilio Rufo, ad quem Imperator rescripsit, disputant, servusne, an liber homo fuerit? Servum fuisse existimat Theophilus *d.* §. 1. ubi eum ἕνα τῶν τυχόντων ἐλευθερίας ἐν τῇ διαθήκῃ, *unum eorum, qui libertatem testamento consequuti fuerant*, adpellat. Sed negat Arnold. Vinnius ad *d.* §. 1. siquidem haec nomina servis non magis conveniant, quam Caji Seji: *L.* 23. *D. de Manumiss.* Sed servum fuisse mihi vix videtur dubitandum. Quid movisset enim extraneum, ut tam duris conditionibus addici sibi pateretur hereditatem Virginii Valentis aere alieno oppressam? Nomen vero Pompilii Rufi non a D. Marco, sed ab Imperatore Justiniano ei datum videtur per πρόληψιν, quia libertini solebant aut manumissorum, aut eorum, quorum se patrocinio ad-

---

a) Is ergo, cui addicta bona, nec heres erat, nec bonorum possessor. Bonorum tamen possessori adsimilabatur: *L.* 4. §. 21. *D. de Fideicomm. lib. Hein.* Cf. von Savigny in der *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. II. p. 376. not. 25. *Haub.*

plicabant, nomina adsumere. Atque ita etiam sentit Eguinarius Baro [b]).

§. 3.

Caussa hujus rescripti.

Caussae ergo hujus constitutionis sunt tum libertatis favor, tum defuncti existimatio, quam per bonorum venditionem laesam fuisse supra *Lib. II. Tit. XVII—XIX.* §. 11. observavimus.

§. 4.

Jus novum a Justiniano invectum.

Sed et his suo more nonnulla addidit Justinianus *L. ult. C. de Testam. manum.* qua cautum est, I. ut jus postulandi bonorum addictionem annuum esset. II. ut, si plures simul satisdato postularent, iis bona simul addicerentur. III. ut ejus potissimum, qui plus se praestiturum esset pollicitus, ratio haberetur. IV. ut, qui plus, quam alter, cui bona addicta, intra annum offerret, altero libertatem suam retinente, bona obtineret. Quae omnia commentatores latius exsequuntur.

LIB. III. TIT. XIII. (XII.)

DE

SUCCESSIONIBUS SUBLATIS, QUAE FIEBANT PER BONORUM VENDITIONEM ET EX SCTO CLAUDIANO.

Quidquid de adquisitione per bonorum venditionem dici potuit, jam supra *Lib. II. Tit. XVII—XIX.* §. 11. occupatum est [a]). Obser-

---

b) Probavit latius Guilielm. Otto Reitzius ad Theophilum *h. l.* (p. 605. et in *Exc. Theophilino XVI. p.* 1209.). *Cann.*

a) Haec tamen etiam monenda esse videntur: Quodsi vivi bona venibant, jubebat ea Praetor per dies continuos XXX. possideri et proscribi, sin mortui, per dies XV., quibus transactis, magister vendendorum bonorum a creditoribus creandus erat (Gaj. III. §. 78. 79. Stieber *de bonorum emtione apud veteres Romanos* (Lips. 1827.) Cap. III. Bethmann-Hollweg *Gerichtsverfassung u. Process des sinkenden röm. Reichs* §. 29. p. 308. sq.). Bonorum emtor velut heres per universitatem succedere videbatur debitori obaerato, adeoque ficto se herede agebat adversus possessores debitoresque; poterat tamen et tamquam ex jure cesso agere, hoc pacto, ut sumta intentione ex ejus persona, cujus bona emerit, converteret condemnationem in suam personam, quae quidem species actionis Rutiliana appellabatur, quippe a Praetore Publio Rutilio introducta. (Gaj. IV. §. 35. Mühlenbruch *Cession der Forderungsrechte* §. 15. p. 151. not. 300.) Eidem-

vatis enim ritibus ibi descriptis, actiones omnes et jura defuncti ad bonorum emtorem transibant, unde et is a creditoribus non secus ac bonorum possessor conveniebatur, quia uterque successor erat Praetorius: Car. Sigonius *de Judic. I.* 18. *p.* 450. Theophilus *pr. Inst. h. t.* [b]).

§. 1.

De SCto Claudiano remissive.

Senatusconsulti quoque Claudiani meminimus jam aliquoties supra *Libro I. Tit. III.* §. 5. et *Lib. I. Tit. XVI.* §. 8. ubi etiam ejus occasionem et historiam in compendio exposuimus, nihil ut hic addendum videatur, praeter id unum, quod mulier ejusmodi libidinosa in servitutem detrusa simul cum libertate omnem amisit substantiam: §. 1. *Inst. h. t.* Quod tamquam seculo suo indignum sustulit Justinianus *d.* §. 1. *Inst. h. t.*

LIB. III. TIT. XIV. (XIII.)

DE

OBLIGATIONIBUS.

Jus nobis vel IN REM competit, vel IN PERSONAM. De *illo* hactenus actum: *hoc* quum ex OBLIGATIONIBUS sit, de iis jam agere incipit Justinianus ab hoc titulo usque ad *Lib. IV. Tit. V.* Videndum ergo, quid Romanis obligatio et quot ejus genera fuerint.

§. 1.

Obligationes apud Romanos quid?

OBLIGATIONEM definiunt veteres, quod sit *juris vinculum, quo*

---

que et possessorium interdictum (nimirum adipiscendae possessionis) propositum erat; simile interdicto *quorum bonorum,* quod bonorum possessori accommodatum est (Gaj. IV. §. 145. Ejusdem conditionis interdictum et *sectori* dabatur, i. e. ei, qui publica bona mercatus erat; idque vocabatur *sectorium;* Gaj. IV. §. 146. Vid. supra Lib. II. Tit. XVII — XIX. §. 11.). Utique autem *cum deductione* oportebat agere bonorum emtorem, i. e. in hoc solum condemnandus erat adversarius, quod supererat deducto eo, quod invicem ipsi debebat is, cujus bona venierant, licet ejusdem non esset generis et naturae; atque eo vel maxime differebat deductio a compensationis jure. Gaj. IV. §. 65 — 68. *Mühl.*

b) Facit cum Theophilo atque Heineccio et Gajus III. §. 80., unde luculenter confirmatur sententia, praetoriam fuisse bonorum emtoris successionem, non civilem, ut olim suspicatus est Savignius in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. II. p. 376. not. 25. Vid. et Schilling *Bem. über. R. G.* p. 71. not. 159. *Mühl.*

necessitate adstringimur alicujus rei solvendae, secundum nostrae civitatis jura: pr. Inst. h. t. At haec definitio non est obligationis in genere, sed speciatim obligationis civilis et mixtae. Quamquam enim alias naturalis aequitas omnes conventiones, etiam nullis legibus civilibus definitas, servari jubet, nihilque tam congruum est fidei humanae, quam ea, quae placuerunt, inter homines servari: *L. 1. D. de Pact.* Romani tamen experientia edocti, saepe homines ea, quae promiserint, serio se promisisse negare, certis obligationum generibus certam formam certumque ordinem dederant [a]), ita quidem, ut, nisi quis istam formam sequutus fuerit, nulla inde valida nasci videretur obligatio [b]). Et hinc addita sunt verba: *secundum nostrae civitatis jura.* Ceterum non existimandum est, Romanos negasse, pacta esse servanda. Potius eum virum malum atque improbum judicabant, qui pacta violasset. Legenda, quae in eam rem disserit Seneca *de Benef. III.* 15. Attamen non adsistebant jura iis, qui nudum pactum inierant, quod fidem in negotiorum contractibus sanxissent: Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. adeoque sibi imputare deberet, qui nuda pactione alterum sibi obstrinxerit, quod communem conventiones firmandi modum, puta stipulationem, omiserit: Merillii *Observatt. VII.* 39. Jure ergo Romano vetere non pacta nuda, imo

---

a) Nihil profecto ineptius dici potest, quam veteres Romanos experientia edoctos et velut civili prudentia motos singula obligationum genera certo ordine descripsisse certisque formis induisse. Quin, antiquissimi populi moribus probe convenit ex iisque potissimum profectum est jus illud, spissis verborum formulis rituumque solennium ambagibus rigidum et tamquam velamento obvolutum, quod gliscentibus demum seculis et moribus populi delinitis a vinculis suis laxari atque ad exterarum quoque gentium conformari coepit ingenium. *Mühl.*

b) Pacta ergo nuda non producebant obligationem civilem, cujus rei eam rationem reddit Sex. Caecilius apud Gellium *Noctt. Att. XX.* 1. *Hanc fidem majores nostri non modo in officiorum vicibus, sed in* NEGOTIORUM *quoque* CONTRACTIBUS *sanxerunt; maximeque in pecuniae mutuaticae usu atque commercio.* At postea tamen indignatus Praetor, hac in re impune falli fidem, non quidem actionem, sed exceptionem tamen ex pacto dedit: *L. 7. §. 4. D. de Pact.* Imo et quibusdam pactis adstitit, iisque certas actiones adcommodavit, veluti constitutae pecuniae et pacto hypothecae. Ante haec edicta variis artibus eludebantur pacta, crebraeque in foro erant disputationes de conventionibus, pactorumne an in contractuum numerum essent referendae? Quo respicit Plautus *Aulularia Act. II. sc. 2. v.* 81. *sq.*

— At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.

Adde Ger. Noodt *de pact. et transact. c.* 10. *p.* 678. *sq. Hein.*

nec jusjurandum, ullam producebant obligationem, sed soli contractus. Primus quinquaginta de contractibus leges dederat Servius Tullius Rex: Dionysius Halic. *Ant. Rom. IV.* 13. Quem etiam primum aes signasse, numumque, praecipuum contractuum instrumentum, cudisse tradit Plinius *Hist. Nat. XXXIII.* 3. *sect.* 13. cujus narrationem operose defendit B. Branchu *Observatt. Dec. II.* 12. quamvis alii numos Numae et originem et nomen debere contendant. Eas leges deinde abrogavit Tarquinius Superbus: Dionysius Halic. *IV.* 43. Denique plerasque in XII Tabulis restituerunt Decemviri, quos sequuti Jureconsulti disputatione fori eo rem deduxere, ut nemo posset, nisi certa adhibita forma, contrahere c).

§. 2.

Obligatio vel civilis vel praetoria, naturalis, civilis, mixta.

Quum vero forma illa obligationibus data esset vel per leges civiles, vel per edicta Praetorum: factum est, ut obligationes in CIVILES et PRAETORIAS vel HONORARIAS distinguerentur: §. 1. *Inst. h. t. L.* 1. §. *pen. D. de Exercit. act. L.* 8. §. 2. *D. de Fidejuss. L.* 8. §. *ult. D. de Accept.* Illae legibus vel constitutae sunt, vel comprobatae, veluti ex contractibus obligatio litterarum et verborum, ex delictis furtum nec manifestum, damnum injuria datum, etc. Has Praetor ex sua jurisdictione constituit, quales sunt ex conventionibus constituta pecunia, e delictis injuria etc. Sed revera hanc distinctionem, salvo tamen discrimine praescriptionis, sustulit Justinianus, dum omnes obligationes miscuit, corporique suo juris inseri jussit promiscue: Thomasii *Not. ad Inst. h. t.* Praeterea obligationi adsistit lex, et quidem vel sola *naturalis*, cui non adstipulatur jus civile, vel *civilis,* cui naturalis aequitas resistit, vel *naturale* et *civile jus* simul. Unde primi generis obligatio NATURALIS, secundi CIVILIS, tertii MIXTA adpellatur: §. 1. *Inst. de Obligat.* d).

---

c) Haec quoque (nam vid. not. a) ex historiae juris civilis umbratica desumta esse videntur. Qui probe attenderit, quam viam ac rationem secuti sint veteres in augendo excolendoque jure civili, haud sane dubitabit, fori disputatione (quidquid illa fuerit) jus Romanum non esse ad formularum angustias deductum, sed potius in majorem libertatis evectum et dignitatis gradum. *Mühl.*

d) Quo tamen in loco nec de naturali obligatione quicquam legitur, nec de mixta, ut quidem a recentioribus JCtis vocari solet. Caeterum proprie naturalem obligationem eam dici juris nostri auctoribus, quae, quum actione non sit munita, tamen exceptionem pariat, jam in vulgus notum est. *Mühl.*

§. 3.

Quid contractus et delictum?

Porro omnes obligationes nasci constat vel ἀμέσως ex naturali *aequitate* vel *lege*, vel ex *facto*, eoque vel *licito* vel *illicito*. Quae ex facto licito descendunt obligationes, CONTRACTUS dicuntur: quae ex illicito, DELICTA vel MALEFICIA audiunt: Gaji *Inst. II.* 9. *princ.* (*Comment.* III. 88.) Contractus quum consensu ineantur, isque vel *verus* sit, vel *praesumtus*, ii, qui ex vero nascuntur, CONTRACTUS; qui ex praesumto, QUASI CONTRACTUS adpellantur [e]). In delictis quoque vel *dolus* concurrit, vel *culpa* tantum. Si dolus, VERUM DELICTUM; sin culpa, QUASI DELICTUM inde nascitur: Thomasii *Diss. de usu pract. action. advers. judicem imperite judic.* §. 2.

§. 4.

Quid intersit inter pacta et contractus?

CONTRACTUS [f]) ergo in se considerati Romanis Jureconsultis sunt conventiones, quibus subsunt caussae civiles, id est, ejusmodi negotia, quae jure civili recepta adeoque idonea sunt ad producendam obligationem: Ger. Noodt *de pact. et transact. c.* 9. *p.* 673. Paullo aliter ego contractus a pactis distinguo. Pactum enim neque nomen et caussam, contractum aut nomen et caussam, aut certe, si nomine caret, caussam habere oportet: *L.* 7. §. 1. et 2. *D. de Pact.* Habere autem nomen dicitur, cui ejusmodi inditum est vocabulum, quod producat actionem ejusdem nominis, uti contractus nominati. Caussam vero habet negotium, quod vel a *rei traditione* (aliove facto), vel a *verbis sollemnibus,* vel a *litteris,* vel a *consensu* de praesenti effectum sumit. Unde contractuum in eos, qui RE, VERBIS, LITTERIS vel CONSENSU ineuntur, divisio. Ideo *do ut des,* (sive etiam *facio ut des* rel.) conventio est sine nomine, sed, quia tamen a datione vel facto sumsit effectum, contractibus adcensetur [g]). *Dabo ut des* esset nudum pactum, quia nulla caussa praecedit. Unde

---

e) Obligationes quasi ex contractu eas esse, quibus consensus praesumtus subsit, minus accurate dicitur. Sed id anquirere hic nihil attinet. Cf. tamen, sis, Weber *von der natürl. Verbindl.* §. 9. *Mühl.*

f) Sunt et alia contractuum nomina. Vocantur enim συναλλάγματα, *negotia civilia, caussae, caussae civiles, formae negotii, contractus negotii* vel *negotia contractus.* Locos colligit Ger. Noodt *ibid. c.* 9. *p.* 673. *Hein.*

g) *Causa* quid fuerit veteribus, tum, quomodo contractus differrent a pactis, itemque nominati contractus ab innominatis, quos vocant, non una hodieque

simul patet, cur promissio rei futurae non sit contractus, quamvis adsit consensus mutuus. Non enim consentiunt in id, quod statim detur, vel fiat, sed quod in posterum dandum faciendumque sit. Inter contrahentes ita convenit: *vendo, emo: loco, conduco.* Inter paciscentes: *vendam, emam: locabo, conducam.* Porro inde patet, cur in contractibus innominatis locus fuerit poenitentiae [h]). Ex parte enim ejus, qui nondum, quod promissum erat, praestiterat, nudum erat pactum. Ergo alterum fas erat poenitere, vel datum repetere, condictione caussa data, caussa non sequuta: *L. 5. pr.* et §§. *sq. D. de Condict. causs. dat.*

§. 5.

Contractus quotuplices?

Contractus porro nominati, ut dixi, vel *re* perficiuntur, vel *verbis*, vel *litteris*, vel *solo consensu:* de quibus quatuor contractuum speciebus agendum distinctius.

LIB. III. TIT. XV. (XIV.)

QUIBUS MODIS RE CONTRAHITUR OBLIGATIO.

Quamvis plures sunt contractus, quibus RE contrahitur obligatio, veluti omnes contractus innominati, quippe qui demum ex

est JCtorum sententia. Vid. quae novissime his de rebus disputarunt: A. Erxleben *de contractuum innominatorum indole ac natura comm.* Goett. 1835. 8. et Rosshirt in Ejus *Zeitschr. für Civil- u. Criminalrecht* T. III. p. 153. sqq. Certe haec quaestio non ex Philosophorum praeceptis est dijudicanda, sed ex ipsa civilis Romanorum juris indole explicanda. Cf. Mühlenbruch *Lehrb. des Pandectenrechts* T. II. §. 342. not. 3. *Ed. III. Mühl.*

h) Pro contractibus innominatis et jure poenitendi iis proprio vid. quae Christ. Frid. Mühlenbruchius in den *Heidelberger Jahrbüchern der Litteratur* 1821. num. 5. p. 70 — 74. disputavit adversus Ed. Gansium, auctorem commentationis: *Ueber die Lehre von den Innominat-Contracten und dem jus poenitendi;* in Hujus *Abhandl. über Römisches Obligationenrecht* u. s. w. (Heidelb. 1819.) num. 3. p. 169 — 213. *Haub.* Jam vero, accuratius re perpensa, dicendum est: propter cessationem quidem adversarii in arbitrio esse ejus, qui rem dedit, utrum praescriptis verbis actione ad implendum promissum uti, an rem datam condicere malit, alioquin autem jus poenitendi locum non habere, nisi negotium ad tale contractus genus proxime accedat, in quo cuivis licet, suo arbitrio recedere ab obligatione. Vid. quae pro confirmanda Gansii sententia scripta sunt quum a C. G. Waechtero: *doctrina de condict. causa data causa non secuta in contract. innominat.* Tub. 1822. tum ab Erxlebenio in *Diss. laud. Mühl.*

datione vel facto obligant: *L.* 7. §. 2. *D. de Pact. L.* 5. *pr. D. de Praescript. verb.* placuit tamen Imperatori, de MUTUO tantum, COMMODATO, DEPOSITO et PIGNORE, tamquam contractibus nominatis realibus, hic agere.

§. 1.

Quid mutuum?

MUTUI DATIO est, *quando ita alteri aliquid traditur, quod pondere, mensura, numero continetur, ut accipientis fiat, et quandocumque aliud ejusdem generis*, id est, *naturae et qualitatis, reddatur* [a]). Transfertur ergo hoc contractu dominium rei fungibilis in alterum, eoque fit alienatio, non quidem talis, qualis erat rerum mancipi, et quam solam Cicero *Topic. c.* 5. sub *fin.* vocat *abalienationem,* sed qualis est rerum nec mancipi. Est enim alienatio *omnis actus, quo transfertur dominium: L.* 1. *C. de Fundo dot.* Bynkershoek *de reb. mancipi et nec mancipi c.* 9. *p.* 135. Quo ipso corruit, quidquid in contrarium adferunt Salmasius et Jacobus Oiselius, quorum sententia dudum est a Jureconsultis adcuratioribus, et in primis a Car. Hannib. Fabroto et Jo. Jacob. Wissenbachio explosa. Vid. Ant. Schultingius *ad Gaji Inst. II.* 9. 1. *p.* 147. Res vero FUNGIBILIS est, quae, ut in definitione est, pondere, mensura et numero continetur. Ipsum argentum olim foeneratores non adnumerabant, sed adpendebant: Plin. *XXXIII.* 3. *sect.* 13. Varro *de lingua Lat. IV.* [**p.* 50. ex *edit. Bipont.*] Postea aes rude tantum, aliaque, quae pondere constant, adpendi sunt solita, ut cera, pix, lardum [b]), cetera. Reliquas res vel admetiebantur, vel adnumerabant: vid. Oiselius *ad Gaji Inst. II.* 9. 1. *p. m.* 148. Addidi porro in definitione, *aliud quandocumque ejusdem generis,* id est, *naturae et qualitatis, reddendum.* Quamquam enim Gajus *ibid.* addit *statuto tempore* [c]), et in ipsis Institutionibus nostris *princ. h. t.* pro *et quoniam nobis non eadem res* etc. legendum est *et quandoque nobis non*

---

a) Gaj. III. §. 90. — De mutuo praeclara exstat S. Herm. ab Idsinga Dissertatio, cui titulus: *de mutuo et veteri litterarum obligatione.* Franeq. 1736. 4. et in Oelrichs *Thes. N. Dissertt. Belg.* Vol. I. T. I. p. 107 — 188. *Haub.*

b) Sic Varro *de re rustica III.* 17. refert, *Hirrium Caesari sex millia muraenarum mutua dedisse in pondus.* Et Plinius [* *Histor. Natur. IX.* 55. *sect.* 81.] *C. Hirrium — coenis triumphalibus Caesaris Dictatoris, sex millia numero muraenarum mutuo adpendisse. Nam permutare quidem pretio noluisse, aliave merce. Hein.*

c) In *genuinis* Gaji *commentariis* haec non inveniuntur verba, sed eadem, quae in Justiniani Institutionibus leguntur. *Mühl.*

eadem res, ut docent Anton. Augustinus *Emendatt. III.* 7. et alii [d]): tempus tamen, quando debitor solvere debeat, adjici necessario non oportebat.

§. 2.

Unde dictum mutuum?

MUTUUM vero non adpellatur, quasi a me ita tibi datum sit, ut *ex meo tuum* fieret, ut existimant Gajus *Inst. II.* 91. (*comment.* III. 90.) Paulus *L.* 2. §. 2. *D. de Rebus credit.* et Justinianus *princ. Inst. h. t.* [e]) sed a voce Sicula μοῖτον, Varro *de lingua Lat. IV. p.* 49. *Si datur, quod reddatur, Mutuum; quod Siculi* μοῖτον. Plerasque enim rei pecuniariae adpellationes Romanos a Siculis mutuatos esse, jam a nobis observatum est *Libro II. Tit. XIV.* §. 5. Ceterum ad antiquitates praecipue pertinet, quod creditores pecuniam vel ex arca numerabant, vel a trapezita, seu argentario. Qui ex arca numerabat, dicebatur *ex arca vel de domo numerasse*, et accipiebat cautionem, cujus elegans formula exstat in *L.* 40. *D. de Reb. credit.* Qui a trapezita numerabant, dicebantur *de mensa numerasse*, idque referebatur in rationes. Quo de discrimine multa potius, quam bona cumulavit Claud. Salmasius *de mod. usur. c.* 11. *p.* 473. *sq.* Rem explicat Donatus ad Terentium *Adelph. Act. II. scena* 4. *v.* 13. *Ego ad forum ibo.* „*Tunc enim in foro, et de mensae scriptura magis, quam ex arca domoque vel cista, pecunia numerabatur.*"

§. 3.

Quid foenus?

Multum vero intererat inter *mutuum* et *foenus*, quamvis haec a plerisque confundi solent. At adcurate distinxit Plautus *Asinar. Act. I. scena* 3. *v. ult.*

Nam si MUTUAS *non potero, certum est, sumam* FOENORE.

Distinxere etiam Jureconsulti nostri: *L.* 33. *D. de Reb. credit.* et

---

d) Aliter quidem Alcander *ad Gaji Inst. l. c.* At Schultingius *p.* 149. docet, *quandoque* in *princ. Inst. h. t.* idem esse ac *quandocumque*, neque opus fuisse, ut tempus adjiceretur mutuo. Sane aliud fuit mutuum, aliud foenus; alia actio mutui, alia kalendarii: Cujacii *Observatt. XI.* 37. *Hein.*

e) Pertinet ergo haec etymologia ad originationes Stoicas, quibus nimium quantum indulsisse Jureconsultos veteres, jam supra *Libro I. Tit. I.* §. 3. observavimus. Adde Cujacii *Observatt. XI.* 37. *Hein.* In origine vocis dissentiunt viri docti: Varronem defendit Salmasius, in alia omnia ivit Cujacius, quem sequitur Vossius. *Cann.*

Imperatores Arcadius, Honorius et Theodosius *L.* 6. *C. Theod. de Denunc.* vel *edit. rescr. Lib. II. Tit. IV.* In primis vero adcurate hoc discrimen exsequutus est Nonius Marcell. *V.* 70. *p.* 731. quem locum ita ego legendum existimaverim: *MUTUUM a FOENORE hoc distat, quod mutuum sine usuris; foenus cum usuris sumitur: et est accepti foetus. Unde et foenus dictum est, ut Graece τόκος, quasi partus mutui sumti. — — — — Unde honestius mutuum est, quod sub amico adfectu fiat meum tuum, usu temporis necessarii: foenus sumere dedecet.*

§. 4.

Differentia inter foenus et mutuum.

Ex his verbis non una elicitur MUTUI et FOENORIS differentia. I. *Mutuum* erat gratuitum, neque ob id usurae ordinarie debebantur: *foenus* usuris exhauriebat debitores. Adeoque illud ad contractum commodati; hoc ad locationem conductionem adcedebat propius: Ger. Noodt *de foenore et usur. I.* 6. *p.* 239. II. *Illud* sub amico adfectu dabatur: *hoc* inexplebilis habendi cupiditas invenerat: Seneca *de Benef. VII.* 10. III. *Illud* honestum; *hoc* bonis omnibus turpe videbatur. Nota sunt illa Catonis, qui, quum varios recensuisset adquirendi modos, quaesitus, *quid foenerari?* respondit: *Quid hominem occidere?* Plinii *Hist. Nat. XVIII.* 15. *sect.* 6. Cicero *de Offic. II.* 25. Idem Cato *de re rustica ab init. Est interdum praestare, mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet; et item foenerari, si tam honestum siet. Majores enim nostri hoc sic habuerunt, et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint foeneratorem, quam furem, hinc licet existimari.* Non minus in usuras invehitur Seneca *de Benef. VII.* 10. Unde profecto non mirum, M. Antonium Octaviano Caesari inter reliqua probra objecisse etiam avum argentarium: Suetonius *August. c.* 2. IV. Porro *mutuum* ad tempus necessarium dabatur: *foenus* in certum statumque diem. Solebant enim foeneratores et argentarii sedentes ad medium Janum [f]) in singulas Kalendas foenerare pecunias: Horat. *Epod. II. v.* 67. *sqq.*

---

f) Testatur Cicero *de Offic. II.* 25. et *Philippica V. VI. VII.* Horat. *Epist. I.* 1. *v.* 53. *sqq.*

> *„O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,*
> *Virtus post numos!" Haec Janus summus ab imo*
> *Prodocet;* — — — — —

Tres scilicet Romae erant Jani statuae, ad quarum unam creditores, ad alteram

Haec ubi loquutus foenerator Alphius,
(Jamjam futurus rusticus!)
Omnem redegit Idibus pecuniam; —
Quaerit Kalendis ponere.

Idem *Sermon. Lib. I. sat.* 3. *v.* 86. *sqq.*

Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris,
Qui, nisi, quum tristes misero venere Kalendae,
Mercedem aut numos unde unde extricat, — —

Et ideo codex, cui inscribebantur illa creditorum nomina, KALENDARIUM [g]) vocabatur: *L. pen. D. Si cert. pet. L. ult. D. de Pecul. L.* 88. *D. de Legat. II.* Seneca *de Benef. I.* 2. et *Epist.* 14. et 87. In hoc ergo Kalendario, praemisso Kalendarum nomine, debitorum subjiciebantur nomina. Unde Martialis *Epigrammat. VIII.* 44. *v.* 10. *sq.*

Superba densis arca palleat numis:
Centum explicentur paginae Kalendarum.

Eamdem ob caussam *Kalendarium exercere* dicuntur foeneratores: *L.* 34. §. 1. et *L.* 39. et *L.* 41. §. 6. *D. de Legat. III.* et *in Kalendarium conversa pecunia* est, quae nominibus et foenore occupata: *L.* 39. §. 14. *D. de Administr. tut. L.* 64. *D. de Leg. III.* Ut ergo ad foenus redeamus, illud, redeuntibus Kalendis, solvendum erat, quum mutuum, nonnisi usu necessario finito, reddi soleret [h]).

---

foenori posituri numos, ad tertiam exigentes conveniebant: Alexand. ab Alexandro *Genial. dier. I.* 14. Rappolt. *ad Horat. p.* 322. *Hein.* An tres fuerint, an duae Jani statuae, dissentiunt: vide interpp. ad locum Ciceronis *de Offic.* Adde Torrent. *ad Horat. l. c. Cann.*

g) Kalendario isti privati praeponere solebant servum: *L.* 41. *D. de Reb. credit.* Erant vero et civitatibus ejusmodi Kalendaria, quibus praeerant curatores Kalendarii, de quibus *L.* 18. §. 2. *D. de Muner. et honor.* et *L.* 9. §. 7. *D. de Administrat. rerum ad civitatem pertin.* Meminit eorumdem curatorum vetus lapis apud Gruterum *Inscriptt. p. CCCCXLVI. n.* 7.

P. OTACILIO. L. F. PAL. RUFO. PAT
IIII. VIR. I. D. II. Q. Q. FLAM. PERPETVO.
DIVI. HADRIANI. AB. EODEM. EQUO. PUBL.
HONORATO. CURATORI. KALENDARI. R. P.
AECLANENSIUM. ELECTO. A. DIVO. PIO
PATRONO. MUNICIPI *Hein.*

h) Omnem rem pecuniariam Romanorum Kalendis adligatam fuisse, docuit et Ernesti *Exc. XII. ad Sueton. Tib. c.* 35. (p. XVI.) *Haub.*

§. 5.

Diversae actiones, quibus mutuum et foenus petitur.

Adcedit V. et haec differentia, quod diversae ex *mutuo* et *foenore* nascebantur actiones. Mutuum enim repetebatur condictione certi ex mutuo: *pr. Inst. h. t.* foenus actione Kalendarii: Cujacii *Observatt. XI.* 37. quae tamen procul dubio fuit species condictionis certi ex stipulatu.

§. 6.

Mutuum et foenus, quales contractus?

Et ex his facile solvetur quaestio, qualis veteribus fuerit contractus foenoris? Diximus, eum proxime adcedere ad locationem conductionem, quia numi usui dantur et accipiuntur pro certa mercede. Unde Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 2. *v.* 9.

Omnia conductis coëment obsonia numis.

Ubi *numi conducti* sunt foenore sumti. Sed foenus tamen proprie non est locatio, quia numorum non usus, sed abusus est. Adcedit, quod contracta locatione eadem res reddenda est, contracto foenore non item. Quare in negotio usurario duplex intervenit contractus, mutui puta, et foenoris, quorum ille re, id est, pecuniae datione, hic verbis, id est, stipulatione [i]) initur. Neque enim citra stipulationem foenus contrahebatur, nisi nauticum: *L.* 5. §. 1. et *L.* 7. *D. de Naut. foenor.* item foenus reipublicae vel mensae argentariae [k]), ut et in his rebus, quae mensura constant: Cujacii *Observatt. IX.* 15.

§. 7.

Lex XII Tabb. de foenore.

Ut vero tota rei usurariae ratio eo rectius intelligatur, sciendum est, *vetus* admodum *urbi fuisse foenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrimam caussam: eoque cohibitum, antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo XII tabulis sanctum, ne quis unciario foenore* [l]) *amplius exerceret, quum antea ex libidine locupletium agitaretur:* Tacitus *Annal. VI.* 16. Quod unciarium foenus lege

---

i) Paulus *Sententt. Receptt. II.* 14. 1. *Si pactum nudum de praestandis usuris interpositum sit, nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter cives Romanos actio non nascitur.* Cf. *L.* 24. *D. de Praescript. verb. Hein.*

k) Mensarii publicam rationem conficiebant: argentarii privatam. Egregia sunt, quae de utrisque observat Car. Sigonius *de ant. jure civ. Rom. II.* 11. *p.* 323. *sq. Hein.* De mensariis: Dukerus *ad Liv.* VII. 21, 5. T. II. p. 551. *Haub.*

l) De quo plura dicentur infra §. 18. *Mühl.*

XII Tabularum constitutum si quis excedere non dubitaret, is quadruplo luebat: Cato *de re rustica praefat.*

§. 8.

Lex Licinia de eodem.

Sed quam parum diu ea lex saluberrima valuerit, vel ex eo patet, quod paullo post in Manliano illo tumultu clamabat obaeratus: *Se militantem, se restituentem eversos penates, multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum foenore esse:* Liv. *VI.* 14. Quare brevi post tempore, id est, A. U. C. CCCLXXVIII. a C. Licinio Stolone, Tribuno plebis, lege cautum est, *ut, deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis portionibus persolveretur:* Liv. *VI.* 35.

§. 9.

Lex Duillia Maenia de eodem.

Paullo post C. Marcio et Cn. Manlio Coss. rogatio perlata est a M. Duillio et L. Maenio, Tribunis plebis, de unciario foenore. Ex quo patet, denuo exolevisse legem XII Tabularum, maximasque iterum pro minimis irrepsisse usuras. Qua de re Livius *VII.* 16. *Haud aeque laeta Patribus insequenti anno, C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario foenore, a M. Duilio, L. Maenio, Tribunis plebis, rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque* m).

§. 10.

Lex de foenore semiunciario.

Sed quemadmodum locupletiores nullo foenore poterant satiari: ita plebs ne unciarium quidem aequo animo ferebat. Unde *dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta usura,* ut ait Tacitus *Annal. VI.* 16. Factum id A. U. C. CCCCVIII. T. Manlio et C. Plautio Coss. Liv. *VII.* 27. *Idem otium domi forisque mansit T. Manlio Torquato, C. Plautio Coss. semunciarium tantum ex unciario foenus factum, et in pensiones aequas triennii, ita ut quarta praesens esset, solutio aeris alieni dispensata est.*

§. 11.

Lex Genucia de usura non facienda.

Postquam semel a plebe animadversum est, posse minores usuras, quam lex XII Tabularum constituerat, plebiscitis introduci, eo deni-

m) Dukerus *ad Liv.* VII. 16, 1. T. II. p. 530. *Haub.*

que prolapsa est effrenata licentia, ut omne foenus tolleret, ac ne levissimam quidem usuram concederet creditoribus. Qua de re egit lex Genucia descripta a Livio *VII. 42. Praeter haec invenio apud quosdam, L. Genucium, Tribunum plebis, tulisse ad populum, ne foenerare liceret.* Paullo aliter Tacitus *Annal. VI.* 16. *Postremo vetita versura,* nisi forte pro *versura* malis *usuram* ponere [n]). Utcumque se res habet, lata est haec lex Genucia A. U. C. CCCCXIII. C. Martio Rutilo IV. et Q. Servilio Coss. [o]).

§. 12.

Fraudes foeneratorum lege Sempronia coercitae.

Sed dici non potest, quam ingeniose, quamque fraudulenter hanc legem eluserint foeneratores, quorum intererat, ut, quod per legem Genuciam non licebat, calliditate consequerentur. Meminit earum fraudum Tacitus *Annal. VI.* 16. sed breviter: *Postremo,* inquit, *vetita versura: multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae, miras per artes rursum oriebantur.* Sed qua in re constiterint illae foeneratorum versutiae, plenius multo ostendit Livius *XXXV.* 7. *Instabat enim cura alia, quod civitas foenore laborabat: et quod, quum multis foenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transscriberent; ita libero foenore obruebant debitores.* Scilicet plebiscitum illud Genucium Romae quidem, at non in Latio, valebat: licitumque adeo erat sociis et Latini nominis, usuras quantascumque a debitoribus stipulari. Callide ergo foeneratores agebant cum sociis et Latini nominis, ut paterentur pecunias suo nomine foenori locare. Quo fiebat, ut, nec quidquam vetante lege, non minus ac antea glisceret foenebre malum, civesque usuras mordacissimas pendere cogerentur. At A. denique U. C. DLX. L. Cornelio Merula et Q. Minucio Thermo Coss. coerceri has foeneratorum artes placuit, lataque eam in rem est lex Sempronia. Et initio quidem edictum, *ut, qui post diem proximorum Feralium socii civibus credidissent pecunias, profiterentur: et ex ea die pecuniae creditae, quibus debitor vellet,*

---

n) Cf. Ernesti, qui in edit. Taciti *T. I. p.* 434. inter alia *nota* 5. sic ad hunc locum: *frustra tentarunt quidam rescribere* USURA. *Cann.*

o) Caeterum jam ante legem Genuciam latam, ut quidem videtur (nimirum a. u. c. 403. vid. Liv. VII. 21.), lege Marcia adversus foeneratores cautum est, ut, si usuras exegissent, de his reddendis per manus injectionem cum eis ageretur. Gaj. IV. §. 23. *Mühl.*

legibus jus creditori diceretur. Postea vero, ubi professionibus detecta est magnitudo aeris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius, Tribunus plebis, ex auctoritate Patrum plebem rogavit, plebesque scivit, *UT CUM SOCIIS AC NOMINE LATINO PECUNIAE CREDITAE JUS IDEM, QUOD CUM CIVIBUS ROMANIS, ESSET:* Livius *XXXV.* 7. Factum est ergo lege Sempronia, ut, quum antea cives tantum obligaret lex Genucia, deinde etiam socii ac Latini nominis eadem tenerentur.

§. 13.

Usura centesima demum legitima habita.

Sed his omnibus legibus nihil actum. Recruduit subinde foenebre malum, sive quod pecuniae incrementum non sub antiqua amplius foenoris adpellatione peteretur, (quod lex prohibebat) sed sub novo usurae vel poenae nomine; sive quod debitores in contrahendo foenore legis beneficio renunciarent, ut erudite ostendit Ger. Noodt *de foen. et usur. II.* 4. *p.* 269. Denique eo res devenit, ut usura centesima legitima haberetur, majores centesimis usurae improbarentur, nisi quod nauticum foenus contrahentium arbitrio relinqueretur: *L.* 40. *D. de Reb. cred. L. ult. C. de Usur. rei judic.* Si quid supra centesimam solutum, non repetebatur quidem illud, sed sortem tamen minuebat: consumta vero sorte, repetebatur quidem, teste Paulo *Sententt. Receptt. II.* 15. 2. at non tamquam usura, sed tamquam sors indebite soluta: *L.* 26. *princ. D. de Condict. indeb.* p) *L.* 18. *L.* 26. §. 1. *C. de Usur.*

§. 14.

Ea non inducta lege Gabinia.

Quis primus hunc usuris modum constituerit, incertum videtur. Plerique huc trahunt *legem Gabiniam*, decepti loco Ciceronis *Epistol. ad Atticum V.* 21. fere sub fin. *Salaminii quum Romae versuram facere vellent, non poterant; quod lex Gabinia vetabat.* Quum vero Salaminiis tunc cum Scaptio res esset, qui quaternas postulabat usuras, non abs re colligere sibi videntur ex hoc Ciceronis loco, centesimam usuram inductam esse lege Gabinia. Vid. Barn. Brissonii *An-*

---

p) Usurae enim praestantur, quasi poena morae: *L.* 40. *D. de Reb. cred.* Quae autem quis poenae nomine persolverat, ea non repetebantur jure antiquo: *L.* 42. *D. de condict. indeb. L.* 46. *D. de Reg. jur.* Vid. Ger. Noodt *de foen. et usur. II.* 13. Petr. Faber *ad tit. de Reg. Jur. p.* 224. *Hein.*

iquitatt. Roman. III. 1. *p.* 46. Franc. Hotomanus *de legib. p.* 74. Sed ationem hos fugere, jam pridem ostendit Jo. Frid. Gronovius *de entes. et unciar. usur.* ἀντεξηγήσει *II.* 36. *p.* 529. *sq.* et post eum Ger. Noodt *de foen. et usuris II.* 4. *p.* 269. Nihil enim aliud hac lege Gabinia fuerat cautum, quam, ut ne quis legato provinciali Romae ub usuris daret mutuam pecuniam: et si dedisset, ne quis magistra-us ex ea syngrapha jus diceret, addita poena, quum adversus foe-ieratores, qui usuram a provincialibus contra legem acciperent, tum idversus provinciales, qui darent: Ascon. Pedianus *ad Cic. pro Cor-ielio.* [*p. 121.]

§. 15.

Sed ex edicto Praetoris SCto et constitutionibus.

Certius ex eadem Ciceronis epistola colligitur, modum hunc isuris esse constitutum edicto Praetoris. Sane enim quum Cicero Ciliciae Proconsul praeesset, ad Atticum scribebat *V.* 21. fere sub in.: *Interim quum ego in edicto tralatitio, centesimas me observaturum, iaberem, cum anatocismo anniversario; ille ex syngrapho postulabat uaternas* q). *Quid ais? inquam, possumne contra meum edictum?* Ex iis verbis adparet, Ciceronem in edicto proconsulari, Cilicibus pro-)osito, promisisse, centesimas se observaturum, neque adeo ulte-iores cuiquam usuras adjudicaturum. Id quod etiam Lucullus ob-iervavit in provincia, teste Plutarcho *vita Luculli c.* 20. Quum itaque am supra *Prooem.* §. 15. demonstratum sit, Proconsules in edictis uis edicta Praetorum in plerisque esse sequutos: verosimillimum ane est, ex eodem fonte usuram centesimam hausisse Ciceronem Proconsulem, adeoque hunc usurarum modum ex jure honorario esse. Quod etiam observavit Ger. Noodt *de foenor. et usur. II.* 4. *p.* 269. Adcessere tamen deinde quum SCtum, tum et Principum constitutiones, quibus ille usurarum modus firmatus est. Senatus-consulti ejusmodi, Marcello Sulpitioque Coss. facti, mentio fit apud Ciceronem *Epistt. ad Atticum V.* 21. Constitutionum vero exempla unt in *L.* 13. §. 26. *D. de Act. emt. et vend. L.* 20. *C. de Usur.*

§. 16.

Foenus nauticum.

Sed hic usurarum modus tantum ad foenus ordinarium pertine-

---

q) Von Savigny: *Ueber den Zinswucher des M. Brutus.* Berl. 1820. 4. *Haub.* Cfr. et C. L. F. Schultz *Grundlegung zu einer geschichtl. Staatswiss. der Römer.* §. 54. p. 395. sqq. *Mühl.*

bat, non item ad pecuniam trajectitiam, quae, quamdiu in mari erat navis, infinitas recipiebat usuras, quia omne pecuniae istius periculum penes creditorem erat, donec navis in portum adpulisset: *L.* 1. *L. ult. C. de Naut. foen.* Paulus *Sententt. Receptt. II.* 16. 3. Unde errat Guil. Budaeus *Adnotatt. ad Pandect. p.* 364. qui pecuniam trajectitiam pro itu et reditu nonnisi duplicem centesimam admisisse existimat, ut recte atque erudite ostendit Ger. Noodt *de foenore et usur. II.* 7. *p.* 276. Simul ac subducta esset navis periculo, cessabat illud foenus nauticum, idemque servabatur, quod in aliis pecuniis, quae periculo erant debitoris, adeoque nonnisi centesima usura exigi poterat: *L.* 4. *D. de Naut. foen.* quam etiam, tamquam ordinarium foenus nauticum, retinuit Justinianus, ut adparet ex *L.* 26. §. 1. *C. de Usuris.* Formulas contractus de foenore nautico habemus in *L.* 122. §. 1. *D. de Verb. oblig. L.* 3. *C. de Naut. foen.* [r]).

§. 17.

Novum jus a Justiniano invectum.

At Justinianus novissime omnia mutavit, ita tamen, ut sibi suo more parum constaret. Nam usuras nauticas nonnisi centesimas esse voluit: *L.* 26. §. 1. *C. de Usur.* qua in lege etiam vulgares et populares usuras semisses statuit: mercatoribus vero besses, et illustribus non ultra trientes concessit. Centesimas tamen etiam exigi passus est ex speciebus foenori datis, veluti oleo, frumento, aliisque rebus fungibilibus, quarum incertum et varium pretium esse solet: *L.* 23. *C. eod.* Quin centesimis paullo majores usuras petere licebat ab agricolis, quibus creditum fuerat frumentum, quippe qui solvebant octavam singulorum modiorum partem: *Nov. XXXII. c.* 1. At *Nov. CVI.* longe ampliores indulsit: quam constitutionem denuo ipse abolevit *Nov. CX.* ut adeo ex eo tempore procul dubio *L.* 26. *C. de Usuris* in foro aliquamdiu viguerit.

§. 18.

Modus computandi usuras.

Quum vero modus computandi usuras, quo usi sunt Romani, multum ab hodierno differat, neque omnibus adeo expeditus videatur [s]): dabimus operam, ut post Salmasium, Gronovium, Martinum

---

r) Mart. Hier. Hudtwalker *Diss. de foenore nautico Romano.* Hamb. 1810. 4. *Haub.*

s) Adeo intricatus jam veteribus videbatur ille usuras computandi modus.

ichookium t), Vinc. Gravinam et Ger. Noodt rem omnem, quanta ieri potest, perspicuitate explicemus. Romani sortem universam oenore occupandam dividebant in centena: de qua summa maxima, uam stipulari licebat, usura erat centesima in mensem: Columella le *re rustica III.* 3. id est, si quis centenos denarios credidisset,

---

it pueros suos ab ipsis incunabulis ad intelligentiam hujus calculi instituerent. Hinc Horatius *Sermon. Lib. I. sat. 6. v. 72. sqq.*

> — — — — — — *magni*
> *Quo pueri magnis e centurionibus orti,*
> *Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,*
> *Ibant octonis referentes idibus aera.*

Et *de Arte poet. v.* 325. *sqq.*

> *Romani pueri longis rationibus assem*
> *Discunt in partes centum diducere. „Dicat*
> *Filius Albini: si de quincunce remota est*
> *Uncia, quid superat? „Poteras dixisse, Triens." Eu!*
> *Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?*
> *„Semis."*

Vides exempla arithmetica ex arte foeneratorum desumta, quibus jam pueros exercebant Romani, ut tricis hujus calculi eos tanto maturius adsuefacerent. *Hein.*

t) Magna et acris inter Martinum Schookium et Gronovium ea de re nata est controversia. Modum computandi usuram explicaverat Gronovius *de pecunia vet. III.* 13. Quo loco quum dissensisset a Salmasio, hujus defensionem infeliciter suscepit Schookius *Exercitatt. sacr.* 19. ubi unciarium foenus idem putat cum centesima. Edidit ergo Gronovius anno 1661. *Ἀντεξήγησιν de centesimis usuris et foenore unciario adversus Theologistoricophilosophologum.* Sequutae sunt eodem anno Martini Schookii *Vindiciae suae et virorum doctorum sententiae de foenore unciario.* Sed et his Jo. Frider. Gronovius opposuit *Ἀντεξήγησιν* secundam anno 1664. Sequuta denique Schookii *Seria et solida responsio,* edita *Coloniae Brandeburgicae* 1668. Alios libellos eristicos prodiisse non memini. Tertiam tamen *Ἀντεξήγησιν* postumam edidit Jacob. Gronovius filius. [* *p.* 581 — 655. ed. 1691.] *Hein.* Praeclara hanc in rem exstat observatio in Niebuhr *Röm. Gesch. T. II. p.* 431 — 439. ad quam cf. Schrader *Rechtsgeschichtl. Bemerkungen* num. 5. in Hugo *Civilist. Magaz.* T. V. num. 7. p. 180 — 184. et ipsius Hugonis *R. G.* p. 204 — 208. ed. VIII. (p. 294 — 298. ed. XI.) *Haub.* Add. Niebuhr *Röm. Gesch.* T. III. p. 61—71. — Et Niebuhrius quidem solidis demonstravit rationibus, easque etiam confirmavit Schraderus, *unciarium foenus,* quo antiquitus utebantur Romani, duodecimam fuisse sortis partem in singulos annos solvendam, annum autem intelligendum esse vetustissimum, i. e. decem mensibus constantem; unde e nostro usuras computandi modo decem efficiuntur nummi pro centenis in annum. Caeterum Salmasii sententiam, unciario foenore nummum *unum* pro centenis per integrum annum reddendum fuisse existimantis, adversus Niebuhrium etiam defendit Schultz *Staatsw. d. Römer.* §. 51. 52. Centesima autem usura quid fuerit et quonam tempore obtinuerit, jam ab ipso Heineccio recte expositum est. *Mühl.*

poterat a debitore sibi singulos denarios in singulos menses stipulari, eaque usura vocabatur CENTESIMA, nec non *legitima: L.* 7. §. 4. et 10. *D. de Adm. tut.* vel *maxima* et *gravissima: L.* 7. §. 8. et *L.* 54. *D. de Adm. tut. L.* 38. *D. de Negot. gest.* Ea pars centesima singulis Kalendis solvi solebat: *L.* 26. *D. Depos.* Et inde fit, ut Ovidio [* *Remed. amoris v.* 561.] vocentur *celeres Kalendae,* ac Horatio [* *Sermon. Lib. I. sat.* 3. *v.* 87.] *tristes Kalendae.* Quum vero duodecim sint menses: quidquid per integrum annum usurarum praestandum erat, id vocabant *ASSEM usurarium,* et quia eum suo more in duodecim uncias distribuebant (vid. supra *Lib. II. Tit. XIV.* §. 5.), hinc, quod singulis mensibus usurae nomine solvendum erat, UNCIAM vocabant. Ergo *uncia* erat centesima pars sortis, quae in singulos menses, tamquam usura, dependebatur: duodecim vero unciae, vel partes centesimae, quas singulis annis lucrabantur foeneratores, *assem usurarium* constituebant. Et iste as usurarius intelligendus in loco Plinii *Epistt. X.* 62. quem ita vulgo exhibent editiones: *Nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est: nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicae praesertim, duodenis assibus, quanti a privatis mutuantur.* Certissimum est, aut delendum hic *duodenis*, ut jubet Ger. Noodt *de foenore et usur. II.* 2. *p.* 265. aut *usuris* reponendum, quod malunt Salmasius *de modo usur. VII. p.* 269. et Gronovius *Ἀντεξηγήσει II. de centes. usur. et asse usurar.* §. 61. *p.* 552. As enim usurarius, vel usura assis maximum erat foenus, quod a privatis exigebatur: duodeni vero asses ipsam sortem superassent. Unde miror, vulgatam lectionem tueri V. C. Christoph. Cellarium.

§. 19.

Quid usurae centesimae vel asses?

Hisce ergo observatis, facile licebit singula usurarum nomina explicare. CENTESIMA vel assis usura, legitimarum omnium maxima, singulis mensibus e centum denariis reddebat unum, adeoque vertente anno denarios duodecim, id est, nostro loquendi more *duodecim pro centenis.* Haec usura, licet satis magna, tamen legitima erat, ut supra observavimus, adeoque satis usitata. Cautio sane ejusmodi, qua ex mora promittebantur usurae centesimae, occurrit in *L.* 40. *D. de Reb. cred.* cui legi jungi meretur locus Sidonii Apollinaris *Epistt. IV.* 24. et marmor apud Gruterum *Inscriptt. p. CLXXV. n.* 4. ubi donum datum,

— — — UT. EX. USURIS
CENTESIMIS. EJUS. QUANTITATIS
QUAE. EFFICIT. ANNUOS. X DC. DIE
VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI DIVI
AUGUSTI. EROGENTUR. EX. ARK

§. 20.

Quid deunces?

Proximae erant *usurae* DEUNCES, quae tres quadrantes et duas duodecimas unciae singulis mensibus, undecim uncias per annum reddebant, id est, *undecim pro centenis.* Nec hae infrequentes erant veteribus. Meminit sane earum Persius *Sat. V. v.* 149. *sq.*

Quid petis, ut numi, quos hic quicunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare DEUNCES?

Quemadmodum ergo usuras asses vel centesimas maximas et gravissimas vocabant: ita deunces *avidos* vocat Persius.

§. 21.

Quid dextantes vel decunces?

Sequuntur DEXTANTES, vel DECUNCES, quae tres quadrantes et duodecimam partem unciae in mensem, decem uncias in annum reddunt, id est, nostro loquendi more *decem pro centenis.* Mentio fit usurarum ejusmodi in marmore apud Salmasium *de modo usurar.* c. 7. *p.* 276.

§. 22.

Quid dodrantes?

DODRANTES usurae tres quadrantes unciae singulis mensibus novem uncias in annum reddebant, id est, *novem pro centenis.* Ejusmodi tamen usurae nusquam, quantum ego scio, meminerunt veteres.

§. 23.

Usurae besses?

Excipiunt has usurae BESSES, quae singulis mensibus duas tertias partes unciae, in annum octo uncias reddebant, id est, *octo pro centenis.* Meminit ejusmodi usurarum Cicero *Epistt. ad Atticum IV.* 15. et *L. pen. C. de Usur.*

§. 24.

Quid septunces?

SEPTUNCES porro dicebantur usurae, quae singulis mensibus

dimidiam et duodecimam partem unciae, vertente anno septem uncias assis usurarii, adeoque novo loquendi more *septem pro centenis* reddebant. Exemplum exstat in marmore Veneto, quod describit suoque more illustrat Salmasius *de modo usurar. c.* 7. *p.* 277. *sq.*

§. 25.

Quid semisses?

Frequentissimae porro usurae erant SEMISSES vel SEMISSALES, quae semiunciam singulis mensibus, et semissem, vel sex uncias, in annum praestabant, eaeque *civiles* et *modicae* dicuntur Plinio *Histor. Natur. XIV.* 4. *sect.* 6. Conveniunt sane cum hodiernis, passim in Imperio licitis, quae *sex pro centenis* reddere dicuntur. Saepius earum meminerunt leges nostrae: *L.* 5. *D. de Oper. publ. L.* 10. *D. de Pollicit. L.* 17. *D. de Usur. L.* 102. §. 3. *D. de Solut.* nec non ex auctoribus Plinius *ibid.* et Columella *III.* 3. imo et vetus Inscriptio apud Gruterum *p. CCXV. n.* 2.

VOLO. AUTEM. EX. USURIS. SEMISSIBUS. HS. X. N. COMPARARI
AUGUSTALIUM. LOCI. N. AD. INSTRUMENTUM. TRICLINIORUM. DUUM
QUOD. EIS. ME. VIBO. TRADIDI. CANDELABRA. ET. LUCERNAS

Aliud marmor simile a Scaligero jam prolatum illustrat idem Salmasius *de modo usurar. c.* 7. *p.* 281.

§. 26.

Quid quincunces?

Usurae QUINCUNCES tertiam et duodecimam partem unciae in mensem, quinque uncias in annum reddebant, id est, *quinque pro centenis.* Eas usuras *levioribus* adnumerat Ulpianus *L.* 7. §. 10. *D. de Administrat. tutor.* Persius vero *Sat. V. v.* 149. *sq. modestas* adpellat, dum ita canit:

— – *Numi, quos hic* QUINCUNCE *modesto*
Nutrieras, – — — — —

Mentio quoque earumdem fit *L.* 17. *D. de Usur.* et *L.* 102. §. 3. *D. de Solut.* et in marmore apud Salmasium *ibid. p.* 283.

§. 27.

Quid trientes?

TRIENTES minimis adcenset Jul. Capitolinus *vita Antonini Pii c.* 2. eaeque tertiam partem unciae in singulos menses, quatuor uncias in annum, id est, ut nos loquimur, *quatuor pro centenis* red-

debant. Meminit hujusmodi usurarum Cicero *Epistt. ad Atticum IV.* 15. *L.* 7. §. 10. *D. de Administr. tut.* et Ael. Lampridius *vita Alexand. Severi c.* 21.

§. 28.

Quid quadrantes?

Quadrantes usurae quartam partem unciae singulis mensibus, tres uncias in annum reddebant, id est, *tres pro centenis.* Exemplum earum exstat *L.* 21. *D. de Ann. leg.*

§. 29.

Quid sextantes, unciariae, semiunciariae?

Proximae sunt sextantes, quae sextam partem unciae singulis mensibus, duas uncias vertente anno praestabant, id est, *duos pro centenis.* Quae denique duodecimam partem unciae singulis mensibus, et integro anno integram unciam, id est, *unum pro centenis* reddebant, dicebantur usurae unciae vel unciariae: Tacit. *Annal. VI.* 16. ex quo facile etiam patet, quodnam fuerit foenus semunciarium apud Livium *VII.* 27. [u]).

§. 30.

Usurae binarum, ternarum, quinarum centesimarum.

Sed cave existimes, his usuris contentam fuisse foeneratorum avaritiam. Minime omnium. Praeterquam enim, quod modum usurarum legitimum miris fraudibus intendebant, quas adcurate describit Ger. Noodt *de foenore et usur. II.* 13. *p.* 291. non dubitabant ii, qui malis incertisque nominibus credebant, usuras majores centesimis stipulari. Tum vero et assem usurarium multiplicabant, et partes ejus, exigentes aliquanto supra legitimam usurarum summam, e. g. binas, ternas, centesimas, ita tamen, ut numquam ab assis ratione recederent. Binarum centesimarum exactarum a foeneratoribus meminit Cicero *in Verrem III.* 71. triplicis usurae, id est, ternae centesimae Juvenalis *Sat. IX. v.* 6. *sqq.*

Non erat hac facie miserabilior Crepereјus
Pollio, qui triplicem usuram *praestare paratus*
Circuit, et fatuos non invenit. — —

Quaternas usuras exegerunt Scaptius et Matinius, impudentissimi

---

u) Caeter. cfr. quae de foenore unciario dicta sunt ad not. t. §. 18. huj. tit. *Mühl.*

foeneratores, vel potius Brutus, qui eorum opera in pecuniis foenori locandis utebatur, de quibus Cicero *Epistt. ad Atticum V.* 21. *VI.* 1. et 2. (cf. §. 15. not. q.) Imo eo progressa erat foeneratorum avaritia, ut ne quinas quidem usuras exigere dubitarent. Qua de re Horatius *Sermon. Lib. I. Sat.* 2. *v.* 12. *sqq.*

Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque,
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urguet.

Atqui sanguinolentae plane erant hae usurae, siquidem, qui binas centesimas spoponderant, singulis annis *viginti quatuor;* qui ternas, *triginta sex;* qui quaternas, *quadraginta octo;* qui quinas, *sexaginta pro centenis* usurae loco solvebant. Hadriani temporibus invaluerat, ut foeneratores creditis mille aureis, ex ea summa eodem momento deducerent centum, et, cautione nihilominus in mille aureos concepta, usuras praeterea centesimas in singulos annos stipularentur, easque vertente anno in sortem redigerent x). Quod genus usurarum adeo mordax erat, ut intra sex annos sors duplicaretur: Dositheus *Sent. D. Hadr. III.* 5. *p.* 864. Cujacius *Observatt. XXI.* 9.

§. 31.

Contractus commodati et depositi.

Sufficiant haec de mutuo, foenore et usuris. COMMODATI et DEPOSITI contractus, qui et ipsi re ineuntur, ita sunt comparati, ut in iis Romani a jure gentium et communi omnium hominum consuetudine haud recesserint. Unde vix quidquam hic ex antiquitatibus videtur explicandum y). Depositi contractus id singulare habebat apud Romanos, quod, si quis dolose circa depositum esset versatus, is ex legibus duodecim tabularum duplo hoc lueret. Quam legem

x) Est hic ANATOCISMUS, quem olim licitum fuisse, postea vero SCto prohibitum, patet ex Ciceron. *Epistt. ad Attic. V.* 21. Postea eumdem constitutionibus suis proscripserunt Imperatores. Vid. *L.* 27. *D. de Re judicat. L.* 20. *C. Ex quib. caus. infam. irrog.* Add. Ger. Noodt *de foen. et usuris II.* 11. *p.* 286. *Hein.*

y) Equidem ex antiquitatibus explicandum arbitror, quodnam sit commodatum pecuniae, *ut dicis gratia numerationis loco intercedat,* in *L.* 4. *D. Commodati.* Hac de re pluribus disputavit Wielingius *Lection. jur. civ. Lib. I. c.* 3. De libripende in mancipationibus hoc exponit G. Scheltinga in Dissertatione prima *de emancipationibus c.* 3. §. 1. *in not. p.* 33. Sequitur illum Meermanus in Diatribe *de reb. manc.* Sed fefellit eos locus Theophili §. 6. *Inst. Quib. mod. jus patr. pot. solv.* Ille locus est corruptus, olim a nobis correctus. Corruptum esse satis indicant verba Boethii *ad Topic. Cic. Lib. III. p.* 797. *Cann.*

decemviralem Jacob. Gothofredus *ad Legg. XII tabb. tab. III.* his verbis expressit: SI QUID ENDO DEPOSITO DOLO MALO FACTUM ESCIT, DUPLIONE LUITO [z]). Ea vero poena non tantum inficiando crescebat, ut fieri solebat in aliis, quod existimavit tamen vir summus Jacob. Cujacius *Paratitl. C. Deposit.* et Pithoeus *ad Collat. Legg. Mosaic. et Roman. X. 7. p. 771.* sed omnis omnino dolus depositarii ex legibus XII tabularum duplo, ut videtur, vindicabatur [a]), et quidem non duplicatis (ut Marcil. *Interpr. XII tabb. XV. p.* 70. putat) fructibus, sed dupli ejus rei praestatione, quam quis custodiendam tradiderat: Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 771. Jan. Vinc. Gravina *de LL. XII tabb. c.* 51. *p.* 353. Furi enim similis videbatur depositarius dolosus: *L.* 13. *D. Depos.* Tam dirum etiam hoc crimen videbatur veteribus, ut et de deposito negando cogitantes a Diis cum universa familia exstirpatum iri crederentur, quo pertinet exemplum Glauci Spartani apud Herodotum *Lib. VI.* 86. quod breviter his versibus complexus est Juvenalis *Sat. XIII. v.* 199. *sqq.*

Spartano cuidam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere et fraudem jure tueri
Jurando. Quaerebat enim, quae numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probavit,
Exstinctus tota pariter cum prole domoque.

Praeterea eos dentes amittere putabant, qui depositum negassent, de qua veterum opinione quaedam notavit Casaubonus in *Lectionib. Theocritic.* [* *c.* 10. *p.* 99. *sq.* ex edit. Reiskii.] Quare et Plinius *Epist. X.* 97. non putabat, se luculentius probitatis testimonium praebere posse Christianis, quam dum *eos se sacramento obstringere,* ait, *ne fidem fallant, ne depositum adpellati abnegent.* Quare non mirum est, Decemviros tam improbis hominibus dupli poenam statuisse. Enimvero postea Praetor hanc poenam mitigavit, actionemque in simplum tantum dedit, praeterquam si depositum esset miserabile negatum,

z) Vid. Dirksen *Zwölftafel-Fragmente,* p. 597. sq. At cf. Puchta *Lehrbuch für Institutionenvorlesungen,* praefat. p. XXXVII. *Mühl.*

a) Actio enim a Justiniano prodita, quae inficiando crescit, procul dubio recentioris aevi, et ab Imperatoribus demum inventa est: Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 771. *Hein.*

quo casu veterem dupli poenam retinuit: *L.* 1. §. 1. *D. Depos.* Verba edicti haec fuere: QUOD NEQUE TUMULTUS, NEQUE INCENDII, NEQUE RUINAE, NEQUE NAUFRAGII CAUSSA DEPOSITUM SIT, IN SIMPLUM: EX EARUM AUTEM RERUM, QUAE SUPRA COMPREHENSAE SUNT, IN IPSUM IN DUPLUM: IN HEREDEM EJUS, QUOD DOLO MALO EJUS FACTUM ESSE DICETUR, QUI MORTUUS SIT, IN SIMPLUM: QUOD IPSIUS, IN DUPLUM JUDICIUM DABO. Idem tamen Praetor etiam infames esse jussit, QUI DEPOSITI, SUO NOMINE NON CONTRARIO JUDICIO DAMNATUS ERIT: *L.* 1. et *L.* 6. §. 7. *D. de His, qui notant. infam.*

§. 32.

Contractus pignoris.

Contractus PIGNORIS quid sit, quae inde actiones nascantur, quaenam ac quanta praestanda diligentia, satis a doctoribus explicatur. De alienatione quoque pignoris supra actum *Lib. II. Tit. VIII.* §. 10. Quare nihil est, quod de contractibus re initis addamus amplius, praeterquam quod monendum videatur, pignori saepe adcessisse contractum FIDUCIAE, quoties nimirum debitor creditori pignus mancipabat vel in jure cedebat ea lege, ut, reddita pecunia, illud sibi remanciparet. (Cf. Adp. ad Tit. XII. Lib. I. §. 2.) Quo ipso dominium rei oppignoratae in creditorem translatum esse recte observat Isidorus *Origin. V.* 21. Saepe hujus fiduciae in pignoribus interpositae meminerunt Paulus in *Sententt. Receptt. I.* 10. *II.* 13. *V.* 22. Tertullianus et alii. Tu vide Cujacii et aliorum virorum doctorum scholia ad Paulum, et Salmasium *de modo usur. c.* 14. *p.* 590. *sq.*

LIB. III. TIT. XVI—XX. (XV—XIX.)

DE

VERBORUM OBLIGATIONIBUS.

Sequuntur contractus, qui verbis ineuntur, et quidem non quibusvis, sed sollemnibus, et adcurate conceptis. Horum olim tres erant: STIPULATIO, DOTIS DICTIO et JUSJURANDUM, quo liberti operas promittebant patrono: Gaji *Ep. Inst. II.* 9. 3. Sed de *dotis dictione* egimus supra *Lib. II. Tit. VIII.* Jurisjurandi a libertis praestandi saepe in jure fit mentio, quamvis formula ejus, quantum ego memini, non exstat. Jam de STIPULATIONIBUS quaedam ex antiquitatibus repetenda, de reliquis parcius agendum erit.

§. 1.

Stipulatio unde dicta?

Commune horum contractuum nomen hodie est STIPULATIO, quae unde dicta sit, non adeo expeditum est. Vulgo id vocabulum derivant a veteri *stipulum,* quod idem sit, ac firmum: Pauli *Sententt. Receptt. V.* 7. 1. *princ. Inst. de Verb. oblig.* quemadmodum et in *Glossis Basilic.* στιποῦλον est ἰσχυρόν, *firmum.* At alii a *stipe* dictam existimant stipulationem, quia de stipe, vel re pecuniaria, potissimum stipulari et restipulari consueverint veteres. Ita enim Varro *de lingua lat. IV.* [**p.* 49. *sq.* ex *edit. Bipont.*] *Aes quoque stipem dicebant. Nam quod asses librae pondo erant; qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet: a stipando stipem dicere coeperunt. Stipare ab* στείβειν *fortasse, Graeco vocabulo. Id adparet, quod ut alias, tum institutum etiam nunc, Diis quum thesaureis asses dant, stipem dicunt: et, qui pecuniam adligat,* STIPULARI *et* RESTIPULARI. Eodem modo Festus sub voce *stipem p.* 527. *Stipem dicebant pecuniam signatam, quod stiparetur: ideo* STIPULARI *dicitur is, qui interrogatus spondet stipem, id est, aes.* Denique ab his omnibus abit Isidorus *Origin. IV.* 24. *p.* 930. qui stipulationem deducit a *stipula,* hanc adjiciens rationem: *Veteres enim, quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes sponsiones adgnoscebant.* Quae Isidori observatio, si vera esset, simul insignem stipulandi ritum nos doceret. Sed quum nusquam hujus ritus fiat mentio, nisi huc referre velis ritum Germanicis gentibus sollemnem, adhibendi in firmandis obligationibus *festucam, culmum, stipulam,* vel simile aliquod symbolum, cujus exemplum exstat *Capitular. Lib. VI.* §. 285. ex edit. Lindenbrog. nec etiam Varroni et Festo facile concedamus, stipulationes olim solis pecuniariis promissionibus adcessisse: merito Pauli et Justiniani derivationem reliquis anteponimus. Eadem est sententia Aeg. Menagii *Amoenitatt. jur. civ. c.* 39. *p.* 372. ubi idem sentientem laudat Salmasium, et etymologiam hujus vocabuli ita explicantem: STUPULUM *veteres, quod erat firmum, dixere, et solidum, ex Graeco* στυφελὸν *et* στυφλόν, *quod* στερεόν, στεῤῥὸν *et* σκληρὸν *Grammatici exponunt. Inde* STUPULUM, *et postea* STIPULUM, *ut* σικελός, *Siculus. Ab eo* STIPULARI, *firmare, et* STIPULATIO, *quae interponitur ad firmandum pactum* [a]).

---

a) Stipulatio nomen habet, ut puto, a *stipulo* firmo vel a *stipula.* Est utraque vox a *stipes* et *stipo, stipare,* unde et *obstipus. Stipula* autem dicitur, quasi

§. 2.

Stipulatio quid?

Erat vero stipulatio conceptio verborum, quibus is, qui interrogabatur, daturum facturumve se, quod interrogatus erat, respondebat: *L.* 5. §. 1. *D. de Verb. obl.* Unde et *interrogatio* nonnumquam simpliciter dicitur: *Seneca de Benef. III.* 15. et Graecis ἐπερώτησις [b]), vel ὁμολογία, ἡ ἀπὸ ἐρωτήσεως etc. Salmasius *de usur. c.* 6. *p.* 127. Ceterum qui stipulabatur, eum *interrogare* dicebant vel *rogare.* Is, a quo quis stipulabatur, *spondere,* vel *promittere* dicebatur: Plautus *Pseudol. Act. I. sc.* 1. *v.* 112. *sqq.*

— — — Ps. Roga *me viginti minas.*
Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias,
Roga *obsecro. hercle; gestio* promittere.

Unde et, quid sit *reus stipulandi,* quid *reus promittendi,* facile adparet.

§. 3.

Stipulationum formulae.

Conceptiones illae verborum nihil erant aliud, quam interrogationes, ad quas alter congrue respondebat. Veluti: SPONDES? SPONDEO. PROMITTIS? PROMITTO. DABIS? DABO. FACIES? FACIAM. §. 1. *Inst. de Verb. obl.* (Gaj. III. 92—94.) Sic eodem loco Plautus *v.* 115. *sq.*

Cal. Dabisne *argenti mihi hodie viginti minas?*
Ps. Dabo, — — —

---

parva stipes. Dicitur a *stipulo* firmo, quia hac stipulatione firmabant promissa et pacta sua. Heineccius non fidem habet Isidoro, Varroni et Festo, quod aliunde non constet de his symbolis atque hoc ritu; sed fallitur. De stipula constat ex Scholiaste Aristophanis, qui tradit in usu fuisse apud Lacedaemonios, ut contractus in scytale scriberetur. Mos transiit ad Germanos. De stipe quod dixi, intelligendum ita est, non quod ob id a stipe dicta est stipulatio, quia de pecunia plerumque stipulatio fiebat, sed quia stips fracta adhibebatur, unde apud Pollucem *Onomastico* [**Lib. IX. c.* 6. *segm.* 70. ex edit. Hemsterhuis *Amstelaed.* 1706. *f.*] εἴη δ' ἂν καὶ σύμβολον βραχὺ νομισμάτιον, ἡμίτομόν τι νομίσματος. *Sit et symbolum tenue quoddam numisma, semisecta scilicet numi pars:* ubi vid. Hemsterhuis. *Cann.* Cf. Schrader *Rechtsgeschichtl. Bem.* num. 4. in Hugo *Civ. Magaz.* T. V. num. 7. p. 174 — 180. et Hugo *R. G.* p. 283. (ed. XI.). *Haub.* W. A. Macieiowsky *Disquis. de origine stipulationis.* Warsaw. 1827. 4. Inprimis autem, quod ad vocum notationem attinet, cf. Huschke *Verfass. des Serv. Tullius,* p. 133. not. 41. p. 603. sq. ibique not. 36. 37. *Mühl.*

b) Ex eo simul patet, cur baptismus vocetur συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν : 1. Petr. 3. 21. Interrogationes enim baptismales et responsiones baptizati vel sponsorum, stipulationum instar sunt: *Credisne? credo. Abrenuncias! abrenuncio. Hein.*

Ejusdem tamen virtutis erat responsio, concepta impersonaliter, qualis est illa apud eumdem Plautum *Pseudol. Act. IV. sc.* 6. *v.* 14. *sqq.*

Sim. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier,
Ut concepisti verba, Viginti minas
Dabin'? Ball. dabuntur.

Cf. Plautus *Bacchid. Act. IV. sc.* 8. *v.* 37. *sqq.* Saltem si servi ita stipulati essent, non minus adquirebant dominis, quam si iis stipulati essent nominatim, vel sibi, vel conservorum cuidam: *L.* 15. *D. de Stipul. servor.* Nonnumquam et is, qui promiserat, denuo rogabat, et, qui rogaverat, denuo promittebat, idque vocabant *restipulari.* Stipulatio vero et restipulatio *sponsio* dicebatur. Nota est sponsio judicialis: *spondesne quingentos, si meus sit? spondeo, si tuus sit. Et tu quoque spondesne quingentos, ni tuus sit? spondeo, ni meus sit:* Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 466. [c]). Quaerunt prudentes nostri, cur in stipulatione interrogatio et responsio exigantur? Et hic multi multa et varia disserunt. Sed acute observat Guido Pancirol. *Var. Lectt. III.* 25. nihil magnae rei, et quae in perpetuum obligare deberet, sine interrogatione et responsione gestum esse apud Romanos. Tales enim interrogationes et responsiones factas, observamus in ferendis legibus plebiscitisque, in rogando senatu, in adrogationibus, contrahendis nuptiis, pangendis foederibus, facienda deditione, ut facile adpareat, praecipuum semper animi deliberati signum Romae visum esse interrogationem, ac sequutam responsionem congruam.

§. 4.

Respondendum erat congrue.

Id porro adcurate erat observandum, ut responderetur congrue. Hinc si alter rogaret quinque, alter decem promitteret, vel si alter rogaret pure, alter cum conditione promitteret, inutilis erat stipulatio: §. 5. *Inst. de Inutil. stipul.* Exemplum est apud Plautum *Trinum. Act. V. scena* 2. *v.* 34. *sq.* Quum enim interroganti Lysiteli:

Sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?

---

c) Accuratiore tamen et velut propria loquendi ratione *sponsio* et *restipulatio* contra ponuntur, hoc pacto, ut illa quidem ad actoris, haec vero ad adversarii jus referenda sit; „nam actor provocat adversarium sponsione, si — — non exhibuerit, aut non restituerit, ille autem adversus sponsionem adversarii restipulatur." Gaj. IV. §. 165. Cf. ibid. §. 13. §. 166. 167. 180. *Mühl.*

responderet Charmides:

Spondeo, et mille auri Philippum dotis.

inutilis erat stipulatio. Et hinc, quum denique inter eos de dote quoque convenisset, repetebatur stipulatio: *v.* 39. *sq.*

Ly. Istac lege filiam tuam SPONDEN' *mi uxorem dari?*
Ch. SPONDEO.

§. 5.

Sufficiebat tamen responsio qualiscumque, dummodo congrua.

Satis tamen recta videbatur stipulatio, si alter alteri interroganti respondisset *quidni? L.* 1. §. 2. *D. de Verb. oblig.* Nec referebat, Latine quis, an Graece stipulatus esset, item eademne uterque lingua usus esset, nec ne: §. 1. *Inst. de Verb. oblig.* d). Sufficere enim videbatur, modo per interpretes se invicem intelligerent: *L.* 1. *fin. D. de Verb. oblig.* Quae quum ita sint, ne forte contrahentes in formula errarent, saepe stipulationes Jureconsulti componebant, ut variis Ciceronis testimoniis demonstrat Brissonius *de Formul. Libro VI. p.* 490.

§. 6.

Non vero nutus et responsio litteris scripta.

Stipulatio vero fiebat verbis, ore prolatis. Hinc interrogante altero, altero tantum adnuente, nulla concepta videbatur stipulatio: *L.* 1. §. 2. *D. h. t.* Neque etiam stipulari poterant surdi et muti, neque promittere: §. 7. *Inst. de Inut. stipulat.* Nec sufficiebant litterae inter absentes: §. 11. *Inst. eod.* Si tamen in instrumento esset scriptum, promisisse aliquem, omnia praesumebantur sollemniter acta: §. 17. *Inst. eod.* Pauli *Sententt. Receptt. V.* 7. 2. Fallitur ergo Cl. Salmasius *de usur. c.* 6. existimans, si quis in chirographo esset fassus, se promisisse, id perinde valuisse, ac si interrogatione praecedente responsum fuisset, idque perperam colligit ex *L.* 41. §. 2. *D. de Usur.* In chirographo enim illo, hac lege memorato, etiamsi stipulationis nulla fieret mentio, intelligi tamen debet, eam intercessisse, ut recte observat Ger. Noodt *de foen. et usur. III.* 2. Idem etiam sentiendum de *L. Ea, quae* 57. *D. de Donat. inter. vir. et ux. L.* 134. *D. de V. O.*

---

d) Caeter. vid. Gaj. III. §. 93. in f. „At illa verborum obligatio: *dari spondes? spondeo,* adeo propria civium Romanorum est, ut ne quidem in Graecum sermonem per interpretationem transferri possit.“ *Mühl.*

§. 7.

Qui potuerint stipulari?

Stipulari poterant omnes, quibus licebat contrahere, quive intelligebant negotium, ac velle poterant. (Gaj. III. 105. 106.) At inutilis erat stipulatio furiosorum: §. 8. *Inst. de Inut. stipul.* ut et servorum promissio: §. 6. *eod.* Et hinc jocosa tantum est Pseudoli servi promissio apud Plautum in *Pseudolo Act. I. scena* 1. *v.* 112. Stipulari tamen servi poterant ex persona dominorum. Unde quacumque formula essent stipulati, non sibi, sed dominis adquirebant, praeterquam si factum in stipulatione contineretur: *pr.* §. 1. et 2. *Inst. de Serv. stipul.* [e]). Imo et servus hereditarius, nondum licet adita hereditate, utiliter stipulabatur, quia hereditas jacens in plerisque personae defunctae vicem sustinebat: *princ. Inst. eod.*

§. 8.

Stipulationes pupillorum.

Ad pupillos quod attinebat, ii aut infantes erant, aut pubertati propiores. Infantes nec rogare, nec promittere poterant: sed eorum res administrabant tutores. Sin vero ab ipsis tutoribus, vel eorum fidejussoribus aliquid esset stipulandum: eorum vice stipulabantur servi vel proprii vel publici. Exemplum vide supra *Lib. I. Tit. XXIV.* §. 3. Pubertati propiores aut alios obligabant, aut obligabantur aliis. Priore casu recte stipulabantur etiam sine tutoris auctoritate. Posteriore vero rogati inutiliter promittebant, nisi auctores fierent tutores: §. 9. *Inst. de Inut. stipul.* (Gaj. III. 107—109.)

§. 9.

Stipulationes liberorum, qui in potestate erant.

Qui erant in potestate, liberi utiliter stipulabantur, poterantque et obligari aliis: §. 6. *Inst. h. t.*, excepto mutuo, cui resistebat SCtum Macedonianum, de quo infra ad *Lib. IV. Tit. VII.* agetur pluribus. Inter patrem tamen et filium in potestate constitutum inutilis erat stipulatio, siquidem hi jure Romano pro una persona reputabantur.

§. 10.

Aliis stipulari non licebat.

Nemo quoque poterat aliis stipulari, praeterquam juri suo sub-

e) Quod quomodo intelligendum sit? vid. Mühlenbruch *Cession d. Forderungsr.* p. 272. sq. ed. 3. *Mühl.*

jectis: §. 4. *Inst. de Inut. stip.* f). Receptum enim a Jureconsultis Romanis erat hoc principium, obligationem ex contractu nonnisi contrahentes adficere: *L.* 3. *C. de Inut. stipul.* Solebant tamen hoc casu poenam stipulari, ut si alteri non esset satisfactum, haec solveretur: §. 18. *Inst. h. t.* Quin et tunc quoque aliis stipulari licebat, si ejus, qui rogabat, interesset. Hinc recte tutor a contutore stipulabatur, rem pupillo salvam fore: §. 19. *Inst. h. t.*

§. 11.

Correi stipulandi et promittendi.

Poterant et duo pluresve REI fieri et STIPULANDI et PROMITTENDI. Stipulandi quidem, si post utriusque interrogationem promissor responderit: *utrique vestrum dare spondeo.* Promittendi, si duo quaesiti, singuli responderint separatim: *Spondeo.* Exemplum est apud Plautum *Trinummo Act. V. sc.* 2. *v.* 39. ubi Lysiteli juveni interroganti:

Istac lege filiam tuam sponden' mi uxorem dari?

non solum Charmides socer respondet:

Spondeo.

sed et Callicles amicus addit:

Et ego spondeo idem.

Ejusmodi vero obligationum is erat effectus, ut vel solidum singulis deberetur, vel promittentes singuli tenerentur in solidum, ita tamen, ut vel alter accipiendo, alter solvendo debitum omnium perimeret obligationem et omnes liberaret: *pr.* et §. 1. *Inst. de Duob. reis stipul.*

§. 12.

Stipulatio pura et in diem et sub conditione facta.

Omnis stipulatio vel PURE, vel IN DIEM, vel SUB CONDITIONE, et AD CERTUM LOCUM fiebat. Si pure promissum, debitum confestim

f) Gaj. III. §. 103. — Eundemque vide de *adstipulatoribus* ibid. §. 110—114. 117. 126. 215. 216. IV. §. 113. — Poterat etenim stipulator alium adhibere, qui idem stipulabatur, isque adstipulator vocatus est. Cui perinde actio competebat, atque ipsi creditori; quidquid autem consecutus erat, mandati judicio stipulatori ejusve heredibus restituere cogebatur. Atque iis potissimum obligationibus adstipulator solitus est adhiberi, quibus id agebatur, ut post stipulatoris mortem aliquid daretur. Nam fieri non poterat, ut ab heredibus *inciperent* obligationes (Gaj. III. §. 100.); quem quidem juris rigorem sustulit Justinianus *L. un. C. ut actiones et ab heredibus et contra heredes incipiant.* Cf. *L.* 11. *C. de contr. et comm. stipul.* et infra §. 13. *Mühl.*

peti poterat: sin in diem, dies quidem statim cedebat, sed non prius, quam venisset, promissum poterat exigi. Si sub conditione: exsistente demum conditione committebatur stipulatio. Si locus denique insertus stipulationi: tantum tempus promittenti concedendum erat, quantum sufficere videbatur ad rem eo loco praestandam: §. 2. 4. 5. *Inst. de V. O.*

§. 13.

Ad certum tempus stipulari nemo poterat, ubi et de stipulationibus praeposteris.

At si ita quis stipulatus esset: *Decem aureos annuos, quoad vivam, dare spóndes?* pure facta obligatio videbatur, et perpetuabatur: petenti tamen exceptio pacti opponi poterat. Ad tempus enim ex principiis juris Romani deberi non poterat: §. 3. *Inst. eod.* Inutiles porro erant stipulationes: POST MORTEM MEAM VEL TUAM DARE SPONDES? PRIDIE QUAM MORIAR, VEL MORIARIS DARE SPONDES g)? Nam quod ad priorem attinet, non ferebant juris Romani principia, ut obligatio a persona heredis inciperet: *L.* 11. *D. de Obl. et action.* Cujacius *ad L.* 217. *D. de V. S.* Posterior vero ideo non poterat non inutilis esse, quia tempus mortis semper incertum est: Gaji *Inst. II.* 9. 7. et 8. (*genuin. comment.* III. 100.) Aeque inutiles erant stipulationes praeposterae, quibus tamen Justinianus itidem perfectum robur adcommodavit: §. 4. *Inst. de Inutil. stip.* Denique si quid, aut quod non erat in rerum natura, vel in commercio, aut sub conditione impossibili promittebatur: inutilis et haec videbatur stipulatio: §. 1. 2. 10. *Inst. eod.* (Gaj. III. 98.)

§. 14.

Stipulatio supponebat justam caussam.

In primis vero respiciebatur ad caussam. Neque enim in stipulationibus sola verba valide obligabant, non magis, quam in dominio transferendo sola sufficiebat traditio. Quemadmodum enim hic justo titulo opus erat: ita, ut stipulatio valide obligaret, subesse debebat obligandi caussa. Et talis caussa etiam vocabatur *caussa civilis: L.* 49. §. 2. *D. de Pecul.* Deficiente vero tali caussa, agenti obstabat exceptio doli mali: *L.* 2. §. 3. *D. de Dol. mal.* Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 464. Unde adeo non valebat promissio ex turpi caussa, ut et exceptio petenti opponi posset: *L.* 8. *D. de Condict. ob turp. vel injust. causs.* et si accipientis solius esset turpitudo,

g) Justinianus tamen eas valere jussit *L.* 11. *C. de Contr. et comm. stip. Hein.*

soluti daretur condictio: *L.* 1. *fin. L.* 2. §. 1. *L.* 4. §. 2. *D. eod.* Exemplum insigne Otaciliae Laterensis exstat apud Valerium Max. *VIII.* 2. 2. Commune itaque stipulatio erat omnium obligationum adstringendarum vinculum. Unde adhibebatur in emtionibus venditionibus: Varro *de re rustica II.* 2. 5. Plautus *Captiv.* [* *Act. IV. sc.* 2. *v.* 118.] *L.* 3. §. 1. *D. de Act. emt.* in pactis: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 22. *L.* 7. §. 12. *D. de Pact.* in mutuo: *L.* 6. §. 1. *D. de Novat.* in cautionibus vel chirographis: *L.* 40. *D. Reb. credit. L.* 122. §. 1. *D. de V. O.* in locationibus conductionibus: *L.* 54. *pr. D. Locat. L.* 58. *pr. D. de Fidejuss.* in societatibus: *L.* 71. *D. Pro soc.* imo in reliquis contractibus omnibus.

§. 15.

Stipulationibus nonnumquam adcessit mancipatio.

Porro nec id praetermittendum videtur, stipulationi nonnumquam veluti adpendicem adcessisse mancipationem per aes et libram: quod in acceptilationibus factum constat. Pertinet huc egregius locus Ciceronis *de Legg. II.* 21. *Hoc vero nihil ad pontificium jus, et e medio est jure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset.* Et paulo ante *c.* 20. *Quin etiam cavent, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredem testamenti solvat, propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.* Addendi sunt Franc. Connanus *Comment. jur. civ. VII.* 3. 2. Jacob. Raevardus *ad L.* 35. *D. de Reg. Jur.* Ger. Noodt *de pactis et transact. c.* 8. Id vero eo minus mirandum, quo certius est, et aliis contractibus ad transferendum dominium non comparatis adcessisse *mancipationem.* Et tunc rem habere dicebantur *jure nexi;* translato dominio *jure mancipii.* Omnia, quae per aes et libram alineabantur, erant res mancipi. *Nexus* quoque et *mancipatio* non differebant ratione ritus: sed, quod ad effectum attinet, jus *nexi*, et jus *mancipi* differebant quam maxime. Probant id loci Manilii et Scaevolae apud Varronem *de lingua lat. Lib. VI.* [* *p.* 100. *sq.* ex *edit. Bipont.*] quos egregie illustrat Jo. Frideric. Gronovius *Epist.* 302. *ad Claud. Salmasium in Sylloge Epist. vir. illustr. script. Tom. II. p.* 549. [h]).

---

h) Longe aliena hoc in loco miscet Heineccius atque confundit. Negotia civilia, quaecunque privatis solennitatibus peragi solita sint, antiquissimis quidem

§. 16.

Stipulationes judiciales.

Ceterum stipulationes Imperator dividit in JUDICIALES, PRAETORIAS, CONVENTIONALES et COMMUNES. A mero judicis officio proficiscebatur cautio de dolo. Nam in rei vindicatione et actione quod metus caussa judex exigere tenebatur cautionem de dolo: *L.* 20. et 45. *D. de Rei vind. L.* 9. §. 5. et 7. *D. Quod metus causs.* Talis etiam erat cautio de persequendo servo, qui in fuga erat, restituendove pretio. Nam si servus erat legatus, qui se interim in fugam proripuerat, officio judicis continebatur, ut interponeretur cautio, qua heres, se servum persequuturum restituturumque legatario, promitteret: *L.* 69. §. 5. *D. de Legat. I. L.* 14. §. 11. *D. Quo met. causs.* Stipulationes porro judiciales interponebantur etiam in judicio familiae erciscundae: *L.* 25. §. 10. *D. Famil. ercisc.*

§. 17.

Praetoriae.

PRAETORIAE a mero Praetoris officio proficiscebantur, semperque interponi solebant ante litem contestatam, quia ab illa judicium primordia capiebat: Cujacii *Observatt. XV.* 10. Tales erant cautiones damni infecti, legatorum servandorum caussa, judicatum solvi, ratam rem haberi, cautio fructuaria, etc. de quibus prolixe Jureconsulti. Vid. Arn. Vinnius *ad* §. 2. *Inst. de Divis. stip.* Quae stipulationes quibus formulis solitae sint concipi, exemplo cautionis *judicatum solvi* ostendemus. In ea actor ita rogabat fidejussores: QUOD FUNDUM TUSCULANUM, QUEM POSSIDET L. TITIUS, ABS EO VIN-

---

temporibus per aes et libram, h. e. per imaginariam venditionem, fuisse celebranda, perquam est verisimile. Jam, quod *obligationis contrahendae* causa fiebat negotium, *nexum* dictum est, s. *nexus* (idem quod *contractus*); unde *nexi obligatio*, contrario opposito nomine *nexi liberationis* (vid. infra Tit. XXX. §. 11.). At sensim invaluisse videtur, ut solis verbis solennibus lingua nuncupatis civilis s. stricta efficeretur obligatio; quare potius dicendum, ex nexu stipulationem traxisse originem, quam stipulationibus accessisse mancipationem. Hoc tamen crediderim, liberae temporibus reipublicae una constitisse et nexum et verborum obligationem, nec prorsus eandem utriusque fuisse vim ac potestatem; qua de re nonnulla etiam infra notabimus ad §. 2 — 5. Tit. XXX. (XXIX.). Caeterum hic cfr. quae jam supra de mancipationis et nexi discrimine exposita sunt, Lib. II. Tit. I. §. 20. Quibus add. Hugonis *R. G.* p. 275. 280. 282. 285. C. G. E. Heimbach *Diss. de C. Aelio Gallo JCto ejusque fragmentis.* Lips. 1823. 8. Exc. I. ad C. Aelii Galli Fragm. VII. ap. Fest. v. *Nexum.* p. 49. sqq. Puchta *praefat. ad Lehrb. d. Instit.* p. XXVIII. sqq. num. V. *Mühl.*

DICATURUS SUM, CUJUS REI C. AQUILLIUS JUDEX DATUS EST, EAM REM RECTE DEFENDI, AUT, SI EA RES SECUNDUM ME HEREDEMVE MEUM JUDICATA ERIT, QUOD A. C. AQUILLIO EOVE, QUI IN EJUS LOCUM SUBSTITUETUR, JUDICATUM ERIT, ID RECTE PRAESENTARI, DOLUMQUE MALUM ABESSE ABFUTURUMQUE ESSE, ET QUAMDIU RES NON DEFENDATUR, AUT, SI QUOD HUJUS REI JUDICATUM ERIT, NON PRAESTETUR, DOLUSVE MALUS NON ABERIT, QUANTI EA RES SIT, DARI SPONDES? SPONDEO: Cujacii *Observatt. X.* 29. Barn. Brissonius *de Form. Lib. V. p.* 393. Porro id singulare erat in stipulationibus praetoriis, quod in iis non temere metuenda esset captio, quia interpretationem non ex mente promittentium, sed Praetoris, qui eas proposuit, recipiebant: *L.* 52. *D. de Verb. oblig. L.* 9. *D. de Stipul. Praetor.* [i]).

§. 18.

Conventionales. Sine stipulatione dos dici poterat.

CONVENTIONALES non jussu judicis vel Praetoris, sed arbitrio contrahentium concipiebantur, adhibito saepe, ut supra observavimus, Jureconsulto; earumque totidem paene genera erant, quot rerum contrahendarum: §. 3. *Inst. de Divis. stipul.* Obligationum enim firmandarum gratia inventae fuerant stipulationes: Pauli *Sententt. Receptt. V.* 7. 1. Unde nulla temere de re paciscebantur veteres, nisi interposita stipulatione. Erant tamen omnino quaedam negotia, de quibus, etiam non interposita stipulatione valide paciscebantur. Nam si sponsa sponso, mulierve marito, aut socer genero, aut debitor mulieris ejusdem marito dotem dicere vellet: fieri id poterat, nulla praecedente interrogatione [k]): Gajus *Inst. II.* 9. 3. Quamvis enim ea ipsa quoque dotis dictio sollemnibus fiebat verbis: Cujacius *ad L.* 7. *D. de Pact.* et *L.* 1. *D. de Verb. oblig.* Brissonius *de Formul. VI.* nec ullo fundamento id in dubium vocant Cl. Salmasius *de modo usur. c.* 16. *p.* 716. *sq.* et Oiselius *ad Gajum ibid.*

---

i) Ad Praetorias stipulationes etiam referuntur AEDILITIAE. Erat autem iis locus in interrogationibus, quae de vitiis morbisque in vendendis servis fieri solebant. Venditorem enim emtori repromittere oportebat, se, si quid occulti morbi vel vitii in servo vendito inventum fuerit, duplum verbi gratia praestiturum: Theophili *Paraphr.* §. 2. *Inst. de Divis. stipul.* De his Aedilitiis stipulationibus plura habet Cujacius *Observatt. IX.* 3. *Hein.*

k) Sed sine stipulatione dotem *dicere* poterant tres tantum personae, mulier, pater, mulierisque debitor. Reliqui dicebantur dotem vel *dare*, vel *promittere*, et hi communi jure obligabantur, adeoque uti debebant stipulatione: Gajus *Inst. II.* 9. 3. *L.* 41. *D. de Jur. dot. Hein.*

inde tamen non sequitur, ut stipulatione fuerit opus. Formulam dicendi dotem prodidisse videtur Terentius *Andria Act. V. sc.* 4. *v.* 47. *sq.* de qua jam supra egimus *Libro II. Tit. VIII.* §. 6.

§. 19.

Sine stipulatione promittebantur operae, dona, munera a libertis.

Deinde et sine stipulatione contrahebatur obligatio, si libertus patrono aut *donum*, aut *munus*, aut *operas* se praestiturum jurasset: Gajus *ibid.* Solebant enim servi dominis manumissuris promittere certa dona, munera [1]), certasque operas loco praemii manumissionis futura. Quum vero servi domino promittere valide nihil possent, quia vinculum potestatis unitatem personae inducere videbatur: §. 6. *Inst. de Inutil. stipul.* tenebantur illi post manumissionem denuo se obligare jurejurando, quod si dicere nollent, ne liberi quidem addicebantur: Cic. *Epistt. ad Atticum VII.* 2. Simul ac vero jurassent liberti, nulla opus erat stipulatione.

§. 20.

Sponsalia contracta per stipulationem.

In primis observandum, nobilissimum stipulationum conventionalium genus fuisse SPONSALIA, de quibus quum nihil in Institutionibus dixerit Justinianus, pauca monebimus. Fuit hoc in more priscis temporibus positum apud Latinos, ut, qui uxorem ducturus esset, ab eo, qui nuptum daturus erat, eam in matrimonium datum sibi iri stipularetur, alterque sponderet, unde et *sponsaliorum* nomen natum est [m]). Si non data fuisset uxor, sponsus habebat actionem ex stipulatu vel sponsu: Gellius *Noctt. Att. IV.* 4. *L.* 2. et *L.* 3. *D. de Spons.* Jam a Romanis quidem non dabatur actio ex stipulatu ex sponsalibus: et ipsi tamen stipulationibus utebantur. (Cf. §. 22.) Hujus veteris moris multa exstant vestigia apud Plautum, qui in *Aulularia* [* *Act. II. sc.* 2. *v.* 77. *sq.*] Megadorum ab Euclione filiam stipulantem inducit his verbis:

---

1) Dona et munera libertorum quid fuerint, et quodnam inter ea discrimen intercesserit, docetur *L.* 18. *L.* 194. et *L.* 214. *D. de V. S.* Adde Oiselium *ad Gajum. ibid. Hein.* Cf. supra Lib. II. Tit. VII. §. 2. *Mühl.*

m) Unde non est, quod cum Verrio Flacco apud Festum [*v. *Spondere.*] sponsalia derivemus e lingua Graeca, indeque natum existimemus id vocabulum, quod sponsi σπονδάς, interpositis rebus divinis, facerent. *Hein.*

MEG. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?
EUCL. illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. MEG. SPONDEN' ergo?
EUCL. SPONDEO.

Ex *Trinummo* Plauti jam supra exemplum vidimus §. 4. Sed et in *Curculione Act. V. sc.* 2. [* *v.* 74.] Phaedromus ita a milite stipulatur:

PH. SPONDESNE, miles, mihi hanc uxorem?
TH. SPONDEO.

In eo tamen a reliquis stipulationibus differebant sponsalia, quod et absens absenti per epistolam vel internuncium recte despondebatur: *L.* 4. et *L.* 7. *D. de Sponsal.* Ea quoque in sponsalibus adhibebatur cautio, ut in tabulas plerumque redigerentur conventiones sponsalitiae. Unde Juvenalis *Sat.* [* *VI. v.* 200. *sq.*]

Si tibi legitimis pactam junctamque TABELLIS
Non es amaturus, — — — —

Dari etiam solebant arrhae, et annulus pronubus, de quibus aliisque huc pertinentibus ritibus copiosius agit Barn. Brissonius *de ritu nuptiar. p.* 204. *sq.* Illud quaeri solet, an et sponsalia de praesente et de futuro, quae vocant, nota fuerint Romanis? Adfirmat Huberus: probat Gundlingius in *Gundlingianis Part. X. p.* 380. ubi ex Nonio et Arnobio *adversus gentes X. p.* 140. ostendit, Romanos distinxisse inter SPERATAS, PACTAS et SPONSAS. Discrimen hoc eleganter explicat Gronovius *ad Gellii Noctt. Attic. IV.* 4. *Virgo SPERATA dicebatur: quum conventa erat conditio, PACTA: ubi interpositae stipulationes, SPONSA. Pactae* ergo similes erant quodammodo desponsatis de futuro; sponsae de praesente. Sed veritati magis consentaneum est, sponsalia Romanorum in universum omnia fuisse de futuro, vel, ut Florentinus definit, *mentionem et repromissionem nuptiarum futurarum: L.* 1. *D. de Sponsal.* Pactas etiam conventas dici consuevisse, patet ex Festo [* *p.* 97. ex *edit.* Dacerii.] *Conventae dicebantur, quum primus sermo de nuptiis et earum conditione habebatur.*

§. 21.

Stipulationes communes.

Denique COMMUNES stipulationes reliquae sunt, quae tum a Praetore, tum a judice exigebantur, qualis erat cautio, rem pupillo salvam fore: §. 4. *Inst. de Divis. stipul.*

§. 22.

Actiones ex hoc contractu natae.

Ex stipulatione nascebatur *condictio certi*, si certa esset stipulatio: sin incerta, actio *incerti ex stipulatu: princ. Inst. de V. O.* Ex sponsalibus, quae in Latio competebat, actio *ex sponsu* dicebatur: Gellius *Noctt. Attic. IV.* 4. Cujacius *ad Tit. C. de Sponsal.* (Cf. Adp. ad Lib. I. §. 49. et quod ibi observatum est not i.) Ex sponsu vero agere idem erat, quod ex stipulatu: *L.* 19. §. 2. *D. de Aedilit. edicto.* At apud Romanos sponsalia nuda renunciatione et liberrimo repudio solvebantur: *L.* 1. *C. de Sponsal. L.* 2. §. 1. 2. *D. de Divort. L.* 2. *C. de Repud.* Ex quo facile patet, in contractuum numero haud fuisse stipulationem sponsalitiam. Vid. Frid. Hotomanus *de sponsal. c.* 4. *p.* 357.

LIB. III. TIT. XXI. (XX.)

DE

FIDEJUSSORIBUS.

Stipulatione etiam sese obligabant FIDEJUSSORES, unde de iis hoc titulo seorsum agitur.

§. 1.

Varia fidejubentium nomina.

Qui se obligabant pro aliis, plura apud Romanos sustinebant nomina. In judiciis promittentes pro aliis dicebantur *vindices, vades, subvades, praedes.* Reliqui *fidejussorum, sponsorum, adpromissorum, fideipromissorum* [a]) nominibus veniebant.

§. 2.

Quinam vindices?

VINDICES in XII Tabulis erant, qui pro eo, qui in jus privata auctoritate vocabatur, sese obligabant. Si quis enim alteri in publico adclamasset: AMBULA IN JUS: aut eundum illi erat, aut ferendum, ut

---

a) Nomina haec omnia, praeterquam *fidejussorum,* in toto Digestorum opere non exstare voluit Tribonianus, uti observat Salmasius *de modo usur. c.* 16. *p.* 702. *Hein.* Plurima nova ad hunc locum a Gajo (III. §. 115—127.) adlata sunt, in primis quae ad discrimen sponsorum et fidepromissorum a fidejussoribus spectant. Cf. Schrader in den *Heidelb. Jahrbüchern der Literatur* 1818. num. 12. p. 177—179. Hugo *R. G.* p. 397. sq. p. 622—624. *Haub.*

praevia antestatione obtorto collo ad tribunal raperetur, nisi datis fidejussoribus se ab hac ignominia vindicasset. Qua de re Festus sub voce *vindex p.* 593. *VINDEX ab eo, quod vindicat, quominus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur* b). Legibus XII tabularum de his ita fuerat cautum: *SI ENSIET, QUI IN JUS VOCATUM VINDICIT, MITTITO. ASSIDUO* c) *VINDEX ASSIDUUS ESTO; PROLETARIO QUOI QUIS VOLET VINDEX ESTO:* Gellius *Noctt. Attic. XVI.* 10. Quorum verborum is sensus est: *Si tamen sit aliquis, qui pro in jus vocato vel prenso fidejubeat, dimittitor. Ceterum locupleti vindex locuples esto, pauperi, prolem tantum sufficienti reipublicae, quilibet vindex esto:* Jacob. Gothofredus *ad XII Tabb. tab. I.* d).

§. 3.

Quinam vades, praedes, subvades?

Si ventum in jus, satisdare debebat reus, se stato die adfuturum: Car. Sigonius *de Judic. I.* 20. Eadem cautio exigebatur in publico judicio etiam ab adcusatore, ut recte observat Jacob. Gothofredus *ad Leges XII Tabb. tab. II. p.* 191. Qui ergo se tunc obligabant pro reo, si judicium esset publicum, *vades:* sin civile, *praedes* dicebantur. Unde Auson. *Idill.* 12. 9. (vel 347.)

Quis subit in poenam capitali judicio? VAS.
Quid si lis fuerit numaria, quis dabitur? PRAES.

Festus sub voce *vadem p.* 583. *VADEM, sponsorem significat datum in re capitali.* Sed si antiqui eam observarunt inter has voces differentiam: sane eam neglexerunt posteri, qui in quocumque judicio, sive civili, sive capitali *vades* exigebant. Unde Varroni *de lingua lat. V.* [**p.* 71. ex *edit. Bipont.*] *vas adpellatus, qui pro altero vadi-*

---

b) *Vindex* ergo non est *procurator*, ut putat Boethius *ad Cic. Topic. c.* 3. nec *praedicator*, vel *praediator*, ut Boethii locum legit Cujacius *Observatt. V.* 29. nec confundendus cum *vade*, quod plures fecere, interque hos etiam Jan. Vinc. Gravina *de Legg. XII. Tabb. c.* 66. *p.* 377. *sq. Hein.* Boethium defendit Jacob. Voorda in *Elect. c.* 25. quo exposuit latius, qui *vindex* dicatur. *Cann.*

c) *Assiduus* veteribus idem est ac locuples, quasi *asses* qui *dare* possit: Cic. *Topic. c.* 3. Utitur hac voce eodem significatu Plautus *Amphitruo. Act. I. sc.* 1. *v.* 14. *sq.*

Noctesque diesque ASSIDUO satis superque est,
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis. Hein.

d) Caeterum idem fere repetiit Auctor infra Lib. IV. Tit. VI. §. 18., ubi nonnulla etiam hanc in rem addentur. *Mühl.*

monium promittebat [e]). *Praedes* quoque postea non ii dicti sunt, qui in judicio civili se obligabant pro aliis, sed qui partim pro publicanis, partim in judiciis publicis de mulcta solvenda populo cavebant: Varro *ibid. p.* 71. [f]). Festus sub voce *praes p.* 367. *Manceps dicitur, qui quid a populo emit conducitve, quia manu sublata significat, se auctorem emtionis esse, qui idem* PRAES *dicitur, quia tam debet praestare populo, quod promisit, quam is, qui pro eo* PRAES *factus est.* Car. Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. II.* 4. *p.* 293. et Barn. Brissonius *de verbor. significat.* sub voce *praedes p.* 450. (Gaj. IV. 13. 16. 91. 94.) Qui denique pro actore se obligabant, *subvades* dicebantur [g]), ut suspicatur Gothofredus *ibid. p.* 191. nisi cum Salmasio *de modo usur. c.* 16. *p.* 701. dicere malis, *subvades* fuisse, qui pro vadibus fidejubebant, quemadmodum *subpraedes,* qui pro praedibus. Quamquam jam Gellii aetate hujus vocabuli usus ac paene significatio perierat. Vid. *Noctt. Attic. XVI.* 10.

§. 4.

Adpromissores, fidejussores, sponsores, fidepromissores [h]).

Adpromissores generatim quidem vocati sunt, quicunque aliorum promissioni idem promittendo accedebant [i]); sensu tamen vocabuli magis restricto et velut proprio eos esse dictos adpromissores crediderim, qui post promissoris mortem datum iri spondebant [k]). Qui praeterea pro aliis verborum obligatione adhibita intercedebant,

---

e) Qui provocabat, *vadari,* qui provocabatur, *vadimonium promittere* dicebatur: Sigonius *de Judic. I.* 20. *p.* 454. *Hein.* De vadibus et de vadimonio infra pluribus dicetur Lib. IV. Tit. VI. §. 20. 21. *Mühl.*

f) Dukerus *ad Liv.* III. c. 13. §. 8. T. I. p. 592. *Haub.* Cf. infra Lib. IV. Tit. XVIII. §. 38. *Mühl.*

g) Sed actor nullos vades dabat. *Cann.* Subvades (quorum mentio fiebat *Leg. XII. tabb.* Gell. *N. A.* XVI. 10.) fuisse videntur, qui similiter ut vades, sed post eos demum, judicii sistendi causa sponsores facti sunt. Vid. Dirksen *Manuale latinitatis font. jur. civ. Romanor.* v. *Subvas. Mühl.*

h) Quae hoc in loco scripserat Heineccius, ubique fere e Gaji commentariis aliisque civilis Romanorum juris fontibus emendanda fuissent; consultius itaque duxi, illis plane relictis eorum in vicem alia quaedam substituere. *Mühl.*

i) *L.* 5. §. 2. *D. de verb. obl. L.* 64. §. 4. *D. sol. matrim. L.* 43. *D. de solut.*— Dirksen *Manuale* h. v. *Mühl.*

k) Quorum adhibendorum similis fuisse videtur ratio, ut adstipulatorum; cf. not. e ad §. 10. *tit. praeced.* Eoque adludere videtur Festi definitio (in qua offendi solet vulgus interpretum, vid. Heinecc. ad Brisson. v. *adpromittendi*), cujus haec sunt verba: „Adpromissor est, qui, quod suo nomine promisit, idem pro altero quoque promittit." Nam quemadmodum adstipulator, quod alteri

aut sponsores, aut fidepromissores, aut fidejussores erant l); iique, ut contrahendae obligationis forma, sic etiam vi ac potestate maximopere inter se differebant. At Justinianeo jure non nisi fidejussio usu retenta est, quare sponsorum et fidepromissorum nomina e Justinianea juris collectione exsulare curavit Tribonianus. Cf. supra §. 1. not. a. *Mühl.*

§. 5.

Formulae fidejubendi.

Diversa vero illa nomina, ut recte a Cujacio *ad Pauli Sententt. Receptt. I.* 20. observatum est, potissimum a formulis, quibus stipulationes concipiebantur, sortiti sunt fidejussores m). Qui enim rogatus: FIDEJUBES? responderat: FIDEJUBEO: dictus est *fidejussor*. At qui rogatus: FIDEPROMITTIS? respondebat: FIDEPROMITTO, *fidepromissor* vocabatur. Denique si quaesitum: SPONDES? is, qui responderat SPONDEO, *sponsor* adpellatus est: §. 1. *Inst. de Verb. obligat.* n). *Adpromissores* etiam procul dubio rogati sunt, an *adpromitterent* o)? Quo verbo utitur Cicero *pro Sextio Roscio Amer. c.* 9.

§. 6.

Maxime in judiciis.

Fuere etiam in fidejussionibus judicialibus certae adhibitae formulae, qualem jam supra *Lib. III. Tit. XVI—XX.* §. 17. vidimus. Vadimonium in primis adcurate concipiebatur, adhibito Jureconsulto, ut ex Cicerone *Epistt. ad Q. Fratrem II.* 15. demonstrat Car. Sigonius *de Judic. I.* 20. *p.* 454. In hac formula et illa erant verba sollemnia: REUM ADFUTURUM IN DIEM TERTIUM, VEL PERENDINUM: vid. Barn. Brissonius *de Form. Lib. V.* [*c. 3.]

§. 7.

Quibus obligationibus adcesserit fidejussio?

Fidejussio adcedebat obligationibus omnibus p), quin et prae-

---

promissum erat, sibi etiam stipulabatur, sic adpromissor, quod alter promiserat, a quo tamen peti non poterat, suo se nomine praestaturum spondebat. Cf. et Walter *R. G.* p. 629. *Mühl.*

l) Gaj. III. §. 115. 118. Cf. Pauli *Sententt. Receptt.* Lib. I. Tit. IX. §. 5. *Mühl.*

m) Eae nonnumquam etiam graece conceptae: §. 7. *Inst. h. t. L. Graece* 8. *pr. D. eod. Hein.*

n) Gaji Inst. III. §. 116. „Sponsor ita interrogatur: *idem dari spondes?* fidepromissor: *idem fide promittis?* fidepromissor: *idem fide tua esse jubes?*" *Mühl.*

o) Fortasse huc referri possunt, quae eodem loco a Gajo proditae sunt formulae: „idem dabis? idem promittis? idem facies?" *Mühl.*

p) Sponsores vero et fidepromissores nullis obligationibus accedere poterant,

cedere poterat obligationes: *L.* 6. §. 2. *D. de Fidejuss.* ita tamen, ut praecedens fidejussoris obligatio tum demum vires caperet, quum et principalis obligatio, cujus illa adcessio erat, constituta esset: *L.* 35. *D. de Fidejuss.* Is vero, qui sponsione sua antecesserat debitoris obligationem, proprie MANDATOR vocabatur: *L.* 12. §. 14. *D. Mandat.* In fidejussione dotis caussa id notabile, quod illa post nuptias stante matrimonio a marito data non obligabat, ante nuptias data, firma validaque habebatur, ut ex Harmenopuli *Promtuario IV.* 8. 9. ut et *L.* 1. *C. Theod. de fidejuss. dot.* ostendit Cujacius *Paratitl. ad tit. C. Ne fidejuss. dot. dent.* dissentiente tamen Jacob. Gothofredo *Comment. ad Cod. Theod. ibid.* Et sane quid magis a ratione alienum est, quam dotem non credi marito, cui se ipsam uxor credere non dubitavit? *L.* 2. *C. Ne fidejuss. dot. dent. L.* 8. *C. de Pact. convent.*

§. 8.

Fidejussorum obligatio.

Singuli fidejussores tenebantur in solidum, liberumque adeo erat creditori, a quo vellet solidum petere, quemadmodum et in ejus positum erat arbitrio, debitoremne, an fidejussorem, ejusve heredes q), convenire mallet: *L.* 20. *D. de Cond. indeb. L.* 16. §. *ult.*

---

nisi *verborum.* Gaj. III. §. 119. Praeterea lege quadam (incerti auctoris et temporis) cautum est, „ut is, qui sponsores et fidepromissores accipiat, praedicat palam et declaret, et de qua re satis accipiat, et quot sponsores aut fidejussores in eam obligationem accepturus sit: et nisi praedixerit, permittitur sponsoribus et fidepromissoribus, intra diem tricesimum praejudicium postulare, quo quaeratur, an ex ea lege praedictum sit, et si judicatum sit, praedictum non esse, liberantur. Qua lege fidejussorum mentio nulla fit; sed in usu est, etiam si fidejussores accipiamus, praedicere" (§. 123.). Porro lege quadam Cornelia vetitum est, ne idem pro eodem, apud eundem, eodem anno, in ampliorem summam obligaretur, quam in XX. millia HS. Licet autem legem hanc communem fuisse omnibus, qui pro aliis se obligarent, Gajus testetur (§. 124.), aliquam tamen inter fidejussores et sponsores fideivepromissores hoc quoque nomine intercessisse differentiam, ex iis colligi poterit verbis, quae mox adduntur, his quidem: „et quamvis sponsor vel fideipromissor in ampliorem pecuniam — se obligaverit, non tamen tenebitur." (Gans *Scholien zum Gajus* p. 416.). Quaedam etiam excipiebantur, in quibus lex permisit in infinitum satis accipere, velut si dotis nomine satis accipiendum esset. (Gaj. §. 125.) — Caeterum contra placuit posterioribus aetatis imperatoribus, quippe qui pro dotibus reddendis fidejussores dari omnino noluerunt. Vid. quae in orationis contextu laudantur loca Theodosiani et Justinianei Codicis. *Mühl.*

q) At sponsoris et fidepromissoris heres non obligabatur; Gaj. §. 120. Quid? quod ex lege Furia de sponsu sponsores et fidepromissores biennio liberaban-

D. de Fidej. *L.* 5. *C. eod.* Uno tamen solvente, liberabantur ceteri: §. 4. *Inst. h. t.* Gaji *Inst. II.* 9. 2. Jacob. Cujacius *Observatt. XXIII.* 25.

§. 9.

Beneficium divisionis.

At illum veteris juris rigorem sustulit Hadrianus, cujus ex epistola inter fidejussores aeque, ac mandatores, dividebatur actio, si litis contestandae tempore omnes essent solvendo: *L.* 26. *D. eod.* r). Haec epistola deinde inserta est Edicto perpetuo, unde id beneficium ex edicto Praetoris derivat Paulus *Sententt. Receptt. I.* 20. 1. Ex quo patet, humani quid passum esse Cujacium, qui *ad tit. Inst. de SCto Tertulliano* epistolam illam non Hadriano, sed D. Pio, tribuit, ante cujus tempora jam compilatum erat Edictum perpetuum. Quomodo vero a D. Pio esse potest, quod jam Edicto perpetuo insertum fuerat? Videtur tamen D. Pius illud beneficium divisionis nova epistola stabilivisse, cujus quaedam supersunt vestigia: *L.* 49. §. 1. *D. de Fidejuss.*

§. 10.

Et ordinis.

Denique et Justinianus beneficium ordinis indulsit *Nov. IV.* 1. s) de quo nec non de beneficio cedendarum actionum plura commentantur doctores, quae hic repetere non vacat t).

---

tur; eademque lege cautum, ut inter plures pro partibus virilibus divisa esset obligatio, quum antea, similiter ut fidejussores, in solidum singuli obligarentur, sic tamen, ut, si quis eorum plus sua portione solvisset, ex lege Apuleja de eo, quod amplius solutum esset, adversus ceteros actio daretur. Quoniam autem Lex Furia Italiae tantum incolis data est, postea quoque usus supererat legis Apulejae, nimirum eorum in gratiam, qui extra Italiam sponsione vel fidepromissione sese obligaverant. Gaj. §. 121. 122. *Mühl.*

r) D. Hadriani igitur epistola non ipso jure inter plures fidejussores, quemadmodum lege Furia inter sponsores et fidepromissores, obligatio divisa est; neque legis Apulejae beneficium ad fidejussores pertinebat. Gaj. 121. 122. *Mühl.*

s) Quod jure veteri jam obtinuisse censet Otto *ad Instit.*, sed quum id jure Digestorum et Codicis in desuetudinem abiisset, Justinianum revocasse opinatur; vide tamen Wielingium in *Lectt. jur. civ. Lib. I. c.* 16. *Cann.*

t) Id tamen praetermittendum non est hoc in loco, sponsoribus adversus eum, pro quo dependissent, nisi is in sex mensibus proximis restitueret pecuniam, actionem in duplum esse comparatam lege Publilia, quae appellabatur actio depensi (Gaj. III. §. 127.). Eaque *per manus injectionem pro judicato agebatur*; ac similiter lex Furia de sponsu adversus eum, qui a sponsore plus quam virilem partem exegisset, agi jussit. Gaj. IV. §. 9. 22. 25. 102. 186. *Mühl.*

§. 11.

Mulieres fidejubere non poterant.

Fidejubere poterant omnes, qui et stipulari. At non mulieres, quae in omni genere negotiorum atque obligationum tam pro viris, quam pro feminis intercedere prohibebantur: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 11. 1. Non ergo valebant fidejussiones judiciales mulierum. Nam nefas videbatur, mulierem in forum prodire, et vel suam ibi caussam agere; adeo, ut, quum aliquando mulier in foro caussam pro se ipsa egisset, Senatus consuluisse feratur Deum, *τίνος ἄρα τῇ πόλει σημεῖον εἴη τὸ γεγενημένον; ecquid hoc exemplum urbi portenderet?* Plutarchus in *Lycurgi cum Numa comparat. c.* 4. Nec magis valebant privatim interpositae fidejussiones mulierum, quia fidejussio quasi civile ac virile negotium videbatur, a quo arcendae feminae: *L.* 1. §. 1. et *L.* 2. §. 1. *D. ad SCtum Vellejanum. L.* 2. *pr. D. de Reg. jur.* Eaque prohibitio tam severa erat, ut olim ne renunciari quidem huic beneficio posset. Secura ergo erat mulier, pro alio quae intercesserat, nisi vel pro tutoribus filiorum indemnitatem promisisset: Pauli *Sententt. Receptt. ibid.* §. 2. [u]) vel decipiendi animo et dolo malo id fecisset: Paulus *ibid. L.* 11. *D. ad SCtum Vellejanum.* Imo non fidejussiones tantum, sed omnes omnino mulierum intercessiones ex quocumque contractu irritae erant: Jacobi Gothofredi *Commentar. ad L.* 2. *D. de R. J.* Ger. Noodt *Observatt. I.* 18.

§. 12.

Origo SCti Vellejani.

Omnia haec sancita senatus consulto vellejano, cujus legitima verba *L.* 2. §. 1. *D. eod.* servata indicant, conditum illud esse M. Silano et Vellejo Tutore Coss. sed fasti id par Consulum fere omittunt. M. Silanum Consulem praeferunt A. U. C. dcclxxi. Quare et tunc illud SCtum conditum putat Schilterus *Exercitatt. XXVIII.* 2. Sed diserte Ulpianus *L.* 2. *pr. D. ad SCtum Vellejanum* adfirmat, primum quidem temporibus Augusti, mox deinde Claudii, eorum edictis cautum esse, ne feminae pro viris suis intercederent: postea

---

u) Ita quidem Paulus. Sed alia inveniuntur in *L.* 6. *C. ad SCtum Vellejanum. L.* 1. et *ult. C. Si mater indemn. promis.* Qui textus quum partim ab Alexandro Severo, partim a Diocletiano sint: aut corruptum Paulum esse oportet, aut jus istud constitutionibus mutatum. *Hein.* Cfr. Cujacius itemque Schultingius ad d. Pauli locum. *Mühl.*

vero factum esse hoc SCtum. Ex quibus verbis patere videtur, illud vel extremo Claudii imperio, vel postea fuisse conditum. Tunc vero quum anno DCCXCVIII. in fastis occurrant P. Valerius Asiaticus II. et M. Junius Silanus Coss. inter suffectos autem istius anni Vellejus Rufus, qui forsan Valerio Asiatico ultro se abdicanti suffectus est: vid. Hub. Golzii *Fast. Consul. p.* 239. non dubitandum quibusdam videtur, eo ipso anno, referente ad Senatum Vellejo Rufo, hoc SCtum prodiisse, dictumque inde esse Vellejanum: Schultingii *Jurisprud. Antejustin. p.* 640. Id et mihi olim visum. Sed jam aliter videtur. Ulpianus Vellejum istum non vocat Rufum, sed Tutorem. Silani autem et Velleji Tutoris Consulatus memoratur bis in marmore apud Gruterum *Inscriptt. p. CCCCLXX. n.* 1. et 2. ubi par istud Consulum ita scribitur:

L. SILANO. FLAMINI
MARTIALI. C. VELLAEO
TUTORE COS
NON. DECEMBR

Consules autem quum fuerint A. U. C. DCCLXIII. et sub Augusto primum ea de re cautum fuisse dicatur, procul dubio hi ipsi Consules nomen et originem SCto dederunt. Nec alii sunt auctores legis Juniae Vellejae, cujus mentio fit in *L.* 10. §. 2. *D. de Test. tut. L.* 13. *D. de Injust. rupt. irrit. test.* Ceterum ex marmore illo discimus, Silanum illum non Marci, sed Lucii, praenomen tulisse, eaque in re non minus, quam in chronologia hujus SCti errare Ulpianum x).

§. 13.

Mulieres etiam ante hoc SCtum nullum civile negotium Romae gerere poterant.

Nam quamvis Augusti Claudiique edicta, quibus mulieres pro viris intercedere prohibuerunt, illud SCtum antecessisse dicit Ulpianus *L.* 2. *pr. D. eod.* facile tamen patet, eum rem non adeo adcurate retulisse. Saltem Claudio recentius hoc SCtum dici non patiuntur Fasti Consulares. Forte ipse Ulpianus Fastos Consulares non adeo adcuratos habuit, et Vellejum Rufum confudit cum Vellejo Tutore. In tanto enim Consulum suffectorum numero, quid facilius est, quam errare et decipi? Quin probabile est, jam ineunte republica

---

x) De aetate hujus SCti et sententia auctoris vid. Ritterus *ad Heineccii Hist. jur. L.* 1. *c.* 4. §. 172. *p.* 257. *sq. Cann.*

prohibitum fuisse feminis, ne pro aliis intercederent, ut ostendit celeberrimus Ludewigius in *Differentiis juris Rom. et Germ. circa SCtum Vellejanum diff.* 1. Ab initio sane urbis Romani feminas perpetuo otio mancipabant, easque nec molere patiebantur, nec cibos coquere, nec ullam partem rei familiaris suscipere: Plutarchus *Quaestt. Roman. c.* 85. non ob aliam procul dubio caussam, quam quod pro Italorum ingenio feminarum suarum pudicitiae diffiderent. Eodem pertinebat interdictio vini severe sancita: Plutarchus in *Lycurgi cum Numa comparat. c.* 4. quodque eas ne de necessariis quidem rebus dicere paterentur sine viris, (Idem *ibid.*) nedum conviviis vacare: Valerius Max. *II.* 1. 2. Multo minus iis concedebant, ut prodirent in forum, vel ullum civile negotium peragerent: Plutarchus *ibid.*

§. 14.

Cur hoc SCtum conditum?

Quod vero in usum revocanda videretur prisca illa severitas ac disciplina, inde factum arbitror, quod, abrogata lege Oppia, (de qua Livius *XXXIV.* 4. 5. et Valerius Max. *IX.* 1. 3.) et mulierum tutela sensim exolescente, feminae paullo liberius vivere, et negotiationibus, versuris, intercessionibus vacare coeperant. Quae licentia et Augusti et Claudii edictis, et hoc SCto coercenda visa est: Adcessit postea Novella *CXXXIV.* 8. ex qua *Authentica Si qua mulier C. ad SCtum Vellejanum* fluxit, de qua fuse doctores.

LIB. III. TIT. XXII. (XXI.)

DE

LITTERARUM OBLIGATIONIBUS.

Non ullius temere conventionis obscurior nobis natura est, quam contractus, qui LITTERIS initur, in quo explicando adeo fluctuant viri eruditi, ut, quem potissimum sequaris, vix adpareat. Sane quum Jureconsulti plerique, ubi contractuum nominatorum varia genera recensent, litterarum obligationis non meminerint: *L.* 1. §. 1. *L.* 4. *D. de O. et A. L.* 8. §. 1. *D. de Fidejuss. L.* 52. *pr. D. de O. et A. L.* 1. §. 1. *D. de Novat.* non dubitant quidam, veteres hoc contractus genus plane ignorasse, idque vel constitutionibus sequiorum Principum, vel ab ipso Justiniano demum inventum esse. Ita Dua-

renus, Donellus, Wissenbachius aliique viri docti statuunt. Sed antiquam satis esse litterarum obligationem, et verum contractum satis adparet ex *Fragmento Vet. Jurecensulti post Collationem Legg. Mosaic. et Roman. edito* §. *VII.* ubi mentio fit adquisitionis *per* SCRIPTURAM *et stipulationem*. Deinde litterarum obligationem inter contractus referri videmus in *L.* 2. §. 1. *D. de Obligat. et act.* et apud Gajum *Instit. II.* 9. 1. *pr.* et §. 13. [a]). Nos itaque, quae ex antiquitatibus ad illustrandam hanc materiam facere videbuntur, paucis delibabimus.

---

a) Tenebrae huic loco obfusae, de quibus Auctor conquestus est, jam feliciter profligatae sunt per Gajum genuinum (III. §. 128 — 134.), e quo duplex litterarum obligatio antiqua innotuit: altera, quae facta est per expensilationem transscriptitii nominis (diversi ab arcario), transscriptione quidem vel a re in personam, vel a persona in personam interveniente; altera, quae chirographis et syngraphis absque stipulatione contracta est, ac propria fuit peregrinorum. Gaji jam rationem habuerunt: Savignius in classica Comm. *über den Litteralcontract der Römer, vorgeles. in d. Berl. Akad.* 1816., *mit einem Zusatze von* 1818. et Car. Beier *ad Cicer. de Offic. III.* 14. *T. II. p.* 284 — 286. junct. *Exc. IV. p.* 432 — 435. *Haub.* Add. A. Z. Hanlo (Praes. van Hall) Disp. *de nominum obligatione.* Amstelod. 1825. 8. W. T. Kraut *de argentar. et nummulariis comm.* (Goett. 1826. 8.) c. IX. A. Wunderlich *Diss. de antiqua litterarum obligatione.* Goett. 1832. 8. — Iis, quae subobscure Hauboldus de veteri litterarum obligatione disseruit, paucissima velut supplementi loco subjiciam. *Nomina fieri*, seu litterarum obligationem contrahi, antiquitus dicebatur, quum, quod quis aliqua ex causa debebat, consentientibus et creditore et debitore, in codices expensi et accepti, aut utriusque aut creditoris, transscribebatur; unde *nomina transscriptitia* dicta. Fiebat autem transscriptio vel a re in personam, vel a persona in personam. A re in personam transscriptione novatio facta est iisdem manentibus reorum personis, „veluti si id, quod ex emtionis causa, aut conductionis, aut societatis mihi debeas, id expensum tibi tulero;" a persona in personam hoc pacto, ut transscribendo nomina novatio fieret per delegationem, „veluti si id, quod mihi Titius debet, tibi expensum tulero, i. e. si Titius te delegaverit mihi." (Gaj. III. §. 129. 130.) Erat autem nominum transscriptitiorum ea vis ac potestas, ut tamquam ex stipulatione se verissime obligarent debitores. (Cic. *de offic. III.* 14.) Neque vero in domesticis solum rationibus perscriptione fiebant nomina, sed multo etiam crebrius in argentariorum libris; quin in his solis imperatorum aetate vetus litterarum obligatio constitit, donec pedetentim omnis illius usus abolevit. — Jam ex his satis superque apparet, quantopere ab antiqua Romanorum literarum obligatione distent chirographa, quae debitores dare solent creditoribus, eaque Gajus (§. 130.) vocat *arcaria nomina*, quoniam dantur arcisque reponuntur eum in finem, ut probationibus faciendis quandoque inserviant. Sed audiamus ipsum ita verba facientem: „Alia causa est eorum nominum, quae arcaria vocantur; in his enim rerum (al. *rebus*), non litterarum obligatio consistit: quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia. — Qua de causa recte dicemus, *arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factae testimonium praebere.*" Haud quidem

§. 1.

Obligatio litterarum alia antiqua, alia nova.

Olim, inquit Imperator, *princ. Inst. h. t.* SCRIPTURA *fiebat obligatio, quae* NOMINIBUS *fieri dicebatur, quae nomina hodie non sunt in usu.* Quum ergo ipse Imperator largiatur, aliam olim, quam suo aevo, in usu fuisse litterarum obligationem, eamque factam esse nominibus doceat: inquirendum erit, qualia illa fuerint NOMINA, quaeque inde nata sit obligatio?

§. 2.

Antiquam plerique interpretantur de expensi latione.

NOMINIBUS olim factam obligationem litterarum, etiam Cicero *ad Atticum Epistt. IV.* 18. confirmat, ubi de turpi pactione Memmii et Calvini: *Haec pactio*, inquit, *non verbis, sed* NOMINIBUS, *et perscriptionibus, multorum tabulis quum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus inductis, auctore Pompejo.* Sed qualia illa nomina? Plerumque hunc contractum doctores accipiunt de modo aliquo pecuniae vel credendae, vel creditam probandae, quales erant *adnumeratio, expensi latio, stipulatio*, de quibus Cicero *pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. quibus *mensae rationes, chirographi exhibitionem, tabularum obsignationem, testium intercessionem* addit Gellius *Noctt. Att. XIV.* 2. *Expensi latio,* quae Salmasio maxime huc pertinere videtur, erat scripta professio datae pecuniae: Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb.* [* *L. I. c.* 39. *p.* 97. *ed. L.* 13.] Fieri solebat per nomina, quae creditor vel foenerator in tabulas accepti et expensi inscribebat, idque praesente debitore, qui et ipse in tabulas suas referebat, quantum deberet. Quae tabulae prolatae in judicio fidem faciebant debiti: Cicero *pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. De hac expensi latione, nec non nominibus per scripturam mensae argentariae plura habet Barn. Brissonius *de form. Lib. VI. p.* 356. Salmasius *de usur. c.* 6. et 17. et *de modo usurar. c.* 11. *p.* 473. *sq.* In hoc ergo contra-

---

diffitetur Gajus, literarum obligationem fieri etiam posse chirographis et syngraphis, i. e. si quis debere se, aut daturum, scribat, licet alia obligandi causa (velut stipulatio) non accedat; idem tamen adjicit: „quod genus obligationis proprium peregrinorum est" (§. 134.). Unde merito dubitatur, an his temporibus Romae ea obligandi causa obtinuerit. Dissent. tamen Wunderlich *diss. laud.* p. 52. sqq. Vid. et infra not. h. ad §. 8. — Caeterum ex Heineccianis, quae sequuntur, nihil mutavimus, quam haud ita multum aliena sint a veritate, nec injucunda cognitu. *Mühl.*

ctum litterarium constitisse, putant, quod nominibus ita tabulis inscriptis obligati fuerint debitores non minus, ac si stipulatio, vel aliud vinculum intercessisset: Sigonius *de judic. I.* 5. *p.* 408.

§. 3.

Quod tamen refellitur.

Enimvero hos rem acu haud tetigisse, vel Gaji fragmenta ostendunt, in quibus LITTERIS *fieri* dicitur *obligatio, aut a re in personam, aut a persona in personam. A re in personam, velut si id, quod ex emtione, aut conductione, aut societate debes, alii reddas. A persona in personam, veluti si id, quod mihi alter debet, alteri personae delegem, ut reddere debeat:* Gaji *Inst. II.* 9. 12. Quae tametsi ab Aniano videantur corrupta, ita tamen comparata sunt, ut ad nomina illa foeneratorum nihil faciant [b]). Argentariorum tabulis inscribebantur nomina debitorum, qui mutuam acceperant pecuniam: hic etiam ex emtione aut conductione aut societate nasci dicitur litterarum obligatio. Ibi solus debitor, cujus nomen fuerat inscriptum, obligabatur: hic etiam quaedam delegatio, aut certe novatio fiebat. Quod et docet *L. pen. C. Theod. de Denunc. vel. edit. rescript. Si quis debiti, quod vel ex foenore, vel mutuo datae pecuniae sumsit exordium, vel ex alio quolibet titulo, in litterarum obligationem, facta cautione, translatum est,* etc. Ergo et hactenus satis obscurum est, quaenam fuerit litterarum obligatio.

§. 4.

Antiquae illius litterarum obligationis natura explicatur ex Theophilo.

Sequendus ergo hac in re videtur Theophilus *Paraphr. Inst. III.* 21. qui unus forsitan nobis hujus contractus indolem naturamque luculentissime explicavit. Quamquam enim in quibusdam non semper rem acu tangere solet Theophilus, si quando lucem mutuare juri antiquo conatur: in hoc tamen titulo eum tanto tutius sequemur, quanto certius ex illo Gaji loco colligimus, illum, quaecumque de litterarum obligatione adfert, ex Gaji Institutionum libris sinceris ac genuinis, vel certe ex alterius veteris Jureconsulti scriptis

b) Locum hunc foede esse depravatum a Visigothano epitomatore jam inter omnes constat. De ipsa verborum in epitome obviorum lectione cf. Wunderlich *Diss. laud.* p. 16. sq. De argentariorum tabulis nec in genuinis Gaji commentariis quicquam legitur; at frustra inde cum Heineccio colligas, argentariae mensae scripturam alienam fuisse a veteri illa litterarum obligatione. Contrariam sententiam invictis argumentis probatam dederunt scriptores supra (not. a) laudati. *Mühl.*

hausisse [c]). Jacob. Oiselius *ad Gaji Inst. ibid. p.* 161. Schultingius *Jurisprud. vet. Antejustin. p.* 163. Is ergo Theophilus luculentam hanc dedit verborum Justiniani *παράφρασιν· λίτερις ἐστὶ τὸ παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν δάνειον μετασχηματιζόμενον ῥήμασι, καὶ γράμμασι τυπικοῖς. Litterarum obligatio est veteris nominis in novum creditum, per sollemnia verba et sollemnes litteras transformatio.* Introducta ergo litterarum obligatio novationis caussa, eaque contracta est partim verbis sollemnibus, partim litteris. De quibus denuo Theophilus in editione Fabroti: *Nam si, quum quis mihi centum aureos deberet ex emtione aut locatione, aut mutuo, aut stipulatione (multis enim modis nobis aliquid deberi potest), voluissem hunc mihi obligatum esse litterarum obligatione: necesse erat, verba haec dicere et scribere ad eum, quem litterarum obligatione obligatum habere volebam. Sunt autem haec verba, quae dicebantur et scribebantur: CENTUM AUREOS, QUOS MIHI EX CAUSSA LOCATIONIS DEBES, EXPENSOS TIBI TULI* [d])? *Deinde adscribebatur ab eo, qui jam ex locatione obligatus erat: EXPENSOS MIHI TULISTI, et tunc prior obligatio exstinguebatur, novaque ex litteris nascebatur obligatio, quae ex eo nomen habet, quod litteris consistat.* Haec est sollemnitas, quam in litterarum obligatione veteri observatam esse tradit Theophilus, quamvis ejus exemplum tantum ad prius litterarum obligationis genus pertinet, quod Gajus *a re in personam fieri* ait.

§. 5.

Locus Theophili illustratus.

Ex hoc ergo quantivis pretii loco discimus, I. litterarum obli-

---

c) Non ergo est, quod Theophili fidem in dubium hic vocent Barn. Brissonius *de form. Lib. VI. p.* 537. et Salmasius *de usur. c.* 6. Neque enim ipsi Theophilo fidem habemus, sed Gajo, aut alii Jureconsulto veteri, quem ille manifesto exscripsit. *Hein.*

d) Formulam hanc, ut et sequentem: EXPENSOS MIHI TULISTI, Latine exhibet editio Fabroti, ad Codices MSS. exacta, eaque procul dubio genuina illa et antiqua formula est inducendi litterarum obligationem. At Dionysii Gothofredi editio loco Latinae Graecam formulam habet: *τοὺς ἑκατὸν χρυσίους, οὓς ἐμοὶ ἐξ αἰτίας μισθώσεως χρεωσθεῖς, σὺ ἐκ συνθήκης καὶ ὁμολογίας δώσεις τῶν οἰκείων γραμμάτων; Centum aureos, quos mihi ex caussa locationis debes, tu mihi ex conventione et pactione dabis propriarum litterarum?* ad quae debitor respondebat: *ἐκ τῆς συνθήκης ὀφείλω τῶν οἰκείων γραμμάτων. Ex conventione illos debeo mearum litterarum.* Sed facile intelligitur, latina illa, quae habet editio Fabroti, omissa esse a librariis, latina illa vel non curantibus, vel non satis intelligentibus, eorumque loco reposita illa Graeca. Vid. Schultingius *l. c. p.* 163. *Hein.*

gationem factam esse *nominibus*. Quicumque enim debebat, ejus nomen non modo referebatur in tabulas excepti et expensi, uti docet Cicero *pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. *Expensum tulisse non dicit, quum tabulas non recitat.* sed et in chirographa, adhibitis testibus et parariis: Seneca *de Benef. II.* [*23.] *et III.* 15. Et inde Horatius *Epist. II.* 1. *v.* 105.

Scriptos NOMINIBUS *certis expendere numos* e).

Inde, qui mutuam pecuniam sumebant, SCRIBERE dicebantur. Loca Plauti *Asinaria Act. II. sc.* 4. *v.* 34. *Curcul. Act. III. v.* 40. *Trucul. Act. I. sc.* 1. *v.* 58. Ciceron. *ad Atticum IX.* 12. et alios jam adduxit V. C. Richard. Bentlejus *ad Horatii Epistt. Lib. II. ep.* 1. *v.* 105. *p.* 628. *sq.* [* ex *edit.* altera Bentleji *Opp. Horat. Amstelaedami* 1713. 4.] Porphyrion *ad Horatii Sermon. Lib. II. sat.* 3. *v.* 69. eleganter id explicat hunc in modum: *Juris verba.* SCRIBERE *est mutuum sumere;* inde denique est, quod RESCRIBERE, eodem teste Porphyrione, est restituere, quod et Servius *ad Aeneid. VII. v.* 422. observat, et Donatus *ad Terentii Phorm. Act. V. sc.* 8. *v.* 29. f). Discimus II. nomina illa non solum inscripta esse in caussa pecuniae ex mutuo numeratae, sed et, si quis ex caussa emtionis, locationis, societatis etc. deberet. Sane enim nominis ex caussa emtionis venditionis facti meminit Cicero *de offic. III.* 14. Constat porro ex hoc loco Theophili III. litterarum obligationem novationem debiti, imo et delegationem nonnumquam induxisse, ut ex Gajo discimus. Si *novationem* inducebat litteris obligatio *a re in personam;* sin *delegationem, a persona in personam* fieri dicebatur. Ita enim distinctionem Gaji interpretandam esse, res ipsa docet. Et hinc lucem capit loquutio vetus: *ab aliquo scribere:* Horat. *Sermon. Lib. II. sat.* 3. *v.* 69.

Scribe decem a Nerio. — — — —

ubi legendus laudatissimus vir Richard. Bentlejus *p.* 629. Denique IV. ex hoc Theophili loco discimus, litterarum obligationi antecedere debuisse sollemnem stipulationem, eamque deinde redigendam fuisse in scripturam g). Et haec est illa *scripturae proprietas,* cujus meminit *L.* 2. *D. de Obligat. et action.*

---

e) Hic versus in bonae notae editionibus sic legitur:

Cautos NOMINIBUS *rectis expendere numos.* *Cann.*

f) De vocabuli *perscribere,* iis, quae Auctor h. l. explicavit, adjiciendi, in re numaria usu: Dukerus *ad Liv.* XXIV. c. 18. §. 14. T. III. p. 862. sq. *Haub.*

g) Litterarum obligationi stipulationem antecedere debuisse, nec Theophili

§. 6.

Effectus litterarum obligationis.

Effectus vero is videtur fuisse, ut aliquis teneretur litteris, quasi ex caussa pecuniae expensae, quando tamen nihil saepe erat numeratum, nec exceptioni etiam non numeratae pecuniae locus relinqueretur: Schultingius *ad Gaji Inst. II.* 9. 12. *p.* 163.

§. 7.

Scriptura alias nullam producit obligationem.

Haec de antiquissima litterarum obligatione. Alia scriptura nullam producebat validam obligationem: *L.* 25. §. *fin. D. de Probat.* sed requirebantur verba, stipulationi propria, quae si in scripturam redacta fuissent, praesumebatur, praecessisse sollemnem stipulationem: et tunc non ex his scriptis, sed ex stipulatione, vel ob chirographum ex stipulatu agebatur, cujus actionis mentio fit *L.* 17. *pr. D. de Doli mali et met. except.* Schultingius *ad Gaji Inst. p.* 164.

§. 8.

Nova litterarum obligatio.

Invaluit tamen postea, ex quo antiqua illa litterarum obligatio obsoleverat, nova obligationis species, quae et ipsa litterarum obligatio dici posse videbatur. Sensim enim sub Imperatoribus fuerat receptum contra juris antiqui regulas, ut ex chirographis quoque peti posset credita pecunia [h]), et ex ea nasceretur condictio, quamvis non praecessisset stipulatio: *pr. Inst. h. t.* Sed tunc quidem reus vel querelam non numeratae pecuniae instituere, vel opponere poterat exceptionem non numeratae pecuniae, nisi multum temporis

---

loco evincitur, (Wunderlich *Diss. laud.* p. 41—43.) nec argumentis aliunde adsumtis confirmari potest. Quid? quod diserte Gajus testatur, literarum obligationem et inter absentes contrahi posse; III. §. 138. *Mühl.*

h) Imo et novae potuere induci obligationes, interveniente chirographo, ut patet ex *L.* 6. *C. Theod. de Denunc. vel edition. rescript.* ubi legendus Jacobi Gothofredi commentarius. *Hein.* At diserte imperatores (Arcadius, Honorius et Theodosius) de debito, quod jam alia ex obligandi causa exordium sumsit, in cautionem redigendo loquuntur. Igitur ne hoc quidem ex loco erui potest, solam debiti in chirographo factam professionem ullo tempore in obligandi causis Romae positam fuisse. Cum Heineccio facit Wunderlich *Diss. laud.* p. 63. Sed vid. de Savigny: *comm. laud.* et Wenckium *ad L.* 6. *Th. C. de denunc. vel edit. rescr.* Caeterum, quomodo hoc jus immutatum sit a Justiniano? nihil hic attinet dicere. Vid. hac de re Hanlo *Diss. laud.* p. 82. sqq. et scriptores, qui de querela et exceptione non numeratae pecuniae disseruerunt. *Mühl.*

effluxisset. Et quum alias quilibet reus suam exceptionem probare debeat: *L.* 1. *D. de Except.* hic quidem onus probandi devolvebatur in actorem: *L.* 3. *C. de Non num. pecun.* Multum vero illud tempus in hac exceptione antea ex Principalibus constitutionibus usque ad quinquennium procedebat: a Justiniano vero ita contractum est, ut ultra biennii metas hujusmodi exceptio minime extendatur: *d. L.* 14. *C. eod.*

LIB. III. TIT. XXIII—XXVII. (XXII—XXVI.)

DE

CONTRACTIBUS CONSENSUALIBUS, EMTIONE VENDITIONE, LOCATIONE CONDUCTIONE, SOCIETATE, MANDATO.

De contractibus, qui RE, VERBIS, LITTERIS ineuntur, satis multa hactenus diximus: de iis, qui SOLO CONSENSU citra verborum scripturaeque proprietatem perficiuntur, eo pauciora ex antiquitatibus erunt monenda, quo minus in his contractibus juris gentium Romani a simplicitate juris istius recesserunt.

§. 1.

Contractus consensuales erant bonae fidei.

Contractus omnes consensuales (Gaj. III. 135—137.), ut et ex realibus *depositi, commodati, pignoris*, ex innominatis *aestimatorius* et *permutatio*, ex quasi contractibus *negotiorum gestio* et *tutela* erant contractus bonae fidei, reliqui fere stricti juris. Inter quos quaenam fuerit differentia, infra *Lib. IV. Tit. VI.* occasione actionum bonae fidei et stricti juris commodius explicabimus.

§. 2.

Emtio venditio quomodo contracta.

Quibus ritibus alienari consueverint res mancipi et nec mancipi jure Quiritium, supra *Libro II. Tit. I.* ostendimus. Quamquam ergo emtioni venditioni aliquando adcedebat mancipatio, aliquando in jure cessio, aliquando traditio, tamquam modi adquirendi: ipsa tamen emtio venditio, tamquam titulus, perfecta videbatur, simulac de pretio inter emtorem et venditorem convenerat [a]), tametsi pre-

---

a) De pretio: num ad viri boni arbitrium referri possit, itemque, num id

tium nondum esset numeratum, imo ne arrhae quidem datae, quippe quae non ad inducendam obligationem, sed ad evidentiorem probationem, dabantur: *princ. Inst. h. t.* Gaji *Inst. II.* 9. 14. (s. *comment.* III. 139.) *L.* 35. *pr. D. de Contr. emt.* Dubitari enim non poterat, quin de pretio convenisset, adeoque deberetur reliquum, si arrha data esset: Varro *de lingua lat.* [* *Lib. IV. p.* 48. ex *edit. Bipont.*] *Arrabo sic dicta, ut reliquum reddatur. Hoc verbum a Graeco ἀῤῥαβών. Reliquum, ex eo, quod debitum reliquit.*

§. 3.

Actiones contra venditorem mentientem.

Antequam contractus perficeretur, ante omnia de rei vendendae natura et qualitate dispiciebatur. Jusserant enim Aediles titulos singulorum servorum scribi: Gellius *Noctt. Att. IV.* 2. quales titulos complures collegit Barn. Brissonius *de form. VI. p.* 492. *sq.* Simile quid et in reliquarum rerum venditionibus observabatur, uti idem laudatissimus auctor *p.* 496. *sq.* demonstrat. Praeterea ne in venditionibus mancipiorum deciperentur emtores, jubebantur illa interea, dum praeconium fiebat, in orbem currere, saltare, sese denudare, ut sanitatem suam probarent spectantibus. De quo ritu eleganter disserit Gronovius Pater *Diatrib. ad Stat. c.* 16. *p.* 85. Id ubi fiebat, mancipia dicebantur *produci:* Terent. *Eun. Act. I. sc.* 2. *v.* 54. *Heautontimor. Act. I. sc.* 1. *v.* 92. Si in re indicanda mentitus esset venditor, duplum ejus, quod intererat, tenebatur praestare. Hinc *actio de emto ex modo*, quae locum habebat in duplum, si quis in distrahendo fundo de modo, id est, spatio, mentiebatur: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 4. Idem fiebat, si vitia quaedam rei venditae falso dicerentur abesse: Cicero *de offic. III.* 16. si vero quis servum pluris venditurus de ejus artificio vel peculio fuisset mentitus, tenebatur actione aestimatoria ex emto: *L.* 13. §. 4. *D. de Act. emti*, adeoque emtori, quanti minoris valuisset, praestare compellebatur, nisi paratus esset ille ad redhibitionem: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 6. Cic. *pro Cn. Plancio c.* 25.

§. 4.

Periculum rei venditae ad emtorem pertinebat.

Quum vero solo consensu perficeretur emtio venditio, statim

---

utique necesse sit, ut in numerata pecunia consistat? quaesitum est. Vid. Gaj. III. §. 140. 141. *Mühl.*

periculum rei, etiamsi nondum traditae, ad emtorem pertinebat, adeo, ut, si res interim periisset, pretium tamen esset numerandum, tametsi nihil consequeretur emtor. Si tamen servus, bona fide comparatus, fuga se proripuerat ex veteri vitio, scilicet, ut jam antea apud venditorem fugisset: non tantum pretium venditor, sed et ea, quae per fugam abstulerat [b]), reddere cogebatur: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 17. 11. Cujacius *Observatt. XVIII.* 10. Schultingius *ad Paul. ibid. p.* 295.

§. 5.

Ut et fructus.

Quemadmodum vero periculum ad emtorem pertinebat, etiamsi nondum esset dominus: ita et ex die emtionis, si pretium esset numeratum, et fructus, et operae servorum, et foetus pecorum, et ancillarum partus reliquaque emolumenta omnia emtoris erant: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 7. *L.* 41. §. 5. *D. de Fideic. libert.* Cujacius *Observatt. XXI.* 15.

§. 6.

Quid traditio?

Sequuta traditione, etiam dominium transferebatur, si venditor esset dominus, et tunc statim solvendum erat pretium, aut certe ex eo tempore usurae debebantur, nisi de eo fides fuisset habita: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 9. *L.* 6. §. 1. *D. de Usur.* Interea tamen salva erat emtori redhibitio ob latens vitium, modo intra sex, modo intra duos menses utiles: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 5. *L.* 9. §. *ult. L.* 55. *D. de Aedil. edict.*

§. 7.

Quid evictio?

Ad evictionem quod attinet, venditor, accepto pretio, auctoritatis actioni manebat obnoxius: Pauli *Sententt. Receptt. II.* 17. 1. Sin partem tantum accepisset pretii, eatenus dumtaxat auctoritatis nomine tenebatur: *L.* 13. §. 9. *de Act. emti.* Auctoritas vero idem est atque actio de evictione: *L. ult. D. de Evict.* Barn. Brissonius *de*

---

b) Solebant enim servi, priusquam se in pedes conjicerent, aliquid convasare: Terent. *Phorm. Act. I. sc.* 4. *v.* 11. *sqq.*

— — — *Nam absque eo esset,*
Recte ego mihi vidissem, et senis essem ultus iracundiam;
Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.

Cf. Cujacius *Paratitl. C. de Furt. et serv. corrupt. Hein.*

verb. significat. sub voce *Auctoritas p.* 64. Salmasius *de usur. c.* 8. Sed ea evictio non semper promittebatur. Aliquando enim pro voluntate contrahentium stipulationes in simplum, duplum, triplum, quadruplum concipiebantur: *L.* 56. *pr. D. de Evict.* aliquando, si res pretiosiores venierant, ex juris necessitate promittendum erat duplum: *L.* 37. §. 1. *D. eod. L.* 31. §. 20. *D. de Aedil. edict.* At quoties adcedebat mancipatio, illa erat ordinarie, et ex ipsa juris dispositione praestanda. Quod discimus ex Plauti *Persa Act. IV. sc.* 3. *v.* 55. *sq.*

Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.

Ac postea *v.* 61. *sqq.*

— — — *Dord. Nihil mihi opus es*
Litibus, neque tricis. Quam ob rem ego argentum numerem foras?
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?

Plautus *Curcul. Act. IV. sc.* 2. *v.* 8. *sq.* Unde et Paulus *Sententt. Receptt. II.* 17. 3. *Res emta, mancipatione et traditione perfecta, si evincatur: auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.* Quo tamen de loco quum mirae sint Cujacii, Salmasii aliorumque virorum doctorum altercationes, videndus omnino Schultingius *ibid. p.* 291. *sq.* c). Nihil jam addo de pactis emtioni venditioni adjici solitis, nisi quod aliquando, addita poena, prohiberetur jus retrahendi rem venditam. Sic apud Reinesium *Inscriptt. Class. XII. p.* 672. *n. LXVIII.*

LOCUM. EMPTUM. QUISQUE
REVOCARE. VOLET. REIP. FISCO. INFERRE
DEBET. HS. XX.

[* Ex emendatione Frid. Lindenbrogii JC.]

§. 8.

Locationes publicae. Quinam publicani?

Locationes conductiones quid sint, satis a doctoribus explicatur. Intercedebat in hoc contractu merces pro usu rei, vel opera, eaque in locatione praediorum rusticorum *pensio;* in locatione habitationis ἐνοίκιον vel στεγονόμιον, in reliquis locationibus *reditus* vel

c) De duplae stipulatione: d'Arnaud *Variar. conject.* II. 16. Lud. Conr. Schroeder *Pr. de stipulationibus quibusdam emtioni venditioni apud Romanos adjici solitis.* Marb. 1751. 4. Christ. Guil. Küstner *Pr. de actione ex dupla, emtori, cui res evicta est, competente.* Lips. 1762 4. *Haub.*

redactus dicebatur: Cujacius *Observatt. IV.* 26. Satis vero constat, locationes apud Romanos vel PUBLICAS fuisse, vel PRIVATAS. Publicas res qui conducebant, *publicani* dicebantur, iique plerumque erant equites Romani: Cic. *pro Cn. Plancio c.* 13. Unde eos *honestissimos viros, et firmamentum ceterorum ordinum* vocat idem *pro lege Manil. c.* 2. et 7. Quin quanto in honore illi fuerint apud Romanos, maxime post Ciceronis aetatem, vel inde patet, quod Vespasiani parenti, publicano, posita est statua cum hoc titulo: *ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ:* Suetonius *Vespas. c.* 1. At ab exteris hi publicani tanto majori habebantur despicatui, maxime a Judaeis, qui eos, tamquam pestem reipublicae, et generis humani propudium, abominabantur: *Matth. c.* 18. *v.* 17. *Marc. c.* 2. *v.* 15. *Luc. c.* 5. *v.* 27. Imo et ipsis Romanis postremo adeo exosi esse coeperunt, ut ob istos quaestus a Senatu alienarentur equites: Car. Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. II.* 4. *p.* 302. *sq.* Unde et in jure nostro *magnae audaciae magnaeque temeritatis esse dicuntur publicanorum factiones: L.* 12. *pr. D. de Public. et vectigal.*

§. 9.

Publicani conduxerunt vectigalia.

Locabantur vero publicanis partim *vectigalia*, partim *ultro tributa:* Polybius *VI.* 15. *p.* 646. ex *edit.* Gronovii. Vectigalia [d]) Censores locabant in lustrum, id est, in quinquennium in Italia aeque ac provinciis: *L.* 3. §. 6. *D. de Jur. fisc. L.* 7. *C. de Locat.* [e]). Imo et agri et praedia civitatum in idem tempus locabantur: *L.* 4. §. 1. *D. de Admin. rer. ad civit. pert.* Quum autem illa vectigalia sive ad fiscum, sive ad civitates et municipia pertinerent, ex agris, pascuis,

---

d) Vectigalia quae fuerint, eleganter ex antiquitatibus Romanis docuit Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. c.* 1. 2. 3. Agri publici, hostibus erepti, omnes erant vectigales, iique pro varia deditionis formula triplices habebantur. Vel enim toti publici Romani populi erant, eorumque reditus proprie vectigalia dicebantur: vel militibus inopique plebi dividebantur per leges agrarias, vel gentibus in deditionem acceptis colendi relinquebantur, utrobique imposito annuo ex fructibus pascuisque vectigali. Porro et agri vectigales dicti sunt ii, quos permiserant municipiis, ut ex eorum reditibus municipiorum sustinerentur onera, sacra peragerentur, aedes publicae sartae tectaeque servarentur: Burmannus *ibid. p.* 128. 148. Et de his proprie loquitur titulus Digestorum *Si ager vectigalis petatur.* (Vid. infra §. 13.) *Hein.* De agris publicis et universo jure agrario nunc instar omnium est Niebuhr *Röm. Gesch. T. II. p.* 349—394., sicut de agris vectigalibus von Savigny *das Recht des Besitzes* §. 9. p. 120. sq. num. 5. (ed. 6.) *Haub.*

e) Cf. *Tab. Heracl.* c. 4. lin. 73—75. *Haub.*

et portubus publicis, salinis, picariis, cotoriis, hereditatibus, manumissionibus redirent, dicta sunt *decumae, scriptura, portoria, vectigalia salinarum, picariarum, cotoriarum, vicesimarum: L.* 17. §. 1. *D. de Verbor. significat.* Publicani, qui *decumas* redemerant, *decumani*, qui *scripturas*, *pecuarii*, qui *portoria*, *portitores* dicti sunt: Ascon. Pedianus *in Divinat. p.* 29. *Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines, qui quaestus sui caussa, si decumas redimunt,* DECUMANI *adpellantur; si portum aut pascua publica,* PORTITORES, *aut* PECUARII; *quorum ratio* SCRIPTURA *dicitur.* Sigon. *ibid. p.* 296. *sq.* (Cfr. Adp. Lib. I. §. 58. sqq.)

§. 10.

Et ultro tributa.

Ultro tributa dicta sunt sumtus operum publicorum, quorum locatio quinto quoque anno facta est a Censoribus f). Plutarchus [* *v. Caton. maj. c.* 19.] ea vocat ἐϱγολαβείας, quasi *operum redemturas.* Exempla varia ex Livio collegit Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. II.* 8. *p.* 229. Perfectum vero opus etiam probandum erat, de qua probatione plura Cujacius *Observatt. XXIII.* 33.

§. 11.

Publicani quotuplices?

Porro publicani alii erant *mancipes*, alii *praedes*, alii *socii*. MANCIPEM definit Festus *p.* 221. *qui quid a populo emit, conducitve, quia manu sublata significat, se auctorem emtionis*, vel conductionis *esse.* Et Ascon. Pedianus *l. c. p.* 29. MANCIPES *principes publicanorum* esse ait, *qui quaestus sui caussa exigenda a sociis suo periculo exigunt, et reipublicae repraesentant. Praedes* vero, testo eodem Festo [* *p.* 367.], dicebantur, *qui populo se obligabant, interrogatique a magistratu, si praedes sint, respondebant: praedes. Socii* denique erant, qui in partem quaestus et jacturae a mancipibus et praedibus vocabantur: Sigonius *ibid. p.* 239. Omnes vero hi publica vectigalia vel ultro tributa *ad hastam publicam conducebant* g).

---

f) Car. Aug. Haasii *Diss. gramm. hist. de opere locato et conducto Romanorum.* Lips. 1814. 4. (ubi p. 21. sq. etiam *ultro tributa* copiosius illustrantur) et Ejusd. *Diss. jur. civ. Rom. de opere locato et conducto.* ib. eod. 4. Praeterea de *ultro tributis* egregia exstat observatio Dukeri *ad Liv.* XXXIX. c. 44. §. 7. T. V. p. 398. *Haub.* De eodem argumento: Dirksen *Bemerkungen über die erste Hälfte der Tafel von Heraclea;* in Ejusd. *civ. Abhandl.* T. II. num. II. p. 312—317. *Mühl.*

g) Corn. Nepos in *Attico c.* 6. 3. *Ad hastam publicam numquam adcessit.*

§. 12.

Locationes privatae.

Haec de locationibus et conductionibus publicis. Privati vel praedia sua et res, vel operas locabant: isque contractus perfectus erat, simul ac de certa mercede inter contrahentes convenerat. De locatoris et conductoris differentia Cujacius *Observatt. II.* 28. de reliquis hujus contractus juribus doctores consulendi sunt. Id modo juvat addere, plerumque privatos in conducendis locandisque rebus suis imitatos esse conductiones publicas, adeoque conduxisse et locasse in quinquennium: *L.* 4. §. 1. *Si cert. petat. L.* 25. §. *ult. D. Solut. matrim. L.* 16. *D. de Liberat. leg.* 89. *D. de V. O.* Plinius *Epistt. IX.* 37. *L.* 13. §. *ult. L.* 24. §. 2. et 4. *D. Locati.* Praeterea nec id videtur omittendum, non solum domos, sed et fundos plerumque locatos esse Kalendis Juliis. Exempla sunt in *L.* 41. *pr. D. Contrah. emt. L.* 60. *pr. D. Locat. L.* 9. *pr. D. Qui pot. in pign.* Add. Suetonius *Tiber. c.* 35. Martialis *Epigram. XII.* 32. Ipsae tamen locationes utplurimum a Kalendis Martiis incipiebant, eodemque tempore et pensiones solvebantur: *L.* 58. *pr. D. de Usufr.* quamvis id non credat Thom. Reinesius *ad Inscriptt. Class. VII. p.* 507. *n. XXXIV.* Plura hac de re praeter laudatissimum Reinesium disserunt Ant. Augustinus *Emendatt. IV.* 14. Cujacius *ad African. XII.* 8. Guido Pancirolus *Var. Lectt. I. ult.* (Cf. et Gaj. III. 142—147.)

§. 13.

Origo emphyteuseos.

Diximus supra §. 9. *nota b.* eos quoque agros dictos esse vectigales, qui permissi fuerint municipiis, ut ex eorum reditu onera municipiorum sustinerentur, aedesque publicae sartae tectaeque conservarentur: Petr. Burmannus *de vectig. pop. Rom. p.* 128. et 148.

Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. Columella *de re rustica Lib. I. Praefat.* §. 20. *In hoc Latio et Saturnia terra — nunc ad hastam locamus.* Ovidius *Epistt. ex Ponto Lib. IV. ep.* 5. *v.* 19.

Aut populi reditus positam componet ad hastam.

Idem [* *Lib. IV. ep.* 9. *v.* 45. *sq.*]

Nunc longi reditus hastae supponere lustri
Cernet, et exacta cuncta locare fide. Hein.

E locatione publicorum vectigalium natum est *jus praediatorium*, de quo praeclare meruit Christ. Glob. Heynius singulari *Dissertatione* Lips. 1752. 4. edita, et Bachii, Praesidis, *opusc.* p. 113—167. inserta. *Haub.* Cf. etiam quae hac de re supra ad Lib. II. Tit. VI. §. 11. sunt observata. *Mühl.*

Horum alii in perpetuum locabantur, quorum pensio ipsis inhaerebat, et *vectigal* vocabatur: alii ad certum tempus. Priores proprie agri vectigales dicebantur, et de iis agit titulus Digestorum: *Si ager vectigalis petatur*. Deinde vero quia saepe et inculti agri hac lege fruendi darentur, Graecis nominibus venire coeperunt tam agri illi, quam redeuntia inde vectigalia, EMPHYTEUSEOS puta et CANONIS, quod sub Constantino M. primum factum suspicatur Schilterus *Exercitat. XVI.* 66. *sq.* Eadem vero locationis species sensim extensa ad praedia templorum, patrimonialia principis, urbana, quin et privatorum [h]. Unde Zeno Imperator, emphyteusi ab emtione aliisque contractibus sejuncta, novo contractui emphyteuseos dedit originem: *L.* 1. *C. de Jure emphyteut.* (Cf. Gaj. III. 145.)

§. 14.

Societates publicae.

De SOCIETATE idem, quod de locatione conductione, tenendum, eam vel *publicam* esse, vel *privatorum*. Publicis adcensendae sunt societates publicanorum, vel conducentium vectigalia. Divisi enim in multas societates conducebant: et deinde ex ordine suo creabant *magistrum societatis*, qui Romae societati ita praeerat, ut et socios quasi senatum cogendi, et ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet, curamque omnem gereret tabularum et rationum, quae undique ab iis, qui societati operam dabant, Romam mittebantur: Cic. *Epistt. ad Divers. XIII.* 9. *L.* 14. *D. de Pact.* Sociis enim hujusmodi permissum erat, corpus vel collegium habere: *L.* 1. *D. Quod cujusc. univ. nom.* Iidem *magistri societatum* in provinciis habebant aliquos *pro magistro*, quasi muneris sui vicarios, societatisque praefectos: Cicero *ad Atticum X.* 10. Quae omnia optimorum auctorum testimoniis luculenter demonstrant Car. Sigonius *de anti-*

---

h) De juris emphyteutici origine vid. von Savigny *das Recht des Besitzes* §. 9. p. 120—124. (ed. 6.). C. F. A. Vuy *Diss. de originibus et natura juris emphyteutici Romanorum.* Heidelb. 1838. 8. — Cf. F. W. von Tigerström *über das frühere Verhältniss des Rechts am ager vectigalis.* Greifsw. 1828. — Caeterum concedendum non est Heineccio, in agrorum, qui municipiis permissi essent, ut ex eorum reditibus municipiorum onera sustinerentur, locatione, originem esse quaerendam emphyteutici juris. Ratio enim illa, agros publicos sub lege vectigali, aut in perpetuum aut in certum tempus locandi, ab ipso populo Romano profecta, sacerdotes, municipes, alii, subinde imitati sunt (Savigny *l. l.*); praeterea, quae hac lege a municipibus locata sunt praedia, non ipsis tantum permissa, verum propria fuerunt municipiorum. Vid. Gaj. III. §. 145. *L.* 1. §. 1. *D. si ager vectigal. Mühl.*

quo jure civ. Rom. II. 4. Petr. Burmannus *de vectigal. pop. Rom. c.* 9. *p.* 163.

§. 15.

Societates privatae quum universales;

Privati societates inire poterant tum omnium bonorum (κοινοπραξίαν), vel, ut Ulpianus *L.* 73. *pr. D. Pro soc.* vocat, universarum fortunarum, tum unius cujusdam negotiationis: Gaji *Inst. II.* 9. 16. (*comment.* III. 148.) Quoties prius fuerat factum: quaecumque in dominio sociorum erant, cum reliquis quoque communicabantur, *L.* 1. §. 1. *L.* 2. *D. Pro soc.* idque non propter consensum, qui solus ad transferendum dominium non sufficit: *L.* 20. *C. de Pact.* verum quia traditio quaedam tacita intervenisse credebatur, et veluti constitutum possessorium, uti praeclare docet Ger. Noodt *Probab. II.* 6. *ult.* (vid. *L.* 2. *D. pro soc.*) Et talis erat communio bonorum inter Pythagoraeos, dictos ideo κοινοβίους. Vid. Jamblichus *vita Pythagorae c.* 5. *segm.* 29. et *c.* 17. *segm.* 72. 74. Porphyrius *vita Pythagorae segm.* 20. et *ibi* Luc. Holstenius et Conr. Rittershusius in *Notis.*

§. 16.

Tum unius negotiationis.

Unius alicujus negotiationis societas iniri pro lubitu poterat, conditionibusque quibuscumque: adeo ut et tunc valeret societas, si unus pecuniam daret, alter operam pro pecunia conferret. Nam et tunc, ut eleganter Plautus *Asinaria* [**Act. I. sc.* 3. *v.* 20.]

Par pari datum hostimentu'st, opera pro pecunia.

Vid. *L.* 52. §. 2. *D. Pro soc.*

§. 17.

Lucrum et damnum quomodo divisum inter socios?

Quidquid ex societate, illa constante, fuerat adquisitum, commune erat sociis omnibus, et dividebatur partibus aequis [i]), si non aliter initio inter socios convenisset: *L.* 29. *pr. D. de Soc.* Recte enim ex *L.* 63. *pr. D. Pro soc.* observatum est a V. C. Schultingio *p.* 171., inter socios ex veterum sententia intercessisse quodammodo jus fraternitatis: *L.* 63. *pr. D. eod.* arctissimamque amicitiam. Quae

---

i) Per has merito intelligunt tales, quae collationi respondent; id est, partes *pro rata*, quamvis in jure alias partes *aequales* vel *aequae* dicantur *viriles* vel *pares.* Vid. Barn. Brissonius *de verbor. significat.* sub hac voce. *Hein.*

quum, teste Publico Syro, *pares aut accipiat, aut faciat* [k]): aequum iis visum est, inter socios omnia esse communia. At poterat tamen inter socios aliter conveniri, partesque communis lucri et damni eorum aliquando arbitrio statuebantur: *L.* 29. *D. eod.* quin saepe ab arbitris ex bono et aequo partes cuique pro rata adsignabantur: *L.* 6. et *L.* 80. *D. eod.* (Cf. Gaj. III. 149. 150.)

§. 18.

Societas quomodo dissoluta?

Quemadmodum autem inita societas consensu perseverat: ita eadem dissensu dissolvitur, et quidem, ut periculum litium inter socios pullulantium evitetur, etiam dissensu unius. Cujus rei exempla apud Petronium Arbitrum *Satiric.* [* *c.* 10. *p.* 57. ex *edit.* altera Petri Burmanni, *Amstelaed.* 1743. 4.] *Intelligo nobis convenire non posse, itaque communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram privatis quaestibus tentemus expellere,* et apud Appulejum *Metamorphos.* [* *Lib. X.* §. 220. *p.* 704. ex *edit.* Oudendorpii, *Lugd. Batav.* 1786. 4.] ubi et formula renunciandi societati occurrit: *Si tibi denique societas ista displicet: possumus omnia quidem cetera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere.* Cf. Wouwerus *ad Petronium p.* 118. Quin et morte tum naturali, tum civili unius socii, dissolvebatur societas: Gaji *Inst. II.* 9. 17. neque umquam heres ipso jure erat socius, ne in societate vectigalium quidem, nisi adscitus a reliquis esset: *L.* 59. *pr.* et *L.* 63. §. 8. *D. Pro soc.* Cujacii *Observatt. X.* 25. Praeterea egestate solvebatur societas: *L.* 4. §. 1. *D. eod.* ut et, si quis sociorum bonis cessisset: *L.* 65. §. 1. *D. h. t.* Denique si unius negotiationis caussa inita fuerat societas, finito negotio, ipsa quoque societas cessabat: *L.* 63. §. *ult. L.* 65. §. 10. *D. eod.* (Gaj. III. 151—154.)

§. 19.

Contractus mandati origo.

De MANDATO iis, quae doctores inculcare solent, nihil est, quod addamus, praeter id unicum, quod is contractus non videtur antiquissimus. Sane enim, quum censerent veteres, mandatum ex officio atque amicitia proficisci: *L.* 1. §. 4. *D. Mandati vel contra,* non viden-

k) De hac paritate inter amicos videatur Cicero *de Legg. I.* 12. Lactantius *Divinar. Institutt. V.* 14. §. 15—20. Hinc et *fratres* dicuntur *socii* apud Appulejum *Metamorphos. Lib.* X. §. 220. *p.* 704. *Hein.*

tur initio hoc nomine obligationem constituisse, sicut nec *ex precario: L. 14. D. de Precar.* sed, quod fidem plurimum colerent, maxime data dextra adligabant mandatae susceptaeque operae fidem, quam manum fidei sacram judicabant, uti acute observat Ger. Noodt *Probab. IV. 12. p.* 108. Hinc Isidorus *Origg. IV.* 4. tradit, inde dictum esse mandatum, quod olim in commisso negotio alter alteri *manum dederit.* Et ad hunc ritum adludere videtur Plautus *Captiv. Act. II. sc. 3. v. 82. sqq.*

Haec per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age, tu mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas. PHI. MANDAVISTI satis.
Satin' habes, mandata quae sunt, facta si refero? TYND. Satis.

Et Terentius *Heautontimor. Act. III. sc. 1. v. 84. sq.*

ME. Cedo DEXTRAM: porro te oro idem ut facias, Chreme.
CH. Paratus sum.

Igitur, quod fides jubebat et pudor, hoc primum mandati jus fuit. Post usus ei actionem adinvenit, adeoque mandatum in civile transiit negotium. Vid. Celeberrimus Noodt *Pand. h. t.*

§. 20.

Dolus in socio vel mandatario admissus infamia punitus.

Denique adhuc monendum est, actiones pro socio et mandati, si dolus in alterutro contractu concurrisse probaretur, infamiam inussisse. Quum enim socii fratrum loco haberentur (§. 17.); nec mandare cuiquam soleamus, nisi cujus fidem sequimur: merito infamia coercebant veteres eos, qui tam turpiter socium vel mandantem defraudassent: Cic. *pro A. Caecina c.* 3. Quin et negligentia in crimen mandati judiciique infamiam revocabatur, teste eodem *pro Sext. Roscio Amer. c.* 38. Quae omnia ex edicto Praetoris esse, patet ex *L. 1. D. de His, qui not. infam.*

LIB. III. TIT. XXVIII. (XXVII.)

DE

OBLIGATIONIBUS, QUAE QUASI EX CONTRACTU NASCUNTUR.

Hactenus de contractibus veris, qui consensum verum et expressum exigunt. Nonnumquam consensus nec verus est, nec ex utraque parte exprimitur, sed praesumitur: et tunc obligatio nasci dicitur QUASI EX CONTRACTU. Quod quibus contingat modis, hoc titulo ostendendum est.

§. 1.

Quid negotiorum gestio?

Qui absentis aut ignorantis negotium curandum suscipit, nullo mandato instructus, NEGOTIORUM GESTOR vocatur. Is quasi contractus originem debere videtur relegationi, quae saepe tam repente decernebatur, ut discedendum subito esset patribus familias, nullique demandata negotiorum suorum administratione, peregre proficiscendum. Ne ergo res familiaris, absentibus dominis, detrimenti quidquam caperet, amici se relegatorum negotiis solebant ingerere, absentiumque curare bona. Idque sibi velle videntur verba Theophili §. 1. *Inst. h. t.* *Τοῦτο δὲ ἐπινενόηται διὰ τὸ χρήσιμον τῶν ἀπολιμπανομένων, οἵτινες αἰφνιδίᾳ καὶ σπουδαίᾳ κατασχεθέντες ἀποδημίᾳ, οὐ δυνηθέντες τινὶ τῶν οἰκείων πραγμάτων τὴν διοίκησιν ἐντείλασθαι, ἀπεδήμησαν. Idque utilitatis caussa receptum est, ne negotia eorum desererentur, quia subita et necessaria profectione distenti, nemini rerum suarum administratione demandata, peregre profecti sunt.*

§. 2.

Voluntarius procurator.

Negotiorum gestor quoque erat qualiscumque voluntarius procurator, qui se alienis negotiis offerebat, cujus meminit Paulus *Sententt. Receptt. I.* 3. 3. quemque Cicero *voluntarium amicum* adpellat *pro Caecina c.* 5. Is vero cavere debebat, rem ratam habiturum dominum. Vid. Cujacius *Observatt. VII.* 26. *X.* 25. Quemadmodum ei nec solvere solebat quisquam, nisi praestita cautione, *amplius eo nomine neminem, cujus petitio esset, petiturum.* Et ita intelligendus locus elegantissimus Ciceronis in *Bruto c.* 5. *Mihi quoque, inquit Brutus, exspectanda sunt ea, quae Attico polliceris, etsi fortasse ego a te*

hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodo tuo exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum.

§. 3.

Actiones ex hoc quasi contractu.

Quemadmodum vero domino adversus negotiorum gestorem directa competebat actio ad reddendam administrationis rationem: ita negotiorum gestori dabatur contraria ad praestandam indemnitatem, et restituendas impensas utiles et necessarias, quibus tamen non adcensebantur eae, quae pietatis, vel voluptatis caussa fuerant factae: *L.* 45. *pr. L.* 27. *princ. D. Neg. gest.* Negotiorum vero gestor et bonam fidem et exactissimam diligentiam praestare tenebatur, adeo, ut nonnumquam et casus esset praestandus: *L.* 10. et 11. *D. de Neg. gest.* imo et usurae restituendae, et periculum eorum nominum, quibus ipse pecuniam collocaverat, subeundum, si litis tempore solvendo non essent: Pauli *Sententt. Receptt. I.* 4. 3. Isque juris rigor etiam contra patrem sese exserebat, si filii emancipati gessisset negotium: *L.* 37. §. *ult. D. de Neg. gest.* Reliqua, quae huc pertinent, doctores satis diligenter inculcant.

§. 4.

Tutela.

TUTELA quoque quasi contractus est, ex eaque nascitur actio tutelae quum *directa*, ad reddendas rationes et praestanda damna, etiam levi culpa data: *L.* 33. *D. de Adm. tut.* tum *contraria*, ad impensas repetendas impetrandamque indemnitatem. Ubi denuo observandum, infamiam iniivisse tutorem, si quid dolo malo admisisse judicaretur: Cicero *pro A. Caecina c.* 3.

§. 5.

Communio.

COMMUNIO RERUM ipsa non est quasi contractus, sed status, in quo plures dominium vel jus indivisum in rebus habent, et in quem statum devenitur et sine conventione: *L.* 31. *L.* 33. *D. Pro soc.* Ac proinde non tantum differt a contractu societatis, quod ostendit Cujacius *Paratitl. tit. C. Pro soc.* verum etiam a quasi contractibus. A societate differt, quia ea per contractum seu conventionem inibatur, unde societatem Tullio pro P. Quinctio *voluntariam* dictam

observat laudatus Cujacius *Observatt. X.* 25. A quasi contractu (seu sola obligatione) autem vel ideo diversa est, quod rei communio est jus in re, id est, commune dominium. At rerum communium ADMINISTRATIO, fructuum perceptio, damni illatio, et similia obligationem quasi ex contractu producunt: Schultingius *ad Pauli Sententt. Receptt. I.* 18. 5. *p.* 258.

§. 6.

Lex XII Tab. de familia erciscunda.

Idem sentiendum de HEREDITATIS COMMUNIONE, ex qua actio familiae erciscundae nascebatur. Ejus fundamentum fuit in XII Tabulis, in quibus cautum fuerat: NOMINA INTER HEREDES PRO PORTIONIBUS HEREDITARIIS ERCTA CITA SUNTO, CETERARUM FAMILIAE RERUM ERCTO NON CITO, SI VOLENT HEREDES, ERCTUM CITUM FACIUNTO. PRAETOR AD ERCTUM CIENDUM ARBITROS TRIS DATO. Ita enim leges has ex Festo, Donato variisque juris antiqui reliquiis restituit Jacob. Gothofredus *Fragm. XII. tab. V.* (Cf. Dirksen Zwölf-Tafel-Fragm. p. 388—397.)

§. 7.

Explicatur.

Lex plana ac perspicua erit, dummodo, quid ERCTUM CITUM sit, intelligamus. Sed hic quidem in diversa abeunt auctores. Claud. Salmasius in *Plinian. Exercitatt. in Caji Julii Solini Polyhistora* [* *Tom. II. p.* 891. *sq.* ex *edit.* quae prodiit *Trajecti ad Rhen.* 1689. *fol.*] *erctum* idem esse putat, ac hereditatem, simulque reprehendit Tribonianum, qui, seculi deceptus barbarie, phrasin *familiam herciscere* excogitarit. Jan. vero Vinc. Gravina *de Legg. XII tabb. p.* 327. erctum idem esse contendit ac *horctum*, quod veteribus bonum significarit. Sed quemadmodum neuter conjecturam suam veterum auctoritate probat: ita mihi omnibus conjecturis anteponenda videtur Festi auctoritas, qui *p.* 130. *sq.* sub voce *erctum*, *Erctum*, inquit, *citumque fit inter consortes, ut in libris legum Romanarum legitur. Erctum a* COERCENDO *dictum, unde erciscundae et ercisci.* ERCTUM ergo est quasi *coercitum*, id est, integrum, indivisum, ut recte judicat Jac. Gothofredus *Not. ad XII Tab. p.* 207. et ante eum Jos. Scaliger, cujus egregia haec est *p.* 55. ad Festum adnotatio: *ERCTUM CITUM est hereditas divisa. Glossae: Herctus citus* διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων. *Donatus apud Servium: Erctum non citum, hoc est, patrimo-*

nium non divisum. Erctum ciendum, hereditas dividunda. Glossarium: Ciendae διαιρουμένης. Idem erciscundae διαιρέσως, fortasse, διαιρετέας. Cio (seu cieo) vero antiquis idem fuit, ac *divido*. Unde apud Servium Donatus, interpretaturus illa Virgilii *Aeneid. Lib. VIII. v. 642. sq.*

— – citae Metum in diversa quadrigae
Distulerant.

addit: *CITAE, id est, divisae, ut est in jure: ERCTO NON CITO, id est, patrimonio vel hereditate NON DIVISA.* Qua in interpretatione licet fallatur Donatus, quum, ut Servius observat, CITUM, quoties idem est ac divisum, syllabam priorem producat: res ipsa tamen certa est, CITUM idem esse, ac *divisum*. Unde *familiam erctam ciere* idem erit, ac hereditatem integram et indivisam dividere. Et ex illis antiquis atque obsoletis vocibus nata est postea phrasis FAMILIAM ERCISCERE, quae jam apud Ciceronem *de Orat. I.* 56. Appulejum *Metamorphos. Lib. VI.* [**p.* 441. *ibique nota* Oudendorpii.] et Festum *ibid.* occurrit; tantum abest, ut Tribonianus, quod Salmasius putabat, eam ex male intellectis vocibus ERCTUM CITUM conflaverit a).

§. 8.

Judicium familiae erciscundae.

His praemissis, facilis erit legis decemviralis interpretatio. Vult ejus prior pars, ut nomina, id est, omnes obligationes et actiones inter coheredes pro portionibus hereditariis ipso jure ita sint divisa, ut nonnisi pro rata alios convenire, aut ab aliis conveniri possent. Ex quo consequebatur, ut legatarii nec obligationum nec actionum defuncti fierent participes, sed et illarum onere, et harum beneficio eximerentur. Ad ceteras res hereditarias quod attinebat, adita hereditate, inter ipsos coheredes communionem quamdam esse voluerunt Decemviri et tacitam veluti societatem. Quum tamen nemo teneatur invitus in communione perseverare: necesse erat, ut cuivis coheredum liceret e communione ista discedere, eaque de caussa prodita erat actio erciscundae familiae, qua instituta, Praetoris erat, tres arbitros dare, qui portiones facerent, et subortas inter coheredes controversias ex aequo bonoque componerent: Jan. Vinc. Gravina *de XII Tab. p.* 326.

---

a) De vocabuli origine et notatione vid. etiam Huschke: *Studien des R. R.* 156. not. 26. et im *Rhein. Mus.* VI. p. 280. not. 41. *Mühl.*

§. 9.

Quasi contractus inter heredem et legatarium.

Inter heredem quoque et legatarium quasi contractus esse videbatur. Quamquam enim hic illum cogere non poterat ad adeundam hereditatem: *L.* 53. *D. ad SCtum Trebellianum:* adita tamen hereditate, videbatur heres ad exsolvenda legata implendamque defuncti voluntatem se obligasse: *L.* 5. §. 2. *de Oblig. et act.* et hinc legata petebant legatarii *actione ex testamento.* Si legatum per damnationem relictum inficiaretur heres, dupli condemnandus erat: Paulus *Sententt. Receptt. I.* 19.

§. 10.

Quasi contractus ex solutione indebiti.

Denique quasi contractus intercedebat inter eum, qui solvisset indebitum, et eum, cui erat solutum. Illi ergo competebat condictio indebiti, de qua integer titulus in Digestis exstat. (Gaj. III. 91.) Cessabat tamen ea condictio, non modo si quid naturaliter debebatur, vel si ex errore juris solutum erat, de quibus casibus prolixe doctores, verum etiam in omnibus caussis, e quibus lis inficiando crescebat, veluti ex lege Aquillia, ex legato per damnationem, nec non in transactione, aliisque pluribus casibus, in quibus, si quid per errorem fuerat solutum, illud repeti condicique non poterat: §. 7. *Inst. h. t. L.* 65. §. 1. *D. de Condict. indeb.* Nec ea condictio ei competebat, qui integram hereditatem, non detracta quarta Pegasiana, restituerat. Testis est Paulus *Sententt. Receptt. IV.* 4. 4. [b]) unde mirum, id negare Merillium *Observatt. VIII.* 14. At quae ratio? Procul dubio, quia leges praesumebant transactionem. (Caeter. cf. not. b.) Cui sententiae non obstare *L. ult. C. de Condict. indebiti,* ostendit Thomasius in *Scholiis ad Huber. Praelectt. Inst. h. t.* At Justinianus quidem discrimen inter legata per damnationem et reliquas eorumdem species sustulit; solis tamen legatis, quae sacrosanctis ecclesiis ceterisque venerabilibus locis relicta fuerant, id dedit privilegium, ut indebite etiam soluta repeti condicique non possent. Exstat ea Justiniani constitutio *L.* 2. *C. Comm. de leg.*

b) Potius hic excitandus erat Paulus lib. singul. *De jur. et facti ignor. L.* 9. §. 5. *D. de reg. jur.* („Si quis jus ignorans lege Falcidia usus non sit, nocere ei dicit epistola D. Pii"); cui jungendae sunt: *L.* 2. *C. de fideic.* et *L.* 7. *C. de cond. indeb.* Quare autem hac in re discessum fuerit a communis juris regulis, exposui in diatribe: *über juris et facti ignorantia,* im *Arch. für civ. Pr.* T. II. num. 35. p. 392—395. *Mühl.*

LIB. III. TIT. XXIX. (XXVIII.)

PER QUAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQUIRITUR.

Nihil in hoc titulo, saltem quod ad antiquitates attinet, dicitur, quod non jam *Tit. IX. Lib. II.* occupatum sit, ad quem nos jure referimus. (Cf. Gaj. III. 163—167.)

LIB. III. TIT. XXX. (XXIX.)

QUIBUS MODIS TOLLITUR OBLIGATIO.

Ut multi variique contrahendarum, ita et distrahendarum obligationum non pauciores modi sunt, quorum alii ipso jure liberant, ut SOLUTIO, ACCEPTILATIO, NOVATIO, DELEGATIO, CONFUSIO, OBSIGNATIO, COMPENSATIO reique debitae, citra moram a debitore factam contingens INTERITUS: alii per exceptionem tollunt obligationem, veluti *pactum, sententia, tempus et similia* [a]). Imperator de prioribus tantum modis, iisque non omnibus, agit.

§. 1.

Tollitur obligatio solutione.

SOLUTIONE distrahebatur obligatio, quoties debitor creditori ea, quae debuerat, in solidum praestiterat. De eo, quod circa solutionem justum veteribus visum est, praeclare agit Barn. Brissonius *de solut. et liberat. Lib. I.* Quum vero olim in solutum datio, multoque magis bonorum cessio ignota fuerit: nos hic de beneficiorum illorum origine et proprietate nonnulla addemus.

§. 2.

Obaeratorum conditio antiquissima [b]).

Antiquissimis temporibus maximus erat juris rigor adversus de-

---

a) De nonnullis obligationum tollendarum causis dubitabatur, utrum ipso jure tollerent obligationem, an per exceptionem tantum. Gaj. III. §. 168. „—quaeritur: si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso jure liberetur, quod nostris praeceptoribus placet, an ipso jure maneat obligatus, sed adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat: quod diversae scholae auctoribus visum est." — Litis contestatione et re judicata, pro diversitate judiciorum, nunc ipso jure, nunc per exceptionem dissolvebatur obligatio; Gaj. III. §. 180. 181. IV. §. 106—108. *Mühl.*

b) De his, quae h. l. et seqq. exponentur, vid. Jo. Herrm. de Raadt Diss.

bitores. Licebat enim creditoribus, illos in nervum ducere, postquam a Praetore illis fuerant addicti, si condemnati justo tempore non solvissent, neque vindex fuisset, qui, adprobante creditore, debitum in se susciperet: Salmasius *de mod. usurar. XI.* 18. Et tunc debitores dicebantur *nexi*, propter nervum, quo nectebantur, itemque *obaerati*, propter statum miserum, quem ob aes alienum subibant. Dicebantur etiam *addicti*, non quod in servilem inciderint conditionem, ut vulgo existimant, (sane enim ingenuitas non erat in commercio, et tantum abest, ut quis pro aere alieno in servitutem rapi potuerit, ut ne ipse quidem, si voluisset, voluntariam adire potuisset servitutem,) sed quod creditoribus a Praetore fuerant adjudicati ad operas serviles quascumque praestandas. Serviebant ergo hi obaerati creditoribus, sed non erant servi, inter quae magnum discrimen erat: §. 1. *Inst. de Ingenuis.* Hinc et addicti illi, soluto debito, recuperataque libertate, non erant libertinae conditionis, sed ingenui. Poterant etiam invito creditore liberari, habebant legem, utebantur praenomine, cognomine, tribu, etc. Quae omnia a servorum conditione absunt quam longissime. Vid. Quinctilianus *Inst. orat. V.* 10. *VII.* 4. et *Declamat.* 311. Cf. Cujacius *Observatt. XIII.* 9.

§. 3.

Obaerati nexi et adjudicati sunt creditoribus jam sub Regibus. Id jus sustulit Servius Tullius.

Id vero jus rigidum, sive ex antiquo jure Attico, quod ante Solonem, teste Petro Petito *de Legg. Attic. p.* 412. receptum fuit, sive aliunde profectum, jam sub Regibus servatum legimus. Quum vero jam eo tempore nobiles in ingenua debitorum corpora saevire coepissent: primus Servius Tullius, quo erat populari ingenio, cessionis bonorum indulsit beneficium. Rem paucis compertam memoriae prodidit Dionysius Halic. *IV.* 9. qui Regem inducit ita concionantem: Ὅσοι δ' ἂν μετὰ ταῦτα δανείσωνται, τούτους οὐκ ἐάσω πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον θήσω, μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέ-

---

de statu, conditione et juribus debitorum obaeratorum apud Romanos. Groning. 1763. 4. et in Oelrichs *Thes. N. Dissertt. Belg.* Vol. III. T. I. p. 298—332. *Haub.* Zimmern *Röm. Civilprocess* §. 44—47. Von Savigny *über das altrömische Schuldrecht;* gelesen in der Akad. d. Wissensch. 1833. in den *Abhandl. der Ak. d. W.* 1835. p. 69—103. Bethmann-Hollweg *Gerichtsverfassung u. Process des sinkenden Röm. Reichs* §. 28. *Mühl.*

ροις, ἱκανὸν ἡγούμενος τοῖς δανεισταῖς τὰς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν. Qui vero in posterum pecuniam a foeneratoribus accipient, hos non patiar ob suum aes alienum abduci in vincula (nervum), sed legem feram, ne quis foenerator in corpora libera jus habeat, satis esse existimans foeneratoribus, si bona debitorum possideant. Nec dubitare licet, quin steterit promissis, quum extremis temporibus, exagitatus a Patriciis, in altera concione conqueratur, ideo se Patriciorum adpeti insidiis, quod pauperum libertatem contra foeneratores servarit incolumem: Dionysius Halic. *IV.* 37.

§. 4.

Restituerunt postea Decemviri, quorum lex de obaeratis explicatur.

Enimvero non diu admodum humanius illud Servii Tullii institutum viguit. Praeterquam enim, quod Tarquinius Superbus omnes ejus leges abolevit, ne tabulis quidem in foro relictis, (Dionysius Halic. *IV.* 43. *sq.*) ipsi etiam Decemviri durissimum illum obaeratos in nervum ducendi morem veluti postliminio restituerunt. Inhumanissimam legem, cujus ipsa legitima verba servavit Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. [c]) paucis illustrabimus: AERIS. CONFESSI [d]). DEBITI. Q. JURE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. Non enim aequum visum est Decemviris, debitores, quamquam confessos et judicatos, tam dira sententia statim opprimere: sed XXX dies iis praefinire placuit, intra quos pecuniam conquirerent, qua satisfieret creditoribus. Et hi dies vocantur *justi*, id est, ut ait apud Gellium Caecilius, *quoddam veluti justitium, et juris inter eos quasi interstitio quae-*

---

c) Add. Gaj. IV. §. 21 — 25. e quo demum didicimus, quaenam fuerit formula in manum injectionis. — De verborum legitimorum restitutione vid. Dirksen *Zwölftafelges.* p. 234 — 262. Cf. infra not. d. i. et Savigny *l. l.* p. 81. sq. *Mühl.*

d) Quum haec verba vix sensum idoneum fundant: alii legendum monent AERIS CONFESSO. Ampl. Bynkershoek autem *Observatt. I.* 1. *p.* 2. REIS CONFESSIS. *Hein.* Recte habent verba, ut nunc leguntur, neque ea tantum in disputatione Caecilii reperiuntur apud Gellium *l. c.* verum etiam *XV.* 13. ubi ita exponit Gellius: *confessi aeris, de quo facta confessio est:* quem locum miror fugisse virum summum, ubi scripturam hanc adversus Salmasium tuetur Gronovius: *aeris confessi triginta dies sunto*, h. e. triginta dies sunto rerum, quas quis confessus est; *que*, sive, ut alii habent, *ve* cum variato quidem casu sequitur: sed illud vulgare est, et Sanctio, Perizonio aliisque observatum, particulas istas, quas conjunctiones Grammatici adpellant, sensum potius, quam verba conjungere. Videtur quidem Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. construere *confessi aeris* cum *judicatis.* Sic deinceps dicitur *quantaeque pecuniae judicatus esset. Cann.* Vulgari lectioni etiam consentit Dirksen *l. l.* p. 237. sq. *Mühl.*

dam et cessatio, quibus diebus nihil cum eis agi jure possit e). Postea hi XXX dies ad duos menses redacti sunt: *L. un. C. Theod. de Usur. rei judicat.* postremo ad quatuor menses a Justiniano: *L. pen.* et *ult. C. de Usur. rei judic.* Pergunt Decemviri: POST. DEINDE. MANUS. INJECTIO. ESTO. IN. JUS. DUCITO. In jus ergo jam rapi poterat debitor, circumactis justis triginta diebus, non quidem, ut de debito denuo cognosceretur (nam jam antea res judicata erat), sed ut addiceretur creditori. Sic enim porro Decemviri: NI. JUDICATUM. FACIT. AUT. QUIS. ENDO. EM. JURE. VINDICIT. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MAJORE. AUT. SI. VOLET. MINORE. VINCITO. In jus ergo raptis duae erant elabendi viae. Aut judicatum erat faciendum, aut inveniendus vindex vel expromissor, qui *pecuniam pro addicto dependeret* f), ut ait Seneca *de Benef. III.* 8. Nec soluto debito, nec dato vindice, addicebatur obaeratus creditori, nervis compedibusque ab hoc constringendus, quorum tamen onus XV pondo non debebat esse majus. Saepius ad hunc morem adludunt comici, veluti Plautus *Bacchid. Act. V. sc.* 2. *v.* 87. *Menaechm. Act. I. sc.* 1. *v.* 20. Terentius *Phorm. Act. II. sc.* 2. *v.* 20. *sqq.* ubi lepide Phormio, parasitus:

— — — *Dices: ducent damnatum domum.*
Alere nolunt hominem edacem; et sapiunt mea sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

Ad quae verba intelligenda consuluisse juvabit Donatum in *scholiis.* Exempla quoque exstant apud Livium *VI.* 11. 14. et alibi passim.

---

e) Justi dies vocabantur, intra quos quodcumque negotium erat suspendendum. Hinc Festus sub vocc. *justi dies p.* 196. etiam triginta dies vocat justos, *quum exercitus esset imperatus, et vexillum in arce positum* staret. Cf. Macrobius *Saturnal. I.* 16. *Hein.*

f) Solebant enim viri nobiles plebem nonnumquam hac insigni munificentia demereri. Quale exemplum imitari se simulabat nebulo ille apud Naevium, de quo Cicero *de Oratore II.* 63. *Quae genera* ridiculi *percurram equidem: sed scitis, esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quodsi admixtum est ambiguum, fit salsius: ut apud Naevium videtur esse misericors ille, qui judicatum duci videt, percunctatus ita:*

QUANTI ADDICTUS? MILLE NUMUM.

Si addidisset tantummodo: DUCAS LICET: esset illud genus ridiculi praeter exspectationem: sed quia addidit:

NIHIL ADDO: DUCAS LICET.

addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimum. Hein.

Pergunt Decemviri: SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EM. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. In nexi ergo positum erat arbitrio, suone vivere, an a creditore ali mallet. Si hoc eligeret, tum in quotidianum victum dari ei oportebat libram farris, id est, non panem tanti ponderis [g]), sed pultem farream [h]), qua Romani tum frequentius, quam ipso pane vescebantur: Plinius *Hist. Nat. XVIII.* 8. Valerius Max. *II.* 5. 5. Juvenalis *Sat. XIV.* [* *v.* 170. *sq.*] Denique addunt Decemviri: NI. CUM. EO. PACIT, LX DIES. ENDO. VINCULIS. RETINETO. INTERIBI. TRINIS. NUNDINIS. CONTINUIS. IN. COMITIUM. PROCITATO. AERISQUE. AESTIMIAM. JUDICATI. PRAEDICATO. AST. SI. PLURIBUS. ERUNT. REI [i]). TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. Sexaginta ergo dies nexus erat in privato creditoris carcere, intereaque singulis nundinis producendus in forum,proclamandumque per praeconem, quantum pecuniae debeat, si quis forte, tam tristi spectaculo commotus, pro eo dependere vellet. Si neque dependere quisquam esset ausus, nec ipse obaeratus intra hos LX dies transegisset: fiebat SECTIO. At qualis? De corporis sectione id intelligunt Tertullianus *Apologetic. c.* 4. Quinctilianus *Inst. orat. III.* 6. ipse Caecilius apud Gellium *XX.* 1. qui tamen negat tam durum ac inhumanum supplicium umquam sumtum esse ab obaeratis, adeoque illud tantum terroris caussa legi adcessisse existimat. At de sectione bonorum id interpretantur Robertus *Rer. Judic. II.* 6. et Corn. Bynkershoek *Observatt. I.* 1. Et sane ut *corpus* saepe notat bona et

---

g) Hinc non est, quod suspectam viri eruditi habeant hanc libram farris. Nec admittenda videtur conjectura Guil. Fornerii *Select. I.* 6. qui in lege decemvirali legendum putat LIBRAM S. FARRIS, id est, *libram semis farris.* Quamvis enim alias minimus modus cibi, quo frugaliores Romae utebantur, esset *selibra farris:* intelligebatur tamen tunc panis farrei selibra. At farris in pultem conspissati *libra* erat legitimus diarii servilis modus, imo et panis farrei libra quotidie servis dari solebat: Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 5. [* *v.* 68. *sq.*] Postea captivis libellae duae vel tres dabantur: *L.* 1. *C. Theod. de Custod. reor. Hein.*

h) Plautum quoque hunc Romanorum victum sale comico adspersisse, nonnulli existimant, et Romanos vocasse *pultiphagos barbaros: Mostellar. Act. III. sc.* 2. *v.* 143. *Poenul. Prolog. v.* 54. Et ita sentiunt Marcilius *ad XII Tabb. p.* 85. Turnebus *Advers. XIX.* 12. Lipsius *de milit. Rom. V.* 16. At ibi non Romanos, sed Carthaginenses, intelligi ostendit Taubmannus *p.* 559. et 853. *Hein.*

i) Ita legendum res ipsa monet. Vulgo legunt: AST SI PLURES REI, et ita quoque legem extulit Gothofredus, nullo sane sensu. *Hein.* Imo, optimo sensu. Nam *rei* sunt creditores. Vid Festus v. *reus.* Dirksen *l. l.* p. 262. *Mühl.*

facultates: *(L. 25. §. 16. D. de Her. pet.)* ita, qui bona hastae subjecta publica auctionis lege emebant, *sectores* dicebantur: Cic. *pro Sext. Roscio. Amer. c.* 29. Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. c.* 19. et 23. *p.* 84. et 88. Florus *II.* 6. adeoque *sectio* idem est, ac auctio, apud Varronem *de re rustica II.* 10. Minus ergo verosimilis est prior sententia, permissum scilicet fuisse creditoribus, corpus obaerati dissecare. Quis enim adeo fuisset stolidus, ut non majore lucro, et minore inhumanitatis fama, servilibus obaeratorum operis uti, vel ipsos trans Tiberim venumdare maluisset [k]?

§. 5.

Possessio bonorum lege Poetelia Papiria introducta.

Quum vero et sic inhumanior semper visa sit lex illa decemviralis: multo post lata est A. U. C. CCCCXXVII. [l]) lex POETELIA PAPIRIA, C. Poetelio Libone Visolo et L. Papirio Cursore Mugillano Coss. *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus, obnoxium esset. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne necterentur:* Liv. *VIII.* 28. Varro *de lingua lat. Lib. VI.* [**p.* 101. ex *edit. Bipont.*] Tertullianus *Apologetic. c.* 4. (Cic. *de republ. II.* 34.) Ergo ex hoc tempore cessavit obaeratorum addictio: cessavit ductio in nervum, idque tantum permissum creditoribus, ut bona possiderent, eaque deinde venderent publice [m]).

---

k) Contra sentio, probavique olim [* *Obss. jur. Rom. I.* 16.] uberius de sectione corporum intelligendam legem, neque duram aut crudelem fuisse. *Cann.* Ad famosissimum hunc locum, de sectione debitoris in partes, scriptores Heineccio recentiores praecipui praeter Herm. Cannegieterum sunt: Jo. Fr. Jugler Diss. *Dubia de sectione debitorum apud Romanos interpretationi Bynkershoekianae* opposita. Lips. 1741. 4. et Jo. Taylor *Comm. ad Legem decemviralem de inope debitore in partes dissecando.* Cantabr. 1742. 4. et in Fellenbergii *Jurisprudentia, ant.* T. I. p. 565 — 600. *Haub.* Add. Niebuhr *Röm. Gesch.* II. p. 670. ed II. Savigny *l. l.* p. 82. Bethmann-Hollweg *l. l.* p. 300. Ex hi quidem cum Cannegietero sentiunt, proprie, sive ad fidem verborum, esse intelligenda, quae de debitore in partes dissecando a veteribus traduntur. Subdubitat etiam Hugo *R. G.* p. 353. et p. 355. not. 2. Varias variorum hac de re sententias recenset Zimmern *Röm. Proc.* §. 46. p. 134. sq. not. 17. — Caeterum sectoris vocabulum nihil habet commune cum ista debitoris in partes sectione. Vid. quae supra Lib. II. Tit. XVII. ad §. 11. observata sunt; unde emendandus erit Auctor. *Mühl.*

l) Seu, ut plerique malunt, CCCCXXVIII. Alia suspicatus est Niebuhr *Röm. Gesch.* T. III. p. 178. sq. *Mühl.*

m) Quaerunt eruditi: quatenus lege Poetelia juri antiquiori derogatum sit?

§. 6.

Plebs saepe postulavit novas tabulas.

Quum vero ne sic quidem satis consultum videretur debitorum inopiae, siquidem illa possessio bonorum et famam laedebat, et non liberabat a carcere: ideo saepe flagitare plebs coepit aeris alieni relaxationem, quam legem Romani NOVAS TABULAS adpellare solebant: Seneca *de Benef. I.* 4. in *fine.* Suetonius *C. Jul. Caes. c.* 42. Quinctilianus *Declamat.* 336. Eas vero ut nemo umquam, nisi perturbandae reipublicae cupidus, promulgavit: ita optimus quisque, et otii amantissimus repudiavit: Livius *XXXII.* 38. et Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I.* 6. *p.* 96.

Et (ut alios omittam) Niebuhrius quidem ita rem explicat: Nexum fuisse, qui ipse se cum familia sua atque omni re in mancipium dederit creditori, nec fere aliter fieri potuisse, ut judicatus tamquam in servitutem creditori addiceretur. Jam lege Poetelia mancipationes istas esse sublatas, atque in posterum cautum, ut bona tantum debitorum obnoxia essent creditoribus, non etiam corpora, praeterquam propter noxas delictave. Savignius vero, Niebuhrii conjecturam de debitoris per se ipsum facienda mancipatione merito improbans, nexum (i. e. nexam personam) definit illum, qui, quum ex pecuniae creditae aliisque quibusdam ex causis (velut depensi), tum ex nexi (i. e. per aes et libram) obligatione, judicatus addictusque est. Lege Poetelia et nexa civium capita liberata, et nexi obligationem prorsus abrogatam, et tolerabiliorem eorum conditionem redditam esse, qui propter pecuniariam causam creditoribus addicerentur, id quod post illam legem non nisi ex pecuniae mutuatitiae et depensi obligatione fieri potuerit. Praeterea quaerunt, quomodo intelligenda et cuinam potissimum legi tribuenda sint, quae apud Varronem leguntur: *„et omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti?“* (Cf. Dirksen *observationes ad Tab. Heracl. part. alt.* p. 105 — 111. Savigny *l. l.* p. 83. not. 1.) At de eo quidem jam omnes consentiunt, nec post legem Poeteliam latam debitorum obaeratorum addictionem cessasse, idque etiam veterum scriptorum monumentorumque testimoniis sat luculenter confirmatur; vid. Quinctil. *inst. orat.* VII. 3. Gellius *N. A.* XX. 1. Lex Gall. Cisalp. c. 21. 22. et cf. Schrader *rechtsgeschichtl. Bem.* num. VI. in Hugonis *civ. Magaz.* T. V. p. 184 — 187. Mühlenbruch *obser. jur. Rom.* c. 1. §. 7. Savigny *l. l.* p. 86. Jam ut ipse quid sentio breviter dicam: non video equidem, ex his, quae veteres tradunt: *necti* (i. e. vinciri) *desiisse debitores post legem Poeteliam,* quomodo colligi possit, ipsam nexi obligationem desiisse? De eo vero non est quod dubitemus, multo fuisse in posterum mitiorem addictorum conditionem, atque id quoque pro certo affirmare ausim, lege Poetelia aut sancitum esse, aut certe post eam jure invaluisse, ut plerumque creditores, nulla exspectata debitoris addictione, ad hujus pervenirent bonorum possessionem et venditionem. Caeter. cf. Savigny *l. l.* p. 97. sqq. *Mühl.*

§. 7.

Beneficium in solutum dationis.

Denique Julius Caesar plenius consulendum ratus debitoribus, a deperditis, lata lege cavit, *ut, disjecta novarum tabularum ctatione, quae crebro movebatur, debitores creditoribus satisfa- t per aestimationem possessionum, quanti quasque ante civile n comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae ie numeratum, aut perscriptum fuisset:* Suetonius *C. Jul. Caes.* Caesar *de bello civ. III.* 1. Ergo ex eo tempore licuit debito- , possessiones suas, aestimatione prius facta, creditoribus in ım dare. Quod quum sensim denuo ab usu recessisset, illud ficium debitoribus iterum restituit Justinianus Imperator: *Nov. lt.* et *Nov. CXX.*

§. 8.

Ut et cessionis bonorum.

Vel eadem, vel alia lege Julia introductum quoque est bene- ı cessionis bonorum, quo is, qui sine dolo suo malo aeri alieno ıcere non poterat, bonis suis cedendo liberabatur. Sane legi e cessionis bonorum origo adscribitur in *L.* 1. et *L.* 4. [n]). *C. on. ced. poss.* et *tit. C. Theod. Qui bonis ex L. Jul. cedere poss.* tus *Parerg. II.* 4. Duarenus *Opp. p.* 703. [o]).

§. 9.

Acceptum et expensum ferre quid significet?

Alter modus liberationis ACCEPTILATIO, a phrasi ACCEPTUM ε, qua veteres in hac stipulationis specie utebantur, nomen in- . *Acceptum* vero *ferre* dicebantur creditores, quum creditum :episse profiterentur, quemadmodum debitores *expensum ferre* antur, si numeratam sibi pecuniam faterentur: Plinius *Hist. II.* 7. Quemadmodum ergo *expensilationis vox* non ignota erat ibus: Gellius *XIV.* 2., ita eadem forma dicebatur ACCEPTI- '.

ı Ex hac lege 4. *C. Qui bon. ced. poss.* simul discimus, legem Juliam de ıe bonorum, quae ad solos cives pertinebat, ante Diocletiani tempora ıd provinciales esse porrectam. Cf. Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. II. ult. Hein.*

ı Cf. v. Savigny *l. l.*, qui solidis argumentis demonstravit, antiquum morem li debitores eosque in carcerem includendi nec sub imperatoribus interiisse, ıe etiam Justiniani aetate usu venisse; ibid. p' 100. sqq. *Mühl.*

§. 10.

Quid acceptilatio?

Erat autem ACCEPTILATIO imaginaria solutio p), qua obligatio, stipulatione contracta, nova stipulatione distrahebatur. Quemadmodum ergo promissio non nudo pacto, sed stipulatione sola facta valebat, ita et eadem non nudo pacto, sed sola stipulatione tollebatur. Inter juris enim regulas fuerat receptum, ut eodem modo quidque dissolvi deberet, quo fuisset colligatum: *L.* 35. et 100. *D. de Reg. jur.* quae regula proprie ad exceptilationem et expromissionem pertinet: Jacob. Gothofredus *Comm. de Reg. jur. ibid.*

§. 11.

Quo ritu facta?

Fiebat acceptilatio per *interrogationem*, non *mutuam* quidem, ut Modestinus in *L.* 1. *D. de Acceptil.* ait, sed unicam q). Si quis enim antea obligatus fuerat per stipulationem, et creditor eum liberari obligatione illa vellet: rogare verbi gratia debebat debitor: DECEM, QUAE TIBI PROMISI, ACCEPTA HABES, VEL FACIS? vel Graece: ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; creditor vero respondebat: HABEO, FACIO, ἔχω λαβών: §. 1. *Inst. h. t. L.* 6. *L.* 7. *L.* 8. §. *ult. D. de Acceptil.* Quo facto liberatus videbatur debitor, etiamsi pecunia non intervenisset. Quae omnia latius explicat Brissonius *de solut. et liberat. L. II. p.* 127. *sq.*

---

p) Erat et alia species imaginariae solutionis, nimirum per aes et libram (Gaj. III. §. 173—175.), sive nexi solutio (cf. supra Tit. XVI—XX. §. 15. not. g). Quemadmodum enim nexi obligatio per aes et libram contrahebatur, sic contraria ratione dissolvebatur, hoc pacto, ut, adhibitis quinque testibus et libripende, is qui liberaretur, verba solennia ad hunc actum accomodata pronuntiaret, deinde asse percuteret libram eumque creditori velut solvendi causa daret. Simili modo et judicatorum obligatio dissolvenda erat, et heredum, a quibus per damnationem legatum relictum esset, quippe quorum similis esse videretur obligatio, ac judicatorum. Eo igitur adhibito ritu tamquam pecuniae acceptae testimonio debitores liberabantur, ut perinde esset, verene fieret solutio, an non? (Cf. von Savigny *üb. das altröm. Schuldr.* p. 77. num. 3. et p. 80. Puchta *Instit.* p. XXXIX. XL.) Atque eadem fuit imaginariae solutionis per acceptilationem factae ratio (Gaj. III. §. 169—171.); quam tamen *nova stipulatione* fieri minus congrue cum Auctore dixeris, siquidem stipulatione contrahuntur, acceptilatione dissolvuntur obligationes. Potius dicendum: acceptilationem fuisse actum solennibus verbis peragendum, quo per debitoris interrogationem atque creditoris responsionem congruam tolleretur verborum obligatio. *Mühl.*

q) Andr. Wilh. Cramer *Kleine kritische Bemerkungen num.* 6. in der *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. I. num. 12. p. 313 — 315. *Haub.*

§. 12.

Stipulatio Aquilliana.

ım vero nonnisi verborum obligationes acceptilatione tolli : repertus demum est modus, quo et reliquae obligationes ıdhibita forma solverentur. Nam C. Aquillius Gallus, aequisle et solertissimus cautionum artifex, (vid. Cicero *de Nat.* 'I. 30. et *de Offic. III.* 14. et *Orat. pro A. Caecina c.* 27.) comTIPULATIONEM AQUILLIANAM [r]), quae nobis certissimum praeiae veterum in cautionibus componendis diligentiae argu-ı. In ea enim, ut recte observat Brissonius *l. l. p.* 163. ne nissum videretur, multa ex abundanti sunt adjecta. Ipsam ionis Aquillianae formulam recenset Imperator §. 2. *Inst.* ıam Brissonii exemplo notis quibusdam antiquitatis enue caussa illustrabimus: QUIDQUID TE MIHI EX QUACUMQUE [s]) DARE FACERE [t]) OPORTET OPORTEBIT, PRAESENS, IN DIEMVE, B CONDITIONE [u]) QUARUMCUMQUE RERUM MIHI TECUM ACTIO JAEQUE ADVERSUS TE PETITIO, VEL ADVERSUS TE PERSEQUU-Γ, ERITVE [x]); QUODVE TU MEUM HABES, TENES, POSSIDES [y]), MALO FECISTI, QUO MINUS POSSIDEAS [z]): QUANTI QUAEQUE

'ales formulae ab Aquillio repertae plures in jure nostro exstant, veluti ratio dorum postumorum nepotum: *L.* 29. *D. de Liber. et postum.* formula doli ım *everriculum malitiarum omnium* vocat Cicero *de Nat. Deor. III.* 30. *Hein.*

'AUSSAM dicere mavult, quam *contractum*, siquidem illa et obligationem et negotia quaecumque complectitur: *L.* 9. *D. Si cert. pet.* Imo et ad ıd quasi delicta pertinet: *L.* 12. *D. de Verb. signif. L.* 1. *pr. D. de Obl.* 'ein.

Solebant veteres Jureconsulti ita sine conjunctione verba conjungere, veluti *ire agere, dare legare.* Quae quid sibi velint, docet Ulpianus *L.* 53. *D.* . *signif.* Jungit ergo hic Aquillius OPORTET OPORTEBIT, quum alias verbo ', tam praesens, quam futurum tempus, significetur: *L.* 8. *D. de V. S. Hein.*

Obligari possumus *pure, in diem* et *sub conditione:* §. 2. *Inst. de Verb.* mnes obligationum species conjungit Aquillius. Ad primam pertinet ver-*rtet,* ad secundam et tertiam *oportebit,* quia illarum dies nondum venit, ıe cedit quidem. *Hein.*

ACTIO in personam est, PETITIO in rem, PERSEQUUTIO ad extraordinarias ıtuum cognitiones pertinet: Brissonius *ibid. p.* 164. Jungi haec etiam vide-*L.* 10. *D. de V. S. Hein.*

HABERE vocabulum generale est, et jus dominii, jus possessionis et meram ınem denotat: *L.* 38. §. 9. *D. de Verb. obl.* TENERE ad factum, POSSIDERE ad rtur. *Hein.*

Dolus enim pro possessione est, semperque possidere intelligitur, qui ;it, quo minus possideret: *L.* 150. *L.* 157. §. 1. *D. de Reg. jur. Hein.*

EARUM RERUM RES ERIT, TANTAM PECUNIAM DARE STIPULATUS EST AULUS AGERIUS [a]), SPOPONDIT NUMERIUS NIGIDIUS. Ita obligatione omni in stipulationem deducta, porro fiebat acceptilatio hoc modo: QUOD NUMERIUS NIGIDIUS AULO AGERIO SPOPONDIT, ID HABERETNE A SE ACCEPTUM, NUMERIUS NIGIDIUS AULUM AGERIUM ROGAVIT, AULUS AGERIUS NUMERIO NIGIDIO ACCEPTUM FECIT. Hac acceptilatione omnis tollebatur obligatio, quamvis non verbis, sed re, consensu vel litteris inita, etiamsi nulla intercessisset praestatio [b]).

§. 13.

Qua in re locum habuerit?

Attamen acceptilatio, utut sine pecuniae interventu liberabat, non semper gratuitam remissionem continebat, siquidem non donationis tantum caussa *(L. 17. D. de Donat.)*, sed et transigendi *(L. 2. D. de Transact.)*, et dotis constituendae *(L. 41. §. 2. D. de Jur. dot.)*, et voluntatis defuncti adimplendae gratia *(L. 5. §. 1. D. de Lib. legat.)*, et ut aliud nobis detur, vel fiat *(L. 9. D. de Praescr. verb.)*, acceptilatio interponebatur.

§. 14.

Novatio.

NOVATIO quoque tollebat obligationem veterem. Ea vero, auctore Ulpiano *L. 1. D. de Novat.* est *prioris debiti in aliam vel naturalem vel civilem obligationem transfusio atque translatio.* Fiebat et haec per stipulationem, siquidem nudo pacto, quod ex una caussa debetur, in aliam converti non poterat, quamvis constitui poterat pacto Praetorio. Qua de re denuo adcurate Brissonius *de solut. et liberat. L. II. p.* 166. *sq.* [c]).

---

a) Nomina AGERII et NIGIDII (s. Negidii) sollemnia fuisse in formulis, patet ex *Collat. Legg. Mosaic. et Roman. c.* 2. 6. *L.* 41. §. 2. *D. de Usur.* (Gaj. IV. §. 34. sq. §. 40. sqq.) Talia et Philosophis in ore erant nomina *Theonis* et *Dionis*, Jureconsultis *L. Titii* et *Maevii. Hein.*

b) Hugo *über die Aquilische Stipulation*; in Dessen *civilist. Magaz.* T. II. num. 19. p. 422 — 427. *Haub.*

c) Novatio proprie quidem veteribus fuit, quam hodie privativam vocant, qua prior obligatio in aliam transfertur, prorsus peremto atque exstincto veteri jure. Nonnumquam tamen consumta priore actione jus omne, quod in illa fuit, in novam obligationem transfunditur. Quo in genere sunt litis contestatio et res judicata. De quibus ita *Gajus:* „Tollitur" inquit „obligatio litis contestatione, si modo legitimo judicio fuerit actum; nam tunc obligatio quidem principalis

§. 15.

Contrarius dissensus.

ed et consensuales contractus CONTRARIO DISSENSU solvi, re integra, consuevisse constat; nec minus DELEGATIONEM, REI ITUM, CONFUSIONEM et EXEMTIONEM A COMMERCIO liberationem isse notum est. Sed de his omnibus satis prolixe Jureconsulti, ne laudatissimus Brissonius *ibid. p.* 172. *sq.*

§. 16.

Obsignatio.

Nota quoque est OBSIGNATIO, qua ipsa quoque tollebatur obli-. Si enim debitor creditori offerret pecuniam, hic vero eamdem pere recusaret: poterat illa obsignata deponi, et tunc liberaba-lebitor, etiamsi pecunia deposita deinde casu interiisset: Barn. sonius *de solut. et liberat. L. II. p.* 179. *sq.* Deponebantur vero atae res aliquando apud acta, vel officium, interdum κειμηλιαρ-, vel alio publico loco, quandoque etiam apud virum aliquem

olvitur, incipit autem teneri reus litis contestatione. Sed si condemnatus sit, lata litis contestatione, incipit ex causa judicati teneri; et hoc est, quod apud res scriptum est: *ante litis contestatam dare debitorem oportere, post litem testatam condemnari oportere, post condemnationem judicatum facere oportere*" I. §. 180. cf. Keller *über Litis Contestation u. Urtheil* §. 9. p. 87 — 91. et 5.). Insignis etiam locus est *Pauli*, ubi hoc modo verba facit: „Aliam causam e novationis voluntariae, aliam judicii accepti (h. e. litis contestatae), multa mpla ostendunt. Perit privilegium dotis et tutelae, si post divortium dos in pulationem deducatur, vel post pubertatem tutelae actio novetur, — quod nemo erit rite contestata; neque enim deteriorem causam nostram facimus actionem ercentes, sed meliorem, ut solet dici in his actionibus, quae tempore vel morte iri possunt." (*L.* 29. *D. de novat.* cf. et *L.* 3. §. 1. *D. de pecul.* — „nam sicut stipulatione contrahitur, ita judicio contrahi"). Jam vero, quamvis facile lar-ar, eo Pauli verbis modo allatis minime certa ratione colligi posse, litis conte-ationem ut *necessariae novationis* speciem opponi solitam fuisse voluntariae no-tioni (vid. G. J. Ribbentrop comm. *de necessaria, quam vocant, novatione.* Goett. 322. 8. Cap. III.), tamen dubitandum non est, litis contestationem et, quae am sequitur, res judicata, quum in se continere novationem quandam, tum vero oc nomine appellari a juris nostri conditoribus; (vid. *Vat. Fragm.* §. 263. in *L.* 3. *C. de usur. rei jud.* Keller *l. l.* p. 92 — 97.). Quae quum ita sint, non dmodum reprehendendi videntur recentiores, qui duas esse statuerent novatio-num formas, alteram, privativam s. propriam, alteram, quam cumulativam vo-cant, quippe quae magis confirmet priorem obligationem atque augeat, quam perimat. (Cf. Keller *l. l.* §. 10. p. 97. sqq.) Caeterum de novationum jure cfr. etiam Gaj. II. §. 38. 39. et III. §. 176 — 179. *Mühl.*

bonum, judicis arbitratu, ut plurimum autem apud aedem sacram: Cicero *ad Atticum Epistt. V.* 21. [d]). Ipsae pecuniae deponendae consignabantur in sacculo, signis non quidem publicis, sed privatis, ut patet ex *L.* 11. §. 3. *D. Locati conducti. L.* 1. §. 36. *D. Depos.* Plura dabit Barn. Brissonius *ibid.*

---

d) Adde supra *Libr. II. Tit. I.* §. 2. *nota b.* ubi de *rebus sacro commendatis* diximus, et Barn. Brissonium *de solut. et liberat. L. II. p.* 180. *Hein.*

LIB. IV. TIT. I.

DE

IGATIONIBUS, QUAE EX DELICTO NASCUNTUR, AC PRIMUM DE FURTO.

Iactenus de obligationibus, quae ex *contractu* descendunt; jam , quae ex DELICTO proficiscuntur. Delicta vero quum vel PRI- sint, vel PUBLICA: de illis, non de his, hoc et sequentibus titu- ;itur. *Privata* dicebantur delicta, quae ad rem familiarem et tam pertinebant, et de quibus actio non cuivis e populo, sed ei axat, cui damnum datum, injuriave facta fuerat, competebat. ı erant FURTUM, RAPINA, DAMNUM INJURIA DATUM, INJURIA. Hoc o titulo de furto agitur: de reliquis delictis in sequentibus ːritur.

§. 1.

Unde furtum dictum?

Utrum a *furuo*, id est, nigro, an a *ferendo furtum* adpellatum ıoc delictum, nostra parum refert. Prius Labeoni apud Paulum .. *D. de Furt.* Varroni in *Fragm. ex rer. divin. XIV.* Servio *ad gilii Aeneid. II.* et *IX.* ut et Nonio *I.* 250. *p.* 511. posterius Gel- *Noctt. Attic. I.* 18. placuit. Sane quum et Graeci olim fures a *ɜndo* vocarint φῶρας: quis dubitet, quin et hoc vocabulum origine ıecum, Latinaque civitate cum aliis donatum sit? Est vero illud eorum numero, quae usus in deteriorem significationem detorsit. m et *servos* olim dictos esse *fures*, discimus e Nonio *IV.* 204. *p.*). Et notus est versus Virgilii in *Bucolic. ecloga* 3. *v.* 16.

M. Quid domini faciant, audent quum talia fures!

ırari enim proprium erat servorum, notante Servio *ad hunc Virii versum*, adeo, ut furtum *servile probrum* vocet Tacitus *Histor.* 48., *servile vitium* Salvianus *de gubernatione Dei IV.* De furti de- ıitione hic dicere operae pretium non esset. Quare primum id ımtaxat moneo, a contrectatione rerum alienarum fures veteri- ıs etiam *tagaces*, quasi qui res alienas tetigerint, dictos esse: ujacius *Observatt. VI.* 2. Deinde, Jureconsultos veteres existi- ıasse, rerum etiam immobilium furtum fieri posse. Sane id ex *L.* 3. *D. de Usurp. et usuc.* Plinio *Hist. Nat. II.* 68. et Gellio *Noctt.*

Attic. XI. 18. eleganter probat Jo. Fridr. Gronovius *Observatt. I.* 4. *p.* 42. *sq.* [a]).

§. 2.

Furtum quotuplex?

Furta veteres Romani in NOCTURNA et DIURNA, et utraque iterum in MANIFESTA, NEC MANIFESTA, CONCEPTA, OBLATA, PROHIBITA et NON EXHIBITA [b]) dividebant: quae divisiones partim e XII Tabulis, partim ex Praetoris edicto sunt. Periculosissima erant furta nocturna [c]), de quibus in legibus XII Tabularum caverant Decemviri: SEI. NOX. FURTUM. FACTUM. ESIT. SEI. IM. ALIQUIS. OCCISIT. JOURE. CAISUS. ESTO: Macrobius *Saturnal. I.* 4. Verba, si tollas ἀρχαϊσμούς, clara et perspicua sunt. *Nox* dicitur pro noctu, ut observant Gellius *Noctt. Att. VIII.* 1. [* Frid. Taubmannus *ad Plauti Asinar. Act. III. sc.* 3. *v.* 7. *p.* 143. *p.* 424. et *p.* 1197.] IM idem est ac *eum*, ut ipse docet Macrobius *l. c.* Unde sensus planissimus: *Si quis furem nocturnum occiderit, eum jure occidisse videri* [d]). Licebat ergo per XII Tabulas furem nocturnum occidere, quocumque modo, nec opus erat, ut cum telo deprehenderetur, aut ut occisurus

---

a) De furti notione Romana cf. Christ. Dan. Erhard Diss. *de furti notione per leges constituta adcuratius definienda* (Lips. 1806. 8.) c. 1. §. 1. p. 9 — 22. Unterholzner *Lehre von der Verjährung durch fortgesetzten Besitz* §. 15. num. 3. sq. p. 120 — 130. Hasse *die Culpa des Röm. Rechts* §. 81 — 91. Rossbirt *Lehrb. des Criminalr.* §. 166 — 168. §. 170. *Haub.* De furto possessionis, quid fuerit veteribus, vid. Marezoll im *Arch. für civ. Pr.* T. VIII. p. 284. sq. num. VI. de Buchholtz *jur. Abh.* num. XXVI. *Mühl.*

b) Quando dicebant furtum *manifestum*, et *nec manifestum*, ipsum intelligebant delictum; quum vero furtum *conceptum, oblatum, prohibitum, non exhibitum* dicebant: furtum non delictum, sed rem furtivam notabat. Et sane etiam optimi auctores *furtum* vocant rem furtivam: Seneca *de Benef. II.* 21. *Furtum non recepit.* Ovidius *Fast. I. v.* 560. de bubus furtivis:

Mugitum rauco furta dedere sono. Hein.

Gaj. III. §. 183. — „Labeo — — conceptum et oblatum species potius actionis esse furto cohaerentes, quam genera furtorum. —" *Mühl.*

c) Fures nocturni Graecis ἡμερόκοιτοι, Plauto *Trinum. Act. IV. sc.* 2. *v.* 142. *dormitatores* dicuntur, quod interdiu dormiunt, noctu vagantur. *Hein.*

d) Esse hanc legem ex jure Attico in XII Tabulas translatam, patet ex Demosthenis *Oratione adversus Timocratem* [* *Orator. Graecor. Vol. I. p.* 736. ex *recensione* Reiskii], ubi haec Solonis lex citatur: *εἴ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα, εἰ βούλοιτο. Si quis noctu quidpiam surripuerit: eum et occidere, et inter persequendum vulnerare, et ad Undecimviros, si cui lubet, abducere fas esto. Hein.* De verbis legitimis: Dirksen *Zwölftafelges.* p. 564 — 573. *Mühl.*

ım clamore testaretur; id enim in diurno tantum furto exigeba- Cicero *pro Milone c.* 3. Seneca *Controv. X. Declamat.* 6. Ulpia- *apud Auctor. Collat. Legg. Mos. et Rom. c.* 7. 3. *p.* 759. Unde Triboniani emblema est, quando *L.* 4. §. 1. *D. ad Leg. Aquill.* tur ita demum fas fuisse furem nocturnum occidere, *si occidens* ;*um clamore esset testificatus:* vel cum Viro Celeb. Ger. Noodt *I. Observatt. c.* 15. statuendum, testificationem illam cum cla- ;e faciendam, quam Gajus *d. L.* 4. requirit, non quidem ad evi- dam poenam homicidii, sed ad effugiendam poenam L. Aquilliae ıse necessariam, quippe qua et culpa quaevis vindicatur, non so- dolus, ut in L. Cornelia de sicariis. Quae si sequaris, ut sunt e verosimillima, non Triboniani hoc emblema erit, sed εὕρημα ipso Gajo Jureconsulto commendatum.

§. 3.

Leges recentiores de furto nocturno.

Quamvis vero ea lex ipsi juri divino: *Exod. c.* 22. *v.* 2. est con- ntanea: semper tamen paullo durior visa est prudentioribus. Quo ctum est, ut ea paullatim ab usu recederet, iique, qui furem noctur- ım occidissent, ex lege Aquillia convenirentur, imo et nonnum- ıam ex lege Cornelia de sicariis, si recte se habent Ulpiani verba ɔud auctorem *Collat. Legg. Mosaic. et Roman. Tit. VII.* 3. *Si furem ɔcturnum, quem lex XII Tabularum omnimodo permittit occidere, aut 'urnum, quem eadem lex permittit, sed ita demum, si se telo defendat, 'deamus, an lege Aquillia teneatur? Et Pomponius dubitat, num haec x nunc* (al. *non*) *sit in usu. Et si quis noctu furem occiderit, non ubitamus, quin lege Aquillia teneatur* [e]. *Sin autem, quum posset ad- rehendere, maluit occidere, magis est, ut injuria fecisse videatur: rgo etiam lege Cornelia* [f] *tenebitur.* Ex quo loco discimus, sensim

---

e) Eodem referenda *L.* 9. *D. ad L. Corn. de sicar. et venef.* Ger. Noodt *'robab. I.* 9. *Hein.*

f) At negat Paulus *Sententt. Receptt. V.* 23. 9. locum hic habere legem Corneliam. Et profecto ea non injuriam, sed dolum requirit: *L.* 7. *D. Ad Corn. de sicar.* Unde non *Cornelia*, sed *Aquillia* scribere debuisse Ulpianum, ırgumentis haud levibus contendit Ger. Noodt *Probab. I.* 9. et *ad leg. Aquill.* . 5. *p.* 182. Jo. van der Water *Observatt. I.* 18. Schultingius *ad Collat. Legg. Mosaicar. et Roman. p.* 760. *Hein.* Disputatum a Jureconsultis, an culpae reus ;it, qui furem nocturnum arma non gerentem interfecerit. Ulpianus eo casu occi- lendi potestatem non facit: *L.* 7. §. 1. *D. Quod met. caus.* Dixi de eo alibi [* *Comm. ad. Coll. LL. Mos. et Romm. c.* 15.] pluribus. *Cann.*

hanc legem non modo obsolevisse, verum etiam actionem datam adversus occidentem furem nocturnum.

§. 4.

Leges novissimae de eodem.

Postremo ex constitutionibus invaluit, ut distinguerentur furta, quae ruri, et quae in civitatibus facta essent. Ruri valebat lex XII Tabularum, adeoque furem nocturnum ibi quoquo modo licebat occidere: *L.* 1. *C. Quando liceat unicuique sine judice se vind.* at in urbibus, ubi facilius vicini clamore excitantur, id non licebat, adeoque ejusmodi caedem lex Aquillia vindicabat. Cf. Cujacius *Observatt. XIV.* 15. *XIX.* 12.

§. 5.

Furtum manifestum quid?

Ad fures diurnos quod attinet, quos in vetere Glossa *interdiarios*, *ἡμεροκλέπτας*, adpellari observat Cujacius *Observatt. XI.* 27. ii aeque, ac nocturni, vel MANIFESTUM, vel NEC MANIFESTUM furtum commiserant. Fur manifestus, quem Graeci ἐπ' αὐτοφώρῳ adpellitabant, erat, qui vel in ipso furto deprehensus fuerat, vel eo certe loco, ubi furtum fuerat factum. Imo ulterius furtum manifestum Jureconsultis videbatur, si fur, eam rem tenens, fuerit visus, vel deprehensus, sive in publico, sive in privato, vel a domino, vel ab alio, antequam eo pervenisset, quo deferre vel deponere destinaverat: *L.* 3. §. 2. *D. de Furt.* (Cf. Gaj. III. 184. 185.) Et ita manifestum furem describit Virgilius in *Bucolic. ecloga* 3. *v.* 17. *sqq.*

> *Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum*
> *Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?*
> *Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?*

Ad quae verba Servius: *Manifesti furti arguit, dicendo* VIDI. Sed non sola sufficiebat visio, sed oportebat eum, qui viderat, id ipsum prae se tulisse, et indicasse, quod fiebat clamore et adcursu: *L.* 7. §. 2. *D. de Furt.*

§. 6.

Fures manifesti ingenui quomodo puniti ex lege XII Tabb.

Fures manifesti vel sine telo, vel cum telo, fuerant deprehensi. Si sine telo: distinguebant Decemviri, ingenuine essent, an servi: et si ingenui, puberesne, an impuberes. De ingenuis, qui ad pubertatem pervenerant, ita statuerant: SI LUCI FURTUM FAXIT, SIM ALI-

NDO IPSO CAPSIT, VERBERATOR, ILLIQUE, CUI FURTUM FACTUM ADDICITOR: Gellius *Noctt. Att. XI.* 18. Virgis ergo caesi di fures noxae dabantur ei, cujus res surripuerant, illique ad a addicebantur ministeria. Unde ob hanc libertatis jacturam hilo *ad princ. Inst. de Perp. et temp. act.* dicuntur subiise αν κεφαλικὴν, *poenam capitalem.* Et Servius *ad Virgilii Aeneid. p.* 516. *Furtum capitale crimen apud majores fuit, ante poenam upli.* Nam, quae poena et caput civile tollit, *capitalis* recte latur: *L.* 2. *princ. D. de Poen. L.* 6. §. *ult. D. eod. tit. L.* 28. *D. eod. tit.* g).

§. 7.

Quomodo servi?

Cum servis multo severius egere Decemviri. De iis enim lex ita in duodecim tabulis fuerat in hanc sententiam: SERVUS, VIR-CAESUS, DE SAXO DEJICITOR: Gellius *ibid.* Furacissimum genus talium erant servi, qui freti virtute scapularum, facile omnes ilabant loculos, nullaque poena minus, quam verberibus, pot-it ab hoc delicto revocari h). Hinc extremum supplicium servos s manebat, si in furto fuissent deprehensi, dejectio scilicet de e Tarpeja, quod supplicium semper praecedebat fustigatio. Qua re videndus Just. Rycquius *de Capitol. IV. p.* 44. *sq.*

§. 8.

Quomodo impuberes?

Impuberes denique in furto deprehensos Decemviri verberari ent Praetoris arbitrio, noxiamque ab iis sarciri: Gellius *XI.* 18.

§. 9.

Quomodo qui cum telo deprehensi?

Sed quid, si cum telo fur fuisset deprehensus? Tunc Decem-ri ita caverant: SI SE TELO DEFENSINT, QUIRITATO, ENDOQUE PLO-TO, POST DEINDE SI CAESI ESCINT, SINE FRAUDE ESTO: Cicero *pro ilone c.* 3. Gothofredus *ad Legg. XII. Tabb. tab. II. p.* 6. (Dirksen *l.* p. 576.) *Teli* adpellatione, ut ait Gajus *L.* 54. §. 2. *D. de Furt.* ferrum, et fustis, et lapis, et denique omne, quod nocendi caussa

g) Gaji *Inst.* III. §. 189. — Cf. Dirksen *Zwölftafelges.* p. 577 — 581. *Mühl.*

h) Libanus servus apud Plautum *Asinar. Act. II. sc.* 2. *v.* 55. *sq.*

Quin si tergo res solvenda est, rapere cupio publicum:
Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique. Hein.

habetur, significatur. Quodsi ergo ejusmodi instructus armis deprehendebatur fur, occidi impune poterat, ea tamen lege, ut, qui eum interemturus erat, *quiritaret* prius, *endoque ploraret*, id est, ut sollemnem illam ingeminaret formulam: QUIRITES VOSTRAM FIDEM, vel: PORRO QUIRITES, eoque clamore furem a se deprehensum esse testificaretur. Vide de ea formula Barn. Brissonium *de formul. VIII. p.* 718. Raevardum *ad Legg. XII Tabb. c.* 3.

§. 10.

Quae his in legibus mutarit Praetor?

At ex quo lex Porcia verberari civem Romanum et vinciri; lex Poetelia Papiria vero eumdem addici vetuerat: omnia illa mitigavit Praetor, quippe qui in edicto suo quadrupli poena furtum manifestum vindicavit. Id tamen quadruplum mere poenale erat, ita, ut extra quadruplum adhuc res ipsa restituenda esset: *L.* 54. §. 3. *D. de Furt.* Paulus *Sententt. Receptt. II.* 31. 12. ad quam recuperandam domino tum rei vindicatio, tum condictio rei furtivae competebat, quarum illa adversus quemcumque possessorem: *L.* 23. *D. de Rei vind.* haec adversus furem, ejusve heredes, in quantum ad hos pervenerat, dabatur: *L.* 1. *L.* 5. *L.* 7. §. 2. *L.* 8. *L.* 9. *L.* 19. *D. de Condict. furt. L. un. C. Ex delict. def. hered. quemadm. conven.*

§. 11.

De furto nec manifesto lex XII Tabb.

Fur NEC MANIFESTUS est, qui, licet in furto non deprehensus, furtum tamen fecisse se negare non potest: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 31. 2. De eo ita leges XII Tabularum: SI ADORAT FURTO, QUOD NEC MANIFESTUM ESCIT, DUPLIONE DECIDITO: Gothofredus *ad Legg. XII Tabb. tab. II.* Sola vox *adorat* crucem hic figit criticis [1]). Sed rem expedit Festus sub voce *adorare p.* 8. *sq.* *ADORARE apud antiquos significabat agere; unde et legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt.* Sensus ergo legis est: si agatur furti nec manifesti, furem dupli damnatum iri: Gellius *Noctt. Att. XI.* 18. Et hic quidem nihil mutavit Praetor (Gaj. III. 190.), qui et ipse furtum nec mani-

---

1) Nihil agit Marcilius *ad Tabb. XII. p.* 203. *sq.* dum legendum monet *adulat* vel *adolat*, quod veteribus idem fuisse, ac *fallit*, ex Glossis docet. Non solent Decemviri ita loqui, neque sermonis adfectare elegantiam. *Hein.* Cf. Dirksen *l. l.* p. 586. *Mühl.*

duplo vindicavit, praetereaque rei furtivae vel condictio- vel vindicationem concessit.

§. 12.

An haec lex ex jure Attico?

Ianc furti nec manifesti poenam Decemviros ex jure Attico ısisse, ostendunt Ant. Contius *Subsecc. lectt. I.* 2. Sam. Petitus ;*gg. Attic. VII.* 5. Sed Solon non profecto furtis nec manifestis, n levioribus, dupli poenam statuerat. Decemviri vero poenam, ı leviori furto proposuerat Solon, ad furtum nec manifestum tulerunt, dubium, an satis prudenter. Jacob. Cujacius *Osservatt.* . 12. furtum manifestum ideo severius punitum censet, ut plus equeretur, qui diligens fuit in rebus suis custodiendis, quam qui igentior. Sed quum deprehensio furis magis fortunae sit, quam ;entiae: nondum satisfacit haec ratio, nec ego, ut verum fatear, lenius puniendus sit fur nec manifestus, quam manifestus, satis lligo, nisi forte id aliquam veniam mereri dixeris, quod inge- ıius ille, quam hic, furari didicerit, vel, ut serio agamus, nisi orem ideo poenam mereri videatur fur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehen- , quod ab eo plus periculi immineat, quam ab eo, qui, re clam ıtracta, in pedibus sibi praesidium esse existimat. In aestimatio- n vero veniebat id, quod fuerat contrectatum, quamvis quidam reconsulti veteres, Stoicorum sequuti principia, eum, qui aliquot :dimnos ex acervo frumenti sustulerat, totius acervi furem esse licabant. De qua philosophia, non sane publici saporis, videndus oratius *Epistt. Lib. I. ep.* 16. *v.* 36. et *ibi* Porphyrion. *L.* 21. *D. de urt.* et Merillius *Observatt. I.* 24.

§. 13.

Lex XII Tabularum de furto concepto.

Pergimus ad FURTUM CONCEPTUM, cujus indoles nec Justiniani evo amplius nota fuit, et hodie in tanta litterarum luce satis ob- cura est, fatente V. C. Petro Burmanno *ad Petronii Satyricon c.* 97. **p.* 598. *sq.* ex *edit. altera*] Legem XII Tabularum ex Gellio *Noctt. Att. XI.* 18. ita restituit Gothofredus: SI FURTUM LANCE LICIOQUE CONCEPTUM ESCIT, ATQUE UTI MANIFESTUM VINDICATOR. Sed quid *'anx* sit, quid *licium*, adhuc sub judice lis est. Operose et eleganter hanc legem explicat vir doctus et amicus, Abrah. Wielingius in *dia- triba de furto per lancem et licium concepto*, edita *Marpurgi* 1719.

sed, uti fit in re obscura, facile omnes hypotheses, solis superstructae conjecturis, et fractis e naufragio tabulis, vacillant. Multa ea de re multi dixerunt, docte sane et nitide; sed ita, ut semper nobis aliquod dubium supersit. Nec aliter de ea, quam ipse elegi, sententia sentio, quam tamen ut simplicissimam et verosimillimam hic licebit breviter explicare.

§. 14.

Variae legis interpretationes.

LICIUM Alexandro ab Alexandro *Genial. Dier. VI.* 10. et Marcilio *Interpretat. XII Tabb. c.* 59. *p.* 210. 212. est tela, cui rem furtivam adligarint fures, ubi aedes introiissent: *lancem* vero eos putant opposuisse oculis, ne adgnoscerentur. Franc. Balduino *Comment. ad* §. 4. *Inst. h. t.* furta per *lancem* et *licium* concepta ea fuisse videntur, *quae religionis obtentu impostores quidam, tamquam sacrificuli licio succincti, et lancem ad colligendas stipes circumferentes commiserint, sacrilegiis proxima.* Sed aliud profecto est *concipere furtum*, aliud *committere:* nec quisquam veterum ejusmodi impostorum meminit. Frider. Hotomani conjectura, quam in *Comment. ad d.* §. 4. *Inst. h. t.* profert, somnio paene similis videtur. Illud enim furtum per *lancem* et *licium* conceptum dici putat, *quod per simulationem religionis, amicti licio sacerdotes deprehendere sint soliti, quum panem aetite lapide conditum vorare jussissent.* Enimvero, quid quaeso aetites et panis ad lancem? LICIUM est quaecumque tela, et filis contexta, vel contorta. Hinc apud Petronium *Satyric. c.* 131. [**p.* 803.] *licium varii coloris filis intortum* et *c.* 135. *p.* 833. *solvere licio pannum.* In primis vero eo nomine veniebant cingula, non modo servorum, apud Suetonium *Caligula c.* 26. sed et lictorum. Quod adeo verum est, ut a *licio lictoris* vocabulum arcessere non dubitet Tiro apud Gellium *Noctt. Att. XII.* 3. In marmoribus quoque sunt APPARITORES ET LIMOCINCTI apud Reinesium *Inscriptt. Class. VI. p.* 418. *n. XLIV.* ubi conferendus Isidorus Hispal. *Origg. I.* 33. Proxime ergo rem acu tangit Alciatus *Parerg. I.* 8. et qui eumdem sequitur, Pithoeus *Subsecc. I.* 2. Hi enim existimant, lictores jubente magistratu licio succinctos, ad ostendendam auctoritatem publicam, cujus licium fuerit insigne, cum alio comite, indicium in lance fidemque praeferente, furtum quaesitum domos intrare consuevisse. Quo ritu inventum furtum *per lancem et licium conceptum* dici solitum putant. Sed quum nec hi omnia viderint: res erit paullo altius repetenda.

§. 15.

Quid concipere furtum?

Ponimus ergo, quod recte observat Justinianus §. 4. *Inst. h. t.* *ceptum furtum* dictum esse Romanis, quum apud aliquem testibus ıesentibus furtiva res quaesita et inventa esset. Ita et Gajus *Inst.* 10. 3. et Paulus *Sententt. Receptt. II.* 31. 3. illud definiunt. Unde tim cadunt Alexandri ab Alexandro, Marcilii et Fr. Balduini ıjecturae, quippe quibus *furtum concipere* idem est, ac *furtum ımittere*. Nec firmo satis talo niti videtur Clarissimi Wielingii sentia, qui *c.* 1. *concipere furtum* idem esse putat, ac *vindicare*.

§. 16.

Conceptio furti facta est ritibus quibusdam, mature abrogatis.

Deinde et id certum esse puto, inquisitionem illam rei furtivae lhibitis quibusdam ritibus fuisse factam, qui tamen Romae satis ature exoleverint. Quod denuo adgnoscit Justinianus: *Sed hae tiones, scilicet concepti, et oblati, et furti prohibiti, nec non furti non hibiti, in desuetudinem abierunt. Quum enim requisitio rei furtivae die* SECUNDUM VETEREM OBSERVATIONEM *non fiat: merito ex conquentia etiam praefatae actiones ab usu communi recesserunt.* Ergo *nx* et *licium* pertinent ad *veterem* illam *observationem*, qua furti lim requisitionem factam ait Imperator. Quumque iste ritus tam to evanuerit, ut Gellii aetate, ut ex ejus *Noctt. Att. XVI.* 10. patet, ix voces intelligerentur: oportet illi aliquid inhaesisse, quod inignum Romanis moribus visum est.

§. 17.

Ritus illi e jure Attico erant.

Praeterea id quoque mihi facile concessum iri puto, quum pleaeque leges XII tabularum e jure Attico manarint, hanc quoque urti concepti actionem una cum ritu concipiendi res furtivas Atheıis Romam migrare potuisse. Neque aliunde ergo ea omnia, quam ritibus Atticis, illustrari poterunt rectius. Qui si cum antiqua illa ıbservatione conveniunt, facile nobis persuadebunt, ritui Romano ucem e Graecorum moribus adcendi posse.

§. 18.

Ritus apud Athenienses in concipiendo furto adhibiti.

Quo vero ritu Athenis requisitae sint res furtivae, luculenter

docuit Graecus scholiastes Aristophanis. In hujus enim *Nubibus* Socrates ita adloquitur Strepsiadem: *v.* 496.

Ἴθι νῦν, κατάθου θοἰμάτιον.

Age nunc depone vestem.

Respondet hic:

— — — *ἠδίκηκά τι;*

— — — *Num quid mali commerui?*

Cui regerit Socrates:

Οὔκ, ἀλλὰ γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται.

Minime, sed nudos ingredi sollemne est.

Tum Strepsiades:

Ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι.

At non furtum rimaturus ego ingredior.

Ad haec ergo verba Scholiastes: *Ἔθος ἦν, τοὺς εἰςιόντας εἰς οἰκίαν τινὸς ἐπὶ τῷ ἐρευνῆσαι γυμνοὺς εἰςιέναι, ἵνα μή τι ὑπὸ τὰ ἱμάτια κρύψαντες λάθωσιν, ἢ ἵνα μὴ ὑπὸ ἔχθρας λάθωσιν ὑποβαλόντες τὸ ζητούμενον, καὶ ζημίας αἴτιοι τούτῳ γένωνται. οἱ γοῦν μέλλοντες εἰςιέναι, ἵνα ἐπιθεάσωνται χρήματα τοῦ δημοσίου, ἢ κατ' ἔρευναν, γυμνοὶ εἰςῄεσαν, ἵνα μή τι ἀποκρύψωνται. Moris erat, ut, qui res furtivas quaesitum aedes cujusdam ingrederentur, nudi ingrederentur, ne quid vestibus clam ocularent, neve ex inimicitia quid quaerere se simularent dominoque damnum pararent. Hanc ob caussam ingressuri aedes ad inspiciendas res publicas vel quaerendas, nudi ingrediebantur, ne quid occultarent.* Paullo plenius eumdem ritum describit Plato *de Legibus Lib. XII.* [* Platon. *Opp. Vol. IX. p.* 202. ex *edit. Bipont.*] k) *Φωρᾷν δὲ ἂν ἐθέλῃ τις τὶ παρ' ὁτῳοῦν γυμνός, ἢ χιτωνίσκον ἔχων, ἄζωστος, προομόσας τοὺς νομίμους θεούς, ἦ μὴν ἐλπίζων εὑρήσειν, οὕτω φωρᾷν· ὁ δὲ παρεχέτω τὴν οἰκίαν, τά τε σεσημασμένα καὶ τὰ ἀσήμαντα, φωρᾷν. Si quis in domo alterius quaerere quidpiam, tamquam suum, velit, is nudus, et licio cinctus, cetera discinctus, justosque per Deos antea jurans, se inveniendi spe id facere, ita demum requirito. Dominus vero tum exhibeto domum, et in omnibus sive obsignatis, sive minus obsignatis locis liberam furti inquirendi potestatem facito.* Ex his colligimus, Athenienses furta concipere consuevisse nudos, nullaque veste, nisi *χιτωνίσκῳ*, vel *licio*, uti recte interpretatur Dacerius *ad Festum p.* 199. ad membra

---

k) Quamvis enim fictae sunt Platonis leges, in plerisque tamen, quantum potuit, jus Atticum eum ob oculos habuisse jam ab aliis observatum est. *Hein.*

verenda tegenda, succinctos. Quamvis enim non per omnia similem *χιτωνίσκον* fuisse fateamur *licio:* rem ipsam tamen non esse dissimilem, ex sequentibus facile adparebit. Et quid inde, si loco *χιτωνίσκου* aliam vestem, vel telam adhibuerint Romani?

§. 19.

Idem ritus a Romanis receptus.

Hunc ritum ergo una cum jure Attico Romam migrasse verosimillimum est, nec dubitare nos ea de re patitur Festus, qui sub voce *lance p.* 199. *Lance et licio dicebatur apud antiquos; quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias, aut virginum praesentiam.* Sane ex hoc Festi loco, in quo nec Graecanici ritus, nec *νοθεύσεως* vel interpolationis ullum vestigium adparet, satis manifestum est, etiam Romae nudos incessisse, qui res furtivas requirerent, quia alias non fuisset, quod matresfamilias virginesve praesentes revererentur. Docet quoque idem Festi locus, licio illos incinctos fuisse, quemadmodum et *χιτωνίσκον* Plato more Attico concesserat. Denique inde discimus, cui usui lanx fuerit in hoc negotio. Quum enim nudis incedendum esset requirentibus: sane pudor suadebat, ne faciem conspiciendam darent, adgnoscique se paterentur a feminis. Hinc lancem, id est, uti ego interpretor, larvam 1) lancis instar concavam vultui aptabant. Non ergo lancem

---

1) Lanx dicitur a Graeco *λαγὼν cavitas,* adeoque hoc vocabulo descripsisse videntur antiqui, quidquid concavum erat. Unde corruit ridicula quaestio, quam hic nonnulli movent, quid profuerit intrasse gynaeceum et nihil videre? itemque, an lancem perforatam prae se tulerint? Scaliger *ad Festum p.* 72. *Hein.* Quae nostra sit de furto per lancem et licium concepto sententia, singulari observatione [* *Obss. jur. Rom. III.* 20.] docui olim. *Cann.* Nudos rem furtivam quaerere Romanos consuevisse, nunc novo testimonio *Glossae Institutionum Turinensis* vetustissimae confirmatur, cujus num. 466. haec habet: „Ita enim fiebat, ut is, qui in alienam domum introibat ad requirendam rem furtivam, nudus ingrediebatur discum fictile in capite portans, utrisque manibus detentus;" quod antiquitatis monumentum, sicut innumera alia, debemus beneficio Savignii in *Adpendice Tomi II. der Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter p.* 475 (ed. 2.). *Haub.* Enimvero, quum ne veteres quidem scriptores ritus istius naturam atque rationem satis exploratam habuerint, etiam ab hocce glossatoris testimonio recedere suamque sequi conjecturam cuique licebit. Et mihi quidem perplacet Auctoris sententia, lancem non esse intelligendam patinam s. discum, sed personam s. larvam existimantis; quae, quum minime adversatur verborum sensui, tum vero recte omnia ac ratione inter se jungit et consociat, quae de antiquo furtorum investi-

objiciebant oculis, ne feminas viderent, (et hinc gratis hic obvertitur, Romanas matronas et virgines non gynaeceo inclusas, sed in celebritate versatas esse) sed quia eos puderet a feminis adgnosci. Atque haec est antiqua illa observatio, quam in concipiendo furto adhiberi voluerant veteres Romani.

§. 20.

Sublatus tamen postea lege Aebutia.

Sublatus ille ritus dicitur *lege Aebutia*. Ita enim Gellius *Noctt. Att. XVI.* 10. *Sed enim quum proletarii, et adsidui, et sanates, et vades, et subvades, et viginti quinque asses, et taliones,* FURTORUMQUE QUAESTIO CUM LANCE ET LICIO *evanuerint, omnisque illa XII Tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium caussarum,* LEGE AEBUTIA LATA, *consopita sit: studium scientiamque ego praestare debeo juris et legum, vocumque earum, quibus utimur.* Quamvis vero de auctore, atque aetate hujus Aebutiae legis non constat, nisi quod a Lud. Charonda laudatur vetus illud dubiae fidei, et fictitium procul dubio monumentum: LUCIUS. AEBUTIUS. TR. PL. VIR. POPULARIS. LEGEM. TULIT. AD. POPULUM. UT. XII TAB. CAPITA. QUAE. INUTILIA. ESSENT. REIPUBLICAE. TOLLERENTUR. QUAE. LEX. MULTIS. CONTRADICENTIBUS. TANDEM. ROGATA. EST. satis tamen certum videtur, id quoque XII Tabularum caput, una cum aliis, sive illa, sive alia lege fuisse abrogatum.

§. 21.

Quos ritus postea in concipiendo furto adhibuerint.

Ex eo tempore non amplius ab ipsis dominis, iisque nudis, requirebantur res furtivae, sed a praeconibus, et servis publicis,

---

gandorum more memoriae prodita sunt. Nec me movent, quae apud Gajum hac de re leguntur. Qui, quum recte animadvertisset: si quid lance et licio quaesitum atque inventum sit, id ex legis praecepto furtum manifestum esse (III. §. 192.), ita fere pergit (§. 193.): totam legem esse ridiculam, siquidem, qui vestitum quaerere prohibeat, is et nudum quaerere prohibiturus sit; (quasi vero non pudoris sed prohibitionis impediendae causa, licio eos esse indutos jusserit lex, qui res furtivas quaererent!) Ridiculam porro esse legem, quod lancem, sive ideo haberi jubeat, ut manibus occupantis nihil subjiciatur, sive ideo, ut quod inventum sit ibi imponatur: neutrum eorum procedat, si id, quod quaeratur, ejus magnitudinis aut naturae sit, ut neque subjici, neque ibi imponi possit. (Quasi in confesso sit, lancem fuisse patinam, quam manibus praeferrent conquisitores; vereor tamen, ne id concedamus Gaji auctoritati, quippe qui ipse haud diffiteatur, sibi non esse perspectam veteris illius ritus indolem.) *Mühl.*

adhibitis testibus: *L. 3. D. de Fugit.* Ad quem morem adludens suo more Plautus *Mercat. Act. III. sc. 4. v. 78. sqq.*

Certum est praeconum jubere jam, quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant, post ad Praetorem illico
Ibo, orabo, ut conquisitores det mihi in vicis omnibus:
Nam mihi nihil relicti quidquam aliud jam esse intellego.

Quamobrem errare putarim viros doctos, qui hunc Plauti locum ad inquisitionem cum lance et licio referunt, quam jam abrogatam fuisse vel inde patet, quod non ipse privatim rem furtivam seu ancillam abductam requirere audet Eutychus ille Plautinus, sed conquisitores a Praetore petere statuit. Non tamen in universum exoleverat antiqua illa observatio. Quamvis enim nec nudi incedebant conquisitores, nec faciem tegebant: licii tamen et lancis usus vel in antiquitatis memoriam servabatur. Dominus enim, conquisitores comitatus, licio incinctus procedebat, et in lance praeferebat indicium et fidem; eoque pertinere omnino videtur locus Petronii in *Satiric.* [* *c. 97.* ab initio *p. 597. sqq.*] *Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat stabulum praeco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia, facemque fumosam magis quam lucidam quassans haec proclamavit: Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa XVI. crispus, mollis, formosus, nomine Giton: si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet numos mille. Nec longe a praecone Ascyltos stabat amictus* DISCOLORIA VESTE, *atque in* LANCE *argentea indicium et fidem praeferebat* m). Illustris sane locus. Videmus hic *servum publicum*, quem conquisitorem Plautus vocaverat: videmus *praeconem*, qualem et Eutychus ille Plautinus sese conducturum ajebat. Videmus pueri furtim subtracti *dominum*, Ascylton, cum *discoloria veste*, id est, *licio*, et cum *lance*, qua non quidem faciem veteri ritu tegebat, sed *indicium*, id est, εὕρετρον, vel indicinae praemium, et *fidem publicam* praeferebat. Videmus denique *modicam frequentiam*, id est, testes, quos Praetor in furti inquisitione exigebat. Unde dubitare non possumus, quin et post legem

---

m) Eripere hunc Petronii locum nobis conantur viri docti eo, quod apud Petronium non res furtiva, sed amissa quaesita sit. Sed salva res est. Quaeritur Giton fugitivus, aut potius furtim ab alio subtractus. Nec praemium tantum offerunt conquisitores indici, sed et omnes cellas pererrant, imo fores oppessulatas perfringunt, uti ex sequentibus Petronii verbis patet. Id vero sane non est hominum rem amissam quaerentium, sed investigantium furtivam. *Hein.*

Aebutiam Romani veteris illius ritus saltem memoriam conservarint, adeoque ipse erret Dacerius, qui sive Festum, sive ejus epitomatorem Paulum errare existimat *p.* 199. non aliam ob caussam, quam quia licio non dominus, sed servus publicus incinctus fuerit. Si distinxisset tempora ante, et post legem Aebutiam, potuisset vir doctus hunc nodum solvere.

§. 22.

Furti concepta poena.

Hic est vetus furtum concipiendi ritus. Ceterum furtum hoc modo conceptum, id est, quaesitum et inventum, tamquam manifestum vindicabatur ex lege XII Tabularum [n]), si scilicet is, apud quem quaesitum et inventum fuerat, scivisset, rem esse furtivam; ut recte docet Jan. a Costa *ad* §. 4. *Inst. h. t.* [o]). Sed tamen et haec poena exolevit, Praetorque furtum conceptum primum tripli, deinde dupli poena vindicavit, adeoque illud furto nec manifesto aequiparavit, ut tradit Gellius *Noctt. Att. XI.* 18. Vide §. 4. *Inst. de Oblig. quae ex delicto nasc.*

§. 23.

Furtum oblatum.

Quum conceptum furtum tanta severitate leges vindicarent: solebant fures vel ipsi, vel per alios, res furtivas cuidam offerre, ut apud hunc potius, quam apud se, conciperentur, condemnationisque turpitudo, ut ait Theophilus, penes alium potius, quam penes se esset. Quodsi igitur hac fraude factum, ut res furtiva apud alium conciperetur, dabatur huic contra offerentem *actio* FURTI

---

n) Gajus III. §. 191. tradit, poenam furti, tam concepti quam oblati, ex lege XII. tabularum tripli fuisse, eumdemque modum a Praetore servari. Sed Gellius *N. A.* XI. 18. furtum conceptum eadem poena in XII. tabulis vindicatum esse vult, quam furtum manifestum, quae fuit modo corporalis, modo capitalis, et in cujus locum demum edicto Praetoris successit actio in quadruplum; quemadmodum Gajus ipse exaequationem furti concepti cum manifesto non ignorat (§. 192. 194.). De praetorio tamen jure utriusque furti, concepti atque oblati, poenam tripli fuisse, Gellius *l. l.* concedit. Ac videtur sane Gajus tempora non satis adcurate distinxisse. *Haub.* Quis de eo dubitet? Potius equidem dixerim, hunc quoque locum esse argumento, minime Gajum attento animo, quin velut oscitantem ac somniantem omnem hanc rem egisse. *Mühl.*

o) Dissentit Cujacius *Not. posterior. ad Inst. d.* §. idque ob *L.* 8. *C. Ex quib. causs. infam. irrog.* Sed femina, quae in hac lege damnata dicitur, infamiam non subiit, quod tamen alias fit in actione furti. *Hein.*

ı, quamvis ille fur haud esset, dummodo ipse non ignorarit, sse furtivam: Gaji *Inst. II.* 10. 2. Pauli *Sententt. Receptt. II.* §. 5. *Inst. h. t.* Erat vero haec oblati actio in triplum, non ıtata rei furtivae aestimatione, ut docent Gellius *Noctt. Att.* 3. et Paulus *Sententt. Receptt. II.* 31. 14.

§. 24.

Furtum prohibitum et non exhibitum.

Furti PROHIBITI et NON EXHIBITI actiones non e legibus XII ılarum, sed ex edicto Praetoris proficiscebantur: §. 4. *Inst. h. t.* nque plane non meminere Gajus p) et Paulus, siquidem uter-quatuor q) tantum furtorum genera recenset. Prior actio adver-um dabatur, qui furtum quaerere, testibus praesentibus, volen- prohibuerat; posterior adversus eum, qui apud se quaesitam et ntam non exhibuerat. Quae vero utrique delicto poena fuerit posita in Praetoris edicto, id quidem nondum expeditum est. De exhibito tamen certum mihi videtur, actionem ob illud in du-n esse datam. Nam apud Plautum Agorastocles adolescens in-unio mactaturus Lycum, lenonem, Collybisco villico dederat entos numos, quos deferret ad lenonem, adsimulans, peregri-n se esse, et locum quaerere, ubi genio indulgeret. Venit postea orastocles cum advocatis testibus, villicum, tamquam fugiti-n, et pecuniam apud lenonem quaesiturus, quumque hic, Mil-ionem servum quaeri ratus, inficiaretur, servum pecuniamque ud se esse, leno dupli reus fit. Non haec est actio servi corrupti, d furti non exhibiti. Ajunt enim advocati in *Poenulo Act. III. sc.* v. 60. *sq.*

p) Quae fuerit *prohibiti furti* poena, jam e Gajo III. §. 192. patet, sc. qua-upli, a Praetore introducta. Sed non exhibiti poenam etiam Gajus silentio aetermisit. *Haub.*

q) Imo Gajus *L.* 2. *D. de Furt.* a se dissentiens duo tantum furti genera ignoscit, *manifestum* et *nec manifestum*. Unde Tribonianismum hic nonnulli de-rehendere sibi videntur viri docti. *Hein.* Etiam in *Comment.* III. §. 183. Gajus uo tantum furtorum genera: manifestum et nec manifestum, cum Labeone dgnoscit, qui locus fere iisdem verbis migravit in *Institt. Justin.* §. 3. *h. t. Haub.* Cf. supra §. 2. not b. in f. et eumdem Gaj. §. 194. ubi eos etiam reprehendit, qui dicant, duplex esse furti manifesti genus, aut lege, aut natura; nam natura antum furtum manifestum intelligi, nec lege fieri posse, ut, qui manifestus fur non sit, manifestus sit, verum id tantum, ut perinde aliquis poena teneatur, atque si furtum manifestum admisisset. *Mühl.*

Ag. Ille negabit, Milphionem quaeri censebit tuum:
Id DUPLICABIT *omne* FURTUM. — —

Idque repetitur *Act. III. s.* 4. *v.* 27. *sc.* 5. *v.* 39. *sq. Act. V. sc.* 6. *v.* 14. Vide *Elem.* nostra *jur. civil. secundum ordinem Instit.* §. 1058.

§. 25.

Omnes furti condemnati infames.

Denique et illud addendum, quocumque furti genere condemnatum infamiae subiisse notam: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 31. 15. *L.* 6. *D. de His, qui notant. infam.* (Gaj. III. 182.) Reliqua, quae de furtis ad hunc titulum solent inculcari a Jureconsultis, huc non pertinent.

LIB. IV. TIT. II.

DE

VI BONORUM RAPTORUM.

Secundum delictum privatum est RAPINA. Unde de *vi bonorum raptorum* hoc titulo agendum, et ex antiquitatibus pauca quaedam monenda sunt.

§. 1.

Quomodo differant furtum et rapina? Ut et rapina et vis.

Multum interest inter FUREM et RAPTOREM. Fur, ignoranti domino, et clam; raptor scienti et invito vi et palam bona sua aufert: *L.* 3. §. 5. *D. de Incend. ruin. naufrag.* Unde apud Plautum *Epidic. Act. I. sc.* 1. *v.* 10. servus nequam:

Th. Minus jam furtificus sum, quam antehac.
Ep. Quid ita? Th. Rapio propalam.

RAPI vero dicebantur res mobiles. Immobiles non rapi, sed INVADI dicebantur. Quare nec actione *vi bonorum raptorum*, sed interdicto *unde vi*, experiebantur, qui vi possessione rerum immobilium fuerant dejecti.

§. 2.

Rapinae poenae.

Actio *vi bonorum raptorum*, quae adversus raptorem datur, e Praetoris edicto est, in quo Praetor: SI CUI DOLO MALO, HOMINIBUS COACTIS DAMNI QUID FACTUM ESSE DICETUR, SIVE CUJUS BONA RAPTA ESSE DICENTUR: IN EUM, QUI ID FECISSE DICETUR, JUDICIUM DABO. ITEM, SI SERVUS FECISSE DICETUR, IN DOMINUM JUDICIUM NOXALE DABO:

L. 2. *princ. D. Vi bon. rapt.* [a]). Ergo actio dabatur contra eum, qui dolo malo rapuerat, non qui errore, putans scilicet, rem esse suam: §. 1. *Inst. h. t.* Sed et hoc divalibus constitutionibus eatenus mutatum est, ut, qui vel rem mobilem, vel immobilem, licet suam, alteri vi rapuisset, dominio ejus rei excideret, aestimationemque praeterea, si alienam pro sua rapuerit, praestare teneretur: *L.* 13. *D. Quod met. causs. gest. L.* 7. *C. Unde vi.* Poena rapinae erat quadrupli intra annum (nam annua erat Praetoris jurisdictio), post annum in simplum dabatur actio. Quadruplo vero quum etiam rei persequutio contineretur: revera poena tantum tripli erat: *princ. Inst. h. t.* §. 19. *Inst. de Act.* Perinde quoque erat, sive liber homo, sive servus, vi rapuisse diceretur: nam contra hujus quoque possessorem Praetor dabat noxale judicium, ut vel noxae dederetur servus, vel damnum praestaretur.

§. 3.

Legum Romanarum hac in re mollities.

Quum vero facile ipsa quemvis natura doceat perniciosius multo esse crimen raptus, quam furti: merito mireris, Praetorem tam levi poena illud voluisse castigare. Ponamus sane, latronem viatori vi extorsisse aureum: quam molli, quaeso, brachio punietur, si quatuor aureos reddere jubebitur? Hoc delictum ita comparatum est, ut ad dolum potius, et laesam securitatem publicam, quam ad actum, damnumque datum respiciendum videatur. Sed male forsitan consultum fuisset magistratibus Romanis, et maxime iis, qui in provincias quotannis mittebantur, si severius vindicari rapinas placuisset [b]).

---

a) De origine hujus edicti vid. Andr. Guil. Cramerus *ad Cicer. Or. pro Tullio* c. 5. p. 67 — 69. *Haub.* De Savigny in der *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. V. num. III. Causam, quare id proponi conveniens visum fuerit, exposuit Cicer. *Or. pro Tullio* c. 5. *Mühl.*

b) Veriora sunt, quae docuit Jo. van de Water *Observatt. Lib. I. c.* 5. *Cann.* At magis probabiliter, quaenam fuerit hujusce edicti et proponendi, et retinendi mutandique causa, ostenderunt Cramerus et Savignius *ll. ll.* Sunt etiam, qui in eo ponant hujus actionis utilitatem, quod, quemadmodum imperator (Gajum III. §. 209. ad verba secutus) ait, et propter unam rem, licet minimam, detur; quasi ob minimorum furtum data non sit furti actio. Vid. Bynkershoek *observ. jur. Rom.* Lib. I. cap. 3. Enimvero dubitandi ratio fuit, quod nomen actionis (vi *bonorum raptorum*) pluraliter conceptum sit, tum vero ob minimas res non fierent solemnes exequutiones criminales. Vid. Theophilus *in paraphr. ad h. l.* ibiq. Cujac. in edit. Reitz. p. 747. not. g. *Mühl.*

LIB. IV. TIT. III.

DE

LEGE AQUILLIA.

Tertium delictum privatum est DAMNUM INJURIA DATUM, quod ex lege Aquillia vindicabatur, de qua hoc titulo erit agendum.

§. 1.

Quid damnum injuria datum?

Vocatur id delictum veteribus DAMNUM INJURIA DATUM: Quinctilianus *Declamat.* 385. item DAMNUM INJURIA: *L.* 1. *D. ad L. Aquill.* item INJURIA: *L.* 1. *pr. D. de Injur.* et *L.* 9. §. *ult. D. de Tut. et rat. distr.* nec non DAMNUM INJURIAE: §. 4. *I. de Noxal. act.* et *L.* 30. *pr. D. ad L. Falc.* Barn. Brissonius *de verb. signif.* sub hac voce *p. m.* 161. INJURIA autem fieri dicitur, quod cum damno injuriam adfert: *L.* 49. §. 1. *D. ad Leg. Aquill.* vel quod eodem recidit, damnum non jure, id est, dolo vel culpa facientis datum: *L.* 5. §. 1. *D. eod. Glossae nomicae: Δαμνιανιουρία, ζημία ἡ ἀδίκως γινομένη* a).

§. 2.

Leges de damno injuria dato Aquillia antiquiores.

De damno hoc injuria dato jam ante legem Aquilliam multas alias exstitisse leges, satis adparet ex loco Ulpiani *L.* 1. *D. ad L. Aquill. Lex Aquillia omnibus legibus, quae ante se de* DAMNO INJURIA *loquutae sunt, derogavit, sive XII tabulis, sive quae alia lex fuit.*

§. 3.

Lex XII Tabularum de damno dato.

Legibus XII Tabularum quid cautum fuerit de damno injuria dato, hodie vix constat. Festus sub voce *Rupitias p.* 463. *RUPITIAS*, ait, *in duodecim significat, damnum dederis.* Et Paulus *ibidem:* *RUPITIAT damnum dederit significat.* Ex quibus locis colligere quidem licet, fuisse in XII Tabulis legem de damno dato proditam, in eaque Decemviros usos esse voce RUPITIAT: nisi forte cum Jos. Scaligero *in Adnotatt.* hoc vocabulum plane explodere, et pro RUPITIAS *rupsit* rescribere malis. At quid cautum ea lege fuerit, ex his testimoniis

---

a) Cf. von Löhr *Theorie der Culpa* §. 14 — 20. p. 81 — 132. Ejusd. *Beiträge zu der Theorie der Culpa* p. 219 — 223. Hasse *Culpa des Röm. R.* §. 4 — 15. p. 21 — 95. Rosshirt *l. l.* §. 187 — 189. p. 420 — 426. *Haub.*

non adparet. Alio vero loco idem Festus, explicaturus vocem *Sarcito p.* 480. *Sarcito,* inquit, *in duodecim Servius Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato.* Verôsimile itaque est, a juris naturae simplicitate hic non recessisse Decemviros, adeoque nudam damni dati restitutionem exegisse. Quare ita conceptum fuisse arbitror illud XII Tab. caput: QUI RUPITIAT, SARCITO [b]). Quemadmodum eamdem legem restituendam etiam arbitratur Jacob. Raevard. *ad Legg. XII Tab. c.* 24.

§. 4.

Origo legis Aquilliae.

Quae post XII Tabulas usque ad latam legem Aquilliam de damno dato vel Praetores edixerint, vel populus sciverit, nos quidem scimus cum ignarissimis. Celeberrima vero est ipsa LEX AQUILLIA, cujus de auctore non eadem est omnium sententia. Ulpianus *L.* 1. §. 1. *D. ad L. Aquill.* ita ejus historiam verbis paucissimis complexus est: *Quae lex Aquillia plebiscitum est, quum eam Aquillius, Tribunus plebis, a plebe rogaverit.* Sed quis sit ille Aquillius, adhuc sub judice lis est. C. Aquillio Gallo, celeberrimo illi Juriconsulto, stipulationis Aquillianae inventori, eam tribuunt nonnulli, et in his etiam Jan. Vinc. Gravina *de Orig. jur. civ. c.* 60. *p.* 97. [c]). Sed praeterquam, quod an Aquillius hic umquam Tribunus plebis fuerit, non adeo expeditum est; ne temporum quidem ratio concedit, ut eum hujus legis auctorem fuisse existimemus. Sane ejus legis jam meminere Q. Mucius Scaevola: *L.* 39. *pr.* et Brutus: *L.* 27. §. 22. *D. ad L. Aquill.* quos C. Aquillio Gallo antiquiores fuisse certissimum est: Jo. Bertrand *Vit. JCtorum II.* 9. 9. Adcedit, quod Cicero in *Bruto* c. 34. scribit, *se L. Caesulenum, adcusatorem de plebe, jam*

---

b) Gothofredus quidem *Fragm. XII Tabb. tab. VII.* distinxisse putat Decemviros damnum injuria datum ab eo, quod casu illatum sit, adeoque ita concipit leges:

Si injuria RUPITIAS – – –

At si casu: SARCITO.

Sed hujus distinctionis neč in Festo, neo apud alium auctorem ulla fit mentio, et casum quemquam praestare debuisse vix verosimile est. *Hein.* Probat Auctoris sententiam Dirksenius *l. l.* p. 531. sq., qui eo quoque dissentit a Gothofredo, quod non septimae tabulae, sed octavae (Fr. 5.) hunc locum tribuat. *Mühl.*

c) At idem Gravina *de Legibus et SCtis Rom.* §. X. *p.* 748. ea de re dubitare videtur, incertusque haeret, huicne Jurisconsulto, an alii Aquillio adscribenda sit lex Aquillia. *Hein.*

senem audivisse, quum ab L. Sabellio mulctam lege Aquillia de justitia [d]) *petivisset.* Quae quum ita sint, verosimillima videtur Steph. Vin. Pighii sententia, qui in *Annal. Rom. Tom. II. p.* 330. legem hanc latam putat a L. Aquillio P. F. L. N. Gallo, qui A. U. C. DLXXII. Tribunus plebis, A. DLXXVII. Praetor Siciliae fuit: ut adeo haec lex antiquissimis videatur adnumeranda.

§. 5.

Quot fuerint hujus legis capita? Caput primum.

Ceterum tria hujus legis capita commemorantur [e]). PRIMO cavebatur de occisis quocumque modo servis aut animalibus, quae dorso et collo domantur, quaeque gregatim pascuntur, ut actio daretur adversus eum, qui id damnum dederit injuria, ad id, quanti res intra annum proximum plurimi fuit. (Gaj. III. 210—214.) Verba legitima capitis haec fuerunt: QUI SERVUM SERVAMVE, ALIENUM ALIENAMVE, QUADRUPEDEM VEL [f]) PECUDEM, INJURIA OCCIDERIT, QUANTI ID IN EO ANNO PLURIMI FUIT, TANTUM AES DARE DOMINO DAMNAS ESTO: *L. 2. pr. D. ad Leg. Aquill.*

§. 6.

Quid damnum hac lege vindicatum?

Vindicatur ergo hoc primo capite aeque ac reliquis damnum

---

d) Hotomanus *de Leg. p.* 62. Lambinus et P. Manutius et alii legunt *de damno injuria,* sed invitis Codd. MSS. qui lectionem vulgatam semper praeferunt. Cf. Jan. Grut. *Not. ad h. l.* Nec tamen adsentior viro eruditissimo Antonio Augustino, qui in libro *de Nom. propr. Pand. p.* 301. *Thes. Jur. Tom. I.* hanc legem, cujus Cicero meminit, a nostra diversam fuisse statuit. *Hein.* Falluntur illi, qui legis Aquilliae *de injuriis* Ciceronem meminisse adfirmant, nec puto rem acu tetigisse Giphanium et Rittershusium, qui putant, verba *Aquillia de justitia* spuria esse, atque alterius manu inserta: non hic dici arbitror, qua de re lege Aquillia cautum fuerit, at ex justo mulctam lege Aquillia a Sabellio petitam; illud indicant verba *de justitia.* Docui illud ante [* *Obss. jur. Rom. IV.* 9.] uberius. *Cann.*

e) Plura capita fuisse non immerito existimat Ger. Noodt *ad Leg. Aquill. c.* 1. quod et ante eum suspicatus est Balduinus *ad Leg. Aquill. p.* 122. Sane de poena dupli adversus inficiantem nihil in verbis legis Aquilliae proditum est, nec de noxali actione, de qua §. 4. *Inst. de Nox. act. Hein.* Caeterum vid. infra not. l. *Mühl.*

f) Hic Hotomanus *ibid.* legere mavult: *Quadrupedemve pecudem,* quam conjecturam probat Ger. Noodt *ad L. Aquill. c. 2. p.* 177. *Hein.* Probavit et Meermanus in *Dissertatione de rebus mancipi p.* 45. aliorumque conjecturas proposuit. *Cann.* Certe sensus est: *quadrupedem, quae pecudum numero est. Pr. I. h. t. L. 2. §. 2. D. h. t. Mühl.*

datum, id est, dolo vel culpa nocentis admissum. Unde et **infantes**, in quos culpa cadere non videtur, lege Aquillia ıentur: *L.* 5. §. 2. *D. h. t.* Hinc et qui occiderat adgressorem, ıs **quem** se telo defenderat, nec justae defensionis modum ɜrat, **incidisse** haud videbatur in Aquilliam, quia non injuria, lulgente jure naturae, occiderat: *L.* 45. §. 4. *eod.* Nec magis m, casu datum, hac lege vindicabatur: §. 4. et 5. *Inst. h. t.* ɔdo se quis intra officii limites continuerit, nec in re illicita ıe inconsueto sit versatus. Quo pertinet casus mirabilis *L.* 11. *D. h. t.* g). Culpa vero hic praestabatur omnis, etiam levis- quod secus in aliis delictis, quae nonnisi concurrente dolo :antur: §. 3. *Inst. h. t.*

§. 7.

Qua in re damnum datum esse oportuerit?

Damnum porro hoc caput vindicat, quod domino h) infertur, ɔ, SERVAVE, ALIENO, ALIENAVE occisis. Nam et servi tamquam adebant sub dominium, adeoque, iis occisis, quaedam fiebat monii deminutio. Servis autem etiam QUADRUPEDES PECUDES ngit lex Aquillia, et eas quidem, quae gregatim pascuntur: *Inst. h. t.* QUADRUPEDES enim sunt, quae dorso et collo doman- id est, quae sarcinas vehunt et trahunt: Ulpiani *Fragm. XIX.* 1. ʊs autem, ut ait Varro [* *Lib. IV. p.* 28. *ed. Bip.*], ab eo dicitur, *l perpascat.* Adde Servium *ad Virgilii Aeneid. IV. v.* 158. Reli- animantia vocabantur BESTIAE: Isidorus *Origg. XII.* 2. V. Ampl.

---

g) Casus est de servo, cujus gula, dum tondetur, et novacula super gulam adjecta a colludentibus pueris pilâ praeciditur. Solebant enim tonsores artem n in publico exercere, quod primus inhibuit Domitianus: Martialis *Epigram-* . *VII.* 61.

Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modo quae fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagenis:
Nec Praetor medio cogitur ire luto.
Stringitur in densa nec coeca novacula turba:
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius, sua limina servant.
Nunc Roma est: nuper magna taberna fuit.

h) Tamen etiam libero homini vulnerato, item fructuario, creditori, ut et ɔnae fidei possessori dabatur actio utilis ex hac lege: *L.* 11. §. 10. *D. h. tit. Hein.*

Corn. van Bynkershoek *de reb. mancipi et nec mancipi c.* 6. *p.* 119. *sq.* Inter quadrupedes pecudes an sues habendae essent, dubitasse oportet Romanos Jureconsultos, quia alias tanto molimine argumenta testimoniaque ex ipso Homero non corrasissent Marcianus: *L.* 65. §. 4. *de Leg.* 3. et Justinianus Imperator: §. 1. *Inst. h. t.* Forsitan Romae non gregatim pascebantur sues, ut alibi locorum, sed includebantur stabulis, ut suspicatur Huberus *Praelectt. ad Inst. h. t. p.* 340. Imo si gregatim pascebantur, dubitari potuit, an essent *quadrupedes pecudes*, quia dorso et collo non domantur. Vid. *Elem. nostra Jur. civ. secund. Inst.* §. 1076.

§. 8.

Poena capite primo statuta.

Occiso autem servo, ancilla, vel pecude, damnum aestimabatur, quanti res eo anno plurimi fuerat, quantumque adeo domini referebat, res illas intra annum non periisse. Is vero annus retrorsum computabatur ex tempore, quo quis fuerat occisus: *L.* 21. §. 1. *D. ad Leg. Aquill.* Quamobrem si eo anno servus heres institutus aliena culpa vitam amiserat: etiam hereditatis commodum in aestimationem veniebat: *L.* 23. *princ. D. eod.* Observandum quoque, poenam hujus legis inficiando crevisse in duplum: *L.* 2. §. 1. *D. eod.* Paulus *Sententt. Receptt. I.* 19. 1. [i]).

§. 9.

Secundum legis Aquilliae caput.

Secundum Legis Aquilliae caput in usu esse, negat Imperator §. 12. *Inst. h. t.* idque jam tempore Ulpiani in desuetudinem abiisse oportet, si genuina sunt verba *L.* 27. §. 4. *D. h. t.* Hinc nusquam

---

i) Mirum in modum fallitur Anianus (s. Gojaricus), qui omnes poenas, quae propter inficiationem duplicabantur, e lege Aquillia esse existimat. Ita enim ille in interpretatione ad locum Pauli citatum *p. m.* 259. *Aliqua, quae quum ab his, quibus sunt debita, repetuntur, si a debitoribus negata fuerint, dupli satisfactione redduntur, id est, res judicata legati per damnationem relicti, id est, si quid heres legati titulo dare jussus est, et petitum negaverit: vel si damnum alicui per injuriam factum quis sarcire noluerit: vel de modo agri, quum a venditore emtor fuerit circumscriptus, ut minus inveniatur, quam probatur scriptum. Quae omnia superius comprehensa secundum legem Aquilliam duplicantur.* Quem errorem jam animadvertit laudatissimus Bynkershoek *Observatt. I.* 13. Eumdem tamen errorem cum Aniano errat Papianus *Respons.* (seu potius Lex Romana Burgundionum) *tit.* 14. (*Schult.* 15.) *p. m.* 837. *Hein.* Vid. et quae Barkowius in sua *Legis Rom. Burgund.* editione ad h. l. notavit, p. 54. *Mühl.*

um exstat vestigium. Cujacius *Paratit. D.* et *C. ad L. Aquill.* illud existimat de intercepta nobis utilitate quadam, re nostra , veluti si quis, nullo jure servitutis imposito, vicini lumini- ntra formam veterum aedificiorum offecisset, quale est exem- Petronae, damnati ob hanc rem a Theophilo Imperatore: as *Annal. XV.* 25. *Tom. II. p.* 142. vel si quis anthiam, piscem iatorem aliorum capiendorum, fraude intercepisset, cujus rei olum exstat apud Plinium *Hist. Nat. IX.* 59. Locus ipse ita se : *Ferunt discordem socium duci insidiatum pulcre noto, cepisse- alefica voluntate: agnitum in macello a socio, cujus injuria erat: MNI FORMULAM editam, condemnatumque addidit Mucianus aesti- lite* [k]). Claud. Chiffletius *de secundo capite legis Aquill. Tom. hesaur. jur. p.* 874. *sq.* putat de servo corrupto fuisse actum hoc e, idque ideo esse abrogatum, quia postea simpliciter Praetor rvo corrupto agenti duplum promisisset, quum in lege Aquillia uplum nonnisi propter improbam inficiationem fieret condemna- Et sane non parum verosimilis est haec conjectura Chiffletii. I. Praetor in actione de servo corrupto constituenda iisdem e verbis usus est, quibus uti solet auctor legis Aquilliae: QUI /UM, SERVAM, ALIENUM, ALIENAM RECEPISSE, PERSUASISSEVE QUID ICETUR DOLO MALO, QUO EUM, EAM DETERIOREM FACERET, IN EUM, NTI EA RES ERIT, IN DUPLUM JUDICIUM DABO: *L.* 1. *princ. D. de vo corrupto.* Ut fere inde colligas, Praetorem legem Aquilliam e oculos habuisse, ejusque caput voluisse emendare. II. Ex lege uillia quoque actionem datam de servo corrupto, luculenter et ex *L.* 4. et *L.* 5. §. 2. *eod.* ubi digna notatu videntur Ulpiani ba: *Haec actio* (Praetoria, de servo corrupto) *etiam adversus entem in duplum est, quamvis Aquillia inficiantem dumtaxat coërceat.* o loco Ulpianum discrimen, quod inter actionem ex L. Aquil- et actionem de servo corrupto Praetoriam intercedit, exponere luisse videmus. III. Diserte Anianus *Interpretat. ad Pauli Sententt. ceptt. I.* 13. a. §. 6. *Hae duae secundum legem Aquilliam similem enam habent, ut cum his, quae animo vel corpore corruperunt, alia milia mancipia hujusmodi praesumtores exsolvant.* Ubi quidem in

k) Sed illum Plinii locum huc non pertinere, luculenter ostendit Ger. Noodt *L. Aquill. I. p.* 176. et Bynkershoek *Observatt. I.* 13. *p.* 58. Id enim damnum capite III. et I. legis Aquilliae satis commode vindicari potuit: *L.* 27. §. 5. . 21. §. *ult. L.* 22. *pr. D. ad Leg. Aquill. Hein.*

Corn. van Bynkershoek *de reb. manc.* ... errat Anianus: sed id
Inter quadrupedes pecudes an sue... quod L. Aquillia non mod...
tet Romanos Jureconsultos, ... rum corruperit, mulctarit ...
testimoniaque ex ipso Hom...
§. 4. *de Leg.* 3. et Justin...
Romae non gregatim ...
debantur stabulis, ...
p. 340. Imo si gr...
drupedes pecu...
nostra Jur...

§. 10.

... *Aquilliae et actionem de servo corrup*...

... bat actio legis Aquilliae ab act... haec dolum malum vindicab... Lex Aquillia nonnisi inficiantem, ... a se corruptum esse, dupli damnab... pinguior fuerit Praetoria actio, maxi... sed instar aliarum actionum esset ... *Servo corrupto:* haud profecto mirandum ...

... discedit V. A. Corn. Bynkershoek *Observatt. I.* ...

... Aquilliae de dejectis et effusis egisse putat ob ... quamvis res clara sit, legem Aquilliam etiam d... tamen fuisse legis Aquilliae capita, jam a G... observatum est. Adeoque posteriores istas senten... *Mein.* De libero homine injuria occiso capite ... fuisse credo, de quo disserui olim [* *Obss. jur.* ... Haec omnia nunc emendanda sunt e Gajo III. §. 215. ... legis Aquilliae secundo in adstipulatorem, qui pecunia... acceptam fecerit, quanti ea res esset, tanti actionem ... Frustra igitur fuere, qui ante genuinos Gaji commentari... legis Aquilliae capite conjecturarunt, quibus etiam accensen... *D.* §. 12. Neque iis assentiendum esse puto, qui plu... quam tria, suspicati sunt; nam in tria dividi capita Aquillia... doctissimus Theophilus *Pr. h. t.* Largior quidem, et adver... lege agi potuisse; sed de his similibusque separatim aliquid ... quum jam generali legis sanctione comprehensa esse... (*L.* 2. §. 1. *D. h. t.* et *Inst.* III. §. 216.), de actione in d... eadem lege cauta erant, postremae ejus parti com... Vid. J. H. Mylius in *dissert. postuma de tribus legis A*... *III. ad Theophil.* edit. Reitz. p. 1101. sqq.). Merito ... dicere potuerit Ulpianus, legis Aquilliae secundu... abiisse: *L.* 27. §. 4. *D. h. t.* Certe adstipulatore... venisse, vix est quod dubitemus. (Vid. quae de adstip... ad Lib. III. Tit. XVI — XX. [XV — XIX.] §. 10. ... deberi ista Triboniani beneficio. Cf. Schweppe *R*... Caeterum et Gajus in ea fuit sententia, ut existimaret, id ... caveri, necessarium non fuisse, quum actio mandati a... praeterquam quod ea lege adversus infitiantem in du... 216. *Mühl.*

ȝgis Aquilliae capite neminem amplius agere voluisse, adeoque lud abiisse in desuetudinem m).

§. 11.

Tertium legis Aquilliae caput.

Tertium caput conceptum erat in eos, qui non occidissent servum, aut gregalem quadrupedem, sed eum eamve aliquo modo ıesissent, aut occidissent, vulnerassentve animal, quod pecudum umero non erat, aliave ratione rem alienam reddidissent deterioem urendo, frangendo, rumpendo. Ipsa legis verba servavit Ulpiaus *L. 27. §. 5. D. ad Leg. Aquill.* CETERARUM RERUM, PRAETER HOIINEM ET PECUDEM OCCISOS, SI QUIS ALTERI DAMNUM FAXIT, QUOD ſSSERIT, FREGERIT, RUPERIT INJURIA, QUANTI EA RES ERIT IN DIE:US TRIGINTA PROXIMIS, TANTUM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO. Gaj. III. 217. 218.) Ad quod caput quum pleraque explicare oleant doctores: nobis jam actum agere non vacat.

LIB. IV. TIT. IV.

DE

I N J U R I I S.

Quartum delictum privatum erat INJURIA a), i. e. contumelia, *ıuae aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine ɪitam cujuspiam violat* b). Ita enim injuriam definit Auctor *ad Heennium IV.* 25.

m) Haec ferri quidem possint, si omnino esset verum, de servo corrupto ingulari capite egisse Aquillium. Sed vid. quae notavimus not. l. *Mühl.*

a) Gajus III. §. 220 — 225. — Idzert Eekma *Diss. de injuriis, praecipue de 'larum poenis.* Groning. 1809. 8. Rosshirt *l. l.* §. 190 — 196. p. 428 — 448. 197. p. 453. sq. §. 200. p. 457. sq. *Haub.* Add. F. Walter *über Ehre und njur. nach R. R.;* im *neuen Arch. d. Crim. R.* Bd. IV. Num. V. et XII. *Mühl.*

b) Distinguunt alias injuriam a contumelia veteres, veluti Augustinus *Conessionum III.* 8. et explicatius Seneca *de constantia sapientis* c. 10. CONTUMELIA, ıquit, *minor est* INJURIA, *quam queri magis, quam exsequi possumus, quam leges uoque nulla dignam vindicta putaverunt. Hunc adfectum movet humilitas animi, ontrahentis se ob factum dictumque inhonorificum. Eod. lib. c.* 17. exemplum ddit senatoris, qui a Corbulone in senatu, adpellatus struthiocamelus depilatus, mare fleverit. Sed philosophica magis, quam juridica, videtur ea distinctio. Siuidem etiam ex quavis contumelia, dolo malo illata, nascitur injuriae actio: .. 5. §. 1. *D. ad Leg. Aquill. Hein.*

§. 1.

Lex XII Tabularum de injuria leviore.

Jam leges XII Tabularum ulciscendas putabant injurias [c]), quas Decemviri in *leviores* et *atrociores* divisisse videntur. De levioribus prodiderant legem: SI. INJURIAM. FAXIT. ALTERI. VIGINTI. QUINQUE. AERIS. POENAE. SUNTO: Paulus *apud Auctor. Collat. Legg. Mosaic. et Roman. II.* 5. Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. [d]). Hoc caput non de injuria tantum petulantis convicii agit, sed de omni injuria, etiam reali: quae non cum membri cujusdam fractura aut ruptura erat conjuncta. Idque luculenter discimus ex illo L. Veracii vel Neracii exemplo, qui etiam depalmationem liberorum hominum, qua in primis delectabatur, luebat XXV assibus, teste Gellio *Noctt. Att. XX.* 1. eumque in finem pedisequum assibus onustum sequi se jubebat, ut statim solvi possent XXV asses. Poena vero illa, ut in magna veterum paupertate, satis grandis, postea, crescentibus Romanorum opibus, admodum levis fuit. Asses tum erant totius librae sive librales, ut observat Plinius *Hist. Nat. XXX.* 3. Unde, imminuto assium pondere, vocabantur *aes grave.* Postea enim ob aeris alieni multitudinem ex singulis assibus libralibus sextantarii, deinde unciales, ac denique lege Papiria semiunciales facti: Plinius *ibid.* Hi in stipem dari solebant, et non multo plus valebant quam tres numos Misnicos. Decem asses constituerunt denarium, quatuor sestertium. Fefellit ergo Paulum memoria, dum loco supra ex *Auctore Collationis legum Mosaicarum et Romanarum* adducto pro *XXV aeris* posuit *XXV sestertiorum.* Quamvis enim vulgo existimant viri eruditi, auctis Romanorum facultatibus, assibus substitutos esse sestertios (vid. Cujacius *Observatt. XIX.* 31. Salmasius *de modo usur. c.* 6. et 17. Gothofredus *ad Legg. XII Tabb. p.* 219.): nec id tamen fert veteris pecuniae ratio [e]). Si enim intelligas XXV sester-

---

c) Unde Paulus apud *Auctorem Collat. Legg. Mosaic. et Roman. II.* 5. *Injuriarum actio aut legitima est, aut honoraria.* Legitima *ex lege XII Tabularum.* Et in *Sententt. Receptt. V.* 4. 6. *Injuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto jure introducta est.* Ubi per *legem* XII Tabulas, per *mores* Praetoris edictum, per *jus mixtum* legem Corneliam intelligit, quum priore loco etiam actionem ex lege Cornelia *legitima* comprehendat. *Hein.*

d) Gaj. III. §. 223. in f. Dirksen *l. l.* p. 525—528., qui ad tab. VIII. hunc locum referendum esse censet. Vid. et quae infra, not. h. ad §. 3., notavimus. *Mühl.*

e) Similibus usus est rationibus C. L. F. Schultz *Staatswissensch. der Römer* p. 145. sq., ut probaret, et post imminutum assium pondus *aere gravi* luendas fuisse poenas. *Mühl.*

tios: summa non aucta, sed imminuta dicenda est, siquidem asses, ut jam dictum, eo tempore fuere librales; sestertius vero nonnisi quartam partem denarii valuit. Sin Paulum accipias de XXV sestertium: immodica erit summa, id est DCXXV Philippicorum, qua vindicatam esse levissimam injuriam, nemo sibi temere persuaserit: Schultingius *Jurisprud. Antejustin. p.* 740.

§. 2.
Ut et de injuria atrociore verbali.

Iisdem XII Tabulis fuerat de atrociore injuria cautum: SI QUI PIPULO CENTA SIT [f]), CARMENVE CONDISIT QUOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIUMVE ALTERI, FUSTE FERITO: Cicero *apud Augustinum de civit. Dei II.* 9. et 12. Horatius *Sermon. II. sat.* 1. *Epp. II.* 1. *v.* 149. *sqq.* et ibi Porphyrion in *Scholiis.* Cornutus *Schol. in Pers. Sat. I. Pipulum est convicium, a pipitu pullorum dictum, idemque denotat, quod in Praetoris edicto convicium adversus bonos mores, item convicium cum vociferatione: L.* 15. §. 2. et 11. *D. de Injur.* Pipulo itaque occentare erat convicium alteri facere publice. *Carmen* vero *injuriosum* est quaelibet scripta injuria, quaelibet satira, vel epigramma, quo alicujus fama nominatim adroditur: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 15. Nolebant enim Romani honestorum civium famam poetarum licentiae petulantiaeque esse obnoxiam, neque probrum quemquam audire, nisi ea lege, ut respondere liceret, et in judicio defendere [g]). Cicero *de Republ. IV. apud Augustinum de civit. Dei II.* 12. Si quis ergo tam insignem injuriam cuiquam intulisset: fuste feriebatur. Qua de re Horatius *Epistt. II. ep.* 1. *v.* 152. *sqq.*

— — — — : quin etiam lex
Poenaque lata, MALO quae nollet CARMINE quemquam
Describi: vertere modum, formidine FUSTIS
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Ad quae Horatii verba Porphyrion: *Fustuarium supplicium constitutum erat in auctorem carminum infamium.* Et Cornutus *ad Persii Sat. I. Lege XII Tabularum cautum est, ut fustibus feriretur, qui publice*

---

f) Verba haec esse legitima merito dubitat Dirksen *h. l.* p. 510. sq. *Mühl.*

g) Secus ac apud Graecos, ubi et honestissimi viri, ipsique reipublicae proceres, durante adhuc comoedia antiqua, in scenam protrahebantur, et carminibus injuriosis differebantur apud populum: vid. Scaliger *de arte poet. I.* 8. 29. *sq. Hein.*

inveheretur, fustigatio vero facile ad necem usque procedere poterat: *L. 7. §. 1. D. ad Leg. Aquill. L. 1. §. 17. D. ad SCtum Silian.* quamvis id improbent leges nostrae: *L. 8. §. 1. D. de Poen.* Unde non mirum, quod capitis damnatos injuriosos ejusmodi homines refert Cicero *apud Augustinum de civit. Dei ibid.*

§. 3.

Nec non de injuria reali.

Ad atrociorem injuriam pertinebant etiam leges de membro rupto vel osse fracto, quae tales fuerunt: SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. QUI OS EX GENETALI FUDIT LIBERO CCC SERVO CL AERIS POENAE SUNTO. Ita verba legum exhibet Gothofredus *Legg. XII. Tabb. tab. VII.* Et membri quidem rupti talionem fuisse, diserte testantur Festus sub voce *Talionis p.* 558. Tribonianus *§. 7. Inst. h. t.* Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. qui tamen talionem istam, ipsis divinis legibus admissam, exagitat paullo acerbius. At, quae de osse ex genitali fracto agit, lex paullo obscurior est, nec levis est dubitandi caussa, an GENETALI, quod post Pithoeum hic posuit Gothofredus, genuinum sit h). Id certum videtur, ob fractum os liberi hominis CCC, servi CL aeris poenam fuisse: *Collatio Legg. Mosaic. et Roman. II.* 5.

§. 4.

Cur hae leges sensim ab usu recesserint?

Hae sunt leges, quas in XII Tabulas relatas fuisse de injuriis

---

h) Jacobi Gothofredi conjecturam refutavit Schultingius. De membro rupto, osse fracto ex difficillimo loco Pauli disputavi antea, [* *Obbs. jur. Rom. IV.* 10.] et aliorum opiniones excussi. *Cann.* Varias interpretum conjecturas diligentissime, ut solet, sub censuram vocavit Dirksen *l. l.* p. 516 — 525. (Tab. VIII. Fr. 2. 3.) Neque vero fieri poterat, ut tot hominum doctorum ingenia tantopere haec res exerceret, si genuinum habuissemus locum *Collat. LL. Mos. et Rom.*, corruptissimum olim, quem jam Blumius, maxime usus Vindobonensi Cod. mscr. nuper reperto, in sua editione (*Lex Dei.* Tit. II. Kap. V. §. 5.) sic exhibet: „Injuriarum actio aut legitima est, aut honoraria. Legitima ex lege duodecim tabularum: qui injuriam alteri facit, quinque et viginti sestertiorum poenam subit. *Quae lex generalis fuit; fuerunt et speciales, velut illa: si quis os fregit libero, trecentos, si servo, CL poenam subito sestertiorum.*" Unde nullo negotio lites illae componi possunt. Generatim etenim lex sanciverat, ut viginti quinque assibus injuriae essent luendae (vid. supra §. 1.). Praeterea gravioribus quidem injuriis aliae poenae constitutae sunt, ut trecentorum vel 150. assium propter os fractum, ut talionis propter membrum ruptum, cujus tamen poenae haud meminit collatio. Cf. et Gaji inst. III. §. 223. *Mühl.*

ccepimus. Sed mirum profecto non est, si illae omnes sensim ab su recesserunt. XXV asses erant paullo levioris injuriae poena.)uantilla haec mulcta erat divitibus? An impediisset, quaeso, illos b inferendis injuriis? Cui ignotus, quaeso, paullo ante in scenam roductus Lucius Veracius, homo egregie improbus, cui ea lex adeo rat ludibrio, ut obviorum os palma percuteret animi caussa, obtis continuo XXV assibus, per servum, quem pecunia onustum leo secum circumducebat? Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. Idem de ltima lege, quae ossis fracti vindicavit injuriam, sentiendum est. Iec fustiarium supplicium, quo convicium carmenque injuriosum lciscendum putabant Decemviri, locum amplius habere videbatur ı civibus Romanis, postquam lex Porcia a verberum fustiumque ɔntumelia corpora eorum exemerat. Denique et talio ita erat comarata, ut in irroganda illa poena facilius posset, quam in exseuenda, aequilibrium observari: Gellius *Noctt. Att. XX.* 1.

§. 5.

Quae Praetor statuerit de injuriis?

Unde de emendandis mutandisque istis legibus non semel cogiıtum est. Et primo quidem Praetor, teste Labeone apud Gellium *ibid.* b insignem illus Veracii petulantiam leviorem XII Tabularum poeam abolevit, et aestimationem injuriae induxit edicto suo. *Propterea,* ıquit, *Praetores postea hanc poenam abolescere, et relinqui censuerunt, ;juriisque* AESTIMANDIS *recuperatores se daturos edixerunt.* (Gaj. :I. 224.) Et haec est actionis aestimatoriae origo, quam Praetoris ırisdictio invexit. Edixerat Praetor: QUI AGIT INJURIARUM, CERTUM ICAT, QUID INJURIARUM FACTUM SIT: *L. 7. princ. D. h. t.* Injuria scicet vel *verbalis* erat, vel *realis*, ad quarum illam et *scripta,* ad hanc *'cta* quoque injuria referri potest. *Verbalis* erat, quae fiebat convio, omnique dicto contra bonos mores in alterius invidiam sparso. *ealis*, si quis verberibus, vel alio quovis facto, vel gestu, indigne ;set adfectus, si cujus bona tamquam debitoris essent possessa, qui hil debebat, si quis puero praetextato praetextataeve puellae, ›ducto comite, vel corrupto, stuprum persuasisset [i]), si quis in

i) Est hoc exemplum §. 1. *Inst. h. t.* Solebant praetextati et praetextatae ›nnisi cum comite vel custode prodire in publicum, ut tuti essent adversus ɔrum insidias, qui pudori illorum volebant illudere: Casaubonus *ad Persii ɩtir. V. v.* 30. Hos custodes impudici vel vi, vel pecunia amovebant, et tunc ɔebantur abduxisse comites: Ulpianus *L.* 15. §. 17. 18. *D. h. t. Hein.*

alterius invidiam veste lugubri usus barbam promisisset, vel capillum submisisset [k]). *Litteralis* vel *scripta* injuria, si quis carmen famosum in alterius injuriam, vel alia quaelibet cantica, vel psalteria [l]) composuisset, cantassetque, imo et proposuisset. *Picta* denique, si quis pictura obscena, vel infami alteri illusisset. Deinde injuriae vel *corpori* inferri dicebantur, vel *dignitati*, vel *famae*: *L.* 1. §. 2. *D. h. t. Corpori* quidem, veluti quum quis pulsatus; *dignitati*, quum comes matronae abductus; *famae*, quum attentata esset pudicitia. Porro vel *levior* erat injuria, vel *atrocior*. Haec vel *persona*, vel *tempore*, vel *reipsa* aestimabatur. *Persona*, ut quum magistratui; *tempore*, ut si ludis [m]); *re*, ut quum vulnus illatum, os percussum: *L.* 7. §. 8. *D. h. t.* Paulus tamen recte addit *locum*, veluti si quis in theatro intulisset injuriam: *Sententt. Receptt. V.* 4. 10. Ad atroces quoque injurias pertinebant *injuriae contra bonos mores*, quae extra ordinem puniri solebant. De his Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 13. et *L.* 1. §. 1. *D. de Extraord. crimin. Fit injuria contra bonos mores, veluti si quis fimo corrupto aliquem perfuderit, coeno, luto oblinuerit* [n]), *aquas spurcaverit, fistulas, lacus, quodve aliud ad injuriam publicam contaminaverit* [o]). Denique vel *per semetipsum* alicui, vel *per alterius* latus fiebat injuria. Unde et pater liberorum, quos in potestate

k) Sordidum habitum sumebant cognati reorum capitis ad movendam misericordiam: Cujacius *Observatt. VI.* 5. D. Gothofredus *ad L.* 15. §. 27. *D. h. t.* Videntur ergo cognati, cognatis aegre facturi, lugubrem hunc habitum sumsisse: M. Seneca *Declam. X.* 1. *Hein.*

l) *Psalterium* instrumentum musicum erat, quod scurrae urbicarii proferebant in scenam, prolubiique loco canebant ridicula, quae δεικτήρια vel *dicteria* adpellata. Unde et *dicterium* pro maledicto, et *psalterium* pro ipso *dicterio* accipitur: Jos. Scaliger *ad Manilium V. v.* 145. *p.* 360. ex *edit.* Boecleri. *Hein.*

m) In *d. L.* 7. §. 8. verba sunt: *Nam Praetoris in conspectu, an in solitudine injuria facta sit, multum interesse ait* (Labeo). Sed legendum: *in populi Romani conspectu.* Solebant veteres siglis uti P. R. unde Praetorem exsculpserunt scribae: Cujacius *Observatt. IX.* 16. *Hein.* Dubito, nam et in §. 9. *Inst. h. t.* dicitur: *injuria aestimatur ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in* CONSPECTU PRAETORIS *injuria facta sit. Cann.*

n) Est haec singularis injuriae species, quam Graeci τὸ πηλακίζειν vel προπηλακίζειν adpellarunt: vid. Salmasium *ad jus Attic. c.* 9. *Hein.* Haec Schultingius ad Pauli *l. c.* notavit. *Cann.*

o) Dictum hoc delictum *aquae per injuriam corruptae* apud Senecam *Natural. Quaestt. III.* 20. *injuria fluvii* apud Tertullianum *adversus Praxeam c.* 29. Veteribus ejusmodi homines dicebantur *oletare aquam.* Unde lex vetus apud Frontinum *de Aquaed. II.* NE QUIS AQUAM OLETATO DOLO MALO. *Hein.* Hausta haec iterum ex Schultingio. *Cann.*

ıt; vir uxoris; socer nurus nomine agere injuriarum poterat: ıst. *h. t.* Et licet servis nulla fieri intelligeretur injuria: tamen injuria et servis illata in domini vergere contumeliam videadeoque a domino jure vindicabatur: §. 3. *sq. Inst. h. t.* Quum :am varia sint injuriarum genera: actionem ita institui jussit or, ut species illatae injuriae adcurate exprimeretur.

§. 6.

Verba edicti de variis injuriarum speciebus.

De injuria verbali aliud exstat edicti Praetorii fragmentum: DVERSUS BONOS MORES CONVICIUM CUI FECISSE, CUJUSVE OPERA JM ESSE DICETUR, QUO ADVERSUS BONOS MORES CONVICIUM T, IN EUM JUDICIUM DABO: *L.* 15. §. 2. *D. h. t.* De reali: NE QUID IANDI CAUSSA FIAT: SI QUIS ADVERSUS EA FECERIT, PROUT QUAE-RES ERIT, ANIMADVERTAM: *L.* 15. §. 25. *D. eod.* Nec non de servo iam passo: QUI SERVUM ALIENUM ADVERSUS BONOS MORES VER-VISSE, DEVE EO, INJUSSU DOMINI, QUAESTIONEM HABUISSE DICE-IN EUM JUDICIUM DABO: ITEM SI QUID ALIUD FACTUM ESSE DICE-CAUSSA COGNITA, JUDICIUM DABO: *L.* 15. §. 34. *eod.* Porro de amilias: SI EI, QUI IN ALTERIUS POTESTATE ERIT, INJURIA FACTA DICETUR: ET NEQUE IS, CUJUS IN POTESTATE EST, PRAESENS, NEQUE PROCURATOR QUISQUAM EXSISTAT, QUI EO NOMINE AGAT: SA COGNITA, IPSI, QUI INJURIAM ACCEPISSE DICETUR, JUDICIUM): *L.* 17. §. 10. *D. eod.* Reliqua hujus edicti de injuriis fragmenta derantur, in primis caput illud de atroci injuria, de quo Arno-*adversus gentes IV.* [* *c.* 34. *T. I. p.* 161. ed. Ocell.] *Ne vestras* *ıs convicio petulantiore quis pulsaret, de atrocibus* FORMULAS *con-ıistis injuriis.*

§. 7.

Poena injuriarum Praetoria.

Poena ergo injuriis omnibus a Praetore statuitur aestimatio ei, injuriam fuerat passus, inferenda arbitrio judicis: §. 7. *Inst.* Et hac aestimatione partim ad personae dignitatem, partim ad ipsam uriae naturam atque indolem respiciebatur. Si plures injuriae ıul illatae fuerant, agi non poterat ob singulas, sed ob omnes ıjunctim. Alias iterum acturo obstabat exceptio injuriae unâ :tae: Cujacius *Observatt. XXVI.* 18. Praeter hanc vero pecunia-ım poenam etiam infamiae nota inurebatur ei, qui injuriarum

fuerat condemnatus: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 9. Unde Cicero *in Verrem II.* 8. *Petiit Naevius Turpio quidam, istius excursor et emissarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote Praetore condemnatus injuriarum.*

§. 8.

Lex Cornelia de injuriis.

Verum et Praetoria illa actio civilis impar cohibendae hominum petulantiae visa est L. Cornelio Sullae Dictatori. Unde is novam tulit legem CORNELIAM *de injuriis*, qua et criminale judicium constitutum est ob certas injurias, ob quas alias etiam civiliter agere licebat p). Factum id esse A. U. C. DCLXXII. suspicatur Steph. Vin. Pighius *Annal. III. p.* 263. et occasio forsitan Sullae subnata est e nimia illa licentia ac petulantia, quae per bella civilia invaluerat. Ea vero lege in eos dabatur actio, qui *pulsassent* aliquem, vel *verberassent*, vel *domum alienam vi introissent. Pulsare* et *verberare* ita differunt in hac lege, ut illud sine dolore, hoc cum dolore fieri dicatur: *L.* 5. §. 1. *D. h. t. Opuscc. varia de latinitate Jureconsultor. veterum p.* 145. *sqq.* [* ex *edit.* Car. Andr. Dukeri *Lugd. Batav.* 1711.] q). Imo tantopere haec differre videbantur, ut, qui fuerat verberatus, si diceret se pulsatum esse, non certo rem demonstrasse diceretur, teste Paulo apud *Auctorem Collat. Legg. Mosaic. et Roman. II.* 6. Domus vero quomodo possit vi introiri in alterius injuriam, facile patet. Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 8. huc refert injuriam a *derectariis* illatam. Ita enim ille: *Mixto jure injuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quoties quis pulsatur, vel verberatur, vel cujus domus introitur ab his, qui derectarii adpellantur.* Sed vereor, ne verba postrema glossema Aniani sapiant. *Derectarii* enim non a dirigendo dicuntur, quod idem veteribus fuisse ac *effringere*, sine ulla auctoritate idonea suspicantur Car. du Fresne *Glossario ad scri-*

---

p) Scilicet lex Cornelia criminalis quidem animadversionis caussa reperta: tamen et civiliter, aestimatione officio judicis facienda, poterat agi: *L.* 37. §. 1. *D. h. t.* dummodo injuria ejus generis, quam haec lex persequitur, illata fuisset. *Hein.* Henr. Mich. Voekestaert *Diss. hist. jurid. de L. Cornelio Sulla legislatore* (Lugd. Bat. 1816. 8.) P. II. c. 7. p. 144 — 153. — Caeterum dubitatione non vacat, utrum ex Lege Cornelia *quaestio* injuriarum descenderit: M. Ant. Ferratius Epist. I. 15. p. 68. sq. *Haub.* Caeter. cf. Walter *l. l.* p. 308. sq. et *Rechtsgesch.* p. 810. not. 51. *Mühl.*

q) Male hanc legem 5. interpretantur viri docti: pro *dolore* rescribendum *dolone.* [* Cf. H. Cannegieter ad Coll. LL. Moss. et RR. c. 8. p. 106. sq.] *Cann.*

mediae et infimae Latinitatis sub voce *Directarius*, et Andr. us *ad Festum* sub voce *dirigere* [* *p.* 121. in *nota.*]: sed a *de*- ›, quod idem est ac καταθύνειν. Unde Ulpianus *L.* 7. *D. de Ex- crim. Item qui* DIRECTARII *adpellantur, hoc est, hi, qui in aliena ula se dirigunt furandi animo: plusquam fures puniendi sunt:* us *Observatt. X.* 27. et 34. Aeg. Menagius *Amoenitatt. jur. civil.* r). Quum ergo directarii non injuriae caussa, sed furandi ; non vi, sed clam, in aliena se coenacula immiserint: eorum n ad furtum potius vel ad crimina extraordinaria, quam ad ı Corneliam de injuriis pertinuisse haud immerito dixeris: tingius *ad Paul. l. c. p. m.* 440. *not.* 22.

§. 9.

Poena legis Corneliae.

Horum vero auctores facinorum, qui quid contra hanc legem ıeliam admiserant, criminaliter conventi ita puniebantur, ut ad metalla, vel in exsilium, vel in opus publicum damnaren-): Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 8. Eum, qui librum pertinen- ad alterius injuriam scripserat, composuerat, ediderat, dolove ɔ fecerat, ut quidquam eorum fieret, intestabilem esse ea lex ›bat: *L.* 5. §. 9. *h. t.*

§. 10.

Differentia inter actionem civilem et criminalem.

Inter actionem vero Praetoriam et hanc CORNELIAM permultum ererat. Illa honoraria erat, haec civilis: illa annua, haec si civi- ›r agebatur, triginta; sin criminaliter, viginti annos durabat: illa vata, haec etiamsi aliquando criminalis, non semper publica ta- ın t), at pro publica utilitate exercebatur. In illa etiam alieno mine licebat agere, quod nefas ex lege Cornelia: *L.* 5. §. 6. 7. *D.*

---

r) Pro *directariis* reponendos esse *diaetarios*, magna cum verisimilitudine ıjecit Lud. Guil. Ant. Pernice *Diss. de furum genere, quod vulgo directariorum mine circumfertur.* Gott. 1820. 8. *Haub.*

s) Ita quidem Paulus, et vulgo haec verba ad totam legem Corneliam re- runt. Sed existimaverim, ea ad solos *derectarios* pertinere, quorum crimen ıtraordinarium fuisse adparet ex *L.* 7. *D. de Extraord. crim.* In ipsa lege Cor- ›lia procul dubio ordinaria quaedam poena in pulsantes, verberantes, et vi omum alienam introeuntes constituta fuerat. *Hein.*

t) Vulgo hanc actionem publicam adpellitant auctores, sed negat id Vin- ius *ad* §. 8. *Inst. h. t.* ob *L.* 41. §. 1. *D. de Procurat. L.* 7. *C. h. t. Hein.*

eod. Praeterea id quoque singulare habebat lex Cornelia, quod licebat actori deferre jusjurandum, quo reus adfirmaret, sese injuriam non fecisse, ut tunc et actoris existimatio redintegraretur, et reus eximeretur judicio: *L.* 5. §. 8. *D. eod.* Denique observandum, ex iisdem caussis, de quibus lex Cornelia prodita fuerat, agi potuisse et criminaliter, et civiliter, adeoque actoris fuisse arbitrium, utra vellet actione experiri.

§. 11.

Senatusconsulta ad legem Corneliam pertinentia.

Ceterum plura ad explicandam hanc legem SCta prodierunt. Sic SCtum aliquod intestabilem esse jussit eum, qui adversus aliquem injuriosum quidquam dixerat, aut epigramma, vel inscriptionem, aliudve quid etiam sine scripto et voce, veluti picturam in alterius injuriam protulerat, etiamsi nomen illius, in quem factum fuerit, non adjecisset: *L.* 5. §. 10. *D. eod.* Quin aliud SCtum eosdem in insulam vel relegari, vel deportari jussit: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 15. et 17. Prioris poenae exemplum est apud Tacitum *Annal. XIV.* 48. 49. Forsitan etiam e SCto est, quod si quis a praetextato praetextatave comitem abduxisset, is, qui perfecerat flagitium, capitis damnabatur, qui attentaverat, in insulam deportabatur, comites vero corrupti summo adficiebantur supplicio: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 14.

§. 12.

Quid per constitutiones additum?

Adcessere his legibus nonnulla per constitutiones Principum, veluti, quod illustres viri etiam criminalem injuriarum actionem possent per Procuratores instituere pariter ac suscipere: *L.* 11. *C. de Injur.* quod et is, qui libellum famosum circumtulerat, quasi auctor delicti, capitali sententia esset condemnandus: *L. un. C. de Famos. lib.* et quae sunt hujus generis alia a doctoribus explicatius proponi solita.

LIB. IV. TIT. V.

DE

OBLIGATIONIBUS, QUAE QUASI EX DELICTO NASCUNTUR.

Quemadmodum obligationes quaedam *quasi ex contractu* nasci icuntur: ita sunt etiam, quae QUASI EX DELICTO descendunt. Est ero QUASI DELICTUM factum, quod damno vel fuit, vel esse potest, on dolo, sed culpa commissum [a]).

§. 1.

Judex ut litem suam fecerit?

Primum hujus generis quasi delictum admittit JUDEX, SI LITEM UAM FECERIT: id est, si male judicando litis periculo se obstrin:erit, caussamque ejus, secundum quem litem dederat, in se susce›erit, et tamquam suam defenderit: Cicero *de Oratore II.* 75. *Quid? i, quum pro altero dicas, litem tuam facias?* Fieri autem id poterat lupliciter, vel dolo malo, vel imperitia judicis. Si dolo [b]): tunc ⁄erum id erat delictum, quod praeter litis aestimationem etiam fanae dispendio puniebatur [c]): *L. fin. C. de Poen. judic. qui male judic.* mo et repetundarum actione, si judex corrumpi se passus esset, ⁄indicabatur: *L.* 3. *C. ad Leg. Jul. repetund.* Sin imperitia: quasi e lelicto obligatus videbatur judex. Et de hoc jam est quaestio.

---

a) Quod si ita visum fuit Romanis, quare in verorum numero delictorum ›aberi voluerunt damnum injuria datum? Rursus autem, quomodo dici potuit: ›um, qui ob alterius culpam teneatur, quasi ex delicto obligatum intelligi? (§. 1. :t 3. *I. h. t.*) Non potest igitur non esse falsa definitio ab Auctore proposita. Meliora habet A. D. Weber in libro: *von der natürlichen Verbindlichkeit* §. 10. ›qq., ubi, non esse hanc rem ex philosophorum praeceptis hauriendam, sed ex ›ropria civilis Romanorum prudentiae indole explicandam, invictis argumentis locuit. *Mühl.*

b) Et huc pertinet *L.* 15. §. 1. *D. de Judiciis,* inter quam et *pr. Inst. h. t.* ıntinomiam deprehendere sibi visus est Guil. Budaeus *Adnotatt. ad L. ult. D. le Aedilit. edict.* sed frustra. Litem enim suam facere dicebatur judex male ¦udicans; sive dolo malo, sive imprudentia id fecisset: Cujacius *Observatt. VIII.* 10. *Hein.* Cf. Gaj. IV. §. 52. *Mühl.*

c) Glossatores id vocant *syndicatum,* quae vox ex barbaro *syndicare* nata, quae Italis, Hispanis, Gallis est judicem ratione officii postulare: vid. Car. du Fresne *Glossar. ad scriptores mediae et infimae Latinit.* sub voce *syndicare. Hein.* Aliter rem explicat Leyserus *med. ad Pand. Sp.* 680. *Mühl.*

§. 2.

Romanorum sollicitudo in eligendis judicibus.

Romani omnem dabant operam, ut judices essent idonei. Hinc quidam lege impediebantur, ne essent judices, quidam natura, quidam moribus. Natura, ut surdi et muti et furiosi et impuberes: lege, ut qui moti fuerant senatu: moribus, ut feminae et servi: *L.* 12. §. 2. *D. de Judic.* Imo et justam exigebant aetatem annos scilicet ad minimum viginti quinque, postea viginti: Suetonius *Octav. August. c.* 32. ac demum octodecim, si magistratum gererent: *L.* 57. *D. de Rei jud.* Jacob. Cujacius *Observatt. XX.* 32. Praeterea judices omnes jubebant Romani jurare, ex animi sententia et ex lege se judicaturos. Idque plerumque fiebat ad aram in comitio, quae puteal Libonis [d]) dicebatur: Sigonius *de judic. I.* 28. *p.* 504. Denique ut tanto minus esset periculi, ne imperite judicarent: solebant aliquando iis unus aut plures judicii socii jurisperiti adjungi, quorum consilio omnia agerent: Gellius *Noctt. Att. XII.* 13. Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. II.* 18. *de antiq. jur. prov. II.* 5.

§. 3.

Poena judicum imperite judicantium.

Quamquam ergo, quum res ita se haberet, haud facile videtur potuisse contingere, ut judex imperite judicasse crederetur: tamen si id factum esse adpareret, quasi ex maleficio tenebatur, et quantum de ea re judicantis religioni visum esset, poenam sustinebat, salva tamen existimatione: *L. ult. D. de Extraord. cogn.* Sed quantumvis aequa videatur haec poena: adfirmare tamen quidam non dubitant, eam actionem jam apud Romanos vel nullum, vel exi-

---

d) Erat PUTEAL ara in comitio, superstructa puteo, in quo Naevii, illius celeberrimi auguris, cotem et novaculam demersam ferunt: quae quum a Libone quodam fuisset restituta, *puteal* Libonis dicebatur: Horatius *Epistolar. Lib. I.* [**ep.* 19. *v.* 8. *sq.*]

— — — *Forum* PUTEAL*que Libonis*
Mandabo siccis, — — — —

Insigne hujus arae monumentum exstat in numis gentis Scriboniae apud Fulvium Ursinum *de famil. Rom. p.* 249. ex *edit.* Car. Patini. Plura Sigonius *de judic. I.* 28. *p.* 504. *Hein.* Cf. Jos. Scaliger *ad Festum* sub vocc. *sceleratus campus. Cann.* Vide Festum ex *edit.* Andreae Dacerii, qui Jos. Scaligeri notam satis longam attulit *p.* 486. Franc. Car. Conradi Comm. *de puteali Scribonii Libonis. Lib. III. Parergor. num.* 2. *p.* 323 — 349. *Haub.*

guum habuisse usum: Thomasius *Dissertat. de usu pract. actionis adversus judicem imperite judicantem* §. 16. *p.* 35.

§. 4.

De dejectis, effusis, positis et suspensis.

Ad obligationes, quae quasi e delicto nasci dicebantur, pertinent etiam DEJECTA, EFFUSA, et POSITA, aut SUSPENSA, quae si nocuissent, constituta erat a Praetore actio adversus eum, qui coenaculum, unde tale quid factum fuerat, inhabitabat. Edictum ita se habuit: UNDE IN EUM LOCUM, QUO VOLGO ITER FIET, VEL IN QUO CONSISTETUR, DEJECTUM VEL EFFUSUM QUID ERIT, QUANTUM EX EA RE DAMNUM DATUM FACTUMVE ERIT, IN EUM, QUI IBI HABITAVERIT, IN DUPLUM JUDICIUM DABO. SI EO ICTU HOMO LIBER PERISSE DICETUR, QUINQUAGINTA AUREORUM JUDICIUM DABO. SI VIVET, NOCITUMQUE EI ESSE DICETUR, QUANTUM OB EAM REM AEQUUM JUDICI VIDEBITUR, EUM, CUM QUO AGETUR, CONDEMNARI, TANTI JUDICIUM DABO. SI SERVUS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETUR, IN JUDICIO ADJICIAM: AUT NOXAM DEDERE: *L.* 1. *princ. D. de His, qui effud. vel dejecerint* [e]). Quamvis vero haec ex edicto Praetoris sint: tamen et in lege Aquillia de dejectis et effusis aliquid cautum fuisse docet V. A. Bynkershoek *Observatt. I.* 13. *(Lib. IV. Tit. III.* §. 9.*)* [f]). Nec si nocitum tantum re ipsa fuerit, actionem Praetor dabat; sed et si quis ea parte, qua vulgo iter fiebat, id positum aut suspensum habebat, quod posset, si caderet, nocere. Hoc enim casu poena X aureorum fuerat a Praetore constituta, eaque actio popularis erat, et cuivis e populo concedebatur. Adversus dominum autem, si servus posuisset vel suspendisset, agebatur noxaliter. Edicti verba sunt in *L.* 5. §. 6. et *sq. D. eod.*

§. 5.

Actiones contra nautam, cauponem, stabularium.

In NAUTAM quoque, CAUPONEM et STABULARIUM dabatur actio de damno, aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum fuerat, etiamsi nullum ejus esset maleficium. Eo vero casu, si quis ex viatoribus, vel vectoribus nocuerat, actio dabatur ex quasi contractu. Ajebat enim Praetor: NAUTAE, CAUPONES, STABULARII, QUOD

e) Ev. Ottonis *Lib. sing. de tutela viarum publicarum.* P. III. c. 5. p. 472 — 493. *Haub.*

f) Sed vid. quae a nobis sunt observata Tit. III. huj. libri §. 9. not. l. *Mühl.*

CUJUSQUE SALVUM FORE RECEPERINT, NISI RESTITUENT, IN EOS JUDICIUM DABO: *L.* 1. *pr. D. Naut. caupon. stabul.* Quamquam vero *stabulum* idem fuit antiquis, quod deversorium aut πανδοχεῖον, eoque sensu saepius occurrit apud auctores, in primis apud Petronium [* *v. c. Satiric. c.* 6. *p.* 41. *c.* 8. *p.* 47. ex *edit. altera* Petri Burmanni]: in hoc tamen edicto pro loco, ubi jumenta stabulantur, accipitur, uti ex *L.* 5. *D. eod.* adparet. Omnia autem hujusmodi loca suspecta erant, quia eo faex hominum confluere solebat. Vigebat inter Romanos et exteros jus hospitii, adeoque viri honestiores non devertebant in cauponis: sed hominum colluvies ibi delicias quaerebat. Nec viri in dignitate constituti navibus publicis utebantur, sed proprias sibi conducebant. Unde tam famosa erat nautarum, cauponum, stabulariorumque malitia, ut Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 5. *v.* 3. *sq.* de iis canat:

— — — — *Inde Forum Appi,*
Differtum nautis, CAUPONIBUS *atque malignis.*

Interesse ergo videbatur reipublicae hos homines pravos non solum ex quasi contractu, sed et ex quasi delicto teneri. Et haec actio locum habebat, si famuli, quorum opera et ministerio nautae, caupones, vel stabularii usi erant, damnum furtumve fecissent. Eo enim casu adversus ipsos nautas, caupones, stabularios actio in duplum competebat: *L.* 5. §. *ult. D. de Oblig. et act. L. un. D. Furt. adv. naut. L. ult.* §. 1. *D. Naut. caup. stab.* et §. *ult. I. h. t.* g).

LIB. IV. TIT. VI.

DE

ACTIONIBUS.

Hactenus de duobus juris objectis actum, puta de PERSONIS et REBUS: jam de tertio a), quod ACTIONES complectitur, disserit Imperator. Totus titulus varias sistit actionum divisiones et differentias, quae quum intelligi vix possint, nisi quis veterum judiciorum

---

g) Otto *l. l.* P. III. c. 6. p. 493—498. Christ. Lud. Scheidii Diss. *de cauponarum origine et jure, et magistratus in iis ordinandis cura.* (Gott. 1738. 4.) §. 17—19. p. 24—38. *Haub.*

a) At sunt, qui haud levibus usi argumentis defendant, doctrinam de obligationibus ei esse adsignandam juri, quod ad actiones spectat, nimirum propter

rationem seu, ut hodie vocant, processum Romanorum probe intelligat: dabimus operam, ut post Sigonium, Polletum aliosque, qui de judiciis commentati sunt, in quorum numero et Car. Bretus in libello *de ordine antiquo judiciorum*, recuso a Clarissimo Sallengre *Antiquitatt. Roman. Thesaur. Tom. II.* [b]) totam litigandi judicandique rationem paullo adcuratius ex antiquitatibus Romanis exponamus.

§. 1.

Judicia quotuplicia?

Quemadmodum jus aliud *privatum* est, aliud *publicum:* ita et judicia apud Romanos, alia PRIVATA, alia PUBLICA erant. Utraque breviter, at adcurate hunc in modum distinguit Cicero *pro A. Caecina c. 2. Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum caussa reperta sunt.* Privatis ergo judiciis quisque, quod sua intererat, persequebatur; publicis vel ipse populus ea, quae reipublicae detrimenti quidquam adferre potuissent, vel adcusator populi nomine crimina publico dedecori futura vindicabat [c]). De publicis infra *ad titulum XVIII.* §. 1. *sqq.* de privatis hoc et sequentibus titulis agemus.

---

naturalem aeque ac civilem cognationem, quae inter obligationes et actiones intercedit. Cui sententiae vel maxime praesidio sunt ea, quae de ordinis ratione praecipit Theophilus in *Pr. I. de obligationib.* Vide in primis Hugo *civ. Mag.* IV. p. 23. sqq. V. p. 405—409. p. 427. sqq. (num. 3.) VI. p. 288—346. et in argumentorum codice ad T. VI. p. XIX. cf. et Mühlenbruch: *Cession der Forderungsr.* p. 16—21. *Mühl.*

b) Scriptis in principio hujus tituli laudatis addendus: Jul. Fr. Malblanc *Conspectus rei judiciariae Romano-germanicae* (Norimb. et Altorf. 1797. 8.) Lib. I. Sect. I. c. I. p. 1—75. (qui simul de publicis judiciis agit). Multum etiam lucis huic argumento adferunt: Sibr. Siccama *de judicio Centumvirali Libri II.* ex ed. Car. Fr. Zepernick. Hal. 1776. 8. *Haub.* Jam vero hi prae caeteris conferendi sunt scriptores, qui post genuinos Gaji commentarios repertos rei judiciariae Romanorum operam dicarunt: Ev. Dapont *disquisitiones in comment. IV. institutionum Gaji.* Lugd. Bat. 1822. 8. A. W. Heffter *Institutionen des röm. u. deutsch. Civilprocesses.* Bonn 1825. F. J. Stahl *üb. d. ältere röm. Klagenrecht.* Münch. 1827. 8. *Gaji institutionum commentarius quartus.* Recensuit librumque *observationum adjecit* A. G. Heffter. Berol. 1827. 4. S. W. Zimmern *der röm. Civilprocess in geschichtl. Entwickelung bis auf Justinian.* Heidelb. 1829. A. Bethmann-Hollweg *Gerichtsverfassung u. Process des sinkenden Röm. Reichs* (Bonn 1834.) §. 1. 2. p. 1—35. Walter *Röm. Rechtsgeschichte* p.714—806. Huschke *Verfassung des Königs Servius Tullius* Cap. XI. p. 583. sqq. *Mühl.*

c) Cf. IV. 18, 3. et 4. nec non Ernesti *Clav. Ciceron.* v. *caussa* et Bachii *hist. jurisp.* II. 1, 21. *Haub.*

§. 2.

Olim Reges ipsi judicabant.

Privatis judiciis magistratus, et initio quidem Reges, post Consules, denique Praetores praeerant. De Regibus Dionysius Halicarn. *X.* 1. *Τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἐτάττοντο τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων τοῦτο νόμος ἦν. Olim eorum Reges jus petentibus constituebantur, atque lites dirimebant; et quod ab illis fuisset judicatum, id vim legis habebat.* Idem auctor *II.* 14. Regis jura muniaque describens ait: *Βασιλεῖ μὲν οὖν ἐξῄρητο τάδε τὰ γέρα· πρῶτον μὲν, ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια· ἔπειτα, νόμων τε καὶ πατρίων ἐθισμῶν φυλακὴν ποιεῖσθαι, καὶ παντὸς τοῦ κατὰ φύσιν ἢ κατὰ συνθήκας δικαίου προνοεῖν. Ac Regis quidem haec munia eximia esse jussit: primum, ut sacrorum et sacrificiorum principatum haberet, et omnes res divinae ac piae per eum agerentur. Deinde, ut legum ac morum patriorum custos esset, et omnis juris naturalis et ex communi hominum consensu pactoque scripti curam gereret.*

§. 3.

Postea Consules.

Ejectis Regibus, jurisdictio haec ad Consules delata est. Qua de re idem Dionysius Halicarn. *X.* 1. *Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπατεύουσιν ἀνέκειτο τά τε ἄλλα τῶν βασιλέων ἔργα, καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήτινος, ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ διαιροῦντες ἦσαν. Imperio a Regibus ad annum Consulum magistratum translato, inter cetera regia officia juris quoque cognitio iis tributa est: atque illi lites inter litigatores quacumque de caussa ortas jure decidebant*, vel potius, jus dicebant. Idem docet Livius *II.* 27. ubi de Appio Claudio: *Appius, — quam asperrime poterat, jus de creditis pecuniis dicere.* Eadem jurisdictio etiam penes alios magistratus erat, qui Consulari potestate praeerant reipublicae, quales aliquamdiu Decemviri et Tribuni militum, nonnumquam etiam Dictatores erant. De Decemviris sane id clarissimum est ex Livio *III.* 33. qui *decimo die jus populo singulos reddidisse* testatur.

§. 4.

Ac demum Praetores et Aediles. Et in provinciis Praesides.

Postremo juris dicundi potestas in urbe ad Praetorem delata

est, qui A. U. C. ccclxxxix. primum creari coeptus est. Invaluit postea, ubi duo Praetores creari coepti sunt, ut Praetorum alius civibus, alius peregrinis jus diceret. Erant quoque postremis temporibus Praetores *provinciales*, *tutelares*, *fideicommissarii*, *fiscales*. Sed de eorum origine ac jurisdictione jam supra abunde dictum est *ad Lib. I. Tit. II.* §. 18—23. Attamen et quamdam jurisdictionis partem sibi vindicabant Aediles. Hi vero de paucis rebus jus dicebant, in primis autem de venditione mancipiorum, de mensuris, de foro venalium, de iis, quae in viis urbis publicis contigerant, de quibus etiam edicta proponebant, ut supra *ibid.* §. 24. *sq.* ostendimus. In provinciis Proconsules, Praetores, Praesides eadem juris dicundi potestate gaudebant. Municipalibus magistratibus jurisdictio, non item imperium competebat: *L.* 32. *D. de Injur.* [* *L.* 26. *pr. D. Ad municip.*] d).

§. 5.

Quid imperium?

Magistratibus ergo, qui judiciis praeerant, jurisdictio tribuebatur et imperium, quae, etsi nonnumquam idem significare videntur, ut prolixe ostendit Ger. Noodt *de Jurisd. I.* 2. distingui tamen solebant ab adcuratioribus, non quidem ab eo demum tempore, quo edictum perpetuum magistratibus municipalibus notionem quamdam, id est, jurisdictionem sine imperio dedit: ut eidem visum est Ger. Noodt *de Jurisd. I.* 3. *p.* 123. sed temporibus antiquissimis. Scilicet quum jurisdictio cuivis jure magistratus competeret: imperium proprie sic dictum nonnisi lege curiatá, adhibitis auspiciis, dari poterat: Livius *V.* 46. Unde nec Dictatori, nisi praemissa lege curiata, equum adscendere licebat: Livius *XXIII.* 14. Aliud vero erat imperium magistratuum: aliud militare. Illo accepto, pro diversitate imperii Dictatores, Consules, Praetores; hoc vero dato, etiam Imperatores vocabantur. Magistratuum ex Sigonii sententia quatuor jura erant apud Romanos, quorum unum in *imperando*,

---

d) De magistratuum municipalium jurisdictione ejusque finibus: Jo. Wasteau *Diss. de jure et jurisdictione municipiorum.* L. B. 1727. 4. et in Oelrichs *Thes. Dissertt. Belgic.* Vol. II. T. II. p. 235—317. Henr. Ed. Dirksen *Diss. Obss. ad selecta Legis Galliae Cisalpinae capita.* (Berol. 1812. 4.) p. 25 — 50. atque von Savigny *Geschichte des Röm. Rechts im Mittelalter* T. I. c. 2. p. 30 — 39. et p. 76. (s. §. 10—14. et §. 26. ed. 2.) *Haub.* Add. Hollweg *Gerichtsverf. u. Proc. d. sinkenden R. R.* §. 11. *Mühl.*

alterum in *jure dicundo*, tertium in *referendo*, quartum in *auspicando* positum erat. Duo posteriora jura, quum in curia et comitiis sese exseruerint, huc non pertinent [e]). Ad *imperium* quod attinet, illud jus *edicendi*, *vocandi*, *prehendendique* complectebatur. *Edictis* vel jurisdictionis suae formulam initio magistratus proponebant, vel ea, qua pollebant, auctoritate, quod visum erat, imperabant, id quod saepius factum esse a Consulibus, Praetoribus, Dictatoribus, Censoribus, reliquisque magistratibus novimus. *Vocatio* jus vocandi prehendendique absentes, *prehensio* denique jus abducendi praesentes complectebatur. Unde qui vocatione gaudebant, lictoribus, viatoribus, servisque publicis; qui prensione dumtaxat, ut Tribuni plebis, viatoribus tantum cum servis publicis utebantur: Gellius *Noctt. Att. XIII.* 12. Qui neutro jure fruebantur, veluti Quaestores, ii servis tantum publicis stipati prodibant in publicum, et tunc non imperium, sed potestatem habere dicebantur: Car. Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. I.* 20. *p.* 220.

---

e) Magistratus partes, quatenus omnino spectant ad hunc locum, duobus hisce continentur: *imperio* et *jurisdictione*. Imperium est jus imperandi et cogendi; jurisdictio, quae quidem in solis causis privatis versatur, in decernendo ex edictis, et in judicis datione posita est. Imperium vel merum est, vel mixtum. Merum, quod etiam jus gladii appellatur, potestate continetur animadvertendi in homines facinorosos; mixtum est, quod jurisdictioni cohaeret, sive eam comitatur. In eoque insunt et sententiarum exsequutio, et possessionum dandarum jus, et integri restitutio. Quodsi non cohaeret imperium jurisdictioni, quale est magistratuum minorum s. municipalium jus, *notio* dicitur, quasi solam de re aliqua cognoscendi potestatem contineat; unde *plenissima jurisdictio* (i. e. ea, quae cum imperio conjuncta est) solis magistratibus majoribus tribuitur. Licet enim, quae imperii sunt, non prorsus deessent minoribus, tamen aut ex superiorum mandato omnia peragebantur, aut certi legibus limites constituti erant, quos excedere haud licuit municipiorum magistratibus. Vid. *L.* 1—4. *D. de jurisd. L.* 1. in f. *D. de offic. ejus cui mandata est jurisd. L.* 5. *pr. D. de re jud. L.* 7. §. 2. *D. de offic. Proc. et leg. L.* 26. *D. ad municipal. L.* 4. §. 3. *D. de damno inf.* Vid. et quae supersunt ex Lege de Gallia Cisalpina (sive eam dicere malis Rubriam legem), atque ibi vel maxime cap. 22. lin. 45. sqq. — Cfr. de hujus loci argumento: Ge. Christ. Gebaueri Comm. *de jurisdictione sec. doctrinam Romanor. ejusdemque doctrinae in Germania usu* (Lips. 1733. 4.) c. 1. §. 1—5. §. 8—10. (in *Exercitt. acadd.* nr. XVI. p. 435. sqq.) Bach *hist. j.* II. 1, 26. et *unpart. Kritik* T. III. p. 175. sqq. T. VI. p. 313. sqq. Ernesti *Clavis Ciceron.* v. *jurisdictio.* Zimmern *Röm. Proc.* §. 2. et 5. — Scriptores hi, excepto Zimmerno, jam ab Hauboldo erant laudati, at nec satis distincte, nec loco admodum congruo. *Mühl.*

§. 6.

Quid Jurisdictio?

Jurisdictio duabus constabat partibus, *decreto* scilicet et *judicis datione*. Nam Praetores aut ipsi, caussa cognita, decernebant, aut judices, qui cognoscerent, dabant, iisque certam praescribebant judicandi formulam, cujus moris originem ab ipsis Regum temporibus repetit Ger. Noodt *de Jurisd. I.* 6. *p.* 127. Neque vero, quod multi existimant, in Praetoris positum erat arbitrio, velletne judicem dare ordinario jure, an mallet ipse extra ordinem cognoscere: sed edicti habenda erat ratio, et ipsius, de quo disceptabatur, negotii. Si enim de jure disceptabatur: ipse Praetor jus dicebat extra ordinem, sin de facto: judex dabatur. Unde formula: si paret, condemna. Seneca *de Benef. III.* 7. Ger. Noodt *de Jurisd. I.* 8. *p.* 130. *sq.* [f]).

---

f) Ratio litigandi ex more antiquo haec erat: exordium litis fiebat apud magistratum, qui, causa proposita cognitaque, judici vel judicibus rem disceptandam judicandamque demandabat. (Vid. infra §. 39—41. huj. tit. et tit. XVII.); post sententiam latam rei judicatae actione instituta rursus res redibat ad magistratum, nimirum exsequendae sententiae causa. Quaecunque coram magistratu peragebantur, ea *in jure* fieri dicebantur (*L.* 11. *D. de Inst. et jure,* verb. *Alia significatione* rel. Gaji *inst.* IV. §. 29. et 164. *L.* 4. §. 1. *D. de interr. in jure*); unde *jus* et *judicium* opponi solita sunt (*L.* 12. *D. de interr. in jure. L.* 15. *D. ratam rem. hab.*). Adeoque in orbe Romano inveteraverat mos ille, judicantium munus separandi a magistratuum officio, ut inde denominatus sit *ordo judiciorum*, tum *privatorum* tum *publicorum*. Jam vero libera republica nonnullis in causis, crebrius imperatorum aetate, consueta hacce juris forma discedebatur, hoc pacto, ut ipsi magistratus cognitione sua rem dirimerent; unde ea, quae *juris ordinarii* essent, *rebus* s. *causis extraordinariis* contra poni solita sunt. (Vid. Suet. *in Tib.* c. 31. *in Claudio* c. 15. Ernesti *exc. ad Caes.* c. 43. in f.) Simpliciter etiam, quae extra ordinem a magistratibus dijudicari consuerunt, *cognitionis esse* dicuntur, tum vero *praetoriae cognitiones;* non eo, quasi aliena fuerit magistratuum cognitio a causis ordinariis, sed, recte monente Ernestio (*Cl. Cic. v. cognitio*), cognitionis vocabulo abusu quodam et tamquam per ellipsin ad extraordinarias causas translato. Neque alia desunt vocabula, quibus plenius accuratiusque res, quid sit, significetur, velut: *persequutiones* et *cognitiones extraordinariae* (*L.* 178. §. 2. *D. de V. S.* Rubr. *Tit. Dig. de extraordinariis cognitionibus*). Jus autem extra ordinem dicere magistratus consueverant his praesertim in causis, quibus contra civilis juris tenorem nova prorsus et singulari ratione juris cogendi auctoritas addita est, velut causis fideicommissorum (Ulp. *Fragm.* Tit. XXV. §. 12.), honorariorum ad advocatos spectantium, similibusque (*L.* 1. *D. de extraordin. cognit.*). Erant praeterea certae res juribus definitae, quarum tractandarum ratio arbitrio permissum erat aut magistratuum, aut litigantium (vid. v. c. *L.* 1. §. 1. *L.* 2. *pr. D. ex quib. caus.*

§. 7.

Locus, ubi jus dictum. Tribunal.

Ad Praetorem ergo veniendum erat eis, qui jus suum persequi cupiebant, et quidem in locum juri dicundo destinatum, qui et ipse *jus* dicebatur g): *L.* 1. *D. de In jus voc.* [*L.* 11. *D. de Just. et jure.*] Hic vero locus vel *superior* erat, vel *planus*. E superiore loco jus dicere dicebatur Praetor, quoties pro tribunali jus dicebat.

---

maj. L. 1. §. 2. *D. de rei vind.*). Itemque videtur his in causis, ubi licebat magistratibus, dare actionem ex facto sibi proposito nondum edicto vulgatam, eorundem in arbitrio positum fuisse, mallentne jure ordinario an extraordinario succurrere partibus; (exempl. vid. *L.* 1. §. 17. in f. *D. de exercit. act.*). Denique quoties Princeps negotia remittebat ad Praesidem provinciae, is aestimare debebat, utrum ipse de re cognosceret, an judicem daret. (*L.* 8. 9. *D. de offic. Praes.* Noodt *de jurisd.* Lib. I. c. 7. Gebauer *l. l.* §. 11. Zimmern *l. l.* §. 88.) Quaecunque autem juris hujus extraordinarii causa fuerit ac ratio, hoc tamen pro certo affirmari potest, perperam ab Heineccio statui: Praetorem extra ordinem jus dixisse, si de jure disceptaretur, sin de facto, judices fuisse datos. Quasi vero res factas semper cognitas habuerint magistratus, nec umquam judices de juris quaestionibus solliciti fuerint! (Stahl *ält. Röm. Klagenr.* p. 14. sq. Zimmern *l. l.* §. 12. §. 131. p. 398.) — Sub impp. sensim et pedetentim in unum coaluere magistratuum et judicantium munera. Jam etenim ab ineunte imperio principes frequentissime extra ordinem jus dicebant; ex quo vero consilium sibi adsciverant statum et perpetuum quum de rebus publicis deliberandi tum judicandi causa, aliter coram se res causasque tractari passi haud sunt. Tale consilium primum instituisse Hadrianum imp. perquam est verisimile; nomen eidem postea inditum *auditorii* s. *consistorii principis*. (Haubold *de consistorio principum Romanorum* Sp. I. et II. Lips. 1788. 1789. et in *opusc.* ed. Wenck Vol. I. p. 187—314.) Idque quum etiam provinciarum Praesides imitati essent, fieri non potuit, quin in desuetudinem mox abiret vetus judiciorum ordo. Et primo quidem *publicorum* judiciorum ordo in usu esse desiit (*L.* 8. *D. de publ. jud.*), in ceteris post constitutionem Diocletiani imp. (quae est *L.* 2. *C. de pedaneis judicibus*) nova litigandi ratione tamquam communi jure uti coeperunt Romani; quare Justinianus, suo tempore omnia judicia esse extraordinaria, monet. §. 8. *I. de interd.* Cf. de Savigny *Recht des Besitzes* §. 34. p. 450. ed. 6. Ejusd. *Gesch. d. Röm. R. im Mittelalter* T. I. §. 26. p. 102—105. ed. 2. Zimmern *l. l.* §. 89. *Mühl.*

g) Olim omnes lites agitatae in comitio: Plautus *Poenulo Act. III. sc.* 6. *v.* 12.

Cras mane, quaeso, in comitio estote obviam.

Postea privata quidem judicia instituebantur sub tecto in basilicis, quales erant Opimia, Julia, Porcia: publica vel in comitio, vel in foro: Polletus *For. Rom. I.* 2. et *sq.* Quod ut eo commodius fieret, Marcellus, Octaviae Augusti sororis filius, totum forum velis obumbraverat, ut scilicet tanto salubrius litigantes consisterent. Quanto prudentius Cato ille Censorius forum muricibus sternendum censuerat? Vid. Broidaei *Coroll. ad Pollet. for. Rom. p.* 18. *Hein.*

Tribunal h) erat locus amplissimus et spectabilis in foro, fere hemicycli specie introrsum curvatus, in quo in sella curuli i) praesidens Praetor caussas cognoscebat. Vitruvius *de Architectura V.* 1. §. 8. *Item tribunal est in ea aede hemicycli schematis minore curvatura formatum: ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum quadraginta sex, introrsus curvatura pedum quindecim, uti, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent.* Unde latera vel extrema hujus curvaturae *cornua* adpellantur Tacito *Annal. I.* 75. Hinc Martialis *Epigrammat. XI.* 98. *v.* 10. *sqq.*

Non te cucullis adseret caput tectum,
Lectica nec te tuta pelle, veloque,
Nec vindicabit sella saepius clusa.
Rimas per omnes basiator intrabit:
Non Consulatus ipse, non Tribunatus,
Saevique fasces, nec superba clamosi
Lictoris abiget virga basiatorem.
Sedeas in ALTO *tu licet* TRIBUNALI,
Et e CURULI *jura gentibus reddas:*
Adscendet illa basiator, atque illa.

Quod tribunal adeo proprium erat magistratibus Romanis majoribus, ut ab eo plane abstinendum esset magistratibus municipiorum, quin et minoribus magistratibus Romanorum, veluti Tribunis plebis, Triumviris, Quaestoribus, quippe qui in subselliis tantum jus dicere solebant: [* Ascon. Pedianus *in Cic. Divinat. c.* 15. *p.* 34. *ed. L. B.*] unde et municipales magistratus *pedanei judices* vocantur a Paulo *L.* 38. §. 10. *D. de Poen.* Ex quo simul adparet, pro subselliis acci-

h) Tribunal jam Romulum terroris incutiendi caussa invenisse, testatur Dionysius Halicarn. *Antiquitt. Rom. II.* 29. *Hein.* Car. Ferd. Hommelii *Pr. de forma tribunalis et majestate Praetoris.* Lips. 1763. 4. et ad calcem edd. XIII. et XIV. *Antiqq. Roman.* Guil. Henr. Nieupoorti. *Haub.* Cf. Hollweg *Gerichtsverfassung des sinkenden Röm. Reichs* §. 18. *Mühl.*

i) Augustum, adfecta valetudine, in lectica e tribunali jus dixisse, testatur Suetonius *Octav. August. c.* 33. Forma sellae curulis in numis innumeris conspicitur. Erat ea communis magistratibus majoribus, praeterquam quod Praefectus praetorio carpento pro sella curuli uteretur: [* Ammian. Marcellinus *Rer. gestar. XVI.* 10.] Cf. Petri Fabri *Semestr. I.* 3. *p.* 15. Jam ante Messalinae permiserat senatus, ut carpento uteretur: Suetonius *Claud. c.* 11. 17. et Agrippinae, teste Dione. Olim et virginibus Vestalibus id jus erat, teste Lipsio *de Vestal. XI. Hein.*

piendum esse tribunal, ubicumque illud municipiorum magistratibus tribuitur [k]).

§. 8.

Locus planus.

Tribunali opponebatur *planus*, vel, ut Cicero vocat, *aequus locus:* Cicero *Epistt. ad Div. III.* 8. Seneca *de Clement. L.* 5. Saepe enim Praetor tribunali descendens in plano retinebatur, saepe et domi, aut in via, desiderium exponebant cives. Dum ergo in aequo consistens solo procedensve audiebat, dicebatur *de plano cognoscere: L.* 1. §. 1. *D. de Const. princ. L.* 9. §. 3. *D. de Officio Proconsul. L.* 6. *D. de Adcusat.* Et talis est *planaria* illa *interpellatio*, cujus mentio fit *L.* 4. *C. de Dilat.* ex edit. Haloandri, quum in vulgatis falso legatur *plenaria.* Qui de plano postulabant, magistratum per libellum adibant, et Praetor postulanti respondebat per subscriptionem: *L.* 15. *D. de In jus voc. L.* 29. *D. ad Leg. Corn. de fals.* At quae decretum et caussae cognitionem desiderabant, nec libello nec alibi, quam pro tribunali, poterant explicari: *L.* 9. §. 1. *D. de Officio Procons. L.* 3. §. 8. *D. de Bon. possess. L.* 1. §. 8. *D. ad SCtum*

---

k) Suetonius *de claris rhetor. c.* 6. *C. Albutius Silus Novariensis, quum Aedilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronunciabat, pedibus e* TRIBUNALI *detractus est.* Lapis apud Reinesium *Inscript. Class. II. p.* 298. *n.* LXXXIX.

MELANTHUS. P. DECII
ET COLLEGA. MAG. NE
TRIBUNAL. NOVUM. A. SOLO. FECERE etc.

ut et alius *Class. VI. p.* 418. *n. XLIV.*

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQILLANI.
EQ. PUB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. AP. UB.
CURATORI. VICETINOR
APPARITORES. ET
LIMOCINCTI
TRIBUNALIS EJUS.

Omnia haec abusive dici videntur, et municipalibus magistratibus simili ambitione tribui, qua curia eorum *senatus*, Decuriones *Senatores*, Duumviri *Dictatores, Consules, Praetores,* subinde adpellati sunt: Ger. Noodt *de Jurisd. L.* 3. *p.* 123. V. C. Ev. Otto *de Aedilib. municip.* et *Dissertat. de Consulibus extra Romam. Hein.*

Turpill. Quae vero caussae pro tribunali definiendae fuerint, passim exponere soleat Jureconsulti [1]).

§. 9.

Praetoris consilium.

Pro tribunali quoties cognoscebat Praetor, consilium adhibendum erat: *L.* 2. §. 29. *D. de Orig. jur.* Suetonius *vita Tiber. c.* 33. quod Praetori a tergo adsidebat: Ammian. Marcellinus *Rerum gestar. Lib. XXIII. extr.* quamvis qui illi intererant, non jus dicebant, sed Praetorem jus dicentem instruebant. Et ita intelligendus Plinius *Epistt. I.* 20. *Frequenter egi, frequenter judicavi, frequenter in consilio fui.* Saepe tamen et ipsi, qui Praetori aderant, *judices* dicuntur in jure nostro, veluti *L.* 16. *pr. D. de Manumiss. vind. L.* 1. *C. de Vindicta et apud consil. manum.* Savaron. *Adnotatt. ad Sidonii Appollinar. Epistt. III.* 3. Ger. Noodt *de Jurisdict. I.* 11. *p.* 137. [m]). In consilio Praetoris in urbe erant equites quinque totidemque Senatores: Ulpiani *Fragm. I.* 13. qui iidem erant cum *Decemviris litibus judicandis,* quorum meminit Pomponius *L.* 2. §. 29. *D. de Orig. jur.* ut ostendunt Jacob. Raevardus *Protribunal. c.* 18. et 19. et Ger. Noodt *de Jurisdict. I.* 12. *p.* 137. [n]). Sed hi non confundendi cum Adsessoribus, de quibus in *titulo D. de Offic. adsessorum* agitur. Hi

1) Cave tamen existimes, idem Romanis fuisse, *de plano* et *summatim* cognoscere. Multa, quae summatim cognoscebantur, pro tribunali tamen erant explicanda, ut patet exemplo decretalis bonorum possessionis ex Carboniano edicto, vel ejus exemplo datae, quae quum fuerit summaria: *L.* 3. §. 4. *D. de Carbon. edicto,* alibi tamen, quam pro tribunali, dari non poterat: *L.* 3. §. 8. *D. de Bon. possess. L.* 2. §. 1. *D. Quis ordo in possess. servetur.* Ger. Noodt *de Jurisd. I.* 10. *p.* 135. *Hein.*

m) De adsessoribus Praetoris: Trekell *ad Brissonii Antiquitt.* I. 12. *Opp. min.* p. 19. et Bach *unpart. Kritik* T. VI. p. 311. sq. *Haub.* Von Savigny *Gesch. d. R. R. im Mittelalter* T. I. p. 104. sq. ed. 2. Zimmern *l. l.* §. 7. Hollweg *Proc. des sinkenden R. Reichs* §. 14. *Mühl.*

n) Decemvirorum litibus s. stlitibus judicandis munus quodnam fuerit, quamvis multi etiam post Heineccii labores quaesiverunt, nemo tamen adhuc extricare potuit. Cf. Zepernickii *animadv. ad Siccamam de judicio centumvirali.* Lib. I. c. 9. not. a. p. 72. sqq. A. Gu. Heffter *obs. ad Gaji inst. comment. quartum* c. 3. p. 9. sqq. et c. 9. p. 34. sq. Zimmern *l. l.* §. 14. Walter *Röm. Rechtsgesch.* p. 721. Auctoris sententiam haud improbat Heffterus (*l. l.* p. 9.: „num fortasse a Consulibus vel a Praetore in consilium adhiberentur, equidem definire non audeo"); plerique ab ea discedunt. Non juvat tamen, alias super alias cumulatas conjecturas recensere. Id unum certo scimus, Augustum eos quodam-

enim non erant magistratus, sed juris studiosi, qui itidem in magistratuum consilio erant, eosdemque instruebant de jure: *L.* 1. *D. d. Tit.* Iis ordinarium stipendium primus decrevit Alexander Imperator: Ael. Lampridius *Alexand. Sev. c.* 46. Erat et *centumvirale* judicium, cui ipsi quoque Praetor una cum Decemviris praeerat: Dio Cass. *LIV.* 26. Hinc *hastae judicium* idem est ac centumvirale apud Valerium Max. *VII.* 8. 1. et 4. quia duabus defixis hastis exercebatur: Quinctilianus *Inst. Orator. V.* 2. Eleganter Martialis *Epigrammat. VII.* 63. *v.* 7.

Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.

Jam ergo in proclivi est intelligere, cur *centumviralem hastam cogere* dicantur Decemviri apud Suetonium *Octav. August. c.* 36. et cur Plinius *Epistt. V.* 21. scribat: *Sedebant judices, Decemviri venerant, obversabantur advocati; silentium longum, tandem a Praetore nuncius. Dimittuntur Centumviri.* Ex quibus locis patet, et Decemviros, et ipsum Praetorem centumviralibus judiciis praefuisse. Caussas centumvirales recenset Cicero *de Orat. I.* 38. eoque refert usucapionem, tutelarum, gentilitatum, adgnationum, adluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aliaque hujus generis jura. Ipsum vero centumvirale judicium in basilica Julia haberi consuevit °), et quidem

---

modo praefecisse centumvirali judicio, dum auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam Quaestura functi consuerant cogere, decemviri cogerent; (Suet. *Octavius* c. 36. Pomponius *L.* 2. §. 29. *D. de orig. jur.* „Deinde quum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, Decemviri litibus judicandis sunt constituti"). Cf. Hollweg in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. V. p. 373. not. 30. *Mühl.*

o) In hac basilica quatuor consilia centumviralia conjunctim sedebant, adeoque plures ibi caussae eodem tempore non sine strepitu audiebantur: vid. Quinctilianus *Inst. Orator. XII.* 5. §. 6. Plinius *Epistt. II.* 14. Legi de hoc centumvirali judicio meretur Sibrandus Tetard. Siccama libro singulari, quem *Tomo II. Antiquitatt. Rom.* inseruit Jo. Georg. Graevius. *Hein.* Add. Zenobii Perellii Lib. II. *Investigatt. antiqui juris institutique Romani* (Arretii 1766. 8.) c. 2. p. 40—57. Car. Frid. Zepernick *Disqu. de caussis Centumviralibus;* adj. Sibr. Siccama *de jud. centumv.* Libris II. (Hal. 1776. 8.) p. 230—277. *Haub.* Bethmann-Hollweg *über die Competenz des Centumviralgerichts*, in der *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. V. num. XI. p. 358—400. Heffter *observ. ad Gaj.* cap. 9. p. 31—41. Zimmern *l. l.* §. 14—16. et §. 36. Walter *Röm. R. G.* p. 718—721. C. Sell *die Recuperatio der Römer* (Braunschw. 1837) p. 161. sqq. not. 2. Huschke *Verfassung d. Servius Tullius* p. 585—596. p. 606—610. — Ad decemviros criminales causae delatae non sunt, sed civiles, eaeque tales, quae legis actione sacramento (vid. infra §. 19.) peragi solebant. (Gaj. IV. §. 31. — Cf. Holl-

publice, *ut densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambiret*, uti loquitur Plinius *Epistt. VI.* 33. quumque judices initio ex *XXXV* tribubus, et quidem terni ex singulis legerentur: Festus sub voce. *Centumviralia judicia p.* 74. adeoque illud collegium CV, postea centum octoginta viris constaret, ita adsessorum frequentia in quatuor consilia vel judicia distribuebatur, unde et quadruplex judicium adpellabatur: Brissonius *de verb. sign.* sub voce *Centumviri*, e quibus Praetor pro caussae dignitate modo unum, modo plura consilia adhibebat. Imo nonnumquam quatuor illa judicia conjungebantur, si caussa digna videretur tanta judicii majestate. Exempla sunt apud Valerium Max. *VII.* 7. 1. Plinium *Epistt. VI.* 33. p).

---

weg in *comment.* modo laudata; qui quidem non nisi de rerum juriumque vindicationibus apud centumviros certatum fuisse sibi persuasum habet. At vid. quae contra disputat Heffterus *l. l.* et cf. Zimmern *l. l.* §. 36. qui non sine veri specie conjicit, Lege Pinaria sancitum esse, ut actiones, quibus dari oportere actor intendebat (i. e. in personam actiones stricti juris), ad unum judicem remitterentur, eaque igitur lege effectum, ut e centumviralium causarum numero eximerentur in personam actiones.) Caeterum centumviri munere fungebantur judicum, non magistratuum; nam instructâ demum per legis actionem causâ apud magistratum, res ad centumviros deferebatur (Gaj. IV. §. 31. — „cum ad centumviros itur, *ante lege agitur apud Praetorem urbanum vel peregrinum*"). Atque eo sensu intelligendum esse videtur, quod de Praetoris in centumviralibus judiciis praesidio traditum accepimus; Plin. *ep.* V. 21. *Mühl.*

p) Ex his aliisque locis (velut Plinii *ep.* I. 18. IV. 24. et Quinctiliani *inst. orat.* XII. 5. in f.) plerique colligunt, in causis gravioribus aut plura consilia vel etiam omnia in unum coacta esse (Zepernick *ad Siccamam* Lib. I. c. 8. not. i. p. 71. sq.), aut singula quidem separatim de causa pronunciasse, deinde, computatione facta sententiarum rem esse decisam (Heffter im *Rhein. Mus.* II. 1. p. 112. sqq.). Neque vero quicquam impedit, quo minus ita rem explicemus: Quemadmodum alias, sic etiam in centumviralibus causis, evenire potuit, ut propter plures litigantium personas in una atque eadem causa ad plures judices iretur. Idque adeo solenne fuisse videtur, quum pluribus heredibus scriptis de inofficioso testamento heres ab intestato quereretur (quod quidem *centumvirale judicium* prae ceteris appellatum est, *L.* 13. *D. de inoff. test. L.* 30. *D. de liberat. legata*), ut adseverare haud dubitaret Ulpianus: circa inofficiosi querelam evenire plerumque solere, ut in una atque eadem caussa diversae sententiae proferrentur (*L.* 24. *D. de inoff. test.* cf. et *L.* 15. §. 2. *D. eod.*). His igitur in causis, ubi ex personis earumque inter se conjunctionis ratione res potissimum erat dijudicanda, obtinuisse verisimile est, ut unaquaeque quaestio eodem tempore apud diversa tamen centumvirorum consilia tractaretur. Certe ita meminit Quinctil. (*inst. or.* XII. 5.) quadruplicis judicii, ut manifesto pateat, separatis actionibus simul apud plura consilia disceptatum fuisse. Eoque sensu commode accipi

§. 10.

Jurisdictio mandata.

Solebant magistratus jurisdictionem nonnumquam aliis mandare: id quod fieri consueverat jam a Regum temporibus, qui domo profecti, ne urbs sine imperio esset, deligebant, qui et jus redderent, et subitis mederentur, ut adcurate ex historia antiqua docent Tacitus *Annal. VI.* 11. Livius *I.* 41. Ita et saepe postea Proconsules, Praetores provinciarum, Praesides jurisdictionem mandabant legatis suis. Postea et collegis et ipsis privatis aliquando mandatam jurisdictionem legimus, dummodo essent idonei: *L. ult.* §. 1. *D. de Offic. ejus, cui mand. jurisd.* Is vero, cui mandata erat jurisdictio, licet nihil proprii haberet, sed aliena, id est, ejus, qui mandarat, jurisdictione fungeretur: *L.* 1. §. 1. *D. eod. L.* 5. *D. de Jurisd.* omnia tamen, quae magistratus erant, expediebat, si scilicet universa ei mandata esset jurisdictio, secus si pars tantum esset mandata: *L.* 16. *D. de Jurisd.* Exemplum mandatae jurisdictionis universae est apud Livium *XXIV.* 44. qui *M. Aemilium Praetorem, cujus peregrina sors erat, jurisdictionem suam M. Atilio collegae, Praetori urbano, mandasse* refert. Tunc vero mandatarius non secus ac ipse Praetor pro tribunali cognoscebat, uti adcurate demonstrat Ger. Noodt *de Jurisd. II.* 9. *p.* 163. consilium etiam exercebat, judicesque non secus ac Praetor dabat: Idem *ibid. c.* 10. et 11. q).

§. 11.

Dies, quibus jus dictum.

Certi porro erant dies, quibus Praetores jus dicebant. Alii enim erant dies *fasti,* alii *nefasti,* alii *intercisi.* Istis Praetori licebat fari tria illa verba: DO, DICO, ADDICO: illis omnia haec effari nefas

---

potest, quod Valerius Maximus *l. l.* de milite quodam refert, omnibus eum non solum consiliis, sed etiam sententiis superiorem discessisse; itemque illud, quod a Papiniano relatum legimus: filium *divisis tribunalibus* actionem inofficiosi testamenti matris pertulisse; *L.* 76. *pr. D. de leg.* II. Cf. Zimmern *l. l.* §. 15. not. 8. p. 42. sq. Videntur nonnumquam etiam consilia in duplicia judicia, sive in duas hastas divisa fuisse, eum in finem, ut, quod ab altera hasta pronunciatum sit, id denuo ponderandum judicandumque ad alteram deferretur. Quinctil. *inst. or.* V. 2. XI. 1. (*verb.* Succurret etiam si apud alios judices agetur *rel.*) Zimmern *l. l.* §. 15. in f. p. 44. *Mühl.*

q) De mandandae jurisdictionis ratione ac vi cf. etiam Gebauer *l. l.* §. 13 — 15. Heffter *Instit. d. Civilproc.* §. 11. 12. Zimmern *l. l.* §. 30. Hollweg *Gerichtsverfassung d. sinkenden R. Reichs* p. 46 — 50. *Mühl.*

habebatur. His, nonnisi post operam sacris datam, litibus vacare licebat: Varro *de lingua Lat. V.* [**p.* 59. ex *edit. Bipont.*] *Dies* FASTI, *per quos Praetoribus omnia verba sine piaculo licet fari. — Dies* NEFASTI, *per quos dies nefas fari Praetorem:* DO, DICO, ADDICO. Ovidius *Fast. I. v.* 47. *sq.*

Ille NEFASTUS *erit, per quem tria verba silentur:*
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Macrobius *Saturnal. I.* 16. Solis ergo diebus fastis integris, et intercisis pomeridie Praetor sui faciebat copiam. Unde et *dies sessionum* vocantur Ulpiano: *L.* 5. §. 19. *D. Ut in possess. legat.* ubi perperam legi videtur *possessionum* pro *sessionum* Jacob. Raevardus *Protribunal. c.* 1. Ad dies nefastos pertinebant *feriae* r), quae vel *statae* erant et *sollemnes*, vel *repentinae*. Illarum exempla sunt apud Varronem *de lingua Lat. V. p.* 59. et adcuratior recensus fieri solet in Kalendariis Romanis, qualia Gruterus, Lambecius et Graevius ediderunt s). Hae pro re nata indicebantur, veluti supplicationes, ob rem prospere gestam decretae, item feriae, indictae in honorem Principis: *L.* 1. *C. de Feriis.* Bynkershoek *Observatt. II.* 6. Etiam his Romani a forensibus negotiis et jure dicundo vacabant. Ceterum antiquissimis temporibus soli Pontifices fastorum curam gerebant, ad quos, tamquam ad oracula, adire oportebat eos, qui actione experiri vellent, ut, liceretne hoc vel illo die lege agere, cognosce-

---

r) Cum feriis dies nefastos confundunt plurimi. Enimvero multi dies erant nefasti, non quod feriae tunc essent, sed quod Pontifices vel ominis vel religionis caussa indixerant justitium. Quales dies dicti *atri, religiosi, ominosi, moesti, lugubres:* Gellius *Noctt. Att. V.* 17. Polletus *For. Rom. I.* 8. *p.* 80. Generatim tamen dies festi erant nefasti. *Hein.* Perquam doctas de dierum fastorum ac nefastorum discrimine, tum de diebus atris seu religiosis disputationes continent Jac. van Vaassen *Animadv. histor. crit. ad fastos Roman. sacros* c. 1. p. 1—39. p. 261—311. p. 324—329. et c. 5. 6. p. 166—261. *Haub.*

s) Messis etiam et vindemiarum ferias jam antiquitus fuisse observatas, nec ab Antonino demum vel Justiniano inventas, ut vulgo ex *L.* 1. *D. de Fer.* et *L.* 7. *C. eod.* colligunt, satis patet ex Plinii *Epistt. VIII.* 21. *Julio mense, quo maxime lites interquiescunt, — amicos collocavi.* Perspicue etiam P. Papin. Statius *Silvar. Lib. IV.* 4. *v.* 39. *sqq.*

Certe jam Latiae non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet; MESSESque *reversae*
Dimisere forum, — — — —

Feriarum vindemialium meminit Minucius Felix Octav. c. 1. *Hein.* De feriis messium ac vindemiarum consul. Dav. Jac. van Lennep *Exercit. juris* (L. B. 1796. 4.) num. 2. p. 8—19. *Haub.*

rent. Sed postea fastos istos publicavit Cn. Flavius: Cicero *de Oratore I.* 41. *pro Muraena c.* 11. *sq.* Quinctilianus *Inst. Orator. III.* 8. *L.* 2. §. 6. 7. *D. de Orig. jur.* Qua de re quaedam supra ad prooemium scripsimus §. 5. 6.

§. 12.

Singulis cognitionibus certi dies adsignati.

Quamquam vero diebus fastis copiam sui faciebat Praetor: solebant tamen alios dies postulationibus, alios cognitionibus, alios decretis, alios manumissionibus, alios aliis actibus destinare, ut patet ex Ulpiano *L.* 2. §. 1. 2. *D. Quis ordo in possess. servetur.* Eum in finem in provinciis Praesides certis anni temporibus CONVENTUM, sive FORUM indicebant [t]), id est, tempus et locum distinguendorum negotiorum. De quibus conventibus juridicis videndi Theophilus *ad* §. 4. *Inst. Qui et ex quib. caussis manum. non lic.* Servius *ad Virgilii Aeneid. V. v.* 758. et *II. v.* 102. *sq.* [u]). Si quis stato die non aderat, exspectandum ei erat, usque dum novus indiceretur conventus: Servius *ibid.* Peregrinis tamen procul advenientibus nonnumquam jus extra ordinem dicebatur: Seneca *Epist.* 106. nec non militibus, teste Juvenale *Sat. XVI. v.* 48. *sqq.*

§. 13.

Ante actionem tentata compositio.

Ceterum qui actione experiri constituerant, prius per amicos faciebant periculum, an quid proficere liceret intra parietes. Quorum opera si frustra esset, tum demum ventum in jus est. Docet id exemplum apud Livium *IV.* 9. et Cicero *pro P. Quintio c.* 5. *sq.* et *c.* 11. a quo ejusmodi amici *disceptatores domestici* vocantur, quos cave confundas cum arbitris: *L.* 13. §. 2. *D. de Recept. et qui arbitr. recep.* Ger. Noodt *de pact. et transact. c.* 1. *p.* 648. Si res ita componi non posset, tum demum sequebatur in jus vocatio, a qua omnium actionum instituendarum principium proficisci ait Justinianus §. 3. *Inst. de Poen. tem. litig.* [x]).

---

t) Unde oppida dein orta sunt, ut Forum Claudii, Cornelii, Domitii, Fulvii, Julii, Lepidi, Livii, Segusianorum, Tiberii etc. quorum pleraque hodiedum florent. *Hein.*

u) De conventibus juridicis seorsim exposuit J. L. E. Püttmannus *Lib. sing. Miscellaneorum* c. 25. p. 233—244. *Haub.*

x) De iis, quae in litis exordio fiebant conf. Ant. Henr. van Hees *Diss. de iis, quae antiquitus apud Romanos inter litigatores ante litem contestatam fiebant.*

§. 14.

In jus vocatio antiqua.

Fiebat illa IN JUS VOCATIO privata auctoritate, ita, ut acturi reos sibi obvios monerent, ut se in jus sequerentur. Qua in re verbis utebantur: IN JUS EAMUS. IN JUS VENI. SEQUERE AD TRIBUNAL. IN JUS AMBULA: Barn. Brissonius *de form. V. p.* 366. Si vocatus frustraretur, aut moraretur; iis, qui proximi adstabant, denunciabatur testimonium. Vocans enim adclamabat: LICET ANTESTARI? quibus adfirmantibus auriculas eorum memoriae caussa tangebat y). Sic Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 9. *v.* 74. *sqq.*

— — — Casu venit obvius illi
Adversarius et: „Quo tu, turpissime?" magna
Exclamat voce; et: „LICET ANTESTARI?" Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in jus: clamor utrimque:
Undique concursus. — — — — .

Et Plautus *Curcul. Act. V. sc.* 2. [* *v.* 23. *sqq.*]

Ph. AMBULA IN JUS. Th. Non eo. Ph. LICET TE ANTESTARI?
Th. non licet.
Ph. Juppiter te male perdat: intestatus vivito.
Curc. At ego, quem licet, te. Ph. adcede huc.
Th. servom antestari! vide.
Curc. Hem! ut scias me liberum esse. Th. ergo AMBULA IN JUS. hem tibi!
Curc. O cives, cives! Th. quid clamas? Ph. quid istum tibi tactio est?
Th. Quia mihi libitum est. — — —

Facta hunc in modum antestatione, licebat actori reum tergiversantem quocumque modo, obtortoque etiam collo in jus rapere. Aliquando tamen et sine antestatione licuisse in jus vocatos ad

---

L. B. 1747. 4. et in Fellenbergii *Jurisprud. antiqua* T. *I.* p. 491—564. (num. IX.). C. F. Glück *Diss. de vita petendae restitutionis in integrum Praetoriae secundum doctrinam Romanorum* (Hal. 1776. 4.) c. 2. sect. 1. in *opuscc.* Fasc. II. p. 307—400. Zimmern *l. l.* §. 108. §. 111—117. *Haub.* et *Mühl.*

y) Auris veteribus memoriae locus, unde eam tangentes admonebant, et antestabantur: Plinius *Hist. Nat. XI.* 41. Nota phrasis est: *aurem alicui vellere.* Illius ritus monumentum perpulchrum est lapillus apud Laurinos, in quo caput sculptum, et manus aurem attingens cum inscriptione ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. *Memento.* Vid. Just. Lipsius *Quaesit. per Epist. XXVIII. Hein.*

Praetorem rapere, si nimirum hi essent improbi, et intestabiles, veluti fures, lenones, raptores, jam observarunt Joach. Hopperus *de arte juris Libr. III.* ejusque discipulus Jac. Raevard. *ad XII Tabb. c. 5. p. 27.* Et sane hanc observationem firmat testimonium Plauti in *Persa Act. IV. sc. 9. v. 10.* ubi Dordalus leno in jus vocatus ait:

Nonne antestaris?

Cui adversarius Saturio respondet:

Tuan' ego caussa, carnufex,
Quoiquam mortali libero aureis atteram?

Ceterum tantus erat veteris juris rigor, ut liceret reum, etiam aegrotum ac senectute paene confectum, jumento impositum, nova funeris facie in comitium rapere: Gellius *Noctt. Att. XX.* 1. Quae omnia legibus decemviralibus inducta sunt, quibus ita cautum fuisse legimus: SI. IN. JUS. VOCAT. ATQUE. EAT. NI. IT. ANTESTAMINO. IGITUR. EM. CAPITO. SI. CALVITUR. PEDEM. VE. STRUIT. MANUM. ENDO. JACITO. SI. MORBUS. AEVITAS. VE. VITIUM. ESCIT. QUI. IN. JUS. VOCABIT. JUMENTUM. DATO. SI. NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO: Cicero *de Legg. II.* 4. Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 9. *v.* 76. Porphyrion *Schol.* Non. Marcellus *I.* 20. *p.* 486. Gellius *l. c.* [z]).

§. 15.

Quae circa illam postea mutata.

Enimvero postquam cultiorum nationum usus rubiginem pristinam e Romanorum moribus sensim extersit: multa commenti sunt juris auctores, ut duriores illas de in jus vocatione leges quodammodo lenirent. Primo enim quasdam personas vel plane non, vel nonnisi impetrata a Praetore venia, in jus vocare licebat. Deinde matronas in jus vocatas attingere nefas habebatur: Valerius Maxim. *II.* 1. 5. [a]). Idem honor habitus impuberibus et puellis, alieno juri

---

z) De in jus vocatione universe vid. Sacc. Herm. van Idsinga *Lib. sing. Variorum juris civilis* c. 3—7. p. 19—59. et Jani Gelderman *Diss. Quaedam de antiqua in jus vocatione ex legibus XII tabularum et edicto Praetoris de in jus vocando.* Harderov. 1778. 4. De verbis XII tabularum, quae ad eam spectant: Unterholzner in peculiari *Comm.* quae legitur in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. II. num. XVII. p. 432—440. (Dirksen *Kritik u. Herstellung d. XII Tafelges.* p. 129 — 154.); denique de antestatione: Jac. Henr. Bornii *Ep. de antestatione in jus vocantium apud Romanos.* Lips. 1737. 4. *Haub.*

a) Tempore Decemvirorum etiam feminas raptas in jus esse, patet exemplo Virginiae apud Livium *III.* 44. *Hein.*

subjectis: *L. 21. pr. D. de In jus voc.* Parentes quoque et patronos, ut et eorum parentes horumve liberos non passus est Praetor, nisi impetrata venia, in jus vocare: *§. 3. Inst. de Poen. tem. litig. L. 4. et sq. D. de In jus. voc.* Eum, qui id neglexisset, quinquaginta aureorum mulcta coercuit: *L. ult.* et *pen. D. de In jus voc.*

§. 16.

Domo cur abstrahere neminem licuerit?

Invaluit etiam, ut nefas haberetur, quemquam de domo sua in jus rapere, quod sua cuique domus ob penatium religionem tutissimum deberet esse refugium: *L. 18. 19. 21. D. eod.* Si quis tamen diutius latitaret domi, adeoque impediret latitando, quo minus posset in jus vocari: vel sola denunciatione, vel litteris, vel edicto Praetoris evocabatur [b]), et si vel sic quoque se non sisteret, actor in ejus bona mittebatur: *L. 2. D. Quib. ex caus. in possess. eatur.*

---

b) Forsitan huc spectat XII tabularum locus, quem refert Festus his verbis: „*Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito*"; v. *Portum* et *vagulatio*. Portus, teste eodem Festo, *domum* significat, vagulatio autem quaestionem cum convicio. Nondum enim lata lege Silia (§. 19.), nec propositis edicto remediis, quibus ad comparendum detrectantes excitarentur: quomodo sibi consuleret actor, si copiam sui non faceret adversarius? De domo sua adversarium in jus rapere nemini licuit; at conviciis eum foras elicere, id nec ab horum temporum ratione, nec a decemviralis legis indole alienum esse videtur. Propius ad hanc sententiam accedit Jac. Raevardus *ad XII tabb. c. XI. opp. T. I. p. m.* 55., nec non Abr. Wielingius *in diatr. de furto per lancem et licium concepto* (Marp. 1719.) c. 4. §. 1. 2., in eo tamen discedens a Raevardo, quod obvagulationem praelusisse quodammodo conjiciat furti per lancem et licium conceptioni. At plerique interpretum in ea sunt sententia, ut obvagulationem ad testium aedes factam esse existiment, eum quidem in finem, ut domo testes evocarent, qui, quum rei gestae adfuerint, aut testimonium detrectarent, aut die stato testimonii ferundi causa non comparerent. Eamque sententiam Hauboldus quoque defendit, ingentem scriptorum secum sentientium copiam adferens, in *comment. de ritu obvagulationis apud Romanos.* Lips. 1787. et in *opusce. a Wenckio editt.* T. I. p. 147—186. Provocant, qui hac in parte stant, ad similem quemdam Atticum morem; in quo tamen nihil quidquam simile equidem invenire potui, quum non per convicium, verum aut per praeconem publica auctoritate, aut actione testes Athenis excitari consueverint; (vid. Meier et Schöman *der Attische Process.* Halle 1824. p. 672. sq.). Praeterea argumento utuntur, ex ipsis XII tabb. verbis: *cui testimonium defuerit*, repetito. At nonne ei quoque dici potest deesse testimonium, qui propterea, quod latitat adversarius, impeditur, quo minus antestatione facta illum in jus rapiat? — Caeterum de ipso XII tabb. loco vid. Dirksen *Zwölftafelgesetze* p. 208 — 214. *Mühl.*

Jacob. Raevardus *Protribunal. c. 3. p. 864. sq.* Idem vero institutum ad vineam, balneum, theatrum non porrigebatur, quamvis et hic Dii erant, veluti in hortis Priapus: *L. 20. eod.*

§. 17.

Morbo et senio confectos in jus rapere non licebat.

Imo et inhumanissimus ille mos, reos morbo vel senio languidiores jumentis impositos ad Praetoris tribunal trahendi, jamdudum obsoleverat tempore Gellii, ut ex loco ejus supra laudato adparet. Quando vero tota illa in jus vocatio ab usu recesserit, nondum liquet. Plinii aetate illam adhuc frequentatam esse, patet ex ejus *Panegyrico c.* 36. At Pauli et Ulpiani aetate illam jam obsolevisse nonnulli colligunt ex *L.* 2. §. 1. *D. Si quis voc. non ierit.* et *L.* 5. *D. de Judic.* Sed in his legibus nihil tale occurrit, quamvis negari nequeat, jam tum in jus vocationem non amplius privata auctoritate, sed jussu Praetoris factam esse. Verosimile ergo est, Constantini demum temporibus invaluisse vocationem per exsequutores factam, de qua *L.* 3. et *L.* 7. *C. de Annal. except. Novell. LIII.* 3. *LXIX.* 1. et *CXII.* 2. Huberus *Praelectt. ad Dig. Lib. II. Tit. IV.* §. 1. c).

---

c) Vide et Idsingam in *Variis* [* *c.* 6. *p.* 49. *sq.*] *Canu.* Quo tempore vetus in jus vocatio exoleverit, certo non constat; et continent utique tam Digesta, quam Cod. Just. adhuc titulos *de in jus vocando.* Dicere tamen Auctor debebat de litis denunciatione, sollemni litis exordio, secundum Sex. Aur. Victorem *de Caesar.* c. 16. ab Imp. M. Aur. Antonino introducto, de quo post Jac. Gothofredum *ad Cod. Th.* T. I. p. 110—122. et p. 124—129. ed. Lips. nec non Bav. Voordam in *diss.* infra §. 20. *h. t.* laudatae c. 5. (ap. Fellenbergium *Jurispr. ant.* T. II. p. 61—68.) exposuit novissime Mühlenbruch in der *Lehre von der Cession der Forderungsrechte* (Greifsw. 1817. 8.) §. 8. p. 55—57. (ed. 3. p. 81—83.) *Haub.* Add. F. X. Zenger *über das Vadimonium der Römer* (Landsh. 1826.) §. 35. p. 91—94. Zimmern *l. l.* §. 143. 144. Hollweg *Gerichtsverfassung* etc. §. 21. Antiqua illa in jus vocatio, quomodo sensim et pedetentim ex usu abierit, videamus. — Et primo quidem Praetor poenalem actionem adversus eum proposuit, qui, quum in jus vocatus esset, neque sequebatur, neque sistendi se causa fidejussores dabat (*L.* 2. §. 1. *D. si quis in jus vocatus non ierit. L.* 3. *eod.* — *Dig. Tit. in jus vocati ut eant aut satis vel cautionem dent.* vid. infra not. c. ad §. sq.). Quo jure constituto, actor facile abstinebat a vi propter poenale judicium, itemque reus proclivior erat, aut ad veniendum ultro in jus, aut ad vadimonium sistendum, nimirum, ut poenam evitaret. Post, sub Imperatoribus, commodior etiam litium instituendarum obtinuit via ac ratio. Nam qui antea in unius legis actionis finibus steterat denuntiandi ritus (§. 23.), tamquam commune litium intimandarum instrumentum adhiberi coepit. Idque primum a M. Aurelio introductum esse Sext. Aurelius Victor refert (*de Caesar.* c. 16.); sed

§. 18.

In jus vocatus vel datis vindicibus, vel transactione liberabatur.

Denique et id notandum, debuisse in jus raptum dimitti, si quis vel ejus personam defenderet, vel si, dum in jus ibatur, esset transactum: Gajus *L.* 22. §. 1. *D. de In jus voc.* Utrumque ex XII Tabulis est, quibus ita cautum fuisse legimus: SI ENSIET, QUI IN JUS VOCATUM VINDICIT, MITTITO. ASSIDUO VINDEX ASSIDUUS ESTO, PROLETARIO, CUIQUE VOLET, VINDEX ESTO. ENDO VIA REM UTI PACUNT, GRATO: Gothofredus *ad Tab. I. p.* 183. [d]). VINDEX in his legibus non est *procurator*, uti suspicatus est Boethius *ad Ciceronis Topic. c.* 3. neque *praedicator*, ut hunc Boethii locum emendandum existimant Jacob. Cujacius *Observatt. V.* 29. Hotomanus *ad Legg. XII Tabb. Assiduo vindex*, sed *defensor*, qui, oblata fidejussione, reum prehensum liberabat. Festus sub voce *Vindex. p.* 593. *VINDEX ab eo quod vindicat, quo minus is, qui prensus est, ab aliquo teneatur* [e]).

---

jam antea vulgari in usu morem illum fuisse, ex nonnullis Digestorum locis colligi poterit (*L.* 20. §. 6. *D. de her. pet. L.* 7. *D. de inoff. test.* cf. Mühlenbruch *Cession der Forderungen.* p. 81. sq. ed. 3. Zimmern *l. l.* §. 117. not. 1. 3.) Fiebat autem tum temporis denuntiatio aut privata testatione, aut publica (h. e. apud eos, quorum erat actorum conficiendorum jus) literis simul exaratis iisque adversario delatis, unde testimonium exstaret, et denuntiationis rite factae, et ipsius argumenti, in quo litigandi causa versaretur; quodsi stato die non compareret reus, tamquam si praesens esset, condemnari poterat. Jam, ex quo invaluit novum hocce jus, fieri non potuit, quin desuescerent Romani veteribus litium instituendarum ambagibus, donec in unum conspirantibus et moribus et legibus antiquior illa in jus vocatio penitus abolevit. Idque Constantino M. regnante certo jure agnitum esse videtur, qui simul statuit, non nisi apud eos, quibus esset actorum conficiendorum jus, fieri posse denuntiationem (*L.* 2. *Th. Cod. de denuntiat. vel edit. rescripti*); obtinuit tamen, ut eadem quoque esset auctoritas rescripti ab imperatore impetrati (*L.* 4. et 5. *Th. C. eod.*). Quoniam autem spatium sat amplum rebus rite denuntiatis cognoscendis statutum erat legibus, idque etiam justis de causis redintegrari poterat (*L.* 1. *Th. C. de temporum cursu et reparationibus denuntiationum* Hollweg *l. l.* §. 21. not. 16.): postea constitutum est, ut res complures, quae longiorem moram ferre non posse viderentur, denuntiationum celebrandarum necessitate exciperentur (vid. v. c. *L.* 3. *L.* 6. *Th. C. de denunt. rescr.*). In his igitur causis simpliciore ratione res peragebatur, ei fere simili, qua hodieque utimur. Eandem confirmavit Justinianus, ut jus in commune valiturum, novisque instruxit praesidiis atque cautionibus; (Zimmern *l. l.* §. 144. p. 438. sqq. Hollweg *l. l.* §. 21. p. 253. §. 22. Walter *R. G.* p. 756. sq.) At de his omnibus plura dicere non attinet, quum aliena sint ab antiquitatum Romanarum ratione. *Mühl.*

d) Cf. Dirksen *Zwölftafelges.* p. 121. 124. p. 154—180. *Mühl.*

e) Errant ergo Sidonius, Jan. Vinc. Gravina, Barn. Brissonius et alii com-

Solebant tamen etiam reus et actor nonnumquam transigere in via, et tunc quoque dimittebatur, qui in jus fuerat vocatus [f]).

---

plures, qui *vindices* confundunt cum *vadibus*. Vades enim cavebant de judicio sisti, ubi in jus ventum fuerat: vindices cavebant actori, ut reus dimitteretur, antequam in jus veniret. Vid. Gothofredus *ad XII Tabb. tab. I. p.* 185. Ceterum pertinet huc titulus *D. In jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent. Hein.* E Gajo IV. §. 21. jam discimus, *vindicem* non tam ad in jus vocationem, quam ad eam legis actionem, quae per manus injectionem fiebat, pertinuisse, siquidem non licuit judicato manum sibi depellere et pro se lege agere, sed *vindex* dandus fuit, qui pro judicato caussam ageret: quo non dato ille domum ducebatur ab actore et vinciebatur. Itaque cohaeret potius haec notio cum iis, quae ab Auctore supra III. 29, (30.) 4. e Gellii *N. A. XVI.* 10. sunt adlata. *Haub.* Duo sunt, quae hic considerentur. Primum est, ut quaeramus, quem in finem adhibiti fuerint vindices? Et plerique in ea sunt sententia, ut existiment, dandos fuisse vindices ab his, qui in jus vocati essent. Nec est, quod hanc sententiam deseramus. Provocat Hauboldus, qui in adversa parte stat, ad Gajum, quippe qui a judicato, cum quo legis actione per manus injectionem ageretur, vindicem dandum esse statuat (IV. §. 21.). Sed salva res est. Nam non modo ex causa recens oblata in jus vocari poterant rei, verum etiam ex judicati caussa; et de hac quidem loquitur Gajus (cf. Hugo *R. G.* ed. XI. p. 318., ubi ea vel maxime advertenda sunt, quae ad eluendam Aug. Guil. Schroeteri reprehensionem (in *obs. jur. civ.* p. 24. sq. not. 35.) V. Cl. monet; Zimmern *l. l.* §. 46. p. 131. sq. not. 5. et §. 108. p. 130. not. 8.). Accedit, quod disertis verbis Gajus formularum mentionem facit adversus eum propositarum, qui in jus vocatus neque venerit, neque vindicem dederit; (*comment.* IV. §. 46. cf. et *L.* 22. §. 1. *D. de in jus vocando,* quae ex ejusd. Gaji Lib. I. *comment. ad Legg. XII tab.* desumta est. Zimmern *l. l.* §. 108. p. 329. not. 16.). — Alterum illud erat, quod quaerendum nobis proposuimus: procuratorisne officium sustinuerit vindex (i. e. ejus, qui litem pro reo in se susciperet), an fidejussoris, qui sisti reum promitteret? Et negat Heineccius, procuratoris loco fuisse vindicem, tum hic, tum superiore quodam in loco (Lib. III. Tit. XXI. §. 2. not. b. p. 554.). At nihil quicquam ab eo allatum est, quare Boethii, viri fide dignissimi, spernendum putemus testimonium, qui „vindex est", inquit, „qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc procuratores vocamus." (Cf. Zimmern *l. l.* p. 330.) Quin ipsi Gajo testimonium denuntiari potest, qui idem dicit, his usus verbis: „vindicem dabat, qui pro se causam agere solebat"; IV. §. 46. Vindex igitur fuit quasi assertor, qui velut ex servitute in libertatem vindicabat prensum. Et quum difficilius inveniretur vindex, quam fidejussor, Praetor vindicis dandi onere levasse videtur in jus vocatos, satis habens, vadimoniorum jure eos adligare; (vid. not. c. ad §. 17.). Neque igitur dubitamus, quin his adstipulemur, qui duplex distinguendum esse censeant vadimoniorum genus, alterum vetus illud legitimum, post editam actionem judicii causa dari solitum, alterum, quod praetorium vocare liceat, quum Praetoris edicto aut introductum aut saltem propius definitum sit. Ejusque item erat duplex forma ac finis. Unum erat illud, quod in locum vindicis dandi successit; de eoque intelligendus Gajus IV. §. 46., ubi forsitan post verba: „neque vindicem dederit", cogitatione supplendum erit: neque fidejus-

Transactio haec ex legibus Atticis descendit, ut adparet ex Petito *Legg. Attic. p.* 339.

§. 19.

Actionis editio et postulatio.

Quodsi nec vindices dati, nec de lite in via esset transactum: in jus veniri solebat, ubi actor, impetrata loquendi potestate, EDEBAT ACTIONEM, id est, indicabat, qua demum actione adversus reum

---

sorem s. sponsorem. (Zimmern *l. l.* p. 341.) Alterum, quod apud magistratum s. in jure constituebatur; §. 29. Quo referenda videntur, quae apud Gajum (IV. §. 184. h.) leguntur his verbis: „Quis autem in jus vocatus fuerit, — ni eo die finiverit negotium, vadimonium ei faciendum est, id est, ut promittat, se certo die sisti. Fiunt autem vadimonia quibusdam in causis pura, id est, sine satisdatione, quibusdam jurejurando, quibusdam recuperatoribus suppositis, id est, ut qui non steterit, is protinus a recuperatoribus in summam vadimonii condemnetur; eaque singula diligenter Praetoris edicto significantur." — Unde apparet, vadimonia haec tum usu venisse, quum non vacaret magistratui cognoscere de causis sibi propositis adeoque procrastinanda esset cognitionis dies. Utriusque autem vadimonii deserti causa, i. e. si neque potestatem sui faceret reus, neque defenderetur, missionem in bona impetrare poterat actor (*L.* 2. *pr. D. quib. ex causs. in possessionem eatur.*). At antiquissimum illud vadimonii genus, quod judicii sistendi causa fiebat, mox in desuetudinem abiit; quod si enim lite contestata reus non adesset die condicto apud judicem, neque aut edictis aut denuntiationibus admonitus compareret: in contumacem sententia ferri poterat (cf. Ascon. Pedian. *in Verr.* I. 9. Pauli *rec. sent.* V. T. X. 5. a. §. 7. *L.* 2. 8. 9. *C. quomodo et quando judex*). Post, quum judiciorum ordo evanuerat et in jus vocationes judicis jussu per litium exsequutores fiebant, stetit tamen mos, ut a reis rite pulsatis *cautiones in judicio sistendi causa*, s. *judicio sisti* interponendae essent; hoc enim nomen ea aetate frequentatum, idque juris Justinianei compositores pro veteri illo vadimoniorum reposuerunt; (vid. §. 20. not. k.) — Caeterum, quam variae sint his de rebus doctorum hominum sententiae, facile quivis intelliget, qui paucissimos hos evolverit, quos e magna scriptorum copia nunc adferam: Bav. Voordae *Diss. de vadimonio* (Traj. ad Rh. 1751. 4. et in Fellenbergii *Jurisprudent. antiqua* Nr. XI. Tom. II.) Cap. II. IV. V. C. F. Glück in *opuscc.* p. 337—367. §. 13—16. F. X. Zenger *über das Vadimonium der Römer* (Landsh. 1826. 8.) §. 5—10. §. 21. 22. §. 31. 32. §. 35. F. C. G. Stieber *de bonorum emtione apud veteres Romanos* (Lips. 1824. 8.) §. 11. 12. §. 32—42. Zimmern *l. l.* §. 112. §. 114—117. §. 136. §. 145. p. 440. sq. Hollweg *Gerichtsverfassung* etc. §. 21. p. 253. et §. 22. p. 256. sq. (Nr. 3.). *Mühl.*

f) Et hinc lucem capiunt illa Servatoris verba *Evangel.* Matth. *c.* 5. *v.* 25. *Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ· μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ. Cede quamprimum adversario tuo, quando cum illo in jus abis, ne forte adversarius te judici, hic ministro tradat, adeoque in vincula conjiciaris.* Cf. *Evangel.* Lucae *c.* 12. *v.* 58. Ea sane pauci recte intelligunt, quum e legibus his XII Tabularum, et ex antiquitatibus Romanis insignem lucem accipiant. *Hein.*

experiri vellet. Quum enim ex uno eodemque facto plures saepe actiones competerent, eligenda erat una, eaque edenda reo: Car. Sigonius *de judiciis I.* 19. *p.* 451. Et huc pertinent illa apud Plautum *Persa Act. IV. sc.* 9. *v.* 8. *sq.*

SAT. Age, ambula in jus, leno. DORD. quid me in jus vocas?
SAT. Illi apud Praetorem dicam: sed ego in jus voco.

Dicit Saturio, non opus esse, ut, antequam in jus ventum, indicetur, cur lenonem in jus vocarit: moris esse, ut apud Praetorem demum edatur actio: *L.* 1. *D. de Edendo.* Actionem actor primum a Praetore POSTULABAT, id est, petebat, ut sibi liceret eamdem in reum intendere g). Neque enim Praetores omnes easdem actiones dabant, quamvis generatim Edicto promisissent, se postulantibus actiones daturos. Sic *M. Drusus, Praetor urbanus,* teste Auctore *ad Herennium II.* 13. *quod cum herede mandati ageretur, judicium reddidit; S. Julius non reddidit.* Actio plerumque postulabatur per advocatos,

---

g) Heineccius, cum plerisque ejus aequalium, ita rem proponit, quasi semper venia quaedam agendi a Praetore fuerit impetranda, idque esse *postulare actionem.* (In eadem sunt sententia van Hees *Diss. laud. de iis, quae antiquitus apud Romanos inter litigatores ante litem contestatam fiebant,* §. 41. 42. in Fellenb. *jurispr. ant.* T. I. p. 543. sq. et Glück *opusc.* p. 326. sqq. §. 11.) Potius tamen existimaverim, ad constitutionem actionis, i. e. judicii, referendam esse postulationem (cf. Cic. *de invent.* II. 19. *orat. partitt.* 28. *in Verr.* III. 65. — Goldschmidt *über Litis Contestation und Einreden.* Frf. 1812. §. 2. p. 7—12. Keller *über L. C. u. Urtheil* §. 3. p. 32. sq. not. 3.), impetrationem vero ad actionem non vulgarium, i. e. edicto nondum propositarum, petitionem. Hae enim causa demum cognita primum a Praetoribus dabantur, deinde principum rescriptis impertiri petentibus solitae sunt. Quodsi quis omissa impetratione actionem instituebat, non impetratae actionis exceptione removeri poterat, idque jus usque ad Theodosii II. tempora conservatum est. Ecquis autem erit, qui putet, nemini omnino agere licuisse, nisi cui id ab imperatore concessum sit? Jam vero Theodosius II. impetrandi necessitatem sustulit, statuens: nulli prorsus non impetratae actionem opponi, dummodo aptam rei et proposito negotio competentem esse actionem constiterit (*L.* 1. *C. Th. de omissa actionis impetratione. L.* 2. *Inst. C. de omissa actionis impetratione*), quod sic interpretandum esse censeo: liberum esse cuicunque actionem instituere, quae jure innixa factoque proposito conveniens sit, licet nullibi vulgaris ejus formula proposita inveniatur. — Re ipsa nobiscum consentire videtur Löhrius (*Uebersicht der das Privatrecht betreffenden Constitutionen der Röm. Kaiser von Theodos. II. — Justinian* p. 51. sq. not. 2.), nisi quod postulationis id fuisse censet, quod impetrationi equidem tribuo. In alia tamen ivit Zimmernus *l. l.* §. 118. not. 1., cujus dubitationibus breviter respondi tum in libro: *Cession der Forderungsrechte* §. 15. not. 324. p. 164. ed. 3., tum in *doctrina Pandectarum* T. I. §. 143. not. 2. ed. 4. *Mühl.*

quos et reus eodem tempore petere solebat. Imo illis, qui in judicio pro se postulare non poterant, advocatos si non haberent, Praetor ex officio dabat. Unde in edicto fuit: SI NON HABEBUNT ADVOCATUM, EGO DABO: *L.* 1. §. 4. *D. de Postul.* Postulatam actionem, et a Praetore impetratam actor EDEBAT, cujus rei quinque erant diversae rationes. *Prima* erat, si quis diceret, qua actione uti vellet: *secunda,* si actionis describendae actor reo faceret copiam: *tertia,* si actor suam intentionem in libello esset complexus, eamque sic offerret adversario: *quarta,* si ex libello eam adversario dictaret: *quinta,* si ad album produceret adversarium, et monstrata, qua usurus esset, actione certam formulam ejusdem recitaret h): *L.* 1. §. 1. *D. de Edendo.* Jacob. Raevardus *Protribunal. IV. p.* 885. In quo maxima adhibenda erat ab actore cautio, quia si vel plus intentione sua complecteretur, quam ad eum pertinebat, vel in actione recitanda aberraret, mentemque lingua praecurreret, caussa statim caderet: Cicero *de Invent. II.* 19. *Ita jus civile habemus constitutum, ut caussa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.* Auctor *ad Herennium I.* 12. *In privata actione caussa cadit is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.* Quinctilianus *Inst. Orator. III.* 8. et *VII.* 3. §. 17. *Est etiam periculosum, quum, si uno verbo sit erratum, tota caussa cecidisse videamur* i).

§. 20.

Vadimonium conceptum.

Impetrata, editaque a Praetore actione, actor porro certa ver-

---

h) Actiones adeo formulis adstrictae erant, ut ideo ipsae formularum nomine veniant. Sic *damni dati formula* dicitur actio Legis Aquilliae, apud Plinium *Hist. Nat. IX.* 59. *Formulae de dolo* mentio fit apud Ciceronem *de Offic. III.* 14. et *de Nat. Deor. III.* 30. Idem Cicero *pro Q. Roscio Comoedo* [* *c.* 8. *fine.*]: *Sunt jura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere injuriae, aut ratione actionis errare possit. Expressae sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicae a Praetore formulae, ad quas privata lis adcommodetur. Formularum* porro *de atrocibus injuriis* meminit Arnobius *Lib. IV. adversus gentes c.* 34. *p.* 89. ex *edit.* Elmenhorst. *Hein.* Quod hoc in loco strictim ac breviter monuit Auctor de formulis earumque recto in jure usu, ex his erit supplendum, quae infra dabimus §. 25. 26. *Mühl.*

i) Nonnumquam tamen Praetor eum, qui formula ceciderat, restituebat in integrum: §. 33. *Inst. de Action.* Seneca *Epist.* 48. fere sub *fin.* *Quid enim aliud agitis, quum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum illum* PRAETOR; *sic hos philosophia* IN INTEGRUM RESTITUIT. *Hein.*

borum conceptaque formula *vadabatur reum* [k]; id est, vades sive sponsores petebat, promissuros, fore, ut certo die, (is plerumque perendinus erat), se in jure sisteret [l]. Haec quoque sponsionis formula non sine insigni cautione concipiebatur a Jureconsulto quodam, ut ex Ciceronis *ad Q. Fratrem Epistt. II.* 15. adparet, ubi *negat* Caesar, *in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui* VADIMONIUM *concipere posset.* Ipsa formula periit. Videntur tamen vades spopondisse pro reo, eum certo die ADFUTURUM: Cicero *pro P. Quintio c.* 7. *Ita disceditur, ut idibus Septembribus P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius: vadimonium sistit.* Acron Horatii Scholiastes *ad Sermon. Lib. I. sat.* 1. *v.* 11. VADIBUS, *sponsoribus, a vadimonio, quod promittit is, qui ad judicium provocatur,* CERTO DIE ADFUTURUM. VADES *ideo dicti, quod, qui eos dederit, vadendi,* id est, discedendi, *habet potestatem.* ACTOR ergo, qui provocabat, reum *vadari;* REUS *vades dare;* vel *vadimonium promittere,* VAS *spondere* dicebatur. Dies, quo adfore reum spondebant vades, plerumque erat *perendinus.* Quae vox adeo sollemnis erat in vadimonii formulis, ut addubitarent prudentes, an DIEM TERTIUM pro PERENDINO dici liceret, ut testatur Cicero *pro Muraena c.* 12. Quo pertinet etiam locus Gellii *Noctt. Att. VII.* 1. *Et quodam die jus in castris sedens dicebat: atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. Tum e militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more:* IN QUEM DIEM LOCUMque *vadimonium promitti juberet? Et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens:* PERENDIE, inquit, *sese sistant illo in loco.* Non vero vas spondebat tantum, reum certo die locoque adfuturum, sed et, si haud adfuturus esset, certam spondebat deserti vadimonii poenam [m]),

---

k) Vadimonii nulla in Digestis mentio fit, eo quod Tribonianus hanc vocem in veterum fragmentis ubique expunxit, ut luculenter patet ex *L.* 7. *pr. D. de Injur.* comparata cum fragmento Pauli apud *Auctorem collat. legg. Mosaic. et Roman. II.* 6. Effugit tamen Triboniani manum *L. ult.* §. 1. *C. de Castrens. et ministerian. Hein.*

l) Alias, si vades dare non posset reus, in carcerem nonnumquam detrudebatur: Plautus in *Persa Act. II. sc.* 4. *v.* 18.

SAG. Vadatur hic me. PAEG. utinam vades desint; in carcere ut sis! Guil. a Goes in *Adpend. ad Pilatum judicem,* Jacob. Raevardus *ad XII. Tabb. c.* 5. *p.* 29. *sq. Hein.* Caeterum non semper fidejussoribus datis vadimonia fiebant, sed quibusdam ex causis sola promissio a reo facta sufficiebat, unde *pura* dicta sunt vadimonia. Vid. Gaj. IV. §. 184. et §. 19. not. e. *Mühl.*

m) Male vero Ant. Contius *Lectt. I.* 9. inde colligit, satisdationem hanc

quam tamen ipsa litis aestimatione majorem haud esse oportebat: Paulus apud *Auctorem collat. legg. Mosaic. et Roman. II.* 6. n). Concepto hunc in modum vadimonio, acceptisque sponsoribus, e jure discedebatur, reusque vel de transactione cogitabat, vel ad contendendum se parabat in perendinum. Saepe tamen Praetores ex voluntate litigantium vadimonium in alios dies perendinos differebant: Epitom. Liv. *LXXXVI. Sulla ex fiducia tam certae victoriae litigatores, a quibus adibatur, vadimonium Romam differre jussit.* Juvenalis *Sat. III.* [* *v.* 213.]

— — — *differt vadimonia Praetor.*

§. 21.

Citatio utriusque partis per Praeconem. Quid, si se haud sisterent?

Veniente die, qui *comperendinus* dicebatur, aut aderat reus, et tunc *vadimonium sistere* vel *obire;* aut aberat, et tunc *deseruisse* dicebatur *vadimonium.* Hoc ergo die comperendino aderat et Praetor, et actiones postridie editas postulatasque ex tabulis ordine recitari, simulque actores reosque per adcensum citari o) jubebat, ut cognoscendis caussis operam, simulque judices daret. Quorum illud *dicere vadimonia;* hoc *addicere judicia* vocabant: Macrobius *Saturnal. I.* 16. *Comperendini dies fuerunt, quibus* VADIMONIA DICERE *et* JUDICIA

---

pro litis aestimatione, id est, judicatum solvi, interpositam fuisse. Ipsum quidem vadimonium contrahebatur ob rem: *L.* 10. §. 2. *D. Si quis cautionib.* sed tantum eatenus, ne reus copiam sui facere detrectaret. *Hein.*

n) Auctor enim Paulus est iis, qui injuriarum agant, ne taxationem ponant minorem, quam quanti vadimonium fuerit. Jam quum in hac actione vadimonia: *quanti ea res est* concipi solerent, merito inde colligi poterit, cautionis summam litis aestimationem egredi non debuisse, nec cuipiam fraudi futurum fuisse, si haec regula in cavendo observata non esset. Egregie id confirmatur insigni quodam Gaji loco (IV. §. 186.), unde discimus: in judicati depensive causis tanti factum esse vadimonium, quanti ea res fuerit, in ceteris, quanti actor juraverit, non calumniae causa postulare sibi vadimonium promitti, sic tamen, ut (praeterquam in judicati depensive causis) non pluris quam partis dimidiae, nec pluribus, quam C. milibus fieret vadimonium. Hoc enim sensu verba, quae in fine hujus loci leguntur, accipienda, vel potius emendanda, esse, acute conjecit Huschke *Studien des Röm. Rechts* p. 336. Similia jam ante illum suspicatus erat Heffter. *ad h. Gaji l. Mühl.*

o) Hoc fine nomina edebantur reorum aeque ac actorum apud Praeconem vel adcensum, ut is deinde ordine citare litigantes ad tribunal posset: Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. p.* 69. *Apud veteres et judices, et rei, et adcusatores, et defensores citabantur a Praecone Praetoris.* Jacob. Raeuardus *Protribunal. c.* 2. *p.* 874. *Hein.*

ADDICERE *licebat.* Sigonius *de Judic. I.* 21. *p.* 456. Citati litigantes, si sese non sisterent, caussa cadebant. Horatius p) *Sermon. Lib. I. sat.* 9. *v.* 35. *sqq.*

Ventum erat ad Vestae, quarta jam parte diei
Praeterita: et casu tunc respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.

In primis reus, deserens vadimonium, perdebat litem, et Praetor, postulante actore, ex edicto jubebat ejus bona possideri. Ita enim edixerat Praetor: IN BONA EJUS, QUI JUDICII CAUSSA FIDEJUSSORES DEDERIT, SI NEQUE POTESTATEM SUI FACIAT, NEQUE DEFENDATUR, IRI JUBEBO. Exemplum est apud Ciceronem in *orat. pro P. Quintio c.* 6. cujus ex edicto bona possidebantur, quia vadimonium dicebatur deseruisse. Si tamen reus non exaudiverat vocem Praeconis,

p) Actor solus causa cadebat, et Horatii verba soli actori adplicanda. *Cann.* Numquam enim de reo usurpantur loquutiones: *caussa* s. *formula cadere,* similesque. Nec fieri prorsus poterat, ut judicio nondum constituto reus condemnaretur; at bona ejus, qui vadimonium deseruerat, ex edicto possideri Praetor jubebat, idque cohibendae contumaciae remedium satis acre atque efficax. (Cf. Voorda *de vadimonio* c. IV. §. 2. et supra §. 19. not. e.) Quid? quod nec de actore, num causa ceciderit propter litem desertam? inter omnes constat. Nam vadimonium eum deseruisse, qui nullum praestiterit, quomodo dici potest? (Quo argumento vel maxime utitur Zenger *l. l.* §. 30. p. 62. sqq.) Sed salva res est. Etenim ni vadimonium, suam tamen ipse rem deserit actor, qui tempore condicto haud adest. Certe id ita placuisse Romanis, sat manifesto evincitur testimoniis locorum, quae hujus confirmandae sententiae causa adferri solent, velut Horatii *l. l.* et Suètonii in *Calig.* c. 39. (Vid. et Zimmern *l. l.* §. 115. et §. 143. not. 16.) Nec negotium nobis facessunt, quae apud Ulpianum leguntur: „Quodsi is, qui dictum peremtorium impetravit, absit die cognitionis, is vero, adversus quem impetratum est, adsit, tum circumducendum erit edictum peremtorium, neque causa cognoscetur, nec secundum praesentem pronuntiabitur;" (*L.* 73. §. 1. *D. de judiciis.*) Haec enim omnino non pertinent ad vadimonii deserti causam, verum ad reorum absentium vel latitantium citationes, quae edictis publice propositis fiebant. Jam si reus per edictum commonitus aderat, actore non comparente circumducebatur edictum, hac quidem vi, ut salva manente litis causa instantia tantum edicti periret, i. e. ex integro litigandi jus esset actori (*L.* 73. §. 2. *D. de judic.*). Nonnullis tamen in causis, velut iis, quae ad libertatem hominis spectabant, propter litem ab actore desertam, pro reo sententia dici poterat; (*L.* 27. §. 1. *D. de lib. causs.*) At post judicium acceptum, licet non statim causa caderet actor, qui die condicto non aderat apud judicem, reo semper licebat ad sententiam provocare (Lex Gall. Cisalpinae cap. 21. 22. *L.* 28. *pr. D. de appellat.*), itemque actori, si juste admonitus reus copiam sui non faceret (vid. §. 19. not. e). — Cfr. Heffter. *Instit. des Civilprocesses* p. 302 — 306. Zimmern *l. l.* §. 136., qui tamen scriptores neque inter se, nec nobiscum prorsus consentiunt. *Mühl.*

restituebatur in integrum, modo statim judicem adiisset: *L. pen. D. de In integr. restitut.*

§. 22.

Intentio actionis.

Sin uterque se stitisset: tunc ad citationem prior respondebat reus: *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citasti? Ecce ego me tibi sisto, tu contra et te mihi siste.* Ad hanc enim sollemnem formulam omnium interpretum consensu respicit Plautus *Curcul. Act. I. sc. 3. v. 5. sqq.*

Pl. ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
sisto ego tibi me, et mihi contra itidem te ut sistas, suadeo.

Provocatus hoc modo actor: ADESSE se ajebat. Quorsum itidem pertinent illa Plauti proxime sequentia:

Ph. assum: nam si absim, haud recusem quin mihi male sit, mel meum.

Regerebat porro reus, QUID AIS? Cui actor respondebat AJO: et tum ipsa sequebatur actio, reo intenta, certa formula concepta, veluti: AJO, FUNDUM, QUEM POSSIDES, MEUM ESSE, vel AJO, TE MIHI DARE FACERE OPORTERE. Juvabit ergo formulas actionum praecipuarum, eo ordine, quo eas Imperator hoc titulo proposuit, colligere, ut, quid singulis actionum formulis petere soliti sint Romani, eo dilucidius adpareat. Neque tamen aliquis a nobis requiret, ut omnes actiones, quarum et rhetores meminerunt, explicemus, veluti actionem *dementiae, inscripti maleficii, talionis, malae tractationis, abdicationis.* Earum enim plerasque non in foro, sed in rhetorum scholis natas esse, jampridem docuit Cujacius *Observatt. IX.* 13. *Hein.* Antequam vero rem ipsam aggrediamur, juris rationem, qua antiquitus Romani in actionibus instituendis usi sunt, ejusque vicissitudines breviter exponemus. *Mühl.*

§. 23.

Legis actiones q).

Legis actiones s. legitimae actiones r) erant actus solennes, ad

q) Gaji *Inst.* IV. §. 10 — 31. Mühlenbruch in den *Heidelb. Jahrb. der Litter.* num. 4. p. 53—55. Dupont *Disquis. in comment.* IV. Gaji §. II — IV. p. 6 — 51. Heffter. *Observatt. ad Gaj.* cap. 2—8. Zimmern *l. l.* §. 32. 33. 35. §. 38 — 44. §. 47. 48. *Ueber die Legis actiones und das Centumviralgericht der Römer.* Von einem Praktiker. Zwickau 1839. 8.

r) *L.* 2. §. 6. *D. de orig. jur.*

certas formulas formasque quam severissime adstricti, quibus antiquo tempore in aperiundis litibus usi sunt Romani [s]). „Lege autem agebatur modis quinque: sacramento, per judicis postulationem, per condictionem, per manus injectionem, per pignoris captionem" (Gaj. IV. 12.). Et *sacramenti actio* haec erat: adversarii se invicem sacramento provocabant, i. e. ut certa pecunia aut apud pontificem deponeretur, unde sacramentum dictum [t]), aut praedes ejus nomine darentur, quo facto vel apud Centumviros [u]), vel apud judicem de ipsa re vel causa certatum est, hac quidem adhibita formula: justum sit sacramentum an injustum [x]). Is qui victus est, summam sacramenti praestare necesse habebat, eaque non adversarii lucro, sed in publicum cedebat [y]). — *Per judicis postulationem* quomodo agendum esset, haud certo constat. Propius tamen abesse videtur a veritate: statim ingressu litis judicem petendum fuisse his verbis: *Praetor judicem arbitrumve postulo uti des* [z]); ab eoque de jure legitimis verbis proposito judicatum esse. Quae quidem actio mitior erat, propterea, quod praeter ipsius causae amissionem nihil periclitabantur litigantium personae. Quoniam autem Gajus dicit: sacramenti actionem generalem esse, eaque agendum, quoties, ut aliter ageretur, lege cautum non esset: suspicari licebit, olim quidem non nisi certis ex causis per judicis postulationem agi potuisse; caeterum, ex quo per arbitros litigari coepit, in arbitrariis causis alii locum fuisse legis actioni vix crediderim. — Quodsi *per con-*

s) De legis actionum et fonte, unde ductae essent, et nominis origine, ne inter veteres quidem JCtos satis constabat: *L.* 2. §. 6. *D. de orig. jur.* Gaj. IV. §. 11. „Actiones, quas in usu veteres habuerunt, legis actiones appellabantur, vel ideo, quod legibus proditae erant (quippe tunc edicta Praetoris, quibus complures actiones introductae sunt, nondum in usu habebantur), vel ideo, quia ipsarum legum verbis accomodata erant, et ideo immutabiles proinde atque leges observabantur. Unde ei, qui de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum est, rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare eo, quod lex XII. tabularum, ex qua de vitibus succisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur."

t) Varro *de ling. lat.* Lib. IV. c. 36. Festus *de V. S.* v. *sacramentum* p. m. 418. cf. Dirksen *civilist. Abhandl.* T. II. p. 116. — Cf. infra §. 29. not. i.

u) Cf. Gaj. IV. §. 31. et 95.

x) Cic. *or. pro Caecina* c. 33. („re quaesita et deliberata sacramentum nostrum justum judicaverunt.") Ejusd. *or. pro domo* c. 29. in f.

y) Gaj. IV. §. 13. 16. cf. et Varronis et Festi *locc. supra* (not. t.) *laudd.*

z) Cf. Heffter. *Observ. ad Gaj.* p. 12. et Zimmern *l. l.* §. 42.—Cf. Ed. Huschke in *Analect. litt.* p. 262.

dictionem agebatur, actor adversario denuntiabat, ut ad judicem capiendum die tricesimo adesset; condicere enim prisca lingua est dicendo denuntiare [a]). Videtur autem haec legis actio post LL. XII. tabb. introducta esse, et quidem lege Silia *pecuniae* certae, lege Calpurnia de *omni re certa* (Gaj. IV. 19.); adeoque causas complexa est omnes, unde *ad dandum* obligaretur reus, i. e. stricti juris actiones. Atque hinc etiam explicandum est, quare ipsae quoque actiones ad hoc genus pertinentes, conditionum nomine appellatae sint [b]). Caeterum miratur Gajus, quapropter desiderata sit haec actio, quoniam de eo, quod dari oporteret actori, aut sacramento, aut per judicis postulationem agi potuerit [c]). Mihi jamdudum placuit (nec nunc me poenitet sententiae), ideo jus illud constitutum esse, ut praesidium aliquod adesset creditoribus tute conveniendi adversarios, qui forte copiam sui non facerent, ut in jus rapi possent. Hujusmodi igitur in causis actor, postquam causam in jure testibus praesentibus solenniter proposuerat, domum denuntiabat reo [d]) per eosdem testes, ut certo die adesset judicis accipiundi causa; qui si non compareret, aut missionem in bona pati, aut veluti lite contestata condemnari poterat. Idque jus primum introductum certae pecuniae creditae causa, cujus quantus in jure favor fuerit, nemo est quin sciat [e]), postea ad omnes res certas translatum est, donec denuntiationes in universum litibus instituendis adhiberi coeperunt [f]). — *Per manus injectionem* manu imposita in jus rapiebantur rei, hoc pacto, ut aut sequi, aut vindicem dare necesse haberent. Duplex ejus fuit forma. Altera, qua omnes olim debitores, vi adhibita, in jus vocati sunt (vid. supra not. e ad §. 19.), altera, quae solennibus verbis certo in causarum genere fiebat, et principio quidem, ut videtur, non nisi in judicati causa. Eamque sic nobis de-

---

a) §. 15. *I. de actionib.* Festus v. *condicere* et *condictio;* p. m. 271.

b) Idem etiam ad omnes in personam actiones, certe ex jure civili descendentes, postea translatum est nomen, simili ratione, quare in rem actiones appellatae sunt vindicationes. Gaj. IV. §. 5. et 15. *I. de act.* Mühlenbruch in den *Heidelb. Jahrb. l. l.* p. 54. sqq. Heffter. *Observ. ad Gaj.* c. 14. p. 65. sq.

c) Gaj. IV. §. 20.

d) Cic. *or. pro Quintio* c. 17.

e) Hugo *civ. Mag.* T. II. p. 484. num. 12. (ed. 1.) Von Savigny *üb. das altröm. Schuldrecht* (in den *Abhandl. der Ak. der Wiss. aus d. Jahre* 1833.) p. 73. sq.

f) Mühlenbruch in den *Heidelb. Jahrb. l. l.* p. 53—55. et in libro: *Cession der Forderungsr.* p. 78—81.

scriptam dedit Gajus: „qui agebat, sic dicebat: *quod tu mihi judicatus sive damnatus es Sestertium X milia, quae dolo malo non solvisti, ob eam rem ego tibi Sestertium X milium judicati manus injicio*, et simul aliquam partem corporis ejus prendebat; nec licebat judicato, manum sibi depellere, et pro se lege agere, sed vindicem dabat, qui pro se causam agere solebat: qui vindicem non dabat, domum ducebatur ab actore et vinciebatur" (IV. 21. Vid. et supra Lib. III. Tit. XXX. (XXIX.) §. 4.). Postea legibus cautum est, ut aliis quibusdam ex causis manus injectione ageretur; at non semper eadem ratione ac vi. Nam aut pro *judicato* manus injectio data est, aut pura g). Et haec quidem eo differebat a judicati causa, quod actor in ipsa legis actione non adjiciebat verbum *pro judicato* h), sed nominata actionis causa simpliciter adjiciebat: *ob eam rem ego tibi manum injicio;* quo facto manum sibi depellere et pro se agere licebat adversario (Gaj. IV. 24.). Postea severior illa manus injectio in duabus tantum causis retenta est, nimirum in actione adversus judicatum, et adversus eum, pro quo depensum erat; qui nisi vindicem dabant, domum ducebantur i). — *Per pignoris capionem* solennibus adhibitis verbis pignus capiebatur, idque de quibusdam causis moribus, de aliis lege concessum est k). Caeterum dubitabatur, an ad legis actiones referenda sit pignoris capio, primum, quod extra jus, saepissime etiam absente adversario peragebatur, quum caeterae actiones apud Praetorem et praesente adversario factae fuerint; deinde, quod nefasto die, i. e. eo, quo non liceret, lege agere, pignus capi potuerit (Gaj. IV. 29.). Similiter dubitari potest *de condictione*, num in legis actionum numero vere habenda sit? Licet enim ipsa testatio in jure peragenda fuerit, absente tamen adversario fiebat. At nonne tota hujusce actionis ratio ac vis eo velut figmento continebatur, quasi omnia rite peracta fuerint, quae in litibus aperiendis necessaria antiquitus fuerint? Haec igitur fuit potestas denuntiationis, de qua supra exposuimus, quasi praesens

g) Prioris exempla vid. in Gaj. III. §. 127. IV. §. 22. et cf. supra Lib. III. Tit. XXI. (XX.) §. 10. not. t.; posterioris: ibid. IV. §. 23.

h) Caeterum in forma legis Furiae testamentariae, licet pura ex hac lege data sit manus injectio, tamen *pro judicato* verbum inserebatur; quod nulla ratione factum esse ipsi visum est Gajo, IV. §. 24.

i) Addit Gajus (IV. §. 25.): „unde nostris temporibus is, cum quo judicati depensive agitur, judicatum solvi satisdare cogitur."

k) Utriusque exempla reperies in Gajo IV. §. 27. 28.

cum praesente egisset [l]). *Manus* autem *injectionem* illam, qua in jus rapiebantur debitores utique omnes, num ad legis actiones retulerint veteres? quaerere haud multum refert. Nam id certo constat, vim ei non esse tribuendam actionum, quibus inter se homines disceptarent [m]). *Mühl.*

§. 24.

Legis actionum decrementum atque interitus. — Formularum usus.

Tanta autem legis actionum erat subtilitas tantusque rigor, ut, qui vel minimum errasset, litem perderet [n]). Unde, quum paulatim in odium venissent legis actiones, per legem Aebutiam et duas Julias sublatae sunt, tantum non omnes, atque effectum, ut per formulas, i. e. per concepta verba plerumque litigaretur. Neque vero de harum legum aut aetate, aut auctoribus, aut singularum argumento certi quicquam nobis proditum est [o]); id unum scimus, Gaji aetate ex duabus tantum causis permissum fuisse, lege agere: damni infecti et si ad centumvirale judicium iretur; neque vero propter damnum infectum illa etiam aetate usu venit legis actio, si quidem commodiore et pleniore jure uti poterant cives Romani, ex quo stipulatio damni infecti nomine praestanda proposuerat Praetor [p]). Apud centumviros litigaturi antea lege agebant, sacramento apud Praetorem, quo facto centumviri ex sacramenti formula rem judicabant [q]). In reliquis igitur causis per formulas disceptatum est, i. e. per verborum conceptiones, facto proposito, accomodatas easque ad judicem dandas, unde intelligeret ille, quid sibi vel maxime spectandum

---

l) Vid. quae praeterea hujus amovendae dubitationis causa disputavi in libro: *Cession der Forderungsrechte* §. 8. p. 79. sq. ed. 3.

m) Caeterum valde inter se dissentiunt, qui hanc quaestionem tractarunt. Vid. Dupont *l. l.* p. 27—34. de Schroeter *Observatt. jur. civ.* p. 24. sqq. not. 35. Hugo *R. G.* XI. p. 318. not. 1. — Cf. G. Asverus *üb. die Legis actio sacramenti* (Leipz. 1837. 8.) §. 19.

n) Gaj. IV. §. 11. et 30. (cf. supra not. s ad §. 23.)

o) Varias variorum hac de re conjecturas cognosces e Dupontii *Disquisitt.* p. 47—49. Heffteri *Observatt. ad Gaji* Lib. IV. cap. 7. 8. Zimmern *R. G.* §. 35. ibique inprimis not. 1.

p) Gaj. IV. §. 31. — Utriusque juris differentiam et rationem, unde profecta sit, optime exposuit E. Huschke in *Comm. de actionum formulis, quae in Lege Rubria exstant* (Vratisl. 1832. 4.) p. 9 — 14.

q) Gaj. IV. §. 31. Cujus quidem loci lacunas explere conati sunt Heffterus in sua edit. et Huschke tum in: *Studien d. R. R.* p. 307 — 309., tum vero in *Comment. modo laud.* p. 10. cf. Gaj. IV. §. 95.

esset in judicando. Neque id ita intelligi debet, quasi ante legem Aebutiam latam prorsus ignota fuerit litigandi per formulas ratio. Adeone quis credat, angustiis unquam fuisse impeditam rem judiciariam Romanorum, ut nemini licuerit agere, nisi ex causa ab ipsis legibus depromta adhibitaque legis actionum forma? Itaque jam statim principio civitatis tale causarum genus fuisse existimaverim, quae arbitrio potissimum regum magistratuumve regerentur; qui, si non ipsi de re pronuntiabant, pro imperio suo aliis eandem ex formula judicandam demandarunt [r]). At post leges illas latas omnem fere in foro auctoritatem occupaverunt formulae. Fuit haec quoque dura ac rigida litigandi ratio. Nullo tamen negotio formulae intentioni accommodabantur litigantium, neque ad certa causarum genera adstrictae erant, verum ad quascunque actiones, quibus vitae usus communis continetur, poterant flecti ac dirigi; unde novam hanc litium instituendarum rationem, si cum pristina illa comparaveris, multo etiam commodiorem atque expeditiorem haud temere dixeris. Caeterum haec quoque displicuit posteriori aetati; cessavit igitur pedetentim formularum usus, adeoque legibus sublatus est [s]), simpliciorque invaluit via, aut per narrationem judici proponendam, aut per libellum conveniendi adversarium. *Mühl.*

§. 25.

Formularum partes [t]).

Partes formularum, Gajo praecipiente, hae sunt: demonstratio, intentio, adjudicatio, condemnatio. Demonstratio est ea pars formulae, qua demonstratur, res, de qua agitur, quid sit? (Velut: *quod Aulus Agerius Numerio Negidio hominem vendidit);* intentio, qua quid propositum sit actori, exprimitur (v. c. *si paret, Numerium Negidium Aulo Agerio Sestertium X milia dare oportere;* item haec: *quidquid paret N. N. A. A. dare facere oportere;* itemque illa: *si paret, hominem ex jure Quiritium Auli Agerii esse*); adjudicatio est, qua judici permittitur, rem alicui ex litigatoribus adjudicare: *quantum adjudicari oportet, judex Titio adjudicato;* condemnatio est

r) Cf. Stahl *Röm. Klagenrecht* p. 30. sq. Huschke *Verfassung* etc. p. 583. sq. Vid. et *Comm. üb. d. Leg. actiones* etc. supra (not. q. ad §. 23. in fin.) laudata; ubi etiam in legis actionibus formularum usum fuisse defenditur.

s) *L.* 1. *C. de formulis et impetrationib. actionum sublatis* (Impp. Constantio III. et Constante II.).

t) Gaj. IV. §. 39—44. — Zimmern *l. l.* §. 51. 52.

pars formulae, qua judici condemnandi absolvendive potestas permittitur, velut: *judex N. N. A. A. Sestertium X milia condemna, si non paret, absolve.* Solebat autem condemnatio ad pecuniariam aestimationem concipi, licet corpus (v. c. fundus) peteretur; eaque vel certae pecuniae erat, vel incertae, itemque haec vel cum aliqua praefinitione s. taxatione, vel infinita. Cum praefinitione, hoc pacto, ut summa quidem praefiniretur, quam ultra egredi non debebat judex, velut: *judex N. N. A. A. duntaxat X milia condemna;* infinitae condemnationis exemplum hoc est: *quanti ea res erit, tantam pecuniam Numerium Nig. Aulo Ag. condemna* [u]). Quodsi haec non attendebat judex praecepta, litem suam faciebat (Gaj. IV. 52.). Caeterum adjudicationi locus tantum erat in tribus illis judiciis, *familiae erciscundae, communi dividundo, finium regundorum* (Gaj. IV. 42.); nec reliquae tres partes omnibus inseri solebant formulis. Nam in factum conceptae formulae sola intentione et condemnatione constabant (vid. §. sq.), in praejudicialibus actionibus (§. 35.) alia non inveniebatur pars, nisi intentio (Gaj. IV. 44.). *Mühl.*

§. 26.

Genera formularum praecipua.

Fuere autem formularum genera plura, atque in unoquoque diversae inerant formae. Et *primum* quidem aliae fictitiae erant formulae, aliae sua vi et potestate continebantur (Gaj. IV. 10.). Fictitiarum actionum item duplex species. Una eas complectens, quae ad certam quamdam legis actionem exprimebantur, i. e. similis eis vis inerat ac potestas, quae ipsi legis actioni [x]); altera eas continebat, quibus ad alius juris similitudinem Praetor, fictione adhibita, novum jus accommodabat, velut, quum bonorum possessor ficto

---

u) Gaj. IV. §. 48—51. Haec verborum conceptio: *quidquid ob eam rem N. N. A. A. dare facere oportet;* ejusque similis: *quanti ea res erit* (Gaj. IV. §. 47.), licet re ipsa item spectant ad infinitam condemnationem, tamen, si solam formam consideramus, ad intentionem potius referendae sunt. — Cf. Ed. Huschke in *Analect. litter.* p. 262—275. Zimmern *l. l.* §. 56. Huschke *de actionum formulis, quae in lege Rubria exstant* p. 42. sq.

x) Affert Gajus exemplum Publicani, cui pignoris captio adversus eos, qui vectigalia debebant, olim data est (IV. §. 28.). Jam novo jure Publicano proponebatur formula, in qua talis erat fictio, *ut quanta pecunia olim, si pignus captum esset, id pignus is, a quo captum erat, luere deberet, in tantam pecuniam condemnaretur;* IV. §. 32. cf. et ibid. §. 33. et Mühlenbruch *Cession* etc. p. 80. not. 165.

se herede intendebat [y]). Hinc igitur origo repetenda est utilium actionum, quae ad directarum exemplum et velut imitationem datae sunt [z]), licet non semper fictionum ope, quippe quae non nisi in civilium actionum ad alias causas prolatione adhiberi consueverint [a]). — *Deinde* (idque est alterum genus) aliae in jus conceptae, aliae in factum conceptae vocantur formulae [b]). In jus conceptae juris civilis habent intentionem, adeoque ex civili jure profectae sunt, velut hae, quibus intenditur, actoris esse aliquid ex jure Quiritium, aut dari actori oportere. Eaeque tribus plerumque constabant partibus: demonstratione, intentione, condemnatione [c]), cujusmodi exemplum hoc est: *Judex esto. Quod Aulus Agerius Numerio Negidio hominem vendidit, qua de re agitur, quidquid ob eam rem Numerium Negidium Aulo Agerio dare facere oportet ex fide bona ejus, id judex Numerium Negidium Aulo Agerio condemna; si non paret, absolvito.* In factum conceptae ex praetoria jurisdictione descenderunt [d]), in iisque demonstratio et intentio velut in unum transfusae inveniuntur, hoc modo: *Judex esto: Si paret, Aulum Agerium Numerio Negidio hominem vendidisse, nec pretium, de quo convenit, suo tempore solutum esse, quanti ea res erit, tantam pecuniam judex Numerium Negidium Aulo Agerio condemnato: si non paret, absolvito.* Cujus differentiae haec mihi videtur fuisse ratio, ut ex ipsa statim verborum conceptione appareret, quaenam singularum actionum natura esset atque origo. — Nam quum Praetores ex aequo et

---

y) Gaj. IV. §. 34. Alia exempla fictitiarum actionum idem exhibet Gajus §. 35 — 38.

z) *L.* 21. *D. de praescript. verb.* Gaj. IV. §. 38. Mühlenbruch *Cession* etc. §. 15. Zimmern *l. l.* §. 54.

a) Dupont *l. l.* p. 52. sq. Mühlenbruch *l. l.* p. 150. Zimmern *l. l.* §. 50. et 54.

b) Gaj. IV. §. 45 — 47. Cf. Dupont cap. II. §. 2. p. 71. (Contra quem vide, quae a me observata sunt in libro: *Cession d. Ford.* p. 156. sq. not. 313.) Heffter. *ad Gaj. obs.* 12. Zimmern *l. l.* §. 51. 52. Hasse jun. *über d. Wesen der Actio* in dem *Rhein. Mus.* T. VI. p. 33 — 46. p. 71 — 86.

c) Dico *plerumque.* Nam exemplis formulae, qua pecunia certa credita condicebatur, aliisque quibusdam a Gajo allatarum (IV. §. 47. 136. 137.) patet, nonnunquam et in jus conceptas formulas intentione tantum et condemnatione constitisse, licet diversa aliquatenus fuerit concipiendi forma ab ea, qua in factum formulae concipi solebant. Cf. Heffter. *Observ. ad Gaj.* p. 59. et p. 70. sq.

d) Vid. quae confirmandae sententiae causa exposui tum in *Heidelb. Jahrb.* p. 67. sq., tum vero maxime in libro: *Cession d. Ford.* p. 156. sqq. ed. 3. Eandem probat sententiam Zimmern *l. l.* p. 51. n. 9.

bono ad factum sibi propositum actiones dare consueverint, ideo conveniens visum fuit, ut factum, unde jus nasceretur, intentionis ad instar in formula exprimeretur [e]). Caeterum quibusdam ex causis, quae ad bonae fidei normam exigebantur, ubi omnino plurimum valebat Praetorum ac judicantium arbitrium, et in jus et in factum formulas Praetor habebat propositas [f]), hac, ut videtur, ratione, ut facultas esset iis, quibus agere non licuit, nisi in factum conceptis formulis, hisce utendi actionibus [g]). — *Tertium* est formularum genus, in quo vulgares actiones, i. e. quas edicto suo propositas Praetor habebat, ab his sejunguntur, quae secundum morem antiquum ex facto dari solebant, unde in factum actiones prae caeteris vocatae sunt [h]). Et in his quidem vel maxime insignes sunt, quae *praescriptis verbis* vel *in factum* s. *incertae civiles* appellantur. Nomen acceperunt a praescriptionibus, quae pro actore formulis interdum praemitti, vel potius ante intentionem inseri solebant [i]), ut propius definiretur, jus quid sit, de quo apud judicem agendum esset. Causa autem praescribendi duplex esse poterat. Altera cavendi, ne omnia ac singula statim in judicium deducta esse viderentur, quae ex una eademque obligatione peti poterant. Sic v. c., quum in singulos annos pecuniam quis stipulatus est, in singularum praestationum petitionibus hoc modo praescribebatur: *ea res agatur, cujus rei dies fuit;* nimirum, ut futuri temporis praestationes exciperentur salvaeque relinquerentur actori. Similiter, quum ex stipulationibus emtioni adjectis venditor *ad rem dandam vacuamque possessionem tradendam obligatus esset* [k]), ex priore stipulationis clausula hac adhibita praescriptione agebatur: *ea res agatur de fundo mancipando;* ut postea, si velit emtor possessionem sibi tradi, de tradenda ea ex emto agere posset. Alioquin, si sine praescriptione actum fuisset hac intenta actione: *quidquid ob eam rem venditorem dare facere oporteret*, tota obligatio per intentionem consumta erat, ut postea

---

e) Cf. Keller *Ueb. Litiscontest. u. Urtheil* p. 117. in f. sq. p. 48. sq. Zimmern *l. l.* p. 147. n. 10. Heffter. *l. l.* p. 60.

f) Gaj. IV. §. 47.

g) Cf. *L.* 9. et 13. *D. de obl. et act.* Heffter. *l. l.* p. 57. sq. Zimmern *l. l.* §. 54. Hasse *l. l.* p. 39. sq.

h) *L.* 1. *pr. D. de praescr. verb.*

i) Gaj. IV. §. 130. 132. Heffter. *l. l.* p. 109. — Caeterum praescriptiones olim et pro reo poni solitae sunt. Gaj. IV. §. 133. et infra Tit. XIII.

k) *L.* 4. *pr. D. de usur.*

nulla in Justinianeo jure vestigia usus apparent. — Jam hisce praemissis ad singularum formas actionum descendamus. *Mühl.*

§. 27.

Actiones quotuplices?

Prima actionum divisio est, quod aliae IN REM, aliae IN PERSONAM tendunt, quibus alii tertium genus *actionum MIXTARUM* adjiciunt [x]). Nonnumquam enim res veniebat in controversiam, nonnumquam in personam agebatur ex conventione vel maleficio, nonnumquam et res, et praestationes quaedam personales simul petebantur. *Actiones in rem* iterum vel CIVILES erant, vel PRAETORIAE. Illae ex legibus, SCtis et constitutionibus; hae ex edicto, vel jure honorario descendebant. Civiles in rem actiones erant: *rei vindicatio, actio in rem utilis, hereditatis petitio, confessoria, negatoria.*

§. 28.

Rei vindicationem praecedebat lis de vindiciis [y]).

REI VINDICATIO institui non poterat, nisi antea certum esset, cujus esse deberent *vindiciae*, id est, quem possidere, quem petere oporteret: Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. c.* 45. *p.* 100. *Lis VINDICIARUM* [z]) *est, quum litigatur de ea re apud Praetorem,*

---

x) Ipse Imperator tertium hoc genus adjicit §. 20. *Inst. h. t.* quem quidem locum glossematibus violatum existimat Ant. Faber. *de Errorib. pragm. Part. IV. Dec.* 94. *c.* 5. *sq.* sed adgnoscunt etiam mixtas actiones Diocletianus et Maximianus Imperatores *L.* 7. *C. de Petit. hered.* et Paulus *L.* 1. *D. Fin. regund. L.* 29. *pr. D. Comm. divid.* Et certe alias quoque saepe, quae mixtam caussam habent, in rerum divisionibus negliguntur, et confunduntur cum simplicibus, atque ideo in jure nostro unius ejusdemque rei modo bipartita, modo tripartita fit distributio, uti exemplis quamplurimis ostendit Ger. Noodt *Probab. I.* 12. *p.* 33. *sq.* Hein. De actionibus, quae mixtam causam, et in rem et in personam habere videntur, cf. de Löhr in *Magaz. für Gesch. u. Philos. d. Rechts* T. IV. num. 2. Hasse jun. im *Rhein. Mus.* T. VI. p. 172 — 179. Cap. VI. *Mühl.*

y) De vindicatione et symbolica circa possessionem contentione, quae eam praecessit, quamque vulgo vocant *litem vindiciarum*, praeclare disputavit von Savigny *Recht des Besitzes* §. 36. p. 468. not. 1. et §. 40. p. 508. sq. not. 3. (ed. 6.); inprimis vero in *Comm. über die Lis vindiciarum und über das Verhältniss derselben zu den Interdicten*; in d. *Zeitschr. für gesch. R. W. T. III.* num. 17. p. 421—434., tum Cramerus et Heinrich *ad Cic. or. pro Tullio* cap. 16. p. 85—87. *Haub.* Add. Zimmern *R. G.* §. 39. sq. tum qui ab eo laudantur scriptores. *Mühl.*

z) *Lis vindiciarum*, licet apud Ciceronis interpretem inveniatur, tamen improbanda est. Refert etenim Gajus: Praetorem secundum alterum litigantium vindicias dixisse, i. e. interim aliquem possessorem constituisse, eumque jussisse „praedes adversario dare *litis et vindiciarum*, id est, *rei et fructuum*"; IV. §. 16.

cujus incertum est, quis debeat esse possessor: et ideo, qui eam tenet, satisdat pro praede litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. Rursus sponsione ipse provocatur ab adversario certae pecuniae, aut

Cf. et IV. §. 91. et 94. Nec adversatur, quod pro praede *litis vindiciarum* satisdandum fuisse apud bonos auctores legatur, velut apud Ciceronem *or. in Verr. I.* 45.; omissa enim particula conjunctiva *et* duo ejusdem casus vocabula jungi, haud insolitum fuit in priscarum legum actionumque formulis, ut exemplo patet loci famosissimi XII tabularum, *usus auctoritas fundi biennium.* Caeterum quod dicitur: *pro praede* litis et vindiciarum satisfaciendum esse adversario, id non ad antiquissimam illam vindicationem pertinet, quam describere voluit Heineccius, verum ad eam, quae per sponsionem fiebat, quam nunc demum recte cognitam habemus e Gaji *commentariis.* Utramque confundit Auctor, tum hic, tum sequenti in §. Tertia etiam accessit vindicationis forma: *per formulam petitoriam,* caeteris et simplicior et longe usitatior, ex quo quidem omnino ejus in foris Romanis auctoritas invaluit. Ergo triplex fuit de dominio rei litigandi forma. Prima illa, in qua vindiciarum solennitates adhibendae erant, quas fuse Heineccius tractat; quibus peractis sacramento se invicem provocabant adversarii (vid. §. 23.). Dein secundum alterum litigantium vindiciae dicebantur, isque praedes adversario dabat litis et vindiciarum; alios ab utroque Praetor accipiebat praedes sacramenti, quippe quod in publicum cederet (Gaj. IV. §. 16. et 95.). Altera erat, quae omissa vindiciarum solennitate hoc modo fiebat: actor adversarium provocabat tali formula: *si res, qua de agitur, ex jure Quiritium mea est, sestertios* (v. c.) *XXV. nummos dare spondes?* Dein formula edita est, qua intendebat actor, sponsionis summam sibi dari oportere; ipsi autem adversarius per stipulationem satisdabat, quae *pro praede litis et vindiciarum* appellata est satisdatio, quoniam in locum successit praedium, in sacramenti actione pro re et fructibus dari solitorum. Neque vero *poenalis* erat sponsio illa, siquidem is, qui causam non tenuit apud judicem, neque adversario neque in publicum eam sponsionis summam inferre necesse habebat, sed *praejudicialis;* nam propter hoc solum fiebat sponsio, ut per eam de re judicaretur. (Gaj. IV. §. 91. 93. 94. Cf. G. L. Ribbentrop *Comment. ad L.* 16. §. 5. *D. de pignorib. et L.* 9. §. 1. *D. de except. rei jud.* Goett. 1824. 4. §. 3. p. 8. sqq. Heffter. *Obs. ad Gaj. c.* 18. *p.* 90. sqq. Zimmern *l. l.* §. 64.) Quodsi *petitoria formula* actor utebatur, omissa etiam sponsione simpliciter ita intendebat: *si paret rem ex jure Quiritium meam esse* (Cic. *in Verr.* II. 12. Gaj. IV. §. 41. in f. et 92.); tum adversarius de re defendenda implendoque judicato satisdabat, quae *judicatum solvi stipulatio* vocata est (Gaj. IV. §. 91. *L.* 13. *D. jud. solvi.* Cf. Ribbentrop *l. l.* §. 2. Zimmern *l. l.* §. 65.). Caeterum bonitarii dominii causa hanc introductam esse litigandi rationem (quod quidem affirmat Regenbrecht in *Comm. ad L.* 36. *D. de adq. rer. domin.*, quem etiam secutus est Haubold. in epicrisi suae Heinecciani operis editioni adjecta, p. 950.), id adfatim refellitur ipsis formulae verbis: si paret rem *ex jure Quiritium meam* esse. Utiliter tamen s. fictione adhibita uti eadem potuisse, cujus in bonis res esset, jam alio in loco a nobis observatum est; Lib. II. Tit. I. §. 28. not. x. in f. p. 362. Cf. et Ribbentrop *l. l.* p. 3. in not. *Mühl.*

aestimationis, quam amittat, ni sua sit hereditas, de qua contendit. Praedes ergo dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est: ne interea, qui tenet, diffidens caussae, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, et culta deserat. Ex hoc ergo quantivis pretii loco satis patet, quo pacto in jure vindiciae postulatae sint. Quoties scilicet incerta erat possessio, is, cujus intererat, postulabat a Praetore interdictum de possessione vel adipiscenda, vel retinenda, vel recuperanda, de quibus infra *ad Tit. XV.* Postremum interdictum dabatur iis, qui vi ex aliquo loco erant dejecti. Et quamvis id de vera vi erat intelligendum: Romani tamen invenerant vim simulatam et fictam, quae in eo consistebat, ut alter alteri dicis caussa vim inferret in judicio, tum manus conferendo, tum verbis vindicando. Nam aut servus vindicabatur aliaque res mobilis, aut fundus. Qui servi possessionem petebat, tenens servum, vel manum ei injiciens, in jure apud Praetorem ita vindicabat, id est, possessionem per vim simulatam postulabat: HUNC HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, EJUSQUE VINDICIAS MIHI DARI POSTULO. Tacente altero, aut cedente, Praetor servum addicebat vindicanti, id est, possessionem ei decernebat usque ad exitum judicii. Ille vero si contra vindicaturus erat, tum et ipse servum corripiens eique manum injiciens dicebat: ET EGO HUNC HOMINEM MEUM ESSE AJO, EJUSQUE VINDICIAS MIHI CONSERVARI POSTULO. Tum demum Praetor interdicebat: QUI NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO POSSIDET, EI VINDICIAS DABO: Sigonius *de Judic. I.* 21. [a]). Saepe ad

a) Jam cum his conferantur, quae habet Gajus IV. §. 16. „Si in rem agebatur, mobilia quidem et moventia, quae modo in jus afferri adducive possent, in jure vindicabantur ad hunc modum. Qui vindicabat, festucam tenebat; deinde ipsam rem adprehendebat, velut hominem, et ita dicebat: *hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo secundum suam causam, sicut dixi; ecce tibi vindictam imposui*, et simul homini festucam imponebat. Adversarius eadem similiter dicebat et faciebat. Quum uterque vindicasset, Praetor dicebat: *mittite ambo hominem;* illi mittebant. Qui prior vindicaverat, ita alterum interrogabat: *postulo anne dicas, qua ex causa vindicaveris.* Ille respondebat: *jus peregi, sicut vindictam imposui;* deinde, qui prior vindicaverat, dicebat: *quando tu injuria vindicavisti D. aeris sacramento te provoco;* adversarius quoque dicebat: *similiter ego te provoco.* Asses nominabant." Jam his peractis judicium constituebatur, secundum alterum litigantium vindiciae dicebantur, praedesque dabantur. De quo vid. quae nota proxime praecedente a nobis exposita sunt. Accurate etiam descripsit Gajus, quomodo vindicationes fierent, si talis res erat, quae sine incommodo in jus adferri nequibat, velut columna, grex, navis, hereditas; IV. §. 17. *Mühl.*

hanc vim fictam adludunt veteres auctores: Ovidius *Amor. Lib. I. eleg.* 4. *v.* 40.

Et dicam: MEA SUNT injiciamque MANUS.

Et *Lib. II. eleg.* 5. *v.* 30.

INJICIAM dominus in mea jura MANUS.

Martialis *Epigrammat. I.* [*53. *v.* 6. *sq.*]

Et, quum se dominum vocabit ille,
Dicas esse MEOS, manuque missos.

Servius ad illa Virgilii *Aeneid. X. v.* 419. *sq.*

INJECERE MANUM Parcae, telisque sacrarunt
Evandri. — — — — —

addit, Virgilium sermone juris usum. Nam *MANUS*, ait, *INJECTIO dicitur, quotiens, nulla judicis auctoritate exspectata,* (id est ante Praetoris decretum) *rem nobis debitam vindicamus.* Paullo alia erat fundum, domum, aliasve possessiones vindicandi ratio, si quidem tunc petitor eum, unde petebatur, ex jure manum consertum vocabat. Qua de re Gellius *Noctt. Attic. XX.* 10. *EX. JURE. MANUM. CONSERTUM. verba sunt ex antiquis actionibus, quae, quum lege agitur et vindictae contenduntur, dici nunc quoque apud Praetorem solent.* Et paucis interjectis: *MANUM CONSERERE est, de qua re disceptatur, in re praesenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere, et in ea re sollemnibus verbis vindicare. VINDICIA, id est, correptio manus in re atque in loco praesenti, apud Praetorem ex XII Tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: SI. QUI. IN. JURE. MANUM. CONSERUNT. Sed postquam Praetores, propagatis Italiae finibus, datis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum caussa in longinquas res gravabantur: institutum est contra XII Tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in jure apud Praetorem manum consererent, sed ex jure manum consertum vocarent, id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret* b)*: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad Praetorem deferrent: et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent* c). Ad hunc

b) Idque erat *moribus adversarium deducere,* seu *ex conventu vim fieri* (*deductio quae moribus fiebat*); Cic. *pro Caec.* c. 7. 8. pro Tullio c. 16. Von Savigny *Zeitschr.* u. s. w. *l. l.* p. 427. sq. Huschke in *Analect. litter.* p. 128. sqq. *Mühl.*

c) Gaj. IV. §. 17. — — „similiter si de fundo, vel de aedibus, sive de hereditate controversia erat, pars aliqua inde sumebatur et in jus adferebatur, et in

ergo locum intelligendum observari decet, ex legibus XII Tabularum vindicias semper agitatas esse in loco, atque in re praesente. Praetor ergo, in fundum profectus cum litigantibus, ibique ex jure manum conserentibus, ei parti, cui visum erat, vindicias, seu possessionem dabat. Id vero quum paullo molestius videretur: Praetores non amplius in fundos, de quibus lis erat, dicendarum vindiciarum caussa proficiscebantur, sed litigantes alter alterum ex jure evocabant in rem praesentem, e qua redeuntes glebam asportabant [d]**), quae et ipsa vocabatur VINDICIAE, teste Festo, sub voce** ***Vindiciae p. 594. De quo verbo Cincius sic ait: Vindiciae olim diceban-***

---

eam partem perinde atque in totam rem praesentem fiebat vindicatio: velut ex fundo gleba sumebatur, et ex aedibus tegula — —". *Mühl.*

d) Dixeram in priore editione, videri in imaginaria ista pugna litigantes nonnumquam festucam (i. e. assulam) in jus attulisse, forsitan si de domus possessione fuerit controversia, idque collegeram ex Gellii *Noctt. Att.* XX. 10. ubi *vis festucaria* memoratur. Sollicitavit hanc observatiunculam, qui nonnumquam nodum in scirpo quaerit, B. Branchu V. C. in *Observatt. dec. II. c.* 15. *p.* 84. incompertum sibi esse adfirmans, unde hanc observationem hauserim. Paucis dico, ex Gellio, qui, ubi de hoc negotio loquitur, eam vim imaginariam vocat *vim festucariam*, nec dicit, litigantes semper glebam attulisse, sed id modo exempli gratia profert, quia de agro loquitur. Quod si ergo agrum repraesentabat gleba; quidni domum festuca? Sane et postea Franci, qui plerasque sollemnitates juris a Romanis adoptaverant, festucam traditionis signum constituebant, et tradere praedium apud eos erat *effestucare*, uti ex glossariis abunde constat. Nec etiamnum illa effestucatio ignota est in Gelria, Drentia et vicinis provinciis: vid. Frid. a Sande *de Effestucatione* libellus elegantissimus. Quid vero vir doctus attulit melius? Dicit, vim istam festucariam nomen obtinuisse a Praetoria vindicta, quae et *festuca* dicta sit apud Plautum *Mil. glorios. Act. IV. sc.* 1. *v.* 15. Persium *Sat. V. v.* 175. Unde non temere conjici, ejus festucae, quam in manumissionibus adhibuerint, etiam in aliis vindicationibus usum fuisse, in primis quum a vindicando dicta sit vindicta. Sed meliore jure mirarer, unde hanc observationem suam hauserit Clarissimus Branchu, nisi res ipsa doceret, eum notulam, quam Thysius et Oiselius Gellii textui adleverant, bona fide sequutum. Rejicere conjecturam, aliamque substituere, eamque nullo argumento probare, non est errorem Heineccii indicare, uti in titulo capitis promittitur, sed sibi placere. *Hein.* Quae Heineccius hoc loco de effestucatione juris Germanici ad explicandum *festucae* in rei vindicatione juris Romani usum attulit, jam e Gajo IV. §. 16. sunt emendanda. Festuca enim hastae loco, et haec signum justi dominii fuit: unde festuca rebus maxime mobilibus, quae in jure vindicabantur, imponi solita. Cf. Hugo *R. G.* p. 313. (ed. XI.) *Haub.* Aberravit quidem a veritate Heineccius, at non tantum, quantum eum redarguerat Branchu. Jam etenim e Gajo compertum habemus, ex aedibus quoque rem aliquam, velut tegulam, quae aedes quodammodo referret, in jus esse adlatam (IV. §. 17.); in eo tamen lapsus est Auctor, quod ipsam illam rem festucam fuisse appellatam sibi persuaderet. *Mühl.*

tur illae, quae ex fundo sumtae in jus adlatae erant. Denique nec in fundum amplius proficiscebantur litigantes, aut glebam inde deferebant; sed prudentes, ut diserte docet Cicero *orat. pro Muraena c.* 12. excogitarant novam formulam vindiciarum, quam litigantibus aeque ac Praetoribus, tamquam carmen quoddam, praescripserant. Quod eo ordine factum legimus. Petitor eum, unde petebatur, ita adloquebatur: FUNDUS, QUI EST IN AGRO, QUI SABINUS VOCATUR, EUM EGO EX JURE QUIRITUM MEUM ESSE AJO, INDE IBI EGO TE EX JURE MANUM CONSERTUM VOCO. Cedente adversario, Praetor fundi illius possessionem addicebat vindicanti. Sin cedere nollet adversarius: tum contra vindicans petitori respondebat: UNDE TU ME EX JURE MANUM CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Tum Praetor utrisque: SUPERSTITIBUS, inquit, PRAESENTIBUS, ISTAM VIAM DICO. INITE VIAM. Quae verba eum sensum habebant, ut actor et reus, praesentibus testibus [e]), certam viam inire deberent, quasi in agrum profecturi ad conserendam ibi manum, glebasque in rei testimonium referendas. Viam ergo inibant, duce sapiente, quo duce etiam redibant, dicente Praetore: REDITE VIAM. Omnia haec ex Ciceronis *oratione pro Muraena c.* 12. discimus, qua salse orator hanc obscuram Jureconsultorum diligentiam perstringit. Tandem Praetor, audita utraque parte, si adpareret, quemquam vi dejectum, ita secundum eum dicebat vindicias: UNDE TU ILLUM DEJECISTI, QUUM NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO POSSIDERET, EO ILLUM RESTITUAS JUBEO: Sigonius *l. c. I.* 21. *p.* 459. *sq.* Jacob. Raevardus *ad XII Tabb. VI. p.* 32. *sq.* [f]).

§. 29.

Formulae rem vindicandi.

Constituto ita possessore, tum demum lis de dominio possessori intendebatur ab eo, qui possessione erat exclusus. Id vero ita fiebat, ut actor primum, an reus auctor esset, quaereret, deinde vindicaret, tum satisdare juberet, ac denique sponsione provocaret [g]). Pri-

---

e) Festus sub voce *superstites p.* 547. *SUPERSTITES testes praesentes significat. Cujus rei testimonium est, quod superstitibus praesentibus, ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. Hein.* Cf. Dirksen *Zwölftafelges.* p. 426. sqq. *Mühl.*

f) Caeterum vid. quae monet Savignius (*l. l.* p. 431.), ne commisceatur jus interdictorum cum civili illa et festucaria vi, cujus mentionem facit Gellius. *Mühl.*

g) Hoc quidem ordine singulas non fuisse tractatas actiones, quae in rerum

mum ergo quaerebat actor: QUANDO TE IN JURE CONSPICIO, POSTULO ANNE SIES AUCTOR? Hanc enim formulam totidem verbis habet Cicero in *orat. pro A. Caecina c.* 19. et M. Valerius Probus in *libello de notis Romanor. interpretand.* h). Auctor vero is esse dicebatur, unde quis jus suum poterat repetere: Jacob. Raevardus *Protribunal. c.* 5. *p.* 889. *Qui* enim *petitorio judicio utebatur, ne frustra experiretur, requirere debebat, an is, cum quo instituebat actionem, possessor sit, vel dolo desierit possidere? L.* 36. *pr. D. de Rei vind.* Negante reo, Praetor dicebat: QUANDO NEGAT, SACRAMENTO QUAERITO. *Sacramento* i) vero *quaerere* erat ad certam spondendam pecuniam reum provocare, ni ita esset. Itaque petitor pergebat: QUANDO NEGAS,

---

vindicatione fieri consueverint, ex superioribus sponte apparebit; cfr. Gaj. IV. §. 16. et quae ad §. 28. not. z. et a. a nobis sunt observata. At ne sexcenties eadem repetendo molestiores simus, sine emendatione relinquimus, quae de agendi ratione h. in l. retulit Auctor. *Mühl.*

h) Sed denuo intercedit V. C. B. Branchu in *Observatt. dec. II. c.* 15. *p.* 90. meque cum aliis errare clamat, quum hanc formulam ad actiones in rem referam, quae potius ad actiones in personam pertineat, siquidem in his ob metum pluris petitionis necesse fuerit aliquid scire de conditione ejus, qui litem contestaturus esset. Crederem, si vir doctus, quod tanta fiducia adfirmat, probaret. Sed id non facit. Dabo ergo operam, ut me intelligat. Notum est, olim non habitum fuisse pro possessore eum, qui dolo desierat possidere. Id enim si fuisset, frustra Praetor invexisset restitutionem in integrum ob alienationem judicii mutandi caussa factam. Jus illud, de quo *L.* 131. *D. de Reg. jur.* non ex jure antiquo est, sed ex edicto, adeoque a temporibus Hadriani, qui singulari SCto A. U. C. DCCCLXXXI. Q. Julio Balbo et P. Juventio Celso Coss. sanciri jussit, *ut, qui fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnarentur, quasi possiderent.* Legitima verba SCti exstant *L.* 20. §. 6. *D. de Her. petit.* Ex hoc vero SCto id principium, quod, qui dolo malo possidere desiit, pro possessore habeatur, natum esse, testis est *Paulus L.* 27. §. 3. *D. de Rei vindic.* Quum ergo vererentur petitores, ne possessores res litigiosas alienarent, posteaque cum alio potentiore sibi esset negotium: merito interrogabant, *an reus sit auctor,* id est, an jam possideat, et in posterum, si lis secundum actorem daretur, rem praestare velit? Id quoque disertis verbis testatur Gajus *L.* 36. *pr. D. eod.* Negante illo, sequebatur sponsio: *si auctor esset,* id est, si possideret, et hinc rem praestare teneretur. Quid quaeso opus erat hac interrogatione in actionibus in personam? Et quid illa cum pluris petitione commune habebat? *Hein.*

i) Festus sub voce *Sacramentum p.* 469. *Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur, sive eo qui interrogatur, sive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui judicio inter se contenderent.* Cf. Varro *de lingua Lat. IV.* [* *p.* 49. *ed. Bipont.*] *Hein.* Quae ante Gajum repertum (IV. §. 13—17.) de sacramento et sacramenti actione sciri potuerunt, egregie explanavit Jo. Frid. Schreiter *Diss. I. II. Sacramentorum in veteris Romae judiciis sollemnium Antiquitates,* Lips. 1740. 4. *Haub.* Cf. supra §. 23. *Mühl.*

TE SACRAMENTO QUINGENARIO PROVOCO: SPONDESNE TE DATURUM QUINGENTOS, SI AUCTOR SIS? Cui inficiator respondebat: SPONDEO QUINGENTOS, SI AUCTOR SIEM. Quo dicto statim restipulabatur: TU VERO SPONDESNE IDEM, NI SIM? cui ille: ET EGO QUOQUE SPONDEO. Adfirmante vero illo, se esse auctorem, sequebatur actio: QUANDO AIS, NEQUE NEGAS, TE AUCTOREM ESSE, HUNC HOMINEM (FUNDUM) EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO. Quaerebat tunc Praetor ex reo, an contra vindicaret? Negante eo, Praetor servum vel fundum addicebat vindicanti. Si contra vindicaret reus, utebatur formula: ET EGO EUMDEM HOMINEM (FUNDUM) MEUM ESSE AJO EX JURE QUIRITIUM. SED NONNE TU DICIS, QUA CAUSSA VINDICAVERIS? Tum actor caussam dominii sui exponebat: Car. Sigonius *l. c.* Jacob. Raevardus *Protribunal. c.* 5. *p.* 889. *sq.* Brissonius *de form. V. p.* 369. 476. *sq.* Antequam vero id faceret, postulare solebat petitor a possessore, ut satisdaret, se nihil deterius in possessione facturum: quod ni faceret, possessio in petitorem transferebatur, modo satisdaret [k]). Si et petitor satisdare nollet, penes possessorem possessio manebat, quia in pari caussa melior erat conditio possidentis: Paulus *Sententt. Receptt. I.* 11. 1. Jacob. Menardus *ad Cicer. Verr. I.* 45.

§. 30.

Actio in rem utilis, et hereditatis petitio.

Ita agebant litigantes, si rei instituebatur vindicatio. Ad actionem in rem utilem quod attinet, ea eodem paene modo, iisdemque fere formulis instituebatur [l]), idemque etiam in HEREDITATIS PETITIONE observabatur. Nam hereditatem si quis petere vellet: actio ita intendebatur: AJO, HANC HEREDITATEM MEAM ESSE; negante possessore, pergebat petitor: SPONDESNE CERTAM PECUNIAM, SI MEA SIT? Respondebat hic, SPONDEO, SI TUA SIT. Tunc reus restipulabatur, actor vero satisdari jubebat: Cicero *in Verrem Action. II. Lib. I. c.* 54. *sqq.* ibique Ascon. Pedianus [* *p.* 104. et 255. *sqq.*] [m]).

---

k) Id sibi non constare ait I. Wybo *de interrogat. in jure c.* 8. *Cann.* Varias quidem hoc quoque in loco de dominio rerum litigandi formas confundit Heineccius. At nihilominus vera subodoratus est, quae nunc demum melius cognita habemus ex Ulpiani quodam *institutionum fragmento* ab Endlichero reperto. Vid. Rudorff *Ueber das interdictum* QUEM FUNDUM, in d. *Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. num. II. p. 22. sqq. Cf. infra not. m. ad §. 30. *Mühl.*

l) Vid. supra not. z. in f. ad §. 28. *Mühl.*

m) Cf. L. Arndts *Beiträge zu verschiedenen Lehren des Civilr. u. Civilproc.*

§. 31.

Actio confessoria et negatoria.

Civilis quoque erat in rem actio CONFESSORIA, quae ita intendebatur: AJO USUMFRUCTUM FUNDI TUI, QUI EST IN AGRO SABINO, ESSE MEUM n); vel: AJO, JUS EX FUNDO TUO AQUAM DUCENDI ESSE MEUM; vel: AJO JUS MIHI ESSE, IRE, AGERE IN FUNDO TUO: Barn. Brissonius *de form. V. p.* 476. Illud vero hic singulare, quod in vindicandis rebus incorporalibus non solum adfirmative liceret intendere, sed et negative, veluti: AJO, TIBI JUS NON ESSE, PARIETEM ITA PROJECTUM IN MEUM, ME INVITO, HABERE. Vel: AJO, TIBI JUS NON ESSE, ALTIUS TOLLERE. Et hinc haec actio dicta NEGATORIA: Barn. Brissonius *de form. l. c.* Cur hoc non aeque licuerit in vindicandis rebus corporalibus, facile liquet. Has vindicare nemo poterat, nisi is, qui non possidebat: incorporales vero etiam possessores vindicare poterant contra alterius usurpationem: Car. Sigonius *de Judic. I.* 21. *p.* 475. Et hic est ille unicus casus, quo, qui possidet, in rem agit, de quo Imperator noster et Theophilus §. 2. *Inst. de Action.* o).

§. 32.

Actio Publiciana.

Praetoriarum in rem actionum prima PUBLICIANA est, a Publicio, Praetore, primum in edicto proposita: §. 5. *Inst. h. t.* Q. Publicium quemdam tempore Ciceronis Praeturam gessisse, docet Steph. Vin. Pighius *Annal. Tom. III. p.* 291. Sed an is idem sit auctor actionis Publicianae, adeo pro certo adfirmari non potest, ut probabile sit, illam Ciceroniana aetate anteriorem esse p). Unde multo minus cre-

---

I. p. 22—26. Vid. et *fragm. ex institutionibus Ulpiani* (*Zeitschr. f. gesch. R. W.* T. IX. p. 6.): — „sunt interdicta *quem fundum* et *quam hereditatem*. Nam si fundum vel hereditatem ab aliquo petam, nec lis defendatur, cogitur ad me transferre possessionem." — Rudorff *l. l.* p. 37. sqq. *Mühl.*

n) *Vat. Fragm.* §. 92. „*A quo ususfructus petetur, si rem nolit defendere.* Sicut corpora vindicanti, ita et jus, satisdari debet; et ideo necessario exemplo interdicti *quem fundum* proprie etiam interdictum *quem usumfructum.*" — Rudorff *l. l.* p. 35. sq. *Mühl.*

o) De casu illo unico novissime scripserunt: A. F. Schilling *Lehrb. für Inst. u. R. G.* Bd. II. §. 104. not. 1. in f. et Guil. Francke *Probabil. de uno casu in* §. 2. *I. de actionib. commemorato.* Jen. 1839. 8. *Mühl.*

p) Meminit hujus Praetoris Cicero *pro Cluentio c.* 45. Unde et Bertrandus *de vit. JCtor. II.* 16. *p.* 201. colligit, Publicium hunc, qui alias et Gellius vocatur, auctorem hujus actionis esse. Sed antiquiorem esse hanc actionem, vel inde

dibile est, Imperatoribus rerum potitis eam actionem constitutam fuisse: id quod tamen mavult Sigonius *de Judic. I. 17. p.* 441. Petebatur ea actione res, justa ex caussa tradita, sed nondum usucapta, ac deinde amissa, perinde ac si esset usucapta, a quocumque, qui non esset dominus. Unde hic valebat exceptio, SI EA RES POSSESSORIS NON SIT: *L. ult. D. de Public. act.* quam tamen exceptionem dominii tribus casibus cessasse, observat Cujacius *Observatt. X.* 6. Formula actionis procul dubio et hic fuit: AJO HANC REM, QUAM TU POSSIDES, MEAM ESSE, addita deinde caussa vindicandi, QUANDOQUIDEM EAM BONA FIDE EMI A L. TITIO, ET AB EODEM BONA FIDE TRADITAM ACCEPI q).

§. 33.

Aliae actiones Praetoriae in rem.

De actionibus RESCISSORIA, PAULIANA, SERVIANA et QUASI SERVIANA nihil est, quod ex antiquitatibus moneam, nisi quod *rescissoria* ab eodem Publicio Praetore, de quo paullo ante, inventa est, uti in adnotatione subjecta ostendimus, *Serviana* vero Servio Sulpitio, insigni illi Jureconsulto, deberi videtur, de cujus quippe Praetura testatur Cicero *pro Muraena c.* 21. r). Formulam actionis Servianae indagavit Barn. Brissonius *de form. V. p.* 382. s).

---

patet, quod jam Terentius *Phorm. Act. II. sc. 4. v. 9. sqq.* meminit actionis rescissoriae. Eam vero ab eodem Publicio Praetore esse, satis intelligitur ex *L.* 35. *D. de Obl. et act. L.* 57. *D. Mand. Hein.* Locus Terentii huc non pertinet, quo de rescindendis a patre nuptiis agitur. Cui Publicio haec actio debeatur, vide Reinoldum in *Diss. de Edicto Publiciano.* [* c. 1. *Opuscc. p.* 358—369.] *Cann.*

q) Genuinam nobis servavit formulam Gajus IV. §. 36. (cf. de loci lectione Huschke *Studien p.* 312.) Etenim fictione adhibita sic agebatur: *Judex esto. Si quem hominem Aulus Agerius emit, et is ei traditus est, anno possedisset, tum si eum hominem, de quo agitur, ejus ex jure Quiritium esse oporteret, neque is homo ei restituetur, quanti ea res erit, tantam pecuniam Num. Negidium Aulo Agerio condemna: si non paret, absolvito.* De his, quae supplenda nobis visa sunt, vid. Cic. *in Verr.* II. 12. et Gaj. IV. §. 51. Cf. Heffter. *Observ. ad Gaj.* cap. XVIII. p. 91. *Mühl.*

r) Negat Otto in *Dissertat. de Servio Sulpitio p.* 77. *Cann.*

s) De Serviana actione: von Löhr *Einige Bemerkungen über die dinglichen Pfandklagen;* in Dessen *Magaz. für R. W.* T. III. num. 4. p. 129—138. junct. p. X—XIII. *Haub.* Formula quae fuerit hujus actionis? necdum inter eruditos constat. Cf. Ribbentrop *comm. laud.* p. 41. sqq. Keller *über Litiscontestation* u. s. w. p. 217. not. 7. Huschke *Studien* u. s. w. p. 377. not. 47. Mühlenbruch *Cession* u. s. w. p. 13. sq. not. 20. (ed. 3.) et *A. L. Z.* 1835. num. 71. p. 566. Büchel *civilrechtl. Erört.* II. p. 125—132. *Mühl.*

§. 34.

Actiones praejudiciales.

Fuerunt etiam actiones in rem, quae propriam habebant observationem, et singulare obtinuerant nomen, dictae quippe PRAEJUDICIALES: §. 14. *Inst. h. t.* [t]). Tales erant, quae de statu instituebantur, in primis *de libertate, de civitate* et *de partu adgnoscendo,* quas eleganter complectitur Terentius *Eunucho Act. IV. sc.* 7. *v.* 35 *sq.*

CH. — Principio eam esse dico LIBERAM. THR. hem!
CH. CIVEM Atticam. THR. hui!
CH. Meam SOROREM. THR. os durum! — —

ubi prima actio est de statu *libertatis,* altera de statu *civitatis,* tertia de statu *familiae.* Actiones de libertate duae erant proditae. Aut enim quisquam alterum e servitute in libertatem, aut e libertate in servitutem vindicabat. Ille *liberali caussa manu adserere,* hic *in servitutem adserere quem* dicebatur. In his actionibus id singulare erat, quod ex lege XII Tabularum vindiciae pro libertate, non pro servitute dabantur, adeoque possessio hominis ad finem usque judicii manebat penes eum, qui in libertatem adserebat, non qui in servitutem: Livius *III.* 44. [u]). Adserens ergo liberali caussa ita initio videtur postulasse vindicias: HUNC HOMINEM EGO LIBERUM ESSE AJO, EJUSQUE VINDICIAS SECUNDUM LIBERTATEM MIHI DARI POSTULO. Cui adversarius respondit: ET EGO HUNC HOMINEM JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, EJUSQUE VINDICIAS MIHI CONSERVARI POSTULO. Hinc sequutum decretum Praetoris: QUI LIBERTATEM DEFENDIT, EI DO VINDICIAS. Sequente cognitionum die actio de libertate intendebatur hoc modo: HUNC HOMINEM JURE QUIRITIUM LIBERUM ESSE AJO, EUMQUE LIBERALI CAUSSA MANU ADSERO. Negante adversario, et in servitutem vindicante, sequebantur sponsiones, ut supra: NI LIBER SIT, SI LIBER SIT: Sigonius *ibid. p.* 478. Frequentissima hujus actionis mentio apud comicos: Terentius *Adelph. Act. II. sc. I. v.* 39. *sq.*

---

t) Praejudiciales erant formulae, quae *condemnatione* carebant, adeoque sola intentione constabant (velut qua quaeritur, *quanta sit dos?*), quarum in numero etiam erant, quae de personarum statu intendebantur (velut ea, qua quaeritur, libertus sit, an ingenuus?) Gaj. IV. §. 44. Theophil. ad §. 13. *I. h. t.* Quo jure Justinianus dixerit, praejudiciales actiones videri in rem esse? quaeritur. Vid. du Roi im *Arch. für civ. Pr.* T. VI. p. 406—410. Cf. Zimmern *l. l.* §. 69. et Schilling *Lehrb. f. Inst. u. R. G.* §. 105. p. 348. et not. n. o. *Mühl.*

u) *L.* 2. §. 24. *D. de Orig. jur.* Dirksen *Zwölftafelges.* p. 429. *Mühl.*

— — — — *Aesch. neque vendundam censeo,*
Quae libera 'st: nam EGO LIBERALI ILLAM ADSERO CAUSSA MANU.

Plautus *Poenul. Act. IV. sc.* 2. *v.* 83. *sq.*

Sync. Omnia memoras, quo id facilius fiat, MANU EAS ADSERAT SUAS POPULARES LIBERALI CAUSSA.

Idem *Poenul. Act. V. sc.* 2. *v.* 3. *sq.*

— — *Et, si frugi esse vis,*
EAS LIBERALI *jam* ADSERES CAUSSA MANU.

Plautus *Persa Act. I. sc.* 3. *v.* 50. *Curcul. Act. V. sc.* 2. *v.* 18. At si in servitutem quis adsereret hominem, qui pro libero se gerebat: ea erat ipsa rei vindicatio, de qua supra actum. Denique actio de partu adgnoscendo ita intendebatur: AJO, MULIEREM HANC EX TE PRAEGNANTEM ESSE. Negante altero, sequebatur more consueto sponsio: NI SIT: Car. Sigonius *ibid. p.* 479.

§. 35.

Actiones ex contractibus nominatis.

Alterum genus actionum erat IN PERSONAM, quae et CONDICTIONUM nomine veniebant, eaeque vel ex sola aequitate, vel ex conventione, vel ex maleficio oriebantur. His quum non res peteretur, sed a persona certa vel praestatio, vel poena deposceretur: longe aliter concipiendae erant earum actionum formulae. In contractibus ita intendebat actor: AJO TE MIHI MUTUI, aut COMMODATI, aut DEPOSITI NOMINE, DARE CENTUM OPORTERE: AJO TE MIHI EX STIPULATU, LOCATO, DARE FACERE OPORTERE x). Jam aut negabat tunc adversarius actoris intentionem, aut excipiebat, veluti: NEGO ME TIBI EX STIPULATU CENTUM DARE DEBERE, NISI QUOD METU, AUT DOLO, AUT ERRORE ADDUCTUS SPOPONDI, vel: NISI QUOD MINOR XXV ANNIS SPOPONDI. Inficiante reo, sequebatur sponsio: NI DARE FACERE DEBEAT, ut et restipulatio: SI DARE FACERE DEBEAT. Excipiente eodem: ita spondebatur: NI DOLO ADDUCTUS SPOPONDERIT, et sequebatur restipulatio: SI DOLO ADDUCTUS SPOPONDERIT: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 479. *sq.* y).

---

x) Jam vero de harum formularum conceptione meliora edocti sumus e Gaji *commentariis.* Cf. supra §. 25. 26. *Mühl.*

y) Auctor h. l. (sicut infra h. Lib. tit. XV. §. 5.) meminit *sponsionum,* quarum usus in judiciis privatis frequentissimus fuit. De re ipsa vid. M. Ant. Ferratii *Epistol.* I. 2. et Frid. Guil. Ehrenfr. Rostii *Pr. de usu vocularum* SI *et* NI *in spon-*

§. 36.

Actio praescriptis verbis.

Ex contractibus innominatis omnique conventione, quae caussam habebat absque nomine, nascebatur actio PRAESCRIPTIS VERBIS, quae et incerta: *L.* 6. *C. de Rer. permut.* et INCERTI: *L.* 7. §. 2. *D. de Pact.* imo et IN FACTUM vocari solet: *L.* 13. §. 1. *L.* 22. *fin. D. de Praescr. verb.* In eo haec actio differebat ab aliis, quod, quum aliarum actionum formulae essent vel a Pontificibus, vel a Praetoribus compositae, hujus actionis verba solebant a Jureconsultis praescribi. Idque est, quod intelligit Valerius Max. [* *VI.* 2. 12.] ubi *A. Cascellium, virum juris civilis scientia clarum,* refert *nullius aut gratia, aut auctoritate compelli potuisse, ut de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant,* FORMULAM COMPONERET: Barn. Brissonius *de form. Lib. V. p.* 385. quamvis plane aliam nominis rationem reddendam putat Em. Merillius *Observatt. VIII.* 16. (cf. supra §. 26. in f.) Hotomanus in *Comment. in Inst. tit. de Locat. conduct. p.* 657. *Tomo II. Opp.* plane negat, hanc actionem dicendam esse PRAESCRIPTIS VERBIS, sed dicendam potius existimat PERSCRIPTIS VERBIS, quia reliquarum quidem actionum formulas Praetores certis notis in edicto suo proposuerint: si vero nata sit inusitata controversia,

---

sionibus (Lips. 1820. 4.) p. 6. *Haub.* Sponsio generatim accipitur pro quavis stipulatione promissioneque (*L.* 7. *D. de Verb. sign.*). A qua tamen illae differebant sponsiones, quae rerum judicandarum gratia certis in causis, Praetoris edicto definitis, fiebant, hac adhibita formula: ni (vel si) ita sit, nummos tot dare spondes? Nonnumquam similiter restipulabatur adversarius, velut in interdictorum causis, tum vero in actionibus certae pecuniae creditae (Gaj. IV. §. 13. 165. 166. 168. 180. 181.); quibusdam in causis etiam summa sponsionis edicto erat praefinita, velut tertiae pecuniae, quae petebatur, partis in actione de pecunia certa credita, dimidiae in constitutae pecuniae actione (Gaj. IV. §. 171.). Jam si vim spectamus sponsionum, tria earum sunt genera distinguenda. Nam aut praejudiciales erant, aut poenales, aut ex utroque genere mixtae. Praejudiciales, quum propter hoc solum fiebant, ut per eas de re judicaretur, velut in dominiis rerum per sponsionem vindicandis (Gaj. IV. §. 93. 94. et supra §. 28. not. z.). Poenales, quum res ex sua quaeque formula petebatur, at praeterea etiam sponsionis summa solvenda erat ab eo, qui inferior judicio fuerat, ut in causis certae pecuniae creditae et constituti (Cic. *or. pro Rosc. Com. c.* 4. 5. Cf. Gajus IV. §. 171. 180.). Ex utroque genere mixtae, quum per sponsionis formulam res dijudicabatur, victori autem utrumque, et sponsionis summa, et id, in quo lis versabatur, praestandum erat; v. c. in exhibitoriis vel restitutoriis interdictis (Gaj. IV. §. 166–168.). Cf. Ribbentrop *Comm. laud.* p. 10. sq. not. 13. Heffter. *Obs. ad Gaj.* cap. 17. *Mühl.*

non notis, sed plene perscriptis verbis concipienda fuerit actionis formula. Sed quis credat, toties errasse librarios in vero hujus actionis nomine, eamque semper et ubique adpellasse PRAESCRIPTIS VERBIS? Et cur Graeci idem vocabulum retinuerunt, nisi fuisset inter Jureconsultos notissimum? Imo et veteres Glossae verborum juris habent vocabulum *πραεσκρίπτοις βέρβις*, idque interpretantur *τῆς ἐν τοῖς προγραφεῖσι ῥήμασιν ἐνοχῆς*. Quod profecto non *perscripta* sine notis, sed *praescripta verba* significat. Quoties ergo incerta ac sine nomine conventio intercesserat, ita intendebatur actio, ut ea negotium, de quo convenerat, complecteretur. Verbi gratia: AJO TE MIHI TRITICUM, DE QUO INTER NOS CONVENIT, OB POLITA VESTIMENTA TUA DARE OPORTERE. Negante reo fiebat sponsio: NI DARE DEBEAT: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 480.

§. 38.

Actiones ex maleficio.

Obligationes ex maleficio privato erant quatuor: ex FURTO, RAPINA, DAMNO, INJURIA. Ex FURTO ACTIO alia poenalis erat, alia condictio rei furtivae. Condicturus vero rem furtivam ita intendebat: AJO, VESTEM, QUAM NUPER FURTO MIHI ABSTULISTI, MEAM ESSE, TEQUE ILLAM MIHI DARE OPORTERE [z]). Ita et in reliquis maleficiis intendebatur actio. In injuriis: AJO, TE MIHI PUGNUM AUT FUSTEM INFLIXISSE aut CONVICIUM FECISSE, TEQUE MIHI TANTUM, QUANTUM EGO AESTIMAVERO, DARE OPORTERE. In rapina: AJO TE MIHI LIBRUM VI RAPUISSE, TEQUE MIHI QUADRUPLUM EJUS PRETIUM DARE OPORTERE. In damno injuria dato: AJO, TE HOMINEM MEUM OCCIDISSE, TEQUE MIHI, QUANTUM ILLE HOC ANNO PLURIMI FUIT, DARE OPORTERE: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 20. *p.* 480. *sq.*

---

z) Hoc modo formulam concipit Sigonius *de Jud. I.* 20. *p.* 480. Sed plerumque tamen usi videntur *φράσει*: AJO, HANC MIHI REM FURTO TUO ABESSE: *L.* 19. §. 3. *D. de Furt.* Quinctilianus *Declamat.* 13. Quo adludens etiam Martialis *Epigrammat. VI.* 19. *v.* 2. *sq.*

Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror HAS ABESSE FURTO.

Barn. Brissonius *de formul. V. p.* 377. *Hein.* Jam formulae vere Romanae ad delictum conceptae partem nobis servavit Gajus (IV. §. 37.), unde intelligi poterit, hic quoque frustra fuisse Brissonium, Sigonium, alios, in refingendis ex antiquitate actionum formulis. Vid. quae supra §. 35. not. x. a nobis observata sunt. Neque aliud dicendum de his, quae mox sequentur. *Mühl.*

§. 39.

Actiones mixtae.

Ad actiones mixtas praeter *hereditatis petitionem* [a]) referuntur judicia FAMILIAE ERCISCUNDAE, COMMUNI DIVIDUNDO, FINIUM REGUNDORUM, in quibus ita videtur instituta actio: AJO, TE FAMILIAM DIVIDERE DEBERE, ET HOC NOMINE, QUANTUM MIHI EX INVENTARIO DEBETUR, TE MIHI DARE OPORTERE. AJO, RES COMMUNES DIVIDUNDAS ESSE, EOQUE NOMINE TE MIHI DIMIDIUM DARE OPORTERE. AJO, FINES AGRI NOSTRI REGUNDOS, TEQUE, QUOD EX AGRO MEO PERCEPISTI, DARE OPORTERE: Car. Sigonius *de Judiciis ibid.* [b]).

§. 40.

Actiones poenales.

Sufficiant haec de prima actionum divisione. Altera est, qua actiones in REI PERSEQUUTORIAS, POENALES et MIXTAS dispescuntur. *Rei persequutoriae* sunt omnes in rem actiones, omnesque ex contractu, excepta actione depositi miserabilis: adeoque de his jam supra actum. *Poenales* sunt actiones ex delicto, quibus non rem, sed poenam persequimur. *Mixtis* denique tum id, quod interest, tum poenam legibus constitutam persequimur, veluti actione *vi bonorum raptorum, damni injuria dati, depositi miserabilis*, et quae sunt hujus generis aliae, quas jam antea occupavimus. Formula persequendi poenam fuisse videtur talis: AJO, CENTUM MIHI FURTO TUO MANIFESTO ABESSE, TEQUE EO NOMINE QUADRINGENTOS AUREOS MIHI DARE OPORTERE. Rem vero et poenam simul ita videntur persequuti: AJO, TE MIHI VESTEM VI RAPUISSE, EOQUE NOMINE QUADRUPLUM DARE OPORTERE. Ex quibus simul intelligitur, quo pacto ex diversis delictis in simplum, duplum, triplum, quadruplum agi consueverit, ut adeo non opus sit, de hac tertia actionum divisione seorsum agere: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 481. *sq.* Addimus in quadruplum olim etiam condemnatos esse foeneratores improbos. Testem ejus rei locupletissimum habemus Catonem *de re rustica init.* cujus locum supra *Libro III. Tit. XV.* §. 4. adscripsimus.

---

a) Quo sensu mixta actio dicatur hereditatis petitio (*L.* 7. *C. de her. pet.*), explicuerunt de Löhr *Magaz. für Phil. u. Gesch. d. R.* IV. p. 24. sqq. et Arndts *Beiträge* u. s. w. p. 67. sqq. *Mühl.*

b) Adjudicationis formula est apud Gaj. IV. §. 42. Cf. Hasse jun. im *Rhein. Mus. T. VI.* p. 172 — 179. *Mühl.*

§. 41.

Actiones arbitrariae, stricti juris et bonae fidei.

Quarto actiones aliae sunt BONAE FIDEI, aliae STRICTI JURIS, aut, ut rectius dicamus, aliae ARBITRARIAE sunt, aliae BONAE FIDEI, aliae STRICTI JURIS. ARBITRARIAE id habebant singulare, quod judex primum ex aequo et bono aestimare jubebatur, quantum reus restituere deberet, et, si non pareret, ei potestas erat, illum in majus quid condemnandi, e. g. in quadruplum, veluti in actione, quod metus caussa, vel in quantum in litem actor jurasset: Theophilus. §. 31. *Inst. h. t.* In actionibus STRICTI JURIS Praetor certum quid exprimebat in formula, in quod reus esset condemnandus. Denique in BONAE FIDEI judiciis judicis religioni permittebat, in quantum reum ex aequitate putaret condemnandum. Actionum *bonae fidei* tres erant formulae. In contractibus enim potissimum consensualibus actores utebantur formula EX BONA FIDE. In fiduciis dicebant: UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TUAMQUE FIDEM FRAUDER. Rei denique uxoriae actioni et actionibus arbitrariis propria erat formula: QUANTUM AEQUIUS MELIUS. Quae omnia discimus ex Cicerone *de Offic. III.* 15. et *Orat. pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. Hinc tales erant actionum bonae fidei formulae: AJO, TE MIHI DOMUM LOCASSE, TEQUE MIHI EX AEQUO ET BONO DARE FACERE OPORTERE, QUIDQUID ALTERUM LOCATI NOMINE DARE FACERE OPORTET EX FIDE BONA. Cujus formulae exemplum est apud Valerium Max. *VIII.* 2. 1. *L.* 54. *pr. D. Locati.* Item: AJO, ME TIBI, PRAETER DOTEM, ET PATRIMONIUM MEUM DEDISSE, TEQUE MIHI, QUANTUM AEQUIUS MELIUS SIT, DARE OPORTERE. Item: AJO, TE MIHI DOMUM ILLAM, QUAM TIBI MANCUPAVI, UT MIHI REMANCUPARES, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, NE PROPTER TE TUAMQUE FIDEM FRAUDER, REMANCUPARE OPORTERE. Arbitrariae vero actiones ita concipiebantur: AJO, TE MIHI VESTEM EXHIBERE, VEL, QUANTUM AEQUIUS MELIUS, MIHI DARE OPORTERE: *L. pen.* §. *ult. D. Solut. matrim.* Cicero *Topic. c.* 16. Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 485. *sq.* Actiones stricti juris, omissis illis formulis, ad rei certae praestationem reo intendebantur. Differentia etiam ea erat inter has actiones, quod in actionibus bonae fidei et arbitrariis res ab arbitris, in actionibus stricti juris a judicibus discuterentur. Illius *libera erat et nullis adstricta vinculis religio, ut detrahere aliquid posset et adjicere, et sententiam suam, non prout lex aut justitia suaderet, sed prout humanitas et mi-*

sericordia impelleret, regeret: Seneca *de Benef. III.* 7. Hunc Praetor includebat formula, adeoque omnia *ad libellam*, ut ait Cicero *pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. adjudicare tenebatur, hoc est, *ad teruncium*, ut explicat Hadr. Turnebus *Adversar. XXIX.* 36. Id quod tum demum intelligetur melius, ubi de judicum datione, praescriptisque eis a Praetore formulis egerimus [c]).

§. 42.

Actiones, quibus solidum vel consequebantur vel non consequebantur.

Quinto aliis actionibus SOLIDUM, aliis MINUS, QUAM SOLIDUM consequimur. Quoties enim reum, quantum facere poterat, dare oportebat: toties minus quam solidum obtinebatur. Formula erat de peculio filii: AJO, ME SERVILIO, FILIO TUO, C AUREOS MUTUOS DEDISSE, TEQUE, QUANTUM EX EJUS PECULIO FACERE POTERIS, MIHI DARE OPORTERE. Item de dote: AJO, ME TIBI NOMINE DOTIS MILLE DEDISSE, TEQUE MIHI, QUANTUM FACERE POTERIS, DARE ORORTERE. Ita et a parente, patrono, socio, milite, donatore, non totum, sed

---

c) De differentia actionum bonae fidei ac stricti juris egit Abr. Wielingius *ad Alex. Chassanaei Paratitla Instt.* p. 343. sqq. *Cann.* Bachii *Hist. jur.* II. 1, 27. Unterholzner *Ueber die Rede des Cicero für den Schauspieler Q. Roscius;* in der *Zeitschrift f. gesch. Rechtsw.* T. I. num. 9. p. 253—255. Joach. Sandra *Diss. de negotiis bonae fidei et stricti juris* (Traj. ad Rh. 1820. 8.) c. 3. p. 40—81. Ed. Gans *Ueber bonae fidei und stricti juris actiones;* in Dessen *Abhandlungen über Römisches Obligationenrecht* u. s. w. num. I. §. 1—7. p. 1—135. Mühlenbruch in den *Heidelb. Jahrbüchern der Litteratur* 1821. num. 3—5. p. 42—66. et Henr. Cord. Steveri *Comm. de summario Romanorum judicio, s. de stricti juris et bonae fidei actionibus.* Lips. 1822. 8. Cohaeret cum hac quaestione non minus ardua *de condictionum indole* disputatio, qualem et ipsam invenias apud Gansium *l. l.* §. 3–7. p. 21—135. Mühlenbruchium *l. l.* num. 4. p. 53—64. et Steverum *l. l.* Denique in investiganda actionum arbitrariarum notione novissime versati sunt Gans *Ueber die obligationes, welche nicht stricti juris und bonae fidei sind;* in Dessen *Abhandlungen über Röm. Obligationenrecht* num. 2. §. 8. p. 160—165. et Mühlenbruch *l. l.* num. 5. p. 69. sq. *Haub.* Universim de iis, quae ad hujus loci argumentum spectant, etiam disseruerunt: Heffter. *Obs. ad Gaj.* c. 14—16. Zimmern *l. l.* §. 60—63 a. §. 67. 68. Mayer *die Litiscontestatio* p. 73—117. Hasse jun. *l. l.* p. 26—85. Rosshirt in d. *Zeitschr. für Civil- u. Crim. R.* T. III. p. 1 – 44. De condictionibus s. stricti juris actionibus (praeter ea, quae ipsi hac de re supra disputavimus §. 23.): G. E. Heimbach *Observ. jur. Rom.* (Lips. 1834.) §. 6. 7. (Cf. *A. L. Z.* 1835. p. 496. sqq. Schilling *Lehrb.* u. s. w. §. 104. not. p—v. — De bonae fidei judiciis: Huschke *de action. formulis quae in L. Rubria exstant* p. 28. sqq. — De arbitrariis: Ribbentrop *Comm. laud.* p. 2—41. Benfey im *Rhein. Mus.* T. IV. num. IX. (Cf. *A. L. Z. l. l.* p. 500.) *Mühl.*

quantum facere poterant, obtineri poterat, ob beneficium competentiae d). Eodemque modo agebatur cum eo, qui bonis cesserat, si postea aliquid adquisivisset. De quibus omnibus plura Jureconsulti: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 483.

§. 43.

Actionum sexta divisio.

Sexto actiones vel ob FACTUM PROPRIUM reorum, vel filiorumfamilias servorumque caussa intendebantur. Huc pertinent actiones QUOD JUSSU, de IN REM VERSO, de PECULIO, TRIBUTORIA, EXERCITORIA, INSTITORIA. De quibus omnibus titulo proxime insequente ex instituto erit agendum.

§. 44.

Postulatio judicis.

Hactenus, quo pacto actiones intendere soliti sint veteres, ostendimus. Eas rei vel NEGANDO excipiebant, vel EXCIPIENDO excludere conabantur, ut infra ad titulum de exceptionibus docebimus. Ubi ergo reus actionis fundamentum vel negando, vel excipiendo eliserat, et sponsiones ea, qua antea diximus, ratione fuerant factae: proximum erat, ut vel JUDICES, vel ARBITRI, vel RECUPERATORES postularentur e). *Judex* cognoscebat de actionibus omnibus, maxime vero de iis, quae erant stricti juris. *Arbitri* ad dijudicandas caussas bonae fidei et arbitrarias dabantur, horumque latior erat judicandi potestas: Festus *p.* 35. *ARBITER dicitur judex, quod totius rei habeat arbitrium et facultatem.* Unde hi arbitri cum compromissariis non

---

d) De differentia, quae olim quidem intererat inter condemnationem, in quantum facere potest debitor, et beneficium illud, ut tantum debitori relinquendum sit bonorum, quantum sufficiat, ne plane egeat (quod utrumque beneficii competentiae nomine insignire solemus) vid. Theophili *paraphr. h. t.* §. 37. Holtius *bibl. du Jurisconsulte* T. I. p. 390. sqq. de Schröter in *krit. Zeitschr. f. Rechtsw. T. IV. p.* 76. sqq. Zimmern *l. l.* §. 141. Mühlenbruch *doctr. Pand.* T. I. §. 154. not. 2. *Mühl.*

e) Cf. IV. §. 17, 1. de ipsa autem judicum in causis privatis differentia: Ferratius *Epist. I.* 3. Jo. Hop *Diss. de judicibus a Praetore et provinciarum Rectoribus ad caussas privatas dijudicandas dari solitis.* L. B. 1729. 4. et in *Thes. N.* Oelrichs. *Dissertt. Belgg.* Vol. I. T. II. p. 507—560. Nunc e Cicer. *Or. pro Tullio* c. 6. constat, coram rem recuperatoribus lites celerius fuisse finitas, quam apud alios judices. Caeterum haec judicum differentia eo potissimum rediit, ut aliis caussis cognoscendis judices singulares, aliis plures una adhiberentur: quae res rursus vim habuit in discrimine inter judicia legitima et ea, quae imperio continentur, constituendo, cujus meminit Gajus IV. §. 103—109. *Haub.* Cf. supra §. 27. *Mühl.*

sunt confundendi. Denique, si de persequutione rei agebatur, dabantur *recuperatores*, ita dicti, quod per eos suum quisque recuperabat f), ut post Festum sub voce *Reciperatio p.* 425. recte observat Theophilus *ad* §. 4. *Inst. Qui et ex quib. causs. manum. non licet.* Sic A. Caecinae recuperatores dabantur, ut tota Ciceronis oratio docet. Tales etiam in provinciis datos esse legimus: Cicero *in Verrem Action. II. Lib. II. c.* 13. Livius *XLIII.* 2. Invaluit tamen postea, ut et Centumviri, quos Praetor in consilio habebat, caussas graviores difficilioresque cognoscerent: Seneca *de Benef. III.* 7. Quod ab Augusti demum temporibus frequentius fieri coepisse haud obscure colligas ex Taciti *de Oratorib. dialogo* c. 38. ubi ita auctor, quisquis sit: *Primus tertio Consulatu Cn. Pompejus adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen, ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud Praetores gererentur: apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sint, quod majus argumentum est, quam quod caussae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Caesaris, ne-*

---

f) Nullum est dubium, quin initio ob rem tantum persequendam dati sint *recuperatores*. Id enim vel ipsum indicat vocabulum. Postea tamen et alii judices hoc nomen tulisse videntur. Nam et ad aestimationem injuriarum recuperatores datos legimus: Tacitus *Annal. I.* 74. Gellius *XX.* 1. nec non in vindiciis secundum libertatem: Suetonius *Vespas. c.* 3. quin et pro obtinenda corona murali: Livius *XXVI.* 48. *Hein.* Recuperatores in provinciis eodem munere functi sunt, quo Centumviri Romae; vid. Noordkerk *de lege Petronia* p. 67. *Cann.* Idem etiam Heffero placuit, *Instit. des Civilproc.* p. 53. At, quo argumento hoc defendi possit? nescio, quum non nisi de causis civilibus apud Centumviros agendum esset. (Cf. quae supra ad §. 9. notavimus.) Recuperatores dati sunt, quoties id agebatur, ut quam celerrime res judicaretur (Cic. *Or. pro Tullio* c. 6. edit. Maj. *Divin.* c. 17. Gaj. IV. §. 185.), et Romae quidem in causis potissimum vadimoniorum et interdictorum, tum vero, ubi de vi deque injuria atroci quaesitum est (*Lex de Gall. Cisalp.* c. 21. Cic. *or. pro Caec.* c. 9. *pro Tull.* c. 1. sqq. *de invent.* II. 20. Tacit. *Annal.* I. c. 74. Gell. *N. A.* XX. 1. Gaj. IV. §. 46. 140. sqq. 185.). In provinciis judicantes communi nomine *recuperatorum* appellati sunt (cf. Gaj. I. §. 20. Ulp. Fragm. I. §. 13.), ut Romae *judicum*, licet utrobique pro re nata nunc judices nunc recuperatores darentur. E scriptoribus, qui novissime hunc locum tractarunt, hos inspicere licuit: C. Guil. E. Heimbach *de C. Aelio Gallo JCto ejusque fragmentis Diss.* (Lips. 1823. 8.) *Exc. III. ad Ael. Galli fragm.* XIV. p. 63. sqq. E. Huschke *Exc.* II. (*ad or. pro Tullio*) *de recuperatorib.* p. 208—253. Heffter. *Obs. ad Gaj.* p. 100. sqq. Zimmern *l. l.* §. 17. et 37. C. Sell *Die Recuperatio der Römer.* Braunschw. 1837., qui inprimis de recuperatoriorum judiciorum origine accurate ac copiose disputavit, eamque e populorum commerciis foederibusque inter se initis repetendam esse probabiliter ostendit. *Mühl.*

que Bruti, neque Coelii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud Centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii Pollionis?

§. 45.

Formula postulandi judicem vel arbitrum.

Judices ergo hi POSTULABANTUR a litigantibus, ita, ut actor primum judicem adversario ferret, quem ipsi commodum erat, rogaretque, ut eo contentus esset, nec alium posceret vel procaret. Verbo enim PROCARE hac in re usos veteres, docet Festus sub voc. *procum* p. 378. *Est enim procare poscere, ut quum dicitur in judice collocando: SI ALIUM PROCAS, NIVE EUM PROCAS, hoc est poscis.* Quod si judicem probaret reus, tunc judex CONVENIRE dicebatur: Valerius Max. *II.* 8. 2. g) *L.* 80. *D. de Judic.* et hinc nihil erat reliquum, quam ut eum postularent a Praetore: quod his verbis factum esse docent Cicero *pro Muraena* c. 12. et M. Valerius Probus in *Libro de Notis:* PRAETOR JUDICEM ARBITRUMVE POSTULO, UT DES IN PERENDINUM. (Cf. supra §. 23. not. z.) Eodem modo postulabantur recuperatores: Cicero *in Verrem Action. II. Lib. II. c.* 58. *extr. Coepit Scandilius recuperatores aut judicem postulare.* Centumviri non postulabantur, nisi uterque litigantium in eos subscripsisset: Plinius *Epistt. V.* 1.

§. 46.

Judices qua formula dati?

Judices postulati a Praetore DABANTUR vel ADDICEBANTUR: *L.* 80. *D. de Judic.* Cujacius *Observatt. IV.* 15. et quidem cum certa formula, quae intentioni actionis reique exceptioni congruebat. Semper his in formulis Praetores utebantur voce PARET, quod idem esse videtur ac *adparet*, unde et Festus negat, hoc vocabulum duplici R scribi oportere. Ejus verba in voce *parret* [* *p.* 325.] talia sunt: *Parret, quod est in formulis, debuit et producta priore syllaba pronunciari, et non gemino R scribi, ut fieret paret, quod est inveniatur; ut comparet, adparet.* [* Sed potius legendum: *quod et invenitur in comparet, adparet.*] Sic, si quis rei instituisset vindicationem, ne-

g) Licebat ergo eumdem rejicere et ejerare, quod fiebat formulis: EJERO, QUEM TULISTI, JUDICEM, INIQUUS EST: vel HUNC NOLO, TIMIDUS EST, vel NOLO EUM ELIGERE: Cicero *de Orat. II.* 70. Plinius *Panegyr. c.* 36. Barn. Brissonius *de form. V. p.* 369. Ex quo facile patet, unde natum sit jusjurandum perhorrescentiae, quod postea invexit jus canonicum: *c.* 11. *de Rescript. in* 6. *Hein.*

gante reo, judex in haec verba dari solebat: C. AQUILLI, JUDEX ESTO. SI PARET, FUNDUM CAPENATEM, DE QUO SERVILIUS AGIT CUM CATULO, SERVILII ESSE EX JURE QUIRITIUM, NEQUE IS SERVILIO A CATULO RESTITUATUR, TUM CATULUM CONDEMNA. Sin exceperat reus, formulae huic etiam addebatur exceptio, veluti: EXTRA QUAM SI TESTAMENTUM PRODATUR, QUO ADPAREAT, CATULI ESSE. Ita aliis quoque actionibus formulae adcommodabantur, ut jam per omnes actionum species ostenderunt Car. Sigonius *de Judiciis I.* 24. *p.* 495. *sq.* Barn. Brissonius *de form. V. p.* 370.

§. 47.

Numerus testium praescriptus. Satisdatio. Litis contestatio.

Postremo Praetor numerum TESTIUM, quibus denunciaretur testimonium, praescribebat, quorum plerumque decem fuisse, ex M. Valerii Probi *libello de Notis Romanorum interpretand.* et lege Manilia *de limitibus* ostendit Car. Sigonius *de Judiciis I.* 25. SATISDABANT tunc quoque litigantes eo modo, quem infra *Tit. XI.* uberius declarabimus. Denique fiebat LITIS CONTESTATIO. Haec quid fuerit, non adeo clarum atque expeditum est. Festus ait [* sub voce *contestari p.* 96.], litigantes *contestari litem dici, quum ordinato judicio utraque pars dicere solet:* TESTES ESTOTE. Testes itaque adhibiti videntur ad probandum, fuisse hanc actionem institutam, reum hoc vel illo modo contradixisse, sponsiones has inter litigantes intercessisse, datumque hac formula judicem, ut adparet ex *L. un. C. de Litis contest.* Quo factum est, ut per litis contestationem diceretur *quasi contrahi: L.* 3. §. 11. *D. de Pecul.* Ger. Noodt *de jurisdict. I.* 15. *p.* 147. Ulr. Huberus *Praelectt. ad Digesta V.* 1. 21. *p.* 182. *sq.* h).

---

h) De litis contestatione vid. inprimis Car. Gfr. de Winckler *Diss. Discrimen inter litis contestationem jure veteri ac hodierno et utriusque effectus* (Lips. 1751. 4.) Sect. I. II. in *opuscc. min.* Vol. I. p. 295–351. et C. L. Goldschmidt *Ueber Litis Contestation u. Einreden* (Frf. a. M. 1812.) Abschn. I. §. 2. p. 5 — 14. et §. 4. p. 25. sq. *Haub.* Jam add. F. L. Keller *Ueber Litiscontestation u. Urtheil nach classischem Röm. Recht.* (Zür. 1827. 8.) Abschn. I. p. 1—196. Zimmern *l. l.* §. 109. §. 118—124. §. 126. M. S. Mayer *Die Litiscontestation geschichtlich dargestellt.* Stuttg. 1830. Rudorff in der *Zeitschr. f. geschichtl. R. W.* T. VII. num. VII. A. H. A. Danz *De litiscontestatione, quae fuit tempore legis actionum.* Jen. 1831. 8. C. F. F. Sintenis *Erläut. üb. verschiedene Lehren des Civilproc. nach Linde's Lehrb.* I. (Giess. 1839.) p. 91—117. — A testibus provocandis nomen duxisse litis contestationem, non est quod dubitemus. Quomodo autem peragenda fuerit litis contestatio, tum vero, fierine in jure consueverit, an in ipsius judicii exordio? nec-

Et haec quidem, quae hactenus diximus, IN JURE FIERI dicebantur: reliqua IN JUDICIO expediri solebant. (Cf. not. f. ad §. 6.) De judicum vero notione cognoscendique ordine infra *ad Tit. XVII.* agemus.

LIB. IV. TIT. VII.

QUOD CUM EO, QUI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIUM GESTUM ESSE DICITUR.

Agi apud Romanos potuisse diximus non solum cum iis, quibuscum factum aliquod intercesserat, sed et cum iis, quorum in potestate erant illi, qui vel contraxerant, vel delictum aliquod commiserant. De his actionibus hoc et insequente titulo agendum.

§. 1.

Actio institoria. Mercatores quo loco Romae fuerint?

Prima, quae huc pertinet, actio, de qua aliquid ex antiquitate monendum sit, est INSTITORIA, ad quam intelligandam praecipue ostendendum, quaenam olim Romae fuerit mercatorum conditio. Romulus, qui rempublicam suam nonnisi ad militare studium comparatam esse volebat, etiam mercatura interdixerat civibus, eamque non secus, ac artes sellularias, a servis tantum exerceri jusserat: Dionysius Halic. *II.* 28. Postea, crescente civium numero, crescente luxu, ubi major esse coeperat rerum necessitas, paullo benignius coeperunt de hoc vitae genere sentire, adeo ut A. U. C. CCLIX. Claudio Servilioque Coss. collegium mercatorum Romae institueretur, quod ab aede Mercurii, in qua sacra facere solebant, MERCURIALE dictum est. De eo Livius *II.* 27. *Certamen Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii aedem. Senatus a se rem ad populum rejecit: utri eorum dedicatio jussu populi data esset, eum praeesse annonae,* MERCATORUM *collegium instituere, sollemnia pro Pontifice jussit suscipere.* Sed et Ovidius *Fast. V. v.* 671. *sq.* de Mercurio:

---

dum inter eruditos constat. De novatione, quae per L. C. fiebat, jam alibi quaedam monuimus (Lib. III. Tit. XXX. (XXIX.) not. c. ad §. 14.). Cujus quidem novationis, praeter alia (nam vid. Mühlenbruchii *doctr. Pand.* T. I. §. 44.) haec erat vis, ut veterem actionem tolleret, aut ipso jure, ut in legitimis judiciis, aut per exceptionem, ut in iis, quae imperio continebantur. Vid. supra §. 27. *Mühl.*

Te, quicumque suas profitetur vendere merces,
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.

Fuit et aliud mercatorum collegium, quod *Capitolinum* dictum est, cujus et Livius et Cicero meminerunt. Horum vero alii *mercatores* κατ' ἐξοχὴν, alii *negotiatores* dicebantur, quorum illi Romae, hi in provinciis negotiabantur [a]), si recte rem explicavit Car. Sigonius *de antiquo jure civium Rom. II.* 10. *p.* 319. [Cf. V. C. Jo. Aug. Ernesti *Dissertat. de negotiatoribus Romanis*, quae prodiit *Lips.* [*1737. 4. et in Ejusd. *Opuscc. philologic. critic. Lugd. Bat.* 1776. 8. *p.* 3. *sqq.*] Hinc apud Reinesium *Inscriptt. Class. I. p.* 186. *n. CLXX.* alius vocatur MERKATOR NAVICULARIS: alius *Class. I. p.* 190. *n. CLXXVII.* NEGOTIATOR CRETARIUS, vel, uti apud Gruterum *Inscriptt.* [**p. CXII. n.* 12. et *p. DCXLI. n.* 3. 4.] legitur, NEGOTIATOR ARTIS CRETARIAE. Quamvis vero ab hisce temporibus Romani mercaturae paullo plus, quam olim, statuerint pretii: mansit tamen inter eosdem opinio, adhaerere huic vitae generi nescio quid illiberale, et viro honesto indignum. Satis id adparet ex loco Ciceronis *de Offic. I.* 42. ubi ex instituto de mercatura disseritur. Hoc loco Cicero primum distinguit inter *propolas*, vel *arrilatores*, et *negotiatores*, quos Appulejus [**Metamorphos. Lib. I. p.* 27. ex *edit.* Franc. Oudendorpii] *magnarios* vocat. De illis: *Sordidi etiam*, inquit, *putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam turpius vanitate.* Eos vero, qui magnariam exercent mercaturam, multaque undique adportant, multisque sine vanitate impertiuntur, non admodum vituperandos putat Cicero, sed tum demum laudandos, *si satiati quaestu, vel contenti potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerint.*

§. 2.

Institores quinam, et quomodo instituta actio institoria?

Quum ergo mercaturae cuicumque inesse videretur aliquid illi-

---

a) De mercatorum et negotiatorum differentiis egregie disputavit Jo. Aug. Ernesti *Dissertat. singulari*, quam in compendium misit in *Indice Latinitatis Ciceronianae* sub voce *negotiator. Cann.* De mercaturae apud Romanos conditione, qua Jurisconsulti eam nosse interest, egregia nunc exstat commentatio Franc. Binkes, cui titulus: *Diss. de agriculturae prae mercatura apud Romanos favore tum in aliis, tum maxime quoque in legum monumentis conspicuo.* L. B. 1819. 8. Cf. Ernesti *Ep. de negotiatoribus Romanis.* Lips. 1737. 4. et in *opusc. phil. crit.* p. 3—20. *Haub.*

berale: non facile solebant mercatores magnarii ipsi in tabernis versari, sed vel servos, vel libertos, vel liberos homines, mercede conductos negotiationibus praeficere, quos INSTITORES adpellabant eo, quod negotio gerendo instarent: *L.* 8. *L.* 5. *L.* 18. §. *ultim. D. de Institor. act. Instare* autem est *negotiari.* Hinc Nonius [* Marcellus *de proprietate sermonum* c. 3. *de indiscretis generibus* sub voce *mercatus*]: *Naevius militibus Pometinensibus: Instant mercaturam spero, rem faciet, frugi est homo.* Unde Paulus *Sententt. Receptt. III.* 4. 72. ubi servorum varia recenset genera, institores inter ministeria urbana refert. Quo loco INSTRUCTORES esse legendum frustra contendit Thom. Reinesius. Vide *notam* adjectam *novae editioni* [*Amstelaed. 1707. II Tomm. f.*] Gruteri *Inscriptt. p. DLXXV. n.* 9. Si quis cum INSTITORE contraxerat: poterat ipsum dominum vel negotiatorem convenire. Et tunc actio hunc in modum intendebatur: AJO, ME STICHO, MAEVII SERVO, QUEM MAEVIUS INSTITOREM SUUM FECERAT, CENTUM AUREOS CREDIDISSE, EUMQUE EJUS REI NOMINE CENTUM AUREOS MIHI DARE DEBERE: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 484. (Gaj. *comment. IV.* 11.)

§. 3.

Actio exercitoria.

Quemadmodum institoria actio a servo institore nomen acceperat: ita EXERCITORIA ab ipso domino vel EXERCITORE cognominabatur. Ex quo mare tentaverant Romani, multis illi praemiis invitarunt homines ad nauticam negotiationem. Quin et saepe in corpora et societates coaluerunt negotiatores, navigationem communi consilio sumtuque promoturi. Sic apud Gruterum *Inscriptt. p. CCLVIII. n.* 1. mentio fit SCAPHARIORUM, QUI JULIAE ROMULAE NEGOTIANTUR. Et *p. CCCCXL. n.* 3. [*p. *DCXLVII. n.* 1.] laudantur QUINQUE CORPORATI NAVIGANTES vel NEGOCIANTES, nimirum Ararici, Ligerici, Rhodanici, Druentici et Pericorii [b]). Quicumque ergo in ejusmodi societate navali, suo periculo naves vel fluminibus, vel mari ipsi, immittebant, sive suas, sive per aversionem conductas,

---

b) Sed et jura loquuntur de *consortio naviculariorum: L.* 11. *C. Theod. de Navicul.* de *corpore naviculariorum: L.* 32. *eod.* de *coetu nauarchorum* et *concilio naviculariorum,* etc. Varia iis concessa esse privilegia, constat ex *L.* 7. *L.* 14. et *L.* 36. *Cod. Theod. eod. tit.* Reinesii *nota ad Inscript. n. XXI. Class. III. p.* 307. *Hein.* Cf. Dirksen *civilist. Abhandl.* II. p. 23. 45. 70. 79. 108. *Mühl.*

ii EXERCITORES vocabantur. Unde *exercitor* est, ad quem obventiones omnes et reditus navis perveniunt, sive is dominus navis sit, sive a domino per aversionem conduxerit: *L.* 1. §. 15. *D. de Exercit. act. L.* 1. *D. Furti advers. naut.* Sic apud Gruterum *Inscriptt.* [**p. CCCCXCII. n.* 5.] occurrunt EXERCITORES RATIUM ULPIANARUM. Et apud Reinesium *Inscriptt. Class. VIII. n. XX. p.* 517. *sq.* SCAPHARII, EXERCITORES ARARICI. Iidem aliquando *domini* dicti, veluti *L.* 1. *L.* 2. *C. Theod. de Nav. non excus.* et, in marmore apud Reinesium *Inscriptt. Class. III. n. XXI. p.* 307. ubi memorantur DOMINI. NAVIUM. CARTHAGINENSIUM. EX AFRICA. Diversi ab his erant MAGISTRI NAVIUM, qui navi praeerant, quibusque totius navis cura fuerat demandata: *L.* 1. §. 1. *D. Naut. caupon. stabul. L.* 1. §. 1. *D. de Exercit. act. L.* 2. *princ.* §. 2. et *pen. D. ad Leg. Rhodiam*, iique saepe servilis erant conditionis, ut ex iisdem locis adparet [c]). Quicumque vero cum magistro navis contraxerat, ei actio in ipsum exercitorem dabatur, eaque intendi solebat hunc in modum: AJO, ME STICHO SERVO, QUEM MAEVIUS DOMINUS EI NAVI, QUAM EXERCET, MAGISTRUM PRAEFECERAT, CENTUM AUREOS EJUS REI CAUSSA, CUI PRAEFECTUS ERAT, CREDIDISSE, EUMQUE EJUS REI NOMINE CENTUM MIHI DARE OPORTERE: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 484.

§. 4.

Actio tributoria.

De TRIBUTORIA actione praeter ea, quae a Jureconsultis dici solent, nihil est, quod addamus, nisi quod ea hunc in modum intendi consuevit: AJO, MAEVIUM PECULIARES STICHI SERVI MERCES EX EDICTO NON DISTRIBUISSE, ET QUANTO MINUS TRIBUTUM SIT, QUAM DEBUERIT, TANTUM MIHI DARE OPORTERE: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 484. (Gaj. IV. 72.)

§. 5.

Actiones de in rem verso et peculio.

Reliquae sunt actiones QUOD JUSSU, DE IN REM VERSO, et DE PECULIO, quarum *ista* instituebatur, si filiusfamilias, vel servus jussu patris vel domini contraxerat: *illa*, quoties ex contractu illo pater vel dominus factus fuerat locupletior: *haec*, si alienae potestati

---

c) Nonnumquam plures magistri divisis officiis praeponebantur, veluti alter locandis, alter exigendis vecturis. Plerique sic duos uni navi praeficiebant, ne alter sine altero quid ageret: *L.* 1. §. 13. *D. de Exercit. act. Hein.*

subjecti, quibuscum quis contraxerat, peculium profectitium haberent. Tale, ut supra vidimus, et filiifamilias, et servi, et ipsae matresfamilias habere solebant. Quod si ergo etiam sine voluntate mariti, domini patrisve cum uxore, servo filiove contractum fuerat: tunc maritus et dominus et pater conveniri poterant. Et quidem, si in rem non versum, tantum praestare tenebantur, quantum patiebatur peculium. Si partem tantum in rem versam esse constaret, partem praestabant iidem, reliqua ex peculio, quantum fieri poterat, petebantur. Adeoque tunc utraque actio cumulabatur hoc modo: AJO, ME STICHO, MAEVII SERVO, CENTUM CREDIDISSE, UT MAEVII DOMUM CADENTEM FULCIRET, ET MAEVIUM QUATENUS ET IN REM VERSUM, ET IN PECULIO STICHI ESSE CONSTABIT, DARE MIHI OPORTERE: Car. Sigonius *ibid. p.* 484. (Gaj. IV. 73. 74.)

§. 6.

SCtum Macedonianum.

At quum securi hac actione foeneratores filiisfamilias plurima solerent credere, eoque res rediret, ut filii ad praematurum atque improbum successionis votum impellerentur: SCto MACEDONIANO cautum est ab amplissimo ordine, ut ne iis, qui pecuniam filiisfamilias crediderint, etiam post mortem patrum actio petitioque daretur. Ipso quidem jure creditori erat actio, sed ea elidebatur exceptione SCti Macedoniani: *L.* 11. *D. ad SCtum Macedonianum.*

§. 7.

De hujus SCti origine controversia.

Quando conditum sit istud Senatusconsultum, non adeo liquido constat. Latam esse de mutuo legem a Claudio Imperatore A. U. C. DCCC. eaque cautum, ne id a filiisfamilias umquam repetere possent creditores, docet Tacitus *Annal. XI.* 13. Sed existimant plerique, saluberrimam hanc legem corruptissimis sub Nerone temporibus obsolevisse. Nam de eadem re iterum ad Senatum retulit Vespasianus: Suetonius *Vespas. c.* 11. *Auctor Senatui fuit* Vespasianus *decernendi, — ne filiorumfamilias foeneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Hoc sane credere malunt Torrentius *ad Suetonium* et Ant. Schultingius *Jurisprud. Antejustin. p.* 278. quam, quod vulgo existimant, errorem in re tam parum antiqua obrepsisse Suetonio, adcuratissimo scriptori. Neque enim rarum esse, ajunt, ut jura illis tamquam aucto-

ribus adscribantur, qui ea abolita desuetudine restituerint, idque exemplis demonstrat Frid. Brummerus *ad Leg. Cinc. c.* 3. Sed longe expeditior superesset Tacitum Suetoniumque conciliandi ratio [d]), modo de primo Vespasiani Consulatu certius constaret.

§. 8.

A quo denominatum?

Id vero singulare habuit hoc SCtum, quod non ab auctore vel Consule nomen adeptum est, sed a Macedone quodam, sive improbus foenerator, uti vulgo existimant, sive filiusfamilias, uti Theophilo videtur, id nomen habuerit. Et sane, quamvis a plerisque vapulat Theophilus, et ipsi in prioribus editionibus eum notavimus: jam tamen veritatis studio adductus ingenue moneo, probabiliorem et ipsius SCti verbis convenientiorem esse Theophili, quam vulgarem sententiam. Ajunt enim Patres: *Quum inter ceteras sceleris caussas Macedo, quas illi natura administrabat, etiam aes alienum adhibuisset.* Haec prima caussa, quae senatum movit, ut Macedo *aes alienum adhibuisset inter sceleris caussas.* Atqui *aes alienum* non ratione creditorum dicitur, sed ratione debitorum: *L.* 213. §. 1. *D. de V. S.* Sequitur altera: *Et saepe materiam peccandi malis moribus praestaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet.* Haec demum SCti verba ad foeneratorem pertinent: *L.* 1. *D. ad SCtum Macedon.* Incertis vero nominibus credere non est, suppressa caussa mutui, celatoque titulo crediti, et tacito foenore credere, ut rem explicant Pareus in *Lexico crit.* Cujacius *ad C. de SCto Macedon.* et in *Paratitl. D. eod.* Jan. Vinc. Gravina *de Legg. et SenatusCtis c.* 69. *p.* 629. sed nominibus non bonis sub usu-

---

d) Ingeniose nimirum Taciti et Suetonii sententias conciliavit Petr. Faber *Semestr. I.* 25. *p.* 142. Claudius Tacito hujus SCti auctor fuisse dicitur. Sub eodem vero Consul fuit Vespasianus, isque Consulatus Vespasiani *vetus* adpellatur a Suetonio *Vespas. c.* 8. Claudio ergo tribuitur ea lex, tamquam Principi, Vespasiano tamquam Consuli. Nam et Consulibus, imo et Senatoribus tum adhuc jus fuisse referendi ad senatum relationemve postulandi, discimus ex Gellio *Noctt. Att. IV.* 10. Sed is primus ac vetus Vespasiani Consulatus non adeo certus est. *Hein.* Praeter Bern. Henr. Reinoldi *ad SCtum Macedonianum dissertationem,* (Frcf. ad V. 1717. 4. et in *Opuscc. juridd.* p. 412—447.) quam laudavit Cannegieterus not. 2. ad §. 8. cf. ab Idsinga *Diss. de mutuo et veteri litterarum obligatione* c. 6. §. 2—6. in Oelrichs. *Thes. N. Dissertt. Belgicc.* Vol. I. T. I. p. 171—177. Crameri *Comm. de vita et legislatione Vespasiani Imp.* p. 182—185. et Christ. Ghelf. Hübneri *Diss. ad SCtum Macedonianum.* Lips. 1798. 4. *Haub.*

ris immodicis credere [e]). Tales foeneratores erant Scaptius et Matinius, de quibus Cicero *ad Attic. Epist. V.* 21. nec non Fufidius, de quo Horatius *Sermon. sat.* 2. *v.* 12. *sqq.*

Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore numis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urguet;
Nomina sectatur, modo sumta veste virili,
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
Juppiter! exclamat, simul atque audivit? — —

Ger. Noodt *de foenore et usur. II.* 13. *p.* 291. qui totam hanc foeneratorum artem egregie exposuit. Ejusdem ergo furfuris erat scelestus ille, qui huic SCto occasionem dedit, Macedoni, tamquam incerto nomini, sub usuris mordacissimis credendo. *Inscriptiones* Gruteri [***p. DCCXXXII. n.* 13.] meminere C. MODESTII MACEDONIS, qui an ejusdem cum nostro familiae fuerit, alii videant.

LIB. IV. TIT. VIII.

DE

NOXALIBUS ACTIONIBUS [a]).

Ex delictis eorum, qui in potestate erant, dabantur ACTIONES NOXALES [b]), quarum origo erit paullo altius repetenda.

§. 1.

Actiones noxales e XII Tabulis sunt.

Jam XII Tabulis cautum fuerat de noxae datione ob furtum, ut docet Ulpianus *L.* 2. §. 1. *D. de Noxal. act.* Ex quo colligimus,

---

e) *Incertis nominibus credere* quid significet, disputant acriter viri docti, quorum conjecturas exhibet Reinoldus in *Dissertationibus academicis.* Me magis torsere illa verba: *ne quid amplius diceretur:* in his, quae facilia visa sunt interpretibus, commode exponendis aestuavi saepius. Vellem tamen scire, qui verborum illorum sensus sit: ego corrupta arbitror. *Cann.* Cf. Schulting. et Smallenburg *not. ad Dig.* T. III. p. 228. 229. *Mühl.*

a) *Das System der Römischen Noxal-Klagen* von S. Zimmern. Heidelb. 1818. 8. *Haub.*

b) Gaj. IV. §. 75—81.—§. 76. „Constitutae sunt autem noxales actiones aut legibus, aut edicto; legibus: velut furti lege XII tabularum, damni injuriae lege Aquilia; edicto Praetoris: velut injuriarum et vi bonorum raptorum." *Mühl.*

actiones illas noxales non aliunde, quam ex ipso illo vetere jure decemvirali descendere, in quibus etiam horum vocabulorum prima mentio fit, de quibus dispiciendum adcuratius.

§. 2.

Quid noxa et noxia?

A nocendo et NOXAM, et NOXIAM dici, nemo dubitaverit. Utrumque vocabulum ita distinguit Justinianus, quod *noxa* ipsum, quod nocuit, corpus; *noxia* delictum, quod servus commisit, denotet: *princ. Inst. h. t.* eademque legimus *L. 1. pr. D. Si quadrup. paup. feciss.* Nec abnuit usus veterum auctorum. Nam Terentius *Eunucho, Act. V. sc. 2. v. 13. sq.*

— — — *Ch. unam hanc NOXIAM*
Amitte; si aliam admisero umquam, occidito.

Plautus *Mostellar. Act. V. sc. 2. v. 56.*

Tr. Quid gravaris? quasi non cras jam commeream aliam NOXIAM.

Et ita passim alibi. Sed tamen non raro neglectum esse istud discrimen, animadvertimus. Noxa enim plane etiam maleficium, et peccatum qualecumque denotat, non modo in jure nostro: *L. 45. §. 1. D. de Leg. I. L. 4.* et *L. 32. D. de Noxal. act.* sed et in duodecim tabulis, ut testatur *L. 238. in fine D. de Verb. sign.* quamvis eo loco multae editiones *noxae;* Florentina *noxiae* praefert.

§. 3.

Quid noxae dare, et qui noxae dati?

NOXAE vero DEDERE, vel IN NOXAM DARE erat hominem potestati suae subjectum animalve vivum tradere ei, cui delicto quodam vel facto illius fuerat damnum illatum: *L. 1. §. 14. D. Si quadrupes pauperiem fec. dic.* Quinctilianus *Declamat. 9. 5.* Noxae ergo olim dabantur non solum animalia, nec solum servi, sed et filiifamilias: *L. 5. §. 5. D. de Oblig. et action. L. 3. §. 4. D. de Libero homine exhibend.* imo et filiaefamilias: *§. ult. Inst. de Noxal. act.* quamvis his ob favorem pudicitiae citius, quam filiis, pepercisse videntur. Magnum tamen hac in re inter servos liberosque noxae datos intercedebat discrimen. Liberi enim homines noxae dati serviebant quidem, sed non erant servi c): Quinctilianus *Inst. Orator. VII. 3.* et

---

c) Erant in mancipio, de quo supra egimus Lib. I. p. 159. sqq. Neque ipsi,

Declamat. 311. Cujacius *Observatt. XIII.* 9. Hinc si tantum adquisitum per eos esset, quantum damni dederant, dimittendi erant, quamvis nulla interposita esset, uti in emancipatione, fiducia: Papinianus apud *Auctor. Collat. Legg. Mosaic. et Roman. II.* 3. Manumissi quoque non erant libertinae conditionis, sed ingenuitatem recuperabant non secus, ac filii a parente venumdati: Quinctilianus *Inst. Orator. V.* 10. Quae omnia in servis secus se habebant, qui vere erant servi ejus, cui dediti fuerant, et omnia domino illo novo adquirebant. Si tamen tantum corrasissent pecuniae, ut huic satisfacere possent, manumittendi et illi erant: Cujacius *Observatt. XIII.* 9. Sed quamvis satis diu haec vigebat consuetudo, siquidem et Paulus adhuc illius meminit: *Sententt. Receptt. II.* 31. 9. postea tamen sensim obsolevit noxae deditio filiorum filiarumque familias, eaque graviter improbatur ab Imperatore: §. *ult. Inst. de Nox. action.* adde *L. ult.* §. 4. *C. de Furt. et serv. corrupt.*

§. 4.

Actionum noxalium indoles.

Non vero proprium et speciale hoc erat actionis cujusdam nomen, sed qualitas quaedam dumtaxat, quae actionibus *ex delictis* vel *quasi delictis* adjiciebatur. Hinc alia *actio noxalis* erat *furti*, de qua legibus XII Tabularum ita fuerat cautum: SI SERVUS, INSCIENTE DOMINO, FURTUM FAXIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXAE DEDITOR: *L.* 2. §. 1. *D. de Noxal. action.* Gothofredus *de Legg. XII Tabb. tab. XII.* (Dirksen *Zwölftafelges. p.* 708—714.) Alia *actio noxalis de dolo,* alia *noxalis de damno injuria dato,* alia *noxalis arborum furtim caesarum: L.* 3. §. 7. *D. Ad exhib. L.* 9. §. 4. *D. de Dolo malo L.* 19. et *L.* 28. *D. de Noxal. act. L. pen. D. Commod. L. ult. C. de Furt. L.* 7. §. 5. *D. Arb. furt. caesar.* Eodem modo ex edicto Praetoris, de *vi bonorum raptorum* et ceteris delictis noxales instituebantur actiones: Huberus *Praelectt. ad Inst. h. t. p.* 396.

§. 5.

Quomodo institutae?

Ea porro harum actionum vis erat ac potestas, ut dominus paterve vel aestimationem litis sufferre, vel servum filiumve familias

---

qui in mancipio erant, noxae dari poterant; arg. eorum, quae apud Gaj. leguntur IV. §. 80. *Mühl.*

noxae dedere cogeretur d). Unde hac similive formula intendebantur actiones noxales: AJO, STICHUM, MAEVII SERVUM, FURTO, (RAPINA, ARBORIBUS FURTIM CAESIS,) NOXIAM MIHI NOCUISSE; ET MAEVIUM AUT AESTIMATIONEM SUFFERRE, AUT STICHUM NOXAE MIHI DEDERE OPORTERE. Ita enim hanc actionis formulam sese habuisse, magis crediderim, quam quomodo eam concipit Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 484.

LIB. IV. TIT. IX.

SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR a).

Noxalis quoque est ACTIO DE PAUPERIE: siquidem et is, *cujus* quadrupes damnum dederat praeter naturam generis sui, vel aestimationem sufferre, vel quadrupedem noxae dedere jubebatur. Unde non mirum, Imperatorem de hac quoque actione proxime post noxales agere.

§. 1.

Actio quadrupedaria ex XII Tabulis est.

Haec quoque actio ex Legibus XII Tabularum descendit, quibus cautum fuisse legimus: SI QUADRUPES PAUPERIEM FAXIT, DOMINUS NOXIAE AESTIMIAM OFFERTO, SI NOLIT, QUOD NOXIT, DATO: *L.* 1. *princ.* §. 1. et 2. *D. h. t.* (Dirksen *Zwölftafelges. p.* 532—539.) De quadrupedibus ergo lex agit, adeoque ea aliquanto latius hoc vocabulum accipit, quam lex Aquillia. Quum enim haec pecudes

---

d) Noxales actiones caput sequebantur, unde semper eum eo actio erat, cujus potestati suberat homo tempore litis motae. Quodsi sui juris esse coeperit, cum ipso erat directa actio ex delicto; sin sui juris homo noxa commissa alienae potestati subjiceretur, adversus eum, cujus erat in potestate, noxalis actio data est. (Gaj. IV. §. 77.) Propter noxias ipsi domino vel patri illatas nulla erat actio, ne tum quidem, quum in alienam potestatem postea pervenisset homo. Unde quaesitum fuit, si alienus servus vel filius ejus in potestate esse coeperit, cui noxam commiserat, utrum plane exstingueretur actio, an quiesceret tantum, hoc pacto, ut rursus finita potestate resuscitaretur? De qua quaestione in diversas partes abiere Sabiniani et Proculejani; Gaj. IV. §. 78. cf. *L.* 37. *D. de noxalib. act.* et Dirksen *Ueber die Schulen der Röm. Juristen* Cap. 1. §. 1. num. XI. in den *Beitr. zur Kunde des R. R.* p. 87. sq. Id quoque in controversia versabatur: num ter mancipio dandus fuerit filius ex noxali causa, an una sufficeret mancipatio? Gaj. IV. §. 79. et Dirksen *l. l.* num. XIII. p. 89. sq. *Mühl.*

a) Zimmern *l. l.* c. 5. p. 79—117. *Haub.*

tantum quadrupedes commemoret, quales sunt, quae gregatim pascuntur (vide supra *Lib. IV. Tit. III.* §. 7.): lex illa XII Tabularum *quadrupedes* tantum exprimit, adeoque damnum etiam ab aliis quadrupedibus, quae non essent pecudes, datum vindicat, non tamen a feris bestiis, etiamsi essent in dominio. Hic enim requirebatur damnum contra naturam animalis datum: *L.* 1. §. 7. *D. h. t.* Bestiarum vero genitalis est feritas: *L.* 1. §. 10. *eod.* Damnum vero a quadrupede datum vocatur *pauperies: L.* 1. §. 1. *eod.* Festus sub voce *pauperies p.* 329. [b]). Quae vox ea damna significat, quae quadrupes feritate commota intulit, non si quid depaverit. Nam hoc casu altera dabatur actio de *pastu pecoris,* quae ex iisdem legibus XII Tabularum descendit: *L.* 14. *fin. D. de Praescript. verb.* [c]). Ceterum actio DE PAUPERIE aeque ac de pastu noxalis erat, et adversus dominum competebat, ut aut damni sufferret aestimationem, aut quadrupedem noxae dederet.

§. 2.

Lex Pesulania de cane.

Idem speciatim de cane cautum esse *lege* quadam PESULANIA, tradit Paulus *Sententt. Receptt. I.* 15. 1. Sed de ea lege PESULANIA nimium quantum inter se dissentiunt Interpretes. Vir summus, Jacob. Cujacius, qui in vetere quodam Codice legerat PESOLONIA, primum suspicabatur, Paulum scripsisse *lege Solonia.* Nam de hoc legislatore scribit Plutarchus in *Solone c.* 24. Ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ καὶ κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεμένον. *Legem praeterea scripsit, si quadrupes pauperiem fecerit, in qua canem, qui momordit, adligatum quatuor cubitorum catenae dari noxae jubet.* Unde non dubitandum existimabat Cujacius, quin ad hanc ipsam Solonis legem Paulus respexerit. Eam Cujacii conjecturam deinde magnopere probarunt Ant. Augustinus et Conr.

---

b) Flavius Caper in *Libello de orthographia* [* in *Grammaticae Latinae Auctoribus antiq.* ex *edit.* Heliae Putschii *Hanoviae* 1605. 4. *p.* 2243.] ita distinguendum putat inter *paupertatem* et *pauperiem,* ut illa egenorum *ipsam conditionem,* haec *damnum* denotet. *Hein.*

c) Schultingius *ad Pauli Sententt. Receptt. I.* 15. 1. recte observat, ob quadrupedes alieno agro immissas non datam actionem de pastu pecudis, sed instituendam tunc fuisse actionem ex lege Aquillia: *L. ult. C. ad L. Aquill.* et hinc Juvenalem *Sat. XIV. v.* 151. hoc delictum vocasse *injuriam,* id est, *damnum injuria datum. Hein.*

Rittershusius, adeo, ut hic eam lectionem in ipsum textum admittere haud dubitarit. Sed sane vocabuli terminatio magis Romanam, quam Atticam legem videtur indicare. Quis enim umquam Solonis leges vocavit *Solonias?* Et cur Paulus in libro, quo prima juris Romani elementa complexus est, legem quamdam graecam adduxisset? Si recte se habet scriptura, ac non potius *Petiliana* vel alio modo scriptum fuit: verosimilius est, Pesulanum quemdam, quisquis is demum fuerit, Tribunum plebis, speciatim de cane sanxisse, quod lex XII Tabularum generatim de quadrupedibus sanxerat, adeoque legem PESULANIAM plebiscitum quoddam esse, cujus tamen auctorem aeque ac aetatem scimus juxta cum ignarissimis: Hotomanus *de Legib. Rom. p.* 88. Saue ob damnum quoque a canibus datum competebat noxalis actio, si canis solutus fuisset: *L.* 2. §. 2. *D. h. t.* d). Quod procul dubio Pesulania illa lege primum invectum est.

§. 3.

Edictum Aedilitium de cane aliisque bestiis.

Eodem hoc titulo Imperator meminit EDICTI AEDILITII e), per quod non licebat canem aliudve animal sive solutum, sive ligatum in viis publicis, ubi vulgo iter fit, hominesque consistunt, habere. Si adversus ea factum esset, et homo liber ex ea re periisset, solidorum CC, sin alias libero homini nocitum esse diceretur, quod aequum bonumque judici videretur, tanti condemnaretur dominus: ceterarum vero rerum, quantum damnum datum fuerit, dupli f): §. 1. *Inst. h. t.* et *L.* 40. *L.* 41. *L.* 42. *D. de Edict. aedil.* ubi ipsa legitima Aedilis verba leguntur. Extra locum publicum fas erat Romanis quaevis habere animalia, veluti canes, ursos et hujus generis alia. Ea solebant interdiu vincta adligataque habere: noctu vero

---

d) Fallitur ergo Jacob. Cujacius *Adnot. ad Pauli Sententt. Receptt. p. m.* 252. negans, canes his actionibus contineri, eo, quod illi inter pecudes non sunt. Hoc enim de actione ex lege Aquillia verum est, non de actione quadrupedaria: *L.* 2. §. 2. *D. ad Leg. Aquill. Hein.*

e) Praetori hoc edictum tribuit Paulus *Sententt. Receptt. I.* 15. 2. partim, quod de iisdem rebus, de quibus Aediles, Praetores quoque jus dicere solebant: Cujacius *Observatt. VIII.* 28. partim quod edictum Aedilitium in Praetoris edictum postremo transfusum videtur: Jan. a Costa *ad* §. 2. *de Divis. stipulat. Hein.*

f) Imo tempore Pauli etiam extraordinaria poena habebat locum. Vid. Paulus *Sententt. Receptt. I.* 15. 2. Id quod nec ex Praetoris, nec ex Aedilitio edicto est. *Hein.*

dimittere libera; M. Terent. Varro *de re rustica I.* 21. Hinc canis apud Phaedrum *Fabb. III.* 7. *v.* 18.

Quia videor acer, adligant me interdiu.

Nonnumquam etiam epigramma addebant: CAVE. CANEM, ne quis praetereuntium propius adcederet, et a cane latitante invaderetur. Exemplum exstat apud T. Petronium Arbitrum *Satyric.* [* *c.* 29. *p.* 141. *sq.* ex *edit. altera* Petri Burmanni et] *c.* 72. *p.* 466.

§. 4.

Formulae harum actionum.

Ex his ergo facile patet, quibus formulis etiam hae actiones intendi consueverint. Si quis enim actionem quadrupedariam instituere vellet, ita intendebat: AJO, BOVEM MAEVII SERVUM MEUM, STICHUM, CORNU PETIISSE, ET OCCIDISSE, EOQUE NOMINE MAEVIUM MIHI AUT SERVI AESTIMATIONEM PRAESTARE, AUT BOVEM MIHI NOXAE DEDERE OPORTERE. Sin ex Aedilitio edicto esset agendum, formula erat: AJO, URSUM MAEVII MIHI VULNUS INTULISSE, ET MAEVIUM, QUANTUM AEQUUM ESSE VIDEATUR, MIHI DARE OPORTERE, vel: AJO, URSUM MAEVII MEAM MIHI VESTEM DISCIDISSE, ET DUPLUM, QUANTI VESTIS EST, MIHI DARE DEBERE: Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 484. *sq.*

LIB. IV. TIT. X.

DE

IIS, PER QUOS AGERE POSSUMUS [a]).

Quum omne judicium litigantium desideret praesentiam, neque omnes tamen promiscue ea prudentia atque facundia esse soleant,

---

a) Superioris aetatis hac de re opiniones invenias apud Ritterum *Pr. de cognitoribus.* Lips. 1735. 4. et in *Cod. Th.* T. I. Praef. p. 11—14. Trekellum *ad Brissonii Antiquitt.* IV. p. 20. *Opp. min. p.* 108. nec non Wincklerum in *Emendd. Heineccianis; inter Obss. juris antiqui* num. 15. *Opuscc. min.* Vol. I. P. II. p. 437 — 440. *Haub.* Jam vero cf. Gaj. IV. §. 82—87. 97. 98. 124. *Vat. Fragm.* §. 317—341. (*De cognitoribus et procuratoribus*). — Mühlenbruch *Cession der Forderungsrechte* §. 6. 7. (ed. 3.) Huschke *Exc. V. ad or. Cic. pro Tullio; in analect. litt.* p. 285 — 290. Bethmann-Hollweg *Versuche über einzelne Theile der Theorie des Civilproc.* (Berl. 1827.) num. III. p. 138—249. Keller *Ueber Litiscontestation u. Urtheil* p. 39—44. p. 304—362. Heffter. *Obs. ad Gaj.* c. XIX. A. de Buchholz *Exc. III. ad Vat. Fragm.* (*de cognitoribus*). Zimmern *l. l.* p. 155—163. *Mühl.*

uti ipsi pro se agere actionemve excipere possint: inventi sunt a Romanis COGNITORES et PROCURATORES, qui alienas caussas in judiciis agerent. De his ergo hoc titulo paullo adcuratius agendum.

§. 1.

Origo advocatorum.

Jam a Romulo inventum fuisse *jus patronatus*, jussosque esse Patricios lites pro clientibus plebejis suscipere, jam supra [* *l*. 2. §. 29.] ostendimus ex Dionys. Hal. *II*. 10. ubi etiam observatum a nobis est, sequente aevo, ubi jam istud institutum exoleverat, natum inde esse aliud *patronorum* genus, quod se totum forensibus controversiis consecrarit, operamque litigantibus aut commodarit, aut locarit: Rittershusius *ad XII Tabb. p*. 82. Frider. Brummerus *ad Leg. Cinciam p*. 20. Ceterum huic forensi operae dare se solebant adolescentes nobilissimi, quibus primum hoc erat industriae specimen, primum honorum rudimentum. Nec temerario impetu ruebant in forum, sed plerumque a Consulari quodam deducebantur, ut docet Plinius *Epistt. II*. 14. qui etiam sua aetate hunc morem sensim exolescere dolet, quamvis ipse eum in usum revocare conatus sit, ut patet ex eodem *Epistt. VI*. 23. Est haec origo *advocatorum*, qui *superesse* dicebantur negotiis, (vid. Gellius *Noctt. Att. I*. 22.) quamvis tunc nondum fas esset litigantibus, abesse a judicio.

§. 2.

Nemo alterius nomine agere poterat.

Nam ne fieri quidem poterat ex antiqui juris Romani principiis, ut alterius nomine quisquam ageret. Primo enim generalissima erat regula juris: PER EXTRANEAM PERSONAM NIHIL ADQUIRI POSSE: §. 5. *Inst. Per quas pers. cuique adquir. L*. 126. §. 2. *D. de Verb. obligat. L*. 73. §. *ult. D. de Reg. jur*. Quum vero etiam per sententiam judicis adquiratur: consequens erat, ut extranea persona alieno nomine agere haud posset. Deinde paullo ante ad *titulum de Actionibus* observavimus, omnes actiones atque exceptiones in stipulationem esse deductas: stipulari vero aliis nemo poterat ex tritissima Romani juris regula: *L*. 38. §. 17. *D. de Verb. obligat*. Unde et ob hanc rationem nemo pro alio agere poterat in judiciis. Denique eodem loco monuimus, actiones omnes certis formulis sollemnibusque verbis fuisse comprehensas. Jam hae formulae omnes ita conceptae erant, ut unusquisque, quod suum esset, petere posset. Ut

vero peteret quis, quod alteri deberetur, nulla erat prodita jure civili actio: Ger. Noodt *Comm. ad Pandect. III. 3. p.* 126. Ut paucis dicamus, actiones erant *actiones legis: L. 2. §. 6. D. de Orig. jur.* actiones autem hujusmodi nec diem, nec conditionem, nec procuratorem admisisse, juris erat certissimi: *L. 123. pr. D. de Reg. jur.* Ex quibus omnibus non poterant non colligere Romani, necessariam esse litigantium praesentiam, nec posse quemquam alieno nomine vel intendere litem, vel excipere [b]).

§. 3.

Quid cognitores et procuratores?

Enimvero, quum hoc molestissimum esset illis, qui subtilitates juris forique ambages parum intelligebant: inventi demum sunt COGNITORES et PROCURATORES, qui aliorum lites susciperent. Quale inter eos discrimen fuerit, quibusdam paullo videtur obscurius. Utrosque fuisse caussarum ministros et suffragatores, docet Imperator *L. ult. C. Theod. de Cognit. et procurat.* At in eo diversam illorum conditionem fuisse animadvertunt, quod procurator absentis litigatoris; cognitor praesentis caussam egerit, idque colligunt ex Festo *p.* 86. sub voce *cognitor* et Ascon. Pediano in *Divinat. c.* 4. *p.* 20. Sed non dicit Festus, cognitores egisse caussas, dominis praesentibus, verum caussas illis a dominis praesentibus fuisse mandatas [c]). Quod ubi factum, domino deinde licebat suo arbitrio abesse, ut patet ex Cicerone *pro Q. Roscio Comoedo c.* 18. et Horatio *Sermon. Lib. II. sat.* 5. *v.* 37. *sq.* ubi poeta:

---

b) Jam ab antiquissimis tamen temporibus excipiebantur actiones *pro populo, pro libertate, pro pupillo.* Quum enim nec totus populus, nec servus, nec pupillus agere ipsi posseut: convenientissimum erat, his casibus admitti procuratores. Excipiebantur etiam absentes reipublicae caussa, aut si apud hostes essent, pro quibus furti ab aliis agi poterat ex lege Hostilia: *pr. Inst. h. t. Hein.*

c) Cognitor a praesente domino certis verbis coram adversario dabatur hoc modo: *quod ego a te* (v. c.) *fundum peto, in eam rem Lucium Titium tibi cognitorem do.* Tum adversarius: *quando tu a me fundum petis, in eam rem Publium Maevium cognitorem do.* (Gaj. IV. §. 83. cf. *Vat. Fr.* §. 318. 319. 329.) Procurator ex solo mandato absente etiam adversario et ignorante constituebatur (Gaj. IV. §. 84.). Inter utrumque differentia haec erat: Cognitor *domini loco* habitus est, i. e. rem in judicium deducebat, quasi cum ipso domino lis fuerit contestata, unde opus non erat satisdatione, ratam rem dominum habiturum (Gaj. IV. §. 97. *Vat. Fr.* §. 317. — „cognitore enim interveniente judicati actio domino vel in dominum datur." *L. 7. Th. C. de cognit. et proc.* cf. §. sq. not. g.). Contra vero, procuratore interveniente, judicati actio ipsi et in ipsum competebat adeoque causa, in

— — — — *Ire domum atque*
Pelliculam curare jube. Fi COGNITOR *ipse.*

Quare dicere malim, in eo positam fuisse differentiam, quod I. cognitores praecipue in status controversiis; procuratores in reliquis caussis civilibus locum habuerunt [d]): II. quod cognitores cum sollemnitate aliqua a praesentibus; procuratores sine ejusmodi sollemnitate per mandatum ab absentibus fuerunt constituti: Prius docet Donatus *ad Terentii Eunuch. Act. IV. sc. 7. v. 35. sq.* ubi dixit comicus:

CH. — principio eam esse dico liberam. THR. hem!
CH. civem Atticam. THR. hui!
CH. Meam sororem.

Ad haec Donatus: *in tria divisit officium defensionis suae, in* ADSERTORIS: *principio eam esse dico liberam: in* COGNITORIS: *civem Atticam: in* FRATRIS: *meam sororem.* Posterius vero erudite suo more demonstravit Jacob. Gothofredus *ad d. L. ult. C. Theod. de Cognit. et Procurat.* Inde est, quod vocantur praesentium cognitores: *L. ult. C. Theod. de Cognit. et Procurat.* qui litem alterius suscipiunt coram eo, cui dantur (Festus *l. l.*) [e]), qui praesentium caussam norunt, et tuentur ut suam: Ascon. Pedianus *l. l.* Quinam cognitores esse potuerint, disquirit Paulus *Sententt. Receptt. I.* 2. Atque hinc saepe oriebatur disceptatio forensis: *Non licet tibi agere mecum: cognitor enim fieri non potuisti.* Quinctilianus *Inst. Orator. III.* 6. §. 71. Ordinarie cognitores permittebantur senibus et aegrotantibus, de quibus Auctor *ad Herennium II.* 13. *Ex aequo et bono jus constat, quod ad veritatem et utilitatem communem videtur perti-*

---

qua versabatur lis, peremta non est judicio. Quoniam igitur periculum aderat, ne iterum de ea re vel ageret dominus vel experiundum esset adversario, satisdare jubebatur procurator, ratam rem dominum habiturum judicatumve solvi. (Gaj. IV. §. 98. *Vat. Fr.* §. 317. 333. *L.* 40. §. 2. *D. de procur.* Mühlenbruch *Entwurf d. Civilproc.* ed. 2. p. 107. cf. infra not. f. et §. sq. not. g.) *Mühl.*

d) Quem errorem Asconius excitavit, quamvis ipse culpa carens (de Buchholtz *l. l.* p. 343.). Neque omnino differentia cognitorum et procuratorum in caussarum, quibus adhibendi essent, diversitate posita fuisse videtur; hoc tamen pro certo affirmare ausim, principio quidem non nisi in absentium causis admissos fuisse procuratores. Cf. Husohke *l. l.* p. 285. sqq. Hollweg *l. l.* p. 168. *Mühl.*

e) At diserte Gajus testatur, absentem quoque dari potuisse cognitorem. IV. §. 83. in f. Hollweg *l. l.* p. 167. not. 50. Cf. de Buchholtz *l. l.* p. 338. not. 17.: qui quidem eo sensu accipienda esse Festi verba censet, quo a recta non recedant sententia. *Mühl.*

nere; quod genus est, ut major annis LX, et cui morbus caussa est, cognitorem det. Sed quum formulae sollemnes sensim ab usu recederent: obsolevit etiam nomen cognitorum, adeo ut Tribonianus illud ubique expunxerit [f]), ut ex *L.* 28. §. 7. *D. de Poenis* comparata cum Pauli *Sententt. Recept. V.* 25. 10. ad oculum patet.

§. 4.

Cur procuratoribus adfictum dominium litis?

Ne tamen, inventis cognitoribus et procuratoribus, vetus illud juris Romani principium, de quo §. 2. diximus, plane rejiceretur, neque procuratores alieno nomine agere viderentur, finxerunt suo more Jureconsulti, DOMINIUM LITIS in procuratorem transire, id est, *facultatem quamdam, cujus vi actio ita alicujus propria videretur, ut illam quasi suo nomine movere posset ac peragere: L.* 4. §. 3. *D. de Alienat. jud. mut. causs. L.* 4. §. *fin. D. de Adpell.* Boehmerus *Diss. de domin. lit. I.* 12. Id vero dominium litis in procuratorem transferebatur per litis contestationem, per quam quippe cum adversario quasi contrahebatur, dummodo antecessisset principalis mandatum: Schilterus *Exercitatt. X.* 46. Boehmerus *ibid. n.* 24. 26. [g]).

f) Meminit adhuc *cognitorum* Paulus *Sententt. Receptt. I.* 2, 2. 3. Meminit Codex Theodosianus. Sed Tribonianus ubique eos expunxit, non quia putavit, alioquin derogatum iri dignitati cognitorum, qui erant judices a Principe dati, ut existimat Jacob. Gutherius *de Offic. dom. Aug. I.* 25. sed quia Justiniani aevo cognitorum opera aeque ac ipsum nomen in foro non amplius audiebatur. *Hein.* Causas, quare factum sit, ut nullum fere veteris discriminis in jure Justinianeo relinqueretur vestigium, has potissimum dixerim, primum, quod tempore procedente obtinuit, ut etiam non adhibitis solennitatibus in cognitore dando solitis, procuratoria mandata ita explicari possent, quasi a praesente praesenti adversario data fuerint; velut: per literas ad adversarium datas, tum per professionem vel ad imperatorem, vel ad judicantium acta factam (*L.* 65. *D. de proc. L.* 21. *D. ratam rem hab. L. un. C. de satisdando;* cf. *Vat. Fr.* §. 331. Mühlenbruch *Cession* p. 65—69. et *Entwurf d. Civilproc.* p. 109. sq.). Praeterea ex procuratorum gestis utiles actiones domino atque in dominum, missis omnibus ambagibus, dari coeperant, ut jam Ulpianus scribere haud dubitaret, *procuratorem in judicium deducere rem* (*L.* 12. in f. *D. de pact. L.* 56. *D. de judic. L.* 11. §. 7. *D. de exc. rei jud.*), licet id fortasse minus adcurate pro temporis illius ratione dictum fuerit. Certe non est quod miremur, veteris juris reliquias, utpote inani verborum observatione constantes deque forensi utilitate nimium remotas, adeo displicuisse Justinianei juris compositoribus, ut nomen ubique delere cognitorum rationibus suis conveniens esse putarint; cf. Mühlenbruch *Cession* p. 69. sq. Heffter. *Observ. ad Gaj.* Cap. XIX. *Mühl.*

g) *Dominium* litis vox est, prorsus veteribus incognita. At dicitur: procu-

§. 5.

Effectus dominii litis.

Varii vero erant hujus dominii effectus, veluti I. quod omnes judicii actus ipsaque sententia in procuratorem dirigebantur: *L. un. C. de Satisdat.* II. quod, lite contestata, citatus principalis impune emanebat, neque ratum erat, quod ille invito procuratore in judicio gesserat: Boehmerus *ibid. II.* 10. III. quod nec procurator ex actione famosa condemnatus notabatur, et principalis tunc integrae famae censebatur: *L.* 6. §. 2. *D. de His*, *qui notant. infam.* IV. quod principalis poterat pro procuratore cautionem interponere: *L.* 8. §. 3. et *L.* 15. *D. de Procur.* V. quod procuratoris negligentia et contumacia domino nocebat: *L.* 78. §. 2. *D. de Legat. II.* VI. quod procurator sibi adquirebat actionem directam tum ex stipulatu, tum rei judicatae, adeoque et agere ex utroque poterat et conveniri[h]). VII. quod procurator vi hujus dominii poterat alium ipso jure sibi substituere: *L.* 8. 11. 23. *C. de Procurat.* nec non substitutionem revocare, dummodo res adhuc esset integra: Boehmerus *Diss. ead. II.* 18. VIII. quod procurator, nisi caussa cognita, mutari non pot-

---

ratorem litc contestata *dominium litis* effici (v. c. *L.* 4. §. 5. *D. de appell.*); liceat igitur, hoc nomine uti. — Jam, qui alieno nomine agebat, *intentionem* ex persona domini sumebat, *condemnationem* autem in suam personam convertebat; quare si v. c. Lucius Titius pro Publio Maevio agebat, ita formula concepta est: *si paret Numer. Negidium P. Maevio sestertium X millia dare oportere, judex Num. Negidium L. Titio sestertium X millia condemna; si non paret absolve* (Gaj. IV. §. 86. cf. *ibid.* §. 55. in f. Mühlenbruch *Cession* §. 7. not. 98. p. 53. sq.). Haec nimirum praecipua erat vis litis dominii, ut agenti procuratori vel cognitori adversarius condemnaretur. Eadem igitur formula utebantur *in rem suam cognitores s. procuratores*, quos cessionarios hodie dicere solemus (cf. Gaj. IV. §. 35. „— ex persona ejus, cujus bona emerit, sumta intentione, convertit condemnationem in suam personam"); atque hinc est, quod dicitur, nomina ad alium transferri non posse, nisi aut delegatione interposita, aut litis contestatione s. inchoatis litibus i. e. cessione (cf. Gaj. II. §. 38. 39. *Vat. Fr.* §. 260. 263. *L.* 2. *C. de obl. et act.*). Ex his apparet, idque etiam multis veterum testimoniis confirmatur, cognitorem quoque lite contestata dominum litis fieri. At nisi in rem suam cognitor datus esset (nam vid. *Vat. Fragm.* §. 317. et Mühlenbruch *Cession* §. 8. p. 74. not. 151.), sine ulla cunctatione rei judicatae actio vero litis domino atque in eum dabatur, ut non nisi dicis causa dominus litis factus esse videretur; id quod secus erat in procuratore: *L.* 17. *pr. L.* 27. *D. de proc. Mühl.*

h) Neutro tamen casu illa actio efficax est: *L.* 28. *D. de Procur.* Sed procurator conventus exceptione doli se tueri potest: Boehmerus *Diss. de domin. lit. II.* 15. *Hein.* Cf. §. 3. not. c. f. §. 4. not. g. Mühlenbruch *Cession* §. 7. p. 55. sqq. num. 1. p. 59. sqq. num. 3. *Mühl.*

erat: *L.* 17. *D. de Procurat.* IX. quod dominum etiam reconventione pulsatum defendere tenebatur: *L.* 33. §. 3. *sq. L.* 34. *L.* 35. *D. de Procurat.* [i]). X. quod litem ad heredes transmittebat. Quam tamen veteris jurisprudentiae subtilitatem jam dudum sustulere Theodosius et Valentinianus Imperatores: *L. fin. C. Theod. de Procurat.* XI. quod procuratoris erat et interponere adpellationem et eamdem prosequi: *L.* 18. *D. de Adpellat. l.* 2. *C. de Procurat.* XII. quod procurator, mortuo domino, litem nihilominus prosequi tenebatur: *L.* 23. *C. de Procurat.* et quae sunt hujus generis alia.

§. 6.

Procuratores in quibus judiciis locum habuerint?

Locum tamen procuratores habebant tantum in judiciis privatis, non aeque in publicis. In his neque adcusator per procuratorem agere poterat propter necessitatem inscriptionis, de qua infra suo loco agemus: neque reus, si ipse praesens, et crimen ita comparatum erat, ut capitis damnari posset: Boehmerus *Diss. ead. II.* 13.

§. 7.

Quinam defensores, patroni caussarum, et advocati?

A procuratoribus differebant DEFENSORES, qui sine mandato rei absentis nomine interveniebant, litemque suscipiebant, de quibus satis adcurate agunt doctores ad *tit. D. de Procur. et defens.* Differunt etiam PATRONI CAUSSARUM, ADVOCATI, PROCURATORES et COGNITORES, quorum discrimen hoc tradit Ascon. Pedianus in *Divinat. c.* 4. *p.* 20. *Qui defendit alterum in judicio, aut* PATRONUS *dicitur, si orator est; aut* ADVOCATUS, *si aut jus suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut* PROCURATOR, *si negotium suscipit; aut* COGNITOR, *si praesentis caussam novit, et sic tuetur, ut suam.* Sed de *cognitoribus* paullo ante; de *advocatis* et *patronis caussarum* supra satis adcurate egimus.

---

i) At enimvero etiam in discrimine res est, et vel maxime quaeritur, num reconventionem ex cedentis persona suscipere teneatur in rem suam procurator? Negantium partes tuetur Mühlenbruch *Cession* §. 62. p. 609—620.; affirmantium: F. Guil. E. Backe *Interpretationum juris romani cap. III., ubi quaeritur: quatenus in mutua debitoris actione defendere creditorem teneatur procurator in rem suam factus.* Regim. 1834. 8. Cujus etiam amplectitur sententiam novisque conatus est argumentis confirmare J. B. Sartorius *Die Lehre von der Widerklage* (Erl. 1838.) §. 18. 19. *Mühl.*

LIB. IV. TIT. XI.

DE

SATISDATIONIBUS.

Toto coelo a fori nostri usu distat vetus SATISDATIONUM ratio, de qua quaedam ex antiquitatibus monere juvat, sed pauca: quum pleraque ipse Imperator exsequutus sit [a]).

§. 1.

Satisdatio quid?

SATISDARE Jureconsultis est, datis fidejussoribus cavere: *L.* 1. *D. Qui satisd. cogantur*, quamvis aliquando latiore vocabuli notione et reliquae cautiones satisdationum nomine veniunt: *L.* 61. *D. de V. S. L.* 21. §. 2. *D. de Pecun. const. L.* 49. *D. de Solut.* [b]). Et sane ignotae veteribus fuisse videntur cautiones vel per pignora, vel per jusjurandum, vel per nudam promissionem praestitae, quae tamen postea etiam in usu esse coeperunt, ut ex *titulo eodem Digestorum* adparet.

§. 2.

Satisdationis quaenam fuerit ratio in judiciis realibus?

Distingui, quod ad satisdationem attinet, solebat inter judicia IN REM, et IN PERSONAM. Quoties IN REM agebatur, satisdandum erat I. a possessore; quod, si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis aestimationem, potestas futura sit petitori aut cum eo agendi, aut cum fidejussoribus ejus, quae satisdatio vocari solebat JUDICATUM SOLVI: *princ. Inst. h. t.* Quin idem possessor cavebat etiam datis fidejussoribus, nihil se deterius in possessione facturum.

---

a) Duplex erat judicialium cautionum apud Romanos summum genus. Alterum earum, quae ad suscipienda judicia, alterum eas complectens, quae ad ipsam rem s. causam in judicium deductam spectabant. De priore genere Gajus loquitur IV. §. 184—187. et adfatim a nobis expositum est supra Tit. VI. huj. libri not. e. ad §. 19. Nam qui acturi erant, nullam antiquitus *judicii causa* praestare cautionem necesse habebant. (Jus novum, quod hujus loci non est pluribus persequi, descripserunt Zimmern *Röm. Proc.* p. 441. et Bethmann-Hollweg *Gerichtsverf. des sinkenden Röm. Reichs* p. 255.) De altero genere intelligenda sunt, quae in hoc titulo leguntur, et apud Gajum IV. §. 88—102. Et hujus quoque exponendi occasio jam aliquoties nobis oblata est, eaque usi sumus Tit. VI. huj. libri §. 23. §. 29. §. 36. et 37., ad quos locos ablegare lectorem licebit. *Mühl.*

b) Sed *L.* 61. *D.* contra facit: in *L.* 21. pro *satisdaturum* legendum esse *satisfacturum* dudum est demonstratum: nihil huc facit *L.* 49. *D. Cann.*

Quod ni faceret, possessio in satisdantem adversarium transferebatur: Paulus *Sententt. Receptt. I.* 11. Vide supra *Lib. IV. Tit. VI.* §. 24. 25. Satisdatio haec *judicatum solvi* hac formula concipiebatur: SI EA RES SECUNDUM ME, HEREDEMVE MEUM, A SEMPRONIO JUDICE, QUIVE IN EJUS LOCUM SUBSTITUTUS ERIT, JUDICATA ERIT, QUOD OB EAM REM TE, HEREDEMVE TUUM DARE, FACERE PRAESTARE, OPORTEBIT, QUANTI EA RES ERIT, DARE SPONDES? Barn. Brissonius *de form. V. p.* 393. [c]). Satisdare etiam tunc cogebantur II. procuratores actorum, qui REM RATAM DOMINUM HABITURUM cavebant: *princ. Inst. eod.* Idem etiam III. de tutoribus curatoribusque est intelligendum, qui et ipsi non secus ac procuratores cavebant: *princ. Inst. eod.* sed id tamen tum demum locum videtur habuisse, si quando, an tutores essent, dubitabatur: *L.* 23. *D. de Administrat. tut.* Vulgo enim a tutoribus et curatoribus de rato non satisdabatur: *L. ult.* §. 3. *C. de Administrat. tut.* Huberus *Praelectt. ad Inst. h. t. p.* 399. Et hoc innuere videtur Justinianus, dum *d. pr. Inst. h. t. tutoribus agentibus hanc satisdationem aliquando remissam esse* ait. (Cf. Gaj. IV. 99.) [d]).

§. 3.

Ut et in judiciis personalibus.

Ad judicia IN PERSONAM quod attinet, ne hic quidem actor satisdare cogebatur, imo nec reus, si suo nomine judicium accipiebat [e]). Id quod de cautione JUDICATUM SOLVI videtur intelligendum. Cautio enim REM RATAM HABERI ab actoris procuratore omnino erat praestanda, quandoquidem edicto Praetoris fuerat cautum: CUJUS NOMINE QUIS ACTIONEM DARI SIBI POSTULARIT, ... EI, QUO NOMINE AGET, ID RATUM HABERE EUM, AD QUEM EA RES PERTINERET, BONI VIRI ARBITRATU SATISDET. Rei autem procuratorem JUDICA-

c) Gaj. IV. §. 16. 91. 94. 95. et supra Tit. VI. §. 29. not. z. nec non ad fin. §. 30. Cf. et ibid. §. 36. not. 9. *Mühl.*

d) Gaj. IV. §. 97. 98. *Vat. Fr.* §. 317. *L.* 40. §. 2. *D. de proc.* Cf. supra Tit. X. not. c. ad §. 3. *Mühl.*

e) Imo, certis ex causis satisdandum erat, nimirum aut propter genus actionis, aut propter personam, quia suspecta esset. Propter genus actionis: velut judicati depensive (Gaj. III. §. 127. IV. §. 9. 25. 186. cf. supra Lib. III. Tit. XXI. (XX.) §. 10. not. t.), aut quum de moribus mulieris agebatur; propter personam, velut si cum eo agebatur, qui decoxerit, cujusve bona a creditoribus possessa proscriptave essent. Gaj. IV. §. 102. cfr. et quae de sponsionibus et restipulationibus a nobis disputata sunt Tit. VI. §. 36. not. y. *Mühl.*

TUM SOLVI cavere oportebat, *quia nemo defensor in aliena re, sine satisdatione, idoneus esse creditur:* §. 1. *Inst. h. t.* Hinc falsus est Alfenus, dum *negavit, aequum esse, procuratorem satisdare: quod reus satisdare non deberet, si adesset:* Cicero *pro P. Quintio c.* 7. Car. Sigonius *de Judiciis I.* 27. *p.* 500. [f]).

§. 4.

Quid compromissum?

In caussis bonae fidei et arbitrariis, si in arbitrum compromisissent, aliquando deponebatur certa pecunia: Cicero *Orat. pro Q. Roscio Comoedo c.* 4. *Quaero abs te, quid ita de hac pecunia compromissum feceris, arbitrum sumseris, quantum aequius et melius sit dari, repromittive, si pareret?* Quum enim periculum esset, ut alterutra pars arbitri sententiae staret: plerumque haec pecunia deponebatur, ut mulctae loco eriperetur ei, qui hoc modo elusisset arbitrium: Car. Sigonius *ibid. p.* 501.

§. 5.

Nova satisdandi ratio.

Et haec erat vetus satisdandi ratio, quam demum litis contestatio sequebatur. Vide supra *Lib. IV. Tit. VI.* §. 42. Sed haec omnia postea immutata sunt. Nam novo jure reus, sive in rem, sive personali actione conveniretur, numquam cavebat JUDICATUM SOLVI, sed tantum JUDICIO SISTI [g]): quae cautio etiam jurejurando, vel nuda promissione praestari poterat, nisi reus de fuga esset suspectus. Procurator actoris, nisi dominus praesens actis insinuaret mandatum, satisdare cogebatur, REM RATAM HABERI. Rei vero procurator non adigebatur ad satisdationem, sed sufficiebat, si reus vel in judicio, vel extra judicium pro eo cavisset, JUDICATUM SOLVI. Rei absentis defensori semper erat satisdandum JUDICATUM SOLVI, alias non admittebatur ad suscipiendam pro alio sine mandato actionem. Haec nova est illa satisdandi ratio, quae Constantinopoli introducta omnes deinde reliquas provincias imperii pervasit, necessarium esse existimante Justiniano, *caput omnium civitatum, nempe regiam urbem, ejusque observantiam omnes provincias sequi:* §. 7. *Inst. h. t.*

---

f) Gaj. IV. §. 101. et supra Tit. X. not. c. ad §. 3. *Mühl.*

g) Cui etiam inerat cautio de re defendenda usque ad exitum litis, quare peculiari judicatum solvi cautione non amplius opus esse visum fuit. Cf. Hollweg *l. l.* p. 257. *Mühl.*

LIB. IV. TIT. XII.

DE

PERPETUIS ET TEMPORALIBUS ACTIONIBUS, ET QUAE AD HEREDES ET IN HEREDES TRANSEUNT.

Ut rerum corporalium erat usucapio: ita et ratione jurium praescriptio. Inter jura vero, quae in bonis sunt, quum etiam sint actiones, consequens erat, ut et istis lapsu temporis praescriberetur. Hinc actiones aliae PERPETUAE erant, aliae TEMPORARIAE, aliae HEREDIBUS et IN HEREDES, aliae vel IISDEM vel IN EOSDEM minus competebant. Qua de re hoc titulo dicendum.

§. 1.

Actiones quaenam perpetuae?

Quemadmodum leges perpetuae sunt obligationis: ita et actiones, quae ex legibus nascebantur, erant PERPETUAE, ita, ut iis nullo umquam tempore praescriberetur: *princ. Inst. h. t.* Postea, quum interesse videretur reipublicae, lites aliquando finiri: constitutionibus Principum cautum est, ut ejusmodi actionibus, quae ex lege descendunt, triginta aut aliquando quadraginta annorum spatio praescriberetur: *princ. Inst. h. t.* a). Remansit tamen antiqui vocabuli usus, adeoque et actiones, quae circumactis triginta vel quadraginta annis exspirant, PERPETUAE vocatae sunt: Barn. Brissonius *de verb. signif.* sub voce *Perpetuus*. Tempus enim XXX annorum veteribus erat γενεά, et id satis longum spatium videbatur homini jus suum persequuturo. Hinc *Glossae Nomicae: Περπετοῦον καλεῖ καὶ τὸν τριακονταετίας χρόνον, καὶ τὸν ἄχρι τῆς ζωῆς τοῦ ἀνθρώπου χρόνον. PERPETUUM vocat quum triginta annorum spatium, tum, quod per vitam hominis durat.* Ergo omnes actiones civiles ex conventione erant perpetuae, et triginta annos durabant: *L.* 3. *C. de Praescr. XXX ann.* b). Idem annorum terminus praefixus est actionibus mix-

---

a) Fuit hujus juris auctor Theodosius II. imp. (*L. I. Th. Cod. de actionibus certo tempore finiendis*); vid. de vitiosa *Legis* 3. *C. de praescr. XXX. vel XL. annorum* in Justinianeo Codice inscriptione: Wenckium in *Cod. Theod. Lib. V. prior. edit.* p. 251. not. r. De totius autem tituli argumento: Unterholzner *Ausführl. Verjährungslehre* T. II. §. 256—283. cf. et ibid. T. I. §. 87. p. 286. Vid. et infra not c. *Mühl.*

b) Excipiuntur tamen actiones personales ad promissam servitutem consequendam competentes, quibus inter praesentes decem; inter absentes viginti annorum

tis: *L. 7. C. de Hered. pet.* nec non actionibus ex delicto ortis, quoties civiliter agitur, quia et hae actiones personales, adeoque per *L. 3. C. de Praescr. XXX ann.* perpetuae sunt. At criminales adcusationes quamvis et ipsae personales sunt: plerumque tamen XX tantum annos competunt: *L. 12. C. ad Leg. Corn. de fals.* c).

§. 2.

Actiones Praetoriae annuae. Nonnullae etiam perpetuae.

Praetoris quum annuum esset imperium, neque edictum ejus, ut supra *Lib. I. Tit. II.* §. 23. ostendimus, diutius valeret: consequens erat, ut et omnes actiones Praetoriae nonnisi annuae essent: *princ. Inst. h. t.* d). Postea tamen et hae ex parte factae sunt perpetuae e). Nam quaedam et hodie temporariae sunt, praesertim quae ad rescissionem actus gesti aut poenam tendunt: *L. 35. princ. D. de Oblig. et act.* f). Quod etiam de actionibus Aedilitiis dicendum,

---

lapsu praescribebatur: *L. 16. C. de Usufr. L. 13. C. de Servit.* Alias exceptiones, quarum pleraeque ex recentiore jure descendunt, dabit Strykius *de praescript. act. civil. p.* 314. *Hein.*

c) Exceptis criminibus continuis, ut et parricidio, et suppositi partus, de quibus semper recte agitur: *L. 13. D. ad SCtum Silan. L. 19. §. 1. D. ad Leg. Corn. de fals.* Notum quoque est, delictis carnis, quae vocant, quinquennio praescribi, nisi vel vis, vel incestus adcesserit: *L. 29. §. 9. D. ad Leg. Jul. de adult. L. 39. §. 5. eod.* Idem tenendum de crimine peculatus: *L. 7. D. ad Leg. Jul. pecul.* et quibusdam aliis, de quibus Jureconsulti plenius agunt. *Hein.* Unterholzner *l. l.* T. I. §. 14. et T. II. §. 304—315. *Mühl.*

d) Car. Ferd. Hommel *Pr. Cur actiones Praetoriae annales sint?* Lips. 1756. 4. et in *opuscc.* p. 263—292. *Haub.* Elvers *Ueber den annus der actiones honorariae;* in Dessen Zeitschr. *Themis.* Neue Folge. Heft I. num. V. p. 125. sqq. *Mühl.*

e) Cur postea demum? Quin, ipsos Praetores aequitate moti multis in causis promisisse, se post annum daturos esse actionem, nemo infitias ibit, qui ad edictorum verba recte attenderit. Cf. Elvers *l. l.* p. 137. sqq. *Mühl.*

f) Perpetua tamen est ex Praetoriis poenalibus actio furti manifesti: *princ. Inst. h. t.* Quod ideo inductum, quia actio haec ex XII Tabulis descendit, quamvis Praetor poenam mutavit: Gellius *Noctt. Att. XI.* 18. Ejusdem naturae ex eadem ratione sunt actio furti adversus nautas, caupones et stabularios: *L. ult. §. ult. D. Naut. caupon.* actio depositi miserabilis: *L. 18. D. Depos.* actio servi corrupti: *L. 13. D. de Servo corrupto:* actio de effuso et dejecto, quoties liber homo laesus: *L. 5. §. 5. D. de His, qui effud. vel dejec.* Quarum omnium eadem est ratio, quia actio furti adversus nautas, et actio depositi in duplum vere ex legibus XII Tabb. actiones reliquae ex Lege Aquillia originem trahebant, quamvis quaedam circa eas Praetor immutaverat. Biennalis est actio doli: *L. fin. C. de Dol. mal. Hein.*

siquidem et Aedilium jurisdictio vertente anno exspirabat g). Enimvero, quum durum videretur, rei persequutorias actiones Praetoris edicto datas tam brevi temporis lapsu perimi, et eum, qui res alienas detinebat, decedente Praetore, securum praestari: invaluit, ut actiones Praetoriae, quibus rem persequimur, tamdiu durarent, quamdiu civiles; id est, reales, si possessor esset in conditione usucapiendi, ob res mobiles triennium, ob immobiles X vel XX; personales XXX annos: *L.* 35. *princ. D. de Obligat. et act. L.* 8. §. 7. *D. de Precar.* Tricennales quoque erant actiones Praetoriae, quae ex delicto non poenam, sed rem persequebantur: Strykius *de investig. action. sect. III.* 3. 4. *p.* 331. qui de his omnibus tam adcurate commentatus est, nihil ut addi hic posse videatur.

LIB. IV. TIT. XIII. XIV.

DE

EXCEPTIONIBUS ET REPLICATIONIBUS [a]).

Quae in judiciis actoris fuerint partes quave formula is actionem intenderit, supra *titulo VI.* satis superque explicavimus. Diximus ibidem, §. 44. reum actionem vel *negando* excepisse, vel *excipiendo* elidere esse conatum. Ea EXCEPTIO a Praetore erat postulanda aeque ac actio [b]), et quidem proposita actione. Unde tamquam ridiculum errorem veteris poëtae exagitat Terentius in

g) Attamen si ex edicto Aedilitio rescindendus erat contractus, veluti per actionem redhibitoriam, sex mensibus tantum durabat actio, nisi tantum propter ornamenta detracta animal redhiberetur, quo casu actio bimestris tantum erat: *L.* 28. *D. de Aedilit. edict. Hein.* Propter ornamenta detracta redhibitoria agi posse, cum vulgo interpretum Auctor quoque statuit. At minus recte a plerisque sunt intellecta, quae de ornamentis restituendis in *L.* 38. *pr.* (et §. 11.) *de aedil. edicto* leguntur. Vid. Mühlenbruch *doctr. Pand.* Vol. II. §. 400. Num. II. et not. 18. *Mühl.*

a) Gaj. IV. §. 115—129. G. L. Baudis *Pr. de adlegationibus, quae actionem sequuntur ex veteri jure.* Lips. 1736. 4. et Goldschmidt *Ueber Litiscontestation und Einreden u. s. w.* Abschn. I. §. 3. 4. p. 15—25. *Haub.* Heffter. *Observ. ad Gaj.* cap. 22. 23. Zimmern *Röm. Process* §. 91—99. J. A. M. Albrecht: *Die Exceptionen des gem. teutschen Civilprocesses geschichtlich entwickelt.* (München 1835.) p. 1 — 108. *Mühl.*

b) Saepe nihil addebat ad infitiationem et tunc *pura* ea dicebatur defensio. Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 472. Cicero *de Invent. II.* 20. *Agit is, cui*

Eunucho Prologo v. 10. sqq. quod in comoedia induxerit reum, caussam prius dicentem, quam actor thesaurum vindicans dixisset, unde is sibi thesaurus sit, aut unde in patrium monumentum pervenerit. Ad quem locum Donatus: *Possessorem fecit priorem agere, quam petitorem: quod abhorret a consuetudine, et juris, et litium.* Si reus excipiebat: actor denuo replicabat. Unde jam de EXCEPTIONIBUS et REPLICATIONIBUS erit agendum.

§. 1.

Exceptiones quotuplices?

Erant exceptiones duorum generum. Aliae ex lege proficiscebantur; aliae ex edicto Praetoris, quarum illae CIVILES, hae PRAETORIAE vocantur. (Cf. Gaj. IV. 118.) Saepe enim, ubi lex dederat actionem, Praetor dabat exceptionem. Sic quum pactum ex Romani juris principiis nihil operaretur: exceptionem tamen pacti admittebat Praetor, adeoque haec Praetoria erat exceptio. Utraeque exceptiones iterum in PERPETUAS sive PEREMTORIAS, et TEMPORARIAS seu DILATORIAS dispescebantur. Illae litem plane finiebant [c]), veluti si reus opponeret, REM esse JUDICATAM. Hae eam tantum differebant, veluti si reus exciperet, debere se IN DIEM. Veniente enim die, nihil impediebat, quo minus actio institui posset, postquam pluris petitionem minus periculosam esse jusserat Zeno Imperator [d]).

§. 2.

Replicatio.

Reo excipiente, actor REPLICABAT, id est, exceptionem illius nova exceptione elidere conabatur: veluti, si quis ageret adversus Cajum, hunc sibi debere centum; et Cajus exciperet, pactum inter

---

manus praecisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, a Praetore exceptionem. — Is, qui agit, JUDICIUM PURUM postulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Hein.

c) Vocatae hae exceptiones etiam PRAESCRIPTIONES. Sic praescriptionis rei judicatae meminit *L. 10. D. de Except. praescr. et praej.* praescriptionis doli *L. 91. D. de Sol. et lib. Praescribere* vero est ante scribere, et inde hoc nomen datum videtur exceptionibus, quod, quum ex iis penderet lis, ut ait Quinctilianus *Inst. Orator. VII. 6.* a Praetore dictari ante actiones ipsisque actionibus praeponi et praescribi solebant: Petr. Faber *Semestr. I. 21. p. 118. sq.* (cf. §. 3.) *Hein.*

d) At si nulla habita ratione dilatoriae exceptionis agere perrexit actor, rem perdebat. Gaj. IV. §. 123. *Mühl.*

se intercessisse de non petendo: actor verbi caussa respondebat, pactum illud novo pacto esse sublatum, et tunc quidem REPLICARE dicebatur. (Gaj. IV. 126.) Si tum quoque reo suppeteret nova exceptio, qua actoris replicatio elidi commode posset: ea DUPLICATIO adpellabatur. Imo nonnumquam ad TRIPLICATIONEM et QUADRUPLICATIONEM pro varietate negotiorum procedebatur. Quae omnia satis adcurate docet Imperator his titulis. Illud vero observare licebit, exceptiones aeque ac replicationes includi consuevisse sponsionibus, quarum ratio ex sequente §. elucebit. Provocabant scilicet se invicem litigantes ad certam pecuniam, quae ei lucro cederet, qui judicio vicisset. Vid. Cicero *in Verrem Action. II. Lib. I. c.* 45. et *ibi* Ascon. Pedianus [*p. 100.] *in Verrem Action. II. Lib. III. c.* 57. 58. *Orat. pro A. Caecina c.* 16. Livius *XXXIX.* 43. Valerius Max. *II.* 8. 2. e).

§. 3.

Exceptiones, translationes, praescriptiones, praejudicia f).

At ne temere aut aliena misceantur, aut conjuncta dissocientur, paulo altius res erit repetenda. — Quod scribit Gajus: legis actionum tempore omnino non fuisse exceptionum usum (II. 108.), non ita esse intelligendum, quasi nullae olim reorum fuerint defensiones, praeter facti negationes infitiationesque, id nemini, ut opinor, in dubium veniet. Exceptiones illas, quas in usu non habebant veteres, e Praetoris jurisdictione profectae sunt, eumque in finem comparatae, ut excluderentur actiones justae quidem, i. e. ratae jure civili, sed iniquae. Jam ejusmodi causa in jure proposita, ita concipiebatur formula, ut inter intentionem et condemnationem conditio quaedam exprimeretur condemnandi, velut hoc modo: quidquid paret Numerium Negidium Aulo Agerio dare facere oportere, si in ea re nihil dolo malo Auli Agerii factum sit, id judex Numerium Negidium Aulo Agerio condemnato g). Conditionalem igitur Praetor faciebat condemnationem, i. e. verbis ita conceptis cavebat, ut non aliter judex eum, cum quo ageretur, con-

e) At de sponsionibus pro exceptionum et replicationum caussa faciendis nullum nobis proditum est veterum testimonium. Male intellexit Heineccius ea, quae de sponsionibus et restipulationibus ultro citroque faciendis in veterum scriptis traduntur. Vid. supra Tit. VI. §. 36. not. y. *Mühl.*

f) *Dig.* XLIV. 1. *de exceptionibus, praescriptionibus et praejudiciis.*

g) Alias exceptionum concipiendarum formas Auctor attulit §. 4.

demnaret, quam si nihil in ea re dolo actoris factum esset [h]), unde exceptio etiam dicitur „*conditio*, quae modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem" [i]). Neque alia absolvendorum reorum causa exceptio dicta est, nisi quae tamquam conditio inserta esset formula. Quodsi itaque caussa proponebatur talis, qua ipso jure actiones tolluntur, velut solutio facto ejus, quod debetur, nulla egebat exceptione, sed absolvendi potestas in judicis posita erat officio, unde in proverbio erat: omnia judicia absolutoria esse [k]). Nec quod dicitur: *bonae fidei judiciis doli vel pacti exceptionem inesse* [l]), id ita intelligi debet, quasi ipsum exceptionum nomen et ad ejusmodi causas retulerint veteres JCti; his etenim verbis nihil significatur nisi hoc: quum in bonae fidei judiciis officio judicis contineatur, ut, quantum fieri posset, ab agentium dolo tueatur reos, ideo sponte etiam admittendas esse reorum defensiones ex causis, de quibus in strictorum formulis judiciis excipi oporteret [m]). Itemque dilatoriae defensiones, quae ad recte ordinanda constituendaque judicia spectabant (velut hae, quibus quaerebatur: an is ageret, quem oporteret, aut cum eo ageretur, quorum oporteret, aut apud quos, qua lege, quove tempore agi oporteret), olim non ad condemnandi conditionem referebantur, sed propria via ac ratione tractari consueverant, quae *constitutio translativa* appellata est; sensim tamen pedetentimque Praetores has quoque defensiones formulis ad judicem datis inserere coeperunt, ut jam fere Ciceronis aetate ex usu abierint translationes [n]), atque in dilatoriarum numero *exceptionum* postea habitae sint [o]). Neque vero id ita statim obtinuit. Nam initio Praetores his in causis, certe plerisque, praescribere solebant formulis, et hae erant praescriptiones, quae olim

---

h) Gaj. IV. §. 119.

i) *L.* 22. *pr. D. h. t.*

k) Gaj. IV. §. 114. Cujus quidem praecepti vim esse tantam Sabiniani existimarunt, ut semper reum absolvi posse dicerent, licet judicii accipiendi tempore in ea causa fuerit, ut damnari deberet. Cf. Ribbentrop *Comm. ad L.* 16. §. 5. *D. de pignorib.* rel. p. 20—25. Heffter. *Obs. ad Gaj.* cap. 21.

l) *L.* 3. *D. de resc. vend. L.* 21. *in f. D. sol. matrim. L.* 86. §. 6. *D. de leg.* I.

m) *L.* 3. Cave tamen putes, nunquam arbitrariarum bonaeque fidei actionum formulis exceptiones fuisse inserendas. Nam vide Gaj. IV. §. 117. et Heffter. *Instit. des Civilproc.* p. 280. sq. not. 25.

n) Cf. Cic. *de invent.* I. 8. II. 19.

o) Velut *procuratoria et cognitoria exceptio;* Gaj. IV. §. 124. §. 11. *I. h. t. L.* 2. *in f. L.* 3. *D. h. t.*

pro reo opponebantur p). Idque vel maxime fiebat, quum in quaestionem inciderit, num apud quos, quove tempore oporteret, actum sit? unde tam frequens mentio in jure nostro et *fori* et *temporis praescriptionum;* praeterea, ubi cavendum erat, ne per judicium de re minori praejudicium fieret majori causae, velut hoc modo: „*ea res agatur, quod praejudicium hereditati non fiat*" q). At jam Gaji temporibus praescriptiones istae et in exceptionis formam deductae, et nomine quoque appellatae sunt exceptionum r). (Vid. locc. in not. laud.) Ex his igitur intelligi commode poterit, quî factum sit, tum, ut veteres JCti in exceptionum definitionibus, ad antiqui juris indolem more suo respicientes, ita rem explicarent, tanquam si nulla exceptio daretur, nisi ad repellendam actionem iniquam, tum vero, ut, tanquam peculiare defensionum genus, praescriptiones et praejudicia a reliquis sejungerentur exceptionibus. Num vi atque effectu etiam novissimo jure differrent? quaeritur s). Id certe negari nequit, communiter et velut promiscue a juris nostri auctoribus usurpari et praescriptionis et exceptionis vocabulum, perinde quasi nihil amplius discriminis inter utrumque defensionum genus superesset t). *Mühl.*

§. 4.

Quaenam fuerit excipiendi et replicandi ratio in judiciis stricti juris?

Ut vero ex antiquitatibus, qua forma proferri exceptiones et replicationes consueverint, ostendamus: separanda omnino sunt *bonae fidei, arbitraria* et *stricti juris* judicia. In judiciis arbitrariis et stricti juris statim, intenta actione, reus opponebat exceptionem, eamque deinde replicatione elidebat actor: adeoque non in judicio, sed in jure excipiendum replicandumque erat ante litis contestationem. Sic intendente actore: AJO HUNC HOMINEM EX JURE QUI-

p) Gaj. IV. §. 133. Quam quidem praescriptionem homo ex disertorum numero foedissimo errore confundebat cum praescriptione illa: *cujus pecuniae dies fuisset,* (v. Tit. VI. §. 26. not. i. sqq.) lepide eam ob rem notatus a Cicerone *de Off.* I. 37. cf. Hugo *R. G.* p. 667. sq. not. 1.

q) Gaj. IV. §. 133. Cf. *L.* 25. §. 17. *D. de hered. petit. L.* 13. 16. 18. *D. h. t.* cf. Heffter. *Obs. ad Gaj.* c. 23. p. 110. sq.

r) Cf. not. q. Quid? quod etiam Cicero ad exceptiones refert defensionem hanc: extra quam si in reum capitis praejudicium fiat (*de invent.* II. 20.).

s) Superesse etiam, quod differat, multis argumentis stabilire conatus est Zimmern *l. l.* §. 96. 97.

t) Cf. Heffter. *l. l.* p. 110—115.

RITIUM MEUM ESSE, statim addebat qui rei caussam agebat: ET EGO NEGO, QUOD JAM RES JUDICATA SIT. Sequebantur sponsiones ex parte actoris: SPONDESNE QUINGENTOS, SI HOMO ISTE EX JURE QUIRITIUM MEUS SIT? SPONDEO. Ex parte vero altera: TU VERO SPONDESNE, NI HOMO TUUS SIT, NIVE RES JUDICATA SIT? SPONDEO. Denique et actio et exceptio inserebatur formulae, quia judex dabatur, hoc modo: SI PARET, HUNC HOMINEM JURE QUIRITIUM CAJI ESSE, NEQUE RES JUDICATA SIT, SEJUM CONDEMNATO. Aliud exemplum dedit Jo. Ge. Graevius *Epist. ad Schilterum*, inserta Schilteri *Exercitatt. ad Pandect. VII.* 3. *p.* 143. *sq.* Cf. Ger. Noodt *de Jurisd. et Imp. I.* 13. *p.* 144. Car. Sigonius *de Judiciis I.* 21. *p.* 479. Exceptiones plerumque proponebantur verbis: SI NON, vel AC SI NON, item: AUT SI, AUT NISI, EXTRA QUAM SI, QUOD. Exempla ex ipso jure collegit Jacob. Cujacius *Observatt. V.* 34. et multo adcuratius Barn. Brissonius *de form. Lib. V. c.* 75—77. Par ratio erat replicationum, quae eodem tempore eademque ratione opponendae, in stipulationem deducendae, formulaeque erant inserendae.

§. 5.

Quaenam in judiciis bonae fidei?

Alia vero erat ratio judiciorum bonae fidei, in quibus nihil attinebat, exceptiones in jure a Praetore speciatim impetrari, formulaeque includi, siquidem *arbitri libera et nullis adstricta vinculis religio et detrahere aliquid poterat, et adjicere:* Seneca *de Benef. III.* 7. [u]). Hinc locum habebat exceptio etiam post litis contestationem opposita. Quin exceptiones bonae fidei judiciis inesse dicebantur: *L.* 3. *D. de Rescind. vendit. L.* 84. §. 5. *D. de Legat. I. L.* 21. *D. Solut. matrim.* Ger. Noodt *ibid.* et *Probabil. II.* 1. *p.* 42. *sq. de foenore et usur. III.* 15. *p.* 330. *de forma emendandi doli mali c.* 5. *p.* 488. c. 8. *p.* 495. *de pact. et transact. c.* 11. *p.* 682.

§. 6.

Probatio exceptionis et replicationis facta in judicio.

Ubi ad judicium ventum, actor suam actionem et replicationem; reus exceptionem et duplicationem probabat. Nam et reus excipiendo actor fiebat: *L.* 1. *D. de Except.*

---

u) Vid. tamen quae observavimus ad §. 3. not. m. *Mühl.*

§. 7.

Quid fuerit cum compensatione aut deductione agere?

Neque prorsus est silentio praetermittendum, nonnullis ex causis fieri olim debuisse, ut actori, et non exspectata doli exceptione, quam compensationis exceptionem solemus appellare, aut cum compensatione, aut cum deductione agendum esset [x]). Actor igitur his in causis statim detracto eo, quod ipse vicissim debebat adversario, reliquum petebat. Cum compensatione agendum erat argentario, hoc pacto, ut, si v. c. sestertium X millia deberet Titio, atque ipsi XX deberet Titius, ita intenderet: *si paret, Titium mihi X millia dare oportere amplius, quam ipse Titio debeo*, et rel. Cum deductione agebat bonorum emtor ita, ut in hoc solum sibi adversarius condemnaretur, quod superesset deducto eo, quod invicem agenti fraudatoris nomine deberetur (cf. supra Lib. III. Tit. XIII. (XII.) not. a.). Atque inter utramque causam non una erat differentia. Etenim in compensationem id tantum deducebatur, quod ejusdem erat generis et naturae, velut: pecunia cum pecunia, triticum cum tritico compensabatur; in deductionem autem res quoque diversi generis veniebant, ut v. c. si pecuniam peteret bonorum emtor et ipse invicem frumentum adversario deberet, deducto frumenti pretio in reliquam pecuniam experiretur. Rursus vero severior erat causa compensandi. Nam quum compensationis ratio in intentione posita esset, consequens erat, ut si plus uno nummo intenderet argentarius, quam compensatione facta ipsi deberet, causa caderet adeoque totam rem perderet; id quod secus erat in bonorum emtoris causa, siquidem deductio ad condemnationem, non ad intentionem referebatur, unde deductio velut exceptio objicienda erat agenti, si ipse agere cum deductione neglexerat. — Caeterum in jure Justinianeo nullum hujus juris vestigium relictum est [y]). *Mühl.*

---

x) Gaj. IV. §. 64—68. Dupont in *Comment. IV. Gaji disq.* p. 102—108. Hasse *Arch. für civ. Pr.* T. VII. p. 176—180. W. T. Kraut *Comm. de argentariis et nummulariis* (Goett. 1825.) p. 122. sqq. Bethmann-Hollweg im *Rhein. Mus.* T. I. H. IV. p. 279—283. A. O. Krug *Die Lehre von der Compensation.* (Leipz. 1833.) §. 13. p. 35. sqq.

y) Vid. tamen *L.* 21. *D. de compensat.* et Hollweg *l. l.* p. 283. in f. sq.

LIB. IV. TIT. XV.

DE

INTERDICTIS [a]).

Tribus verbis, ut supra *Lib. I. Tit. II.* §. 22. diximus, Praetoris potestatem circumscripserant veteres: DABAT enim, DICEBAT et ADDICEBAT. Ad dicendi potestatem etiam INTERDICTA referuntur, de quibus hoc titulo quaedam ex antiquitatibus monebimus.

§. 1.

Quid interdicere fuerit?

Controversiae aut de jure in re erant, aut de possessione. Si quis constans et perpetuum jus in re sibi competens persequebatur, eoque nomine actionem instituebat: dicebatur PETERE. Sin possessionem vel adipisci, vel retinere, vel recuperare vellet; qua de re ante institutas actiones reales plerumque incidebat controversia (vid. *Lib. IV. Tit. VI.* §. 29.): tunc non *petere* aut *agere*, sed INTERDICERE dicebatur [b]). *Interdicere* ergo non solum erat Praetoris [c]), sed et ejus, qui de possessione agebat adeoque idem erat ac interdictum a Praetore postulare, vel eodem uti: Quinctilianus *Inst. orator. III.* 6. §. 71. *Non debuisti* INTERDICERE, (id est, interdicto uti), *sed* PETERE (id est, actionem petitoriam instituere): *an recte interdictum sit, ambigitur.* Eadem significatione vox INTERDICERE occurrit *L.* 1. §. *pen. D. de Via publ. L.* 3. *D. de Tab. exhib. L.*

---

a) Gaj. IV. §. 138—170. — De interdictorum ordine atque exitu vid. von Savigny: *Das Recht des Besitzes* §. 34. et Editoris *Comm. über die Stelle von den Interdicten in den Veronesischen Handschriften;* in der *Zeitschr.* u. s. w. T. III. num. 12. p. 358—388. *Haub.* Dupont *Disq. ad Gaj. comm. IV.* Cap. II. §. 13. p. 153—179. Zimmern *Röm. Process* §. 71—74. E. Huschke: *De causa Siliana;* in den *Studien des Röm. Rechts* num. I. Hollweg *Gerichtsverfassung* u. s. w. §. 37. *Mühl.*

b) At non modo de possessione, verum etiam multis aliis de causis certatum est interdictis, quo in genere sunt interdicta de arboribus caedendis, de glande legenda, quod vi aut clam, de migrando, alia; cf. Hugo *R. G.* p. 672. Zimmern *l. l.* §. 73. et infra §. 3. *Mühl.*

c) In Digestis etiam Praetor nonnumquam INTERDICERE dicitur, veluti *L. unic. princ. D. Ut in flum. publ. L.* 1. §. 29. *D. de Aqua quot. L. unic. princ. D. de Fonte.* Sed frequentior tamen et antiquior est altera significatio. *Hein.* Vid. tamen Hugo *R. G.* p. 670. sq. not. 3. et Dirksen *manuale Latinit.* v. *interdicere* §. 2. 3. *Mühl.*

pen. D. Ne quid in loco publ. et locis aliis quamplurimis, collectis a Barn. Brissonio *de verb. sign.* sub voce *Interdicere p.* 290.

§. 2.

Quid interdictum dare? Formula interdicti.

Quemadmodum ergo, qui possessionem rei in controversiam deductae petebat, INTERDICERE dicebatur: ita Praetor tunc, si justae preces viderentur d), INTERDICTUM DABAT: Car. Sigon. *de judic. I.* 16. quod aliquando etiam DECRETI e), aliquando ACTIONIS nomine veniebat: Cujacius *Observatt. V.* 17. Faciebat id certa formula, qua aliquid fieri vel jubebat, vel vetabat, ita tamen, ut nihil interim de ipsa caussa decerneret, ut recte observavit Theophilus *princ. Inst. h. t.* Sic exempli caussa edicebat Praetor: UTI NUNC POSSIDETIS, EUM FUNDUM, Q. D. A. (id est, *quo de agitur*) QUOD NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, ITA POSSIDEATIS, ADVERSUS EA VIM FIERI VETO. Festus sub voce *possessio p.* 358. Ulpianus *L.* 1. *D. Uti possid.* Reliquas formulas, quibus Praetor de adipiscenda recuperandaque possessione edicebat, collegit Barn. Brissonius *de form. V. p.* 388. *sq.*

§. 3.

Interdicta de rebus sacris, religiosis, publicis.

Nec solum de possessione Praetor interdicta dabat, sed et de iis controversiis, quae de rebus sacris, religiosis, publicis, et hujus generis aliis incidebant, si qua vis in iis vel facta esset, vel metue-

---

d) Dispiciebatur, an quis VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO possideret, quae vocabula Interdicto UTI POSSIDETIS similibusque inserebantur: *L.* 1. §. 5. *D. Uti possid.* Hinc Chaerea apud Terentium *Eunucho Act. II. sc.* 3. [* *v.* 28. *sq.*]

Hanc tu mihi vel VI *vel* CLAM *vel* PRECARIO
Fac tradas.

Ad quae verba Donatus: *Secundum jus loquutus est. Nam his tribus mala fide aliquid possidetur.* Unde falluntur, qui interdictum *uti possidetis* possessorio summarissimo, quod vocant, comparandum existimant. *Hein.*

e) Gaj. IV. §. 139. 140. „Certis — ex causis Praetor — principaliter“ (i. e. statim principio litis) „auctoritatem suam finiendis controversiis proponit (cf. Göschenii Heffterique *not. ad h. l.*); quod tum maxime facit, quum de possessione et quasi possessione inter aliquos contenditur. — Formulae autem verborum et conceptiones, quibus in ea re utitur, interdicta *decretave* vocantur. Vocantur autem decreta, quum fieri aliquid jubet, velut quum praecipit, ut aliquid exhibeatur, aut restituatur; interdicta vero, quum prohibet fieri, velut quum praecipit, ne sine vitio possidenti vis fiat —“. (Cf. *Lex Rubria* c. 19. lin. 2. 4. Schilling *Bem. über R. G.* p. 272.) *Mühl.*

retur. Sic de rebus sacris edicebat Praetor: IN LOCO SACRO FACERE, INVE EUM IMMITTERE QUID VETO: *L.* 1. *D. Ne quid in loco sacro fiat.* De religiosis: QUO QUAVE ILLI MORTUUM INFERRE INVITO TE JUS EST, QUO MINUS ILLI EO EAVE MORTUUM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT, VIM FIERI VETO: *L.* 1. *D. de Mort. inferend.* Eodem modo Praetor interdixerat de locis et itineribus publicis, de fluminibus, de ripis aliisque ejusmodi rebus, de quibus ipsae formulae exstant in *Libro XLIII. Digestorum.*

§. 4.

Differentia inter actiones et interdicta.

Ceterum ab actionibus interdicta toto coelo differebant. In actionibus non petebat actor statim, ut Praetor adversario aliquid imperaret, vel prohiberet, sed ajebat verbi caussa, rem esse suam, vel sibi quid deberi ex mutuo vel alia caussa, judiciumque ac judicem petebat. At in interdictis rogabatur Praetor, ut interdiceret jubendo, aut vetando, formulis, quales adhuc adduximus: Anton. Schultingius *ad Pauli Sententt. Receptt. V.* 6. *p.* 453. Jacob. Cujacius *Observatt. V.* 17. Actionibus institutis, plerumque dabantur judices: at interdicta ipse interponebat Praetor, nec in iis opus erat judice: Car. Sigonius *l. c.*

§. 5.

Dato interdicto, nonnumquam sequebatur judicium.

Dato tamen interdicto, ac negante altera parte, recte illud contra se petitum, judicium erat dandum, et judex vel recuperatores constituendi, qui hac de re cognoscerent, sententiam ferrent, litemve, si ita ferret casus, aestimarent: Cicero *Orat. pro A. Caecina c.* 2. *L.* 1. §. 41. *D. de Vi et vi armat. L.* 3. §. *ult. D. Uti possidet. L.* 3. §. 1. *D. de Itin. et actu priv.* Hinc isto casu etiam sponsiones inter partes interponebantur: SI RECTE INTERPOSITUM INTERDICTUM? sive: SI ADVERSUS EDICTUM PRAETORIS VIS ESSET FACTA? Exemplum est apud Ciceronem in *Orat. pro A. Caecina c.* 8. et *c.* 17. atque Quinctilianum *Inst. Orator. VII.* 5.

§. 6.

Accuratior eorum, quae edito edicto fiebant, descriptio.

Jam edito edicto, nisi adversarius interdictum petenti in causa concederet, judicem vel recuperatores adibant litigantes, quo facto editis formulis (i. e. ex interdicto compositis) disceptatum est: an

aliquid adversus Praetoris edictum vel factum esset, vel non factum, quod ille fieri jussit; nam aut *prohibitoria* sunt interdicta, aut *restitutoria*, aut *exhibitoria*. Et modo cum poena s. periculo agebatur, modo sine poena. Cum poena apud recuperatores atque hoc modo: actor provocabat adversarium sponsione, ni adversus ea factum sit, quod Praetor aut imperavit, aut vetuit; et rursus adversarius in contrarium restipulabatur. Fuit autem haec sponsio praejudicialis et poenalis (vid. supra Tit. VI. §. 36. not. y.); nam qui per eam victus erat, et sponsionis vel restipulationis summam solvere adversario necesse habebat, et praeterea ex ipsa interdicti causa quasi condemnatus conveniri poterat. Quodsi agebatur sine poena, arbiter datus est, isque quanti ea res esset adversarium condemnabat, qui interdicto fuerat inferior. Jam vero in exhibitoriis et restitutoriis interdictis electio plerumque [f]) fuit reorum, utrum sponsione, an sine poena formula arbitraria certare mallent, dummodo antequam e jure i. e. a Praetore exirent, arbitrum peterent [g]). Sin id minus factum esset, sponsione erat litigandum, eique et arbitrarium judicium de re exhibenda vel restituenda subjungebatur, ut, si sponsione vicerit actor, nisi res ei exhiberetur vel restitueretur, quanti ea res esset adversarius condemnaretur [h]). At in prohibitoriis interdictis, ubi *vim fieri* Praetor vetabat, semper cum poena agebatur [i]). Quid autem praeter poenam is petebat, qui superior fuerat interdicto, haud ita constat. De uno illo *uti possidetis* interdicto haec nobis servata sunt: antequam fiebat sponsio et restipulatio, per *fructuum licitationem* possessor alteruter constituebatur i. e. ad eum transferebatur possessio, qui plurimum licitando alterum superasset. Jam si is judicio victus erat, non solum rem ipsam adversario restituere et sponsionis vel restipulationis summam solvere jubebatur, verum et fructus licitationis summam et praeterea etiam ipsos fructus, quos interim perceperat, eidem inferre; etenim licitationis summa non tanquam pretium fructuum, sed item ut sponsionis summa poenae nomine solvenda erat, idcirco, quod posses-

---

f) Nam vid. Huschke in *Analect. litterar.* p. 178. sq. not. *Restituas.*

g) Gaj. IV. §. 164. — — „sero enim petentibus non iudulgebitur.“

h) Vid. Gaj. IV. §. 163. ibique ab Heffte ro notata. Huschke *de causa Silaniana*, in den *Studien* p. 8. Cf. ibid. p. 332.

i) Cujus juris probabilem causam attulit Huschke *de causa Silaniana*, in den *Studien* p. 7. in f. p. 8.

sionem alienam tenere eaque uti et frui quis conatus sit. De eaque stipulatio concipi solebat, quae vocata est *fructuaria stipulatio*. Jam igitur, si non probaret is, qui fructus licitatione vicerat, ad se pertinere possessionem, adversarius ex stipulatione illa licitationis summam petebat, tum vero rem ipsam cum fructibus interim perceptis *Cascelliano* s. *Secutorio judicio*. Caeterum licet omissa esset fructuaria stipulatio, tamen *fructuarium judicium* propter licitationis summam victori dabatur, cujus item erat nomen secutorii judicii, eo quod sequebatur sponsionis victoriam. Quodsi possessor exstiterat victor, tum ab adversario nihil, nisi sponsionis vel restipulationis summa peti poterat [k]). *Mühl.*

§. 7.

Cur interdicta vocentur jus ordinarium?

Quae quum ita sint, facile patet, hoc casu, quo negabat alter, se interdicto teneri, litigantes fuisse ad jus ordinarium remittendos: *L.* 1. §. 2. *D. Si ventr. nom. mul. in possess. miss.* Quamvis et interdicta ipsa JUS ORDINARIUM vocantur: Frontinus *de limit. agror.* *p.* 41. *De possessione controversia est, de qua ad interdictum, hoc est* JURE ORDINARIO *litigatur.* Ad quae verba Aggen. Urbicus [*p. 56.]: *De possessione fit controversia, quoties de totius fundi statu per interdictum, hoc est,* JURE ORDINARIO, *litigatur. Hoc non est disciplinae nostrae judicium, sed apud Praesidem provinciae agitur, ut ex lege restituatur possessio, cui poterit attinere.* (Cf. inprimis de Savigny et Hollweg *l. l. l. l.*)

§. 8.

Quid cognitiones extraordinariae?

Reliqua, quae de singulis interdictis dici possent, jam a doctoribus occupata sunt, quorum expilare scrinia nihil attinet. Id modo addimus, interdictorum ad instar introductas esse EXTRAORDINARIAS COGNITIONES, quae ideo interdictis quodammodo adsimilantur [l]). Unde AD EXEMPLUM INTERDICTORUM *tunc rem agi,* ajunt Diocletianus et Maximianus: *L.* 3. *C. de Interdict.* qualis loquutio etiam est in *L.* 2. *C. Unde vi, L.* 4. *C. eod. L. ult. C. de Liber. exhib. L. ult. C.*

---

k) Gaj. IV. §. 166—169. et Heffteri Huschkiique (*Studien* p. 332—335.) ad h. l. conjecturae. Cf. et Heffteri *Obs. ad Gaj.* c. 24. p. 115.

l) De extraordinariis cognitionibus vid. quae supra a nobis observata sunt Tit. VI. not. f. ad §. 6. *Mühl.*

de Act. emti. Add. Barn. Brissonius *de form. V. p.* 300. Varias Interdictorum divisiones explicant Jureconsulti. Alia enim dicunt esse PROHIBITORIA, alia RESTITUTORIA, alia EXHIBITORIA. (cf. §. 6.) Deinde alia ADIPISCENDAE, alia RETINENDAE, alia RECUPERANDAE POSSESSIONIS caussa dari observant. Denique alia ipsis sunt SIMPLICIA, alia DUPLICIA[m]). Sed dari etiam interdicta mixtae naturae, veluti quae simul *prohibitoria* et *exhibitoria*, vel *prohibitoria* et *restitutoria* sunt, observat Cujacius *Observatt. IV.* 11. Cui etiam eam debemus observationem, quod, quamvis vulgo bina tantum illa interdicta retinendae possessionis duplicia esse docent, ejusdem tamen naturae est interdictum, quod inter corrivales redditur ex *L.* 1. §. 26. *D. de Aqua quotid. et aestiva:* Cujacius *Observatt. IV.* 11.

LIB. IV. TIT. XVI.

DE

POENA TEMERE LITIGANTIUM[a]).

Interest reipublicae, ne temere ad litigandum procedant homines. Hinc et Romani TEMERITATEM LITIGANTIUM partim pecuniaria poena, partim jurisjurandi religione, partim infamiae metu coercuerunt: *princ. Inst. h. t.* De singulis nonnulla monere non abs re fuerit.

§. 1.

Jusjurandum calumniae in caussis civilibus.

Ad jusjurandum CALUMNIAE quod attinet, illud satis antiquum est, quamvis postea Justinianus nonnihil in eo immutavit: *L.* 2. *C. de Jurejur. propt. cal.* Et antiquis quidem temporibus de calumnia

---

m) Sunt duplicia judicia, similiter ut judicia duplicia, ea, in quibus unusquisque litigantium personam et agentis et rei sustinet; Gaj. IV. §. 158—160. At ex Ulpiani *Institutionum fragmento*, ab Endlichero nuper reperto (*Zeitschr. für gesch. R. W.* T. IX. num. I.) discimus, alio etiam sensu a juris nostri auctoribus accipi duplicia interdicta, eo nimirum, quo eadem interdicta pro re nata modo adipiscendae modo recuperandae possessionis fuere; quo in genere erant interdicta *quem fundum, quem usumfructum, quam hereditatem.* (Vid. Rudorff in der *Zeitschr.* u. s. w. *l. l.* num. II. et quae supra Tit. VI. ad fin. §. 30. notavimus.) Unde nova lux affunditur Pauli loco (*L.* 2. §. 3. *in f. D. de interd.*), a nemine antea recte intellecto. Cf. Savigny *Besitz* p. 481. not. 2. ed. 6. *Mühl.*

a) Gaj. IV. §. 171—183. Zimmern *Röm. Proc.* §. 179. 180. 181. *Mühl.*

jurandum erat omnibus, qui jusjurandum alteri detulerant: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 1, 2. *L.* 34. *L.* 37. *de Jurejur.* neque quisquam ab hac lege eximebatur, praeterquam parentes et patroni liberis et libertis jusjurandum deferentes: *L.* 7. §. 3. *D. de Obsequ. parent.* b). Sed et is, qui novum alteri opus nunciabat, jurare prius tenebatur, NON CALUMNIAE CAUSSA SE OPUS NOVUM NUNCIARE: *L.* 5. §. 14. *D. de Operis nov. nunciat.* Praeterea, qui damni infecti, itemque qui ad exhibendum agebat, jurare prius debebat de calumnia: *L.* 13. §. 3. *D. de Damn. inf.* nec non qui thesaurum suum in alieno defossum effodere volebat: *L.* 15. *D. Ad exhibend.* ut et creditor, qui in possessionem bonorum debitoris missus rationum instrumentorumque debitoris recognitionem dispunctionemque iterum petebat: *L. ult. D. de Reb. credit.* Sed hoc quidem erat jusjurandum calumniae *speciale.* Praeter id etiam postea receptum *generale,* quod ab initio judicii ab actore, reo et advocatis exigitur, cujus formulae sunt in *d. L.* 2. *princ. C. de Jurej. propter cal.* c).

§. 2.

Et in criminalibus.

Haec in privatis judiciis. In publicis semper adcusatori ejeranda erat calumnia. Hinc in lege Servilia, quam Car. Sigonius restituit, cautum fuerat: *Qui pecuniam ab altero petet, is eum, unde petet, ex Praetoribus, quei in eum annum lecti erunt, ad judicem in eum annum, quei ex H. L. factus erit, in jous educito, nomenque ejus deferto, si dejuraverit, calumniae caussa non postulare* d). Et de Metello auctor est Ascon. Pedianus *in Orat. Cic. pro C. Cornelio p.* 128. eum, Curionem adcusaturum, bis jurasse, semel adactum a patre, iterum lege tum, quum juraret calumniam.

§. 3.

Poena calumniae ex lege Remmia.

Si quis tamen jurisjurandi immemor calumniose alterum vel in

---

b) Non tamen iis remitti videtur ex *L.* 34. §. 4. *D. de Jurejur.* At vid. Bynkershoek *Observatt. Lib. I. c.* 23. Abrah. Wielingii *Jurisprudent. rest. p.* 211. et Ever. Otton. *Praef. Thesauri juris Romani Tom. II. p.* 15. *Cann.*

c) Malblanc *Doctrina de jurejurando* c. 8. §. 89. c. 9. §. 90. p. 250—257. ed. II. *Haub.*

d) Vid. Clem. A. C. Klenze *Fragmenta legis Serviliae repetundarum* (Berol. 1825. 4.) Cap. VIII. et quae ibi observata sunt p. 33. sqq. maxime p. 36. sq. not. 7. cf. et *ibid.* p. 6. not. 16. *Mühl.*

jus vocasse, vel adcusasse diceretur: poenas is dabat haud leves. Exstabat, quod ad adcusationes publicas attinet, lex vel Memmia, vel Remmia e), incertae aetatis, qua cavebatur, ut calumniatoribus poena, constituto judicio, imponeretur. Ea poena in quo constiterit, nondum constat. Plerumque huc trahunt locum Ciceronis ex *Orat. pro Sex. Roscio Amerino c.* 20. sub *fin. Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo; ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet: sed si ego hos bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput vobis adfigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, adcusare possitis.* Inde ergo colligunt, poenam legis Remmiae fuisse stigma fronti inustum. Sed quamvis non adeo certum sit, hanc poenem ex lege Remmia esse: ex ipso tamen hoc Ciceronis loco palam est, omnino litteram calumniatorum frontibus inuri consuevisse. Sed qualem? procul dubio litteram K. Non enim CALUMNIA, sed KALUMNIA scribebant veteres, ut patet ex Terentii Scauri, Velii Longi et Diomedis Orthographia. Unde et Julianus in *Μισοπώγωνι p.* 360. non obscure ait, K fuisse illud calumniatorum insigne. Sed hanc rem illustravit vir de jurisprudentia Romana optime meritus, Henr. Brencmannus, cujus liber singularis *Lex Remmia sive de legis Remmiae exitu* [*Culemburgi* 1726. 4.] insertus etiam est Ever. Ottonis *Thesauro juris Romani Tom. III. p.* 1573. *sqq.* ex *edit. II. Trajecti ad Rhen.* 1733. *f.* f).

e) Valerius Max. *III.* 7. 9. hanc legem vocat *Memmiam*, quam lectionem etiam editiones pleraeque Ciceronis in *Orat. pro Sex. Roscio Amerino c.* 19. in *fine* praeferunt, quum tamen in MSS. codicibus constanter legatur *Remmia*, quo nomine etiam in jure nostro venit: *L.* 13. *D. de Testib. L.* 1. §. 2. *ad SCtum Turpil.* Unde non satis certum est, quod existimat Stephan. Vin. Pighius *Annal. ad ann.* DCXIII. *p.* 484. legem hanc latam esse a *C. Memmio Gallo, Tribuno plebis.* Sane et Remmia gens Romae non ignota. Remmii enim, Aedilis, meminit Sext. Aurelius Victor *de Vir. Illustr. c.* 66. Alius Remmii mentionem facit Tacitus *Annal. II.* 68. *Hein. Lex Remia* dicitur Joanni Sarisb. *de nugis curial. Lib. V. c.* 13. *Cann.*

f) Const. ac. van Renesse *Diss. de coercitione accusatorum.* Traj. ad Rh. 1724. 4. et in *Thes. N.* Oelrichs *Dissertt. Belgg.* Vol. I. T. II. p. 561—632. Henr. Brencmanni *Lex Remmia s. de legis Remmiae exitu Lib. sing.* Adc. *Diss. de fatis calumniatorum sub Impp.* in *Thes.* Otton. T. III. p. 1561—1696. Pet. Jac. de Bye *Diss. de delicto calumniae in publicis judiciis* L. B. 1790. 4. *Haub.*

§. 4.

Aliae calumniae poenae.

Postea et aliae calumniae poenae invaluerunt, veluti exsilii, vel relegationis in insulam, vel ordinis amissionis: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 4. 11. Quod tamen itidem de caussis criminalibus tantum videtur intelligendum, nec non de controversiis status. Nam et in his actoris calumnia exsilio poterat puniri: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 1. 5. In caussis civilibus calumniantes actores in impensas damnabantur: *L.* 79. *princ. D. de Judic.* imo et in quadruplum ejus, quod quis litis alteri intendendae caussa acceperat: *L.* 1. *sq. D. de Calumniator.* Sed de impensis litis a temere litigante victori restituendis ipsi Jureconsulti in suis libellis plura liberaliter dare solent.

§. 5.

Calumniae judicium privatum. Contrarium judicium. Restipulatio g).

Praeterea actoris calumnia coercebatur et calumniae judicio (privato), et contrario judicio, et restipulatione. Calumniae causa plerumque in decimam rei vel summae petitae partem actor conveniri poterat h), propter interdicta vero in quartam partem. Licebat etiam reo, statim in ipso judicii limine ad calumniae actionem confugere, nisi jusjurandum calumniae ab actore exigere mallet i). Calumnia autem adsit actoris et probetur necesse est, ut judicio calumniae condemnari possit. Nonnullis tamen ex causis propter id solum actor, quod causam non tenuerit, *contrario judicio* poterat damnari, modo in decimam, modo in quintam partem; velut si injuriarum ageretur (quo facto decimae partis actio reo dabatur), aut, si mulier diceretur ventris nomine dolo malo in possessionem missa eamque ad alium transtulisse k). Et restipulationis poena certis tantum in causis locum habuit (vid. supra Tit. VI. 36, y.), nec utique in iis, quarum nomine contrarium judicium dabatur; ceterum

---

g) Gaj. IV. §. 174—181. *Mühl.*

h) Meminere hujus decimae partis summae libello comprehensae Diocletianus et Maximianus Augusti: *L.* 3. *C. Hermogen. de Calumn.* Sed eam decimam sua aetate minus usitatam fuisse, testatur Tribonianus: §. 1. *Inst. h. t.* At reduxit tamen eam Justinianus *Novella CXII.* 2. Plura de hac litis decima Theophilus *ad* §. 24. *Inst. de Action.* et Franc. Juretus *ad Symmachum Lib. IV. Epist.* 55. Cujacius *Observatt.* VII. 5. *Hein.*

i) Gaj. IV. §. 176. — Cf. Heffter. *Observ. ad Gaj. Mühl.*

k) Gaj. IV. §. 177—179. *Mühl.*

in arbitrio positum erat rei, utrum ex restipulatione agere, an calumniae judicio, vel etiam jurejurando uti vellet [l]). *Mühl.*

§. 6.

Infamia.

Infamia quoque coercebant temere litigantes in quibusdam judiciis. Omnes enim ex delicto quocumque condemnati erant infames, si vere, id est, dolo malo, deliquisse dicerentur: *L.* 7. *D. de Publ. judic.* Eamdem ignominiam subibant, qui tutelae, mandati, directa aeque, ac nonnumquam contraria: *L.* 6. §. 5. *D. de His, qui notant. infam.* depositi directa, itemque pro socio actione damnati fuerant: §. 2. *Inst. h. t. L.* 1. *D. de His, qui notant. infam.* (Tab. Heracl. c. 8. lin. 110—113. 120. Gaj. IV. 182.) Sed de hisce famosis judiciis singulis suo loco diximus.

§. 7.

Infitiationis poena. — Plurispetitionis incommoda.

Variae etiam mendaciorum infitiationisque poenae constitutae sunt [m]), in quibus haec vel maxime eminet, qua lis inficiando crescebat in duplum, ut in causis judicati, depensi, damni injuria dati, legatorum per damnationem relictorum [n]). Praeterea causae jacturam olim faciebat, qui intentione plus complexus esset, quam ad eum pertineret, sive *re*, sive *tempore*, sive *loco*, sive *causa* [o]) plus petiisset [p]). Incertis vero formulis plus peti nequibat, quoniam qui ita intendit: *quidquid* adversarium dare facere oporteat, nihil amplius petit, quam quod sibi debetur [q]). Quae quum ita sint, vix dici potest, ad poenas temere litigantium referenda esse plurispetitionis incommoda, quum necessaria quadam ratione ipsarumque formularum vi ac potestate efficeretur, ut causa caderet, qui in certi formula plus, quam oportebat, intenderat [r]). Magis vero

l) Gaj. IV. §. 180. 181. cap. 25. p. 116. sq. *Mühl.*

m) Vid. v. c. *L.* 11. §. 3. 4. *D. de interr. in jure fac. L.* 25. *pr. D. de probat.*

n) Gaj. IV. §. 171. §. 1. *I. h. t.*

o) Causa plus petit, qui intentione electionem tollit adversario, velut qui hominem petit, quum *aut* homo *aut* pecunia in obligatione est; Gaj. IV. §. 53. §. 33. *I. de actionib.*

p) Gaj. IV. §. 53—60. §. 33—35. *I. h. t. Vat. Fragm.* §. 53. — Keller *Ueber Litiscontestation und Urtheil* §. 56. Zimmern *l. l.* §. 178.

q) Gaj. IV. §. 54.

r) Keller *l. l.* p. 497. sqq. Zimmern *l. l.* p. 536. sq. not. 5. — Caeterum in

ad poenae naturam accedunt, quae novissimo jure de plurispetitione constituta sunt [s]); quod tamen latius prosequi, hujus non est loci. Caeterum, si quis minus intenderat, salva quidem res manebat, at intra eandem praeturam de reliquo agens *litis dividuae exceptione* exclusus est [t]). Quodsi in *condemnatione* plus debito positum erat, reus, qui formulam acceperat, in integrum facile restituebatur; si minus positum, nihil amplius consequebatur actor, siquidem judex egredi non poterat condemnationem, nec nisi gravissimis ex causis (velut, si minor erat actor) Praetor lapsis succurrebat (Gaj. IV. 57.). Qui in demonstratione plus aut minus posuerat, nihil deducebat in judicium, adeoque res integra manebat; hinc erat in proverbio: falsa demonstratione rem non perimi [u]). *Mühl.*

LIB. IV. TIT. XVII.

DE

OFFICIO JUDICIS.

Diximus supra, titulo hujus libri sexto, alia a litigantibus facta esse IN JURE, coram Praetore, alia in JUDICIO, coram judice pedaneo. Illic quid factum sit, jam illo loco satis explicavimus. Reliquum est, ut et JUDICIORUM Romanorum FORMAM addamus.

§. 1.

Judex datus cum formula [a]).

Actione coram Praetore sollemniter intentata, vel *judices*, vel *arbitri*, vel *recuperatores* dabantur, et quidem cum certa formula. In actionibus stricti juris talis erat formula: C. AQUILLI JUDEX ESTO, ET SI PARET, FUNDUM CAPENATEM SERVILII ESSE EX JURE QUIRI-

---

depositi actione, quoties in factum concepta est (ubi intenditur: *quanti ea res erit*) plus petitioni ejusque incommodis locus erat; Gaj. IV. §. 60. Quod quomodo intelligendum atque cum superiore regula conciliandum sit, explicare conatus est Mayer: *Litiscontestation* p. 96—101. — Fuere etiam, qui in omnibus judiciis, quibus damnatus ignominia notatur, eum, qui plus debito demonstraverit, litem perdere existimarent; quam sententiam improbat Gajus IV. §. 60.

s) §. 33. *in f. I. h. t.*

t) Gaj. IV. §. 56. cf. §. 122.

u) Gaj. IV. §. 57—59.

a) His de rebus jam dicere occupavit Auctor Tit. VI. §. 44—46. *Mühl.*

TIUM, NEQUE IS SERVILIO A CATULO RESTITUATUR, TUM CATULUM DAMNATO b). Tum ergo judicis erat cognoscere, an fundus esset actoris. Nonnumquam reus exceptionem objecerat, et tum illa quoque comprehendebatur formula c) judicisque erat, cognoscere, an exceptio illa possit a reo demonstrari. Veluti si Praetor hac formula dederat judicem: C. AQUILLI JUDEX ESTO, ET SI PARET, AGRUM CAPENATEM SERVILII ESSE, CATULUM DAMNATO, EXTRA QUAM, SI TESTAMENTUM PRODUCATUR, EX QUO ADPARET CATULI ESSE. Hic praecipue judex cognoscebat, an tale exstaret testamentum. Id quod etiam de replicatione, duplicatione et ceteris adlegationibus est observandum. Sin judicium esset bonae fidei, talis erat formula: SI PARET, MAEVIUM SERVILIO DOMUM AUT VENDIDISSE, AUT LOCASSE, TUM QUANTUM MAEVIUM SERVILIO OB EAM REM DARE EX FIDE BONA OPORTET, TANTI DAMNETUR. Sin arbitrarium denique, talis erat formula: ESTO ARBITER, ET SI PARET — MAEVIUM VESTEM, QUAM SERVILIUS EXHIBERI POSTULAT, HABERE, NEQUE IS ARBITRIO JUDICIS EAM EXHIBEAT, TUM QUANTI IN LITEM SERVILIUS JURARIT, TANTI DAMNATO: Car. Sigonius *de Judiciis I. 24. p. 497. sq.* Paucis: *Praetor* de *jure* cognoscebat, decernens, quid jure sit pronunciandum, si actor intentionem suam probasset: *judex* deinde de *facto* dispiciebat, utrum actor actionem suam, an reus exceptionem possit demonstrare. Si juris tantum esset quaestio, Praetor solus extra ordinem cognoscebat: Ger. Noodt *de jurisdict. et imper. I.* 8. (Vid. tamen quae notata sunt ad fin. §. 6. Tit. VI.)

§. 2.

Legendus erat.

Legebantur hi judices a Praetoribus in urbe; in provincia vero a Praeside: Seneca *de Benef. III.* 7. ita tamen, ut discrimen esset inter judicia publica, et privata. In publicis judices legebantur ex decuriis, quae in album mitti solebant. Tales decuriae judicum initio erant binae, deinde tres, postea Augustus quartam ex inferiore censu addebat, quae vocabatur *ducenariorum*, judicabatque de

---

b) Hanc potius dixerim speciem quandam arbitrariae formulae. Cf. quae de inconcinna formularum conceptione, apud Sigonium, Heineccium aliosque obvia scriptores, qui ante Gaji commentarios repertos vixerunt, aliquoties observavimus, velut ad Tit. VI. §. 36. not. x. *Mühl.*

c) Iniquus ergo erat Praetor, si in data formula omitteret exceptionem. Et tunc Tribunorum poterat implorari auxilium: Cicero *Acadd. Quaestt. IV.* 30. *Hein.*

minoribus summis, quae ad CC millia numum non excederent. Ex quo patet, judices selectos praecipue quidem de criminibus, at aliquando tamen etiam de caussis privatis judicasse: Suetonius *Octav. August.* c. 32. Hanc decuriam ducenariorum in ferreo annulo esse jusserat Augustus, teste Plinio *Hist. Natur. XXXIII.* 1. *sect.* 7. Deinde Caligula quintam adjiciebat: Suetonius *Caligula c.* 16. sextam, quam addi precabantur judices, Galba negabat: Suetonius *Galba c.* 14. Ex his ergo decuriis ordinarie petebatur judex in caussis publicis. Inscriptio apud Reinesium *Class. VI. p.* 406. *n. XXVI.*

L. CLODIO, C. F. SERG.
VITELLINO. II. VIR. I. D.
JUDIC. EX V. DEC.
EQUO PUBL. etc.

In privatis judiciis vel ex decuriis sumebantur, vel a Praetore eligebantur judices, ita tamen, ut litigantibus fas esset susceptos rejicere et clamare: *HUNC NOLO, TIMIDUS EST, ET BONA SECULI PARUM INTELLIGIT: ILLUM VOLO, QUIA CAESAREM FORTITER AMAT:* Plinius *Panegyrico c.* 36. et alter Plinius *Hist. Natur. I. Praef. L.* 80. *D. de Judic. L.* 23. *D. de Adpellat.* Numeri judicum, qui caussas privatas judicarent, ita meminit Gellius *Noctt. Attic. XIV.* 2. *Quo primum tempore a Praetoribus lectus in judices sum, ut judicia, quae adpellantur privata, susciperem* etc. [d]).

---

d) De judicum decuriis universe disseruerunt Ferratius *Epistt.* I. 5. Jo. Tob. Krebsius in egregia *Diss. de judicum Romanorum decuriis.* Lips. 1744. 4. (*Opuscc.* p. 61—108.) Ernesti *Exc. XIV. ad Sueton. Tiber.* c. 41. et, qui hunc locum e marmoribus nuper docte illustravit, Jo. Labus in splendido opusculo: *Ara antica scoperta in Hainburgo-pubblicata con alcune spiegazioni* (Milano 1820. 4.) p. 21—27. Ad decurias judicum spectare etiam, quae Sueton. *v. Claud.* c. 23. de rerum actu diviso memoriae prodidit, monuit Ernesti ad h. l. Sed, si hoc sumimus, oportet, decurias judicum etiam ad judicia privata (in quibus potissimum rerum actus versatus est) pertinuisse, de quo adhuc inter viros doctos dubitatur. Minime tamen hujus sententiae argumentum Heineccius debebat petere a nomine *judicum ducenariorum,* quod plane perperam intellexit, quippe repetendum ab inferiori censu ducenorum HS. qui sufficeret huic decuriae, quum reliquis opus esset duplo majori, seu quadringenis HS. Cf. Guil. Budaei *Adnott. in D.* p. 375. ed. Basil. a. 1557. Adr. Turnebi *Adversar.* XXIX. 16. Jac. Perizonii *Diss. de lege Voconia feminarumque apud veteres hereditatibus;* in *Dissertt. septem* p. 195. sq. et Ernesti *ad Sueton. Aug.* c. 32. *Haub.* De totius hujus loci argumento cfr. et Klenze *Frgm. leg. Servil. repetundarum. Proleg.* p. XIV—XVI. Huschke *anal. litt.* p. 239—243. Zimmern *Röm. Proc.* §. 8—10. Walter *Rechtsgeschichte* p. 715—717. *Mühl.*

§. 3.

Addici etiam poterat invitus.

Ubi placuisset demum judex, et a Praetore esset ADDICTUS: non licebat illi judicium renuere, nisi justa esset excusandi caussa: *L.* 1. *princ.* et §. 2. *de Vacat. et excus. mun.* Cujus rei exempla exstant apud Suetonium *Claudio c.* 15. et Plinium *Epistt. X.* 66. Munus enim publicum erat hoc judicandi onus, neque quisquam illud poterat sine justa caussa subterfugere. Unde et inscii, imo et inviti dari poterant judices: *L.* 39. *D. de Judic.* Plinius *Epistt. III.* 20. *Ut in recuperatoriis judiciis, sic nos in his comitiis, quasi* REPENTE ADPREHENSI, *sinceri judices fuimus.* Qui locus non ita intelligendus est, ac si Praetor de medio, quemcumque libuisset, pro arbitrio adprehenderit, sed quod ex selectis, quoscumque vellet, etiam invitos judices litigantibus dare potuerit: Ger. Noodt *de jurisd. et imper. I.* 13.

§. 4.

Ubi et cum quibus judicarit?

Porro judex, maxime si solus esset datus, in consilium adhibebat aliquot amicos, vel jurisperitos, et cum his sedebat in subselliis: Gellius *Noctt. Attic. XIV.* 2. Unde facile patet, cnr dicti sint JUDICES PEDANEI. Non enim in tribunali, ut magistratus, sedebant, sed in subselliis, adeoque veluti ad pedes Praetoris e). Ceterum judicium in foro et comitio exercebatur, e. g. ad puteal Libonis, et haec sunt *loca judiciorum*, quorum meminit Modestinus *L.* 6. §. 2. *D. de Judic.*

§. 5.

Quomodo in leges jurarit?

Simul ac in hunc locum se contulerat judex, primo omnium jurabat, ex lege se judicaturum, cujus jurisjurandi sollemnis formula erat: EX ANIMI SENTENTIA: Cicero *Acadd. Quaestt. IV.* 47. cujus vestigium in *L.* 2. §. 2. *C. de Jurejur. propt. calumn.* deprehendit Cujacius *Observatt. I.* 21. Jurabat vero aram tenens, id est, *puteal Libonis*, de quo jam supra quaedam monuimus. Unde Cicero *orat. pro L. Flacco c.* 36. *Ergo is, cui, si aram tenens juraret, crederet nemo,*

---

e) De pedaneis judicibus (Pauli *sent. rec.* V. 28. §. 6. *L.* 2. *C. de pedan. judic.*): Zimmern *l. l.* §. 18. Inprimis autem: Bethmann-Hollweg *Gerichtsverfassung des sinkenden Röm. Reichs* §. 13. *Mühl.*

per epistolam, quod volet, injuratus probabit? Jacob. Raevardus *Var. V.* 8. Petr. Faber *Semestr. I. p.* 212.

§. 6.

Judice absente dies diffindebatur.

Si ipso die judicii non aderat judex, vel morbo, vel alia justa caussa impeditus, tum dies judicii proferebatur. Qua de re in legibus XII Tabularum fuerat cautum: SI MORBUS SONTICUS, VOTUM, ABSENTIA REIP. ERGO, AUT STATUS DIES CUM HOSTE INTERCEDAT: NAM SI QUID HORUM FUAT UNUM JUDICI ARBITROVE REOVE, EO DIE DIFFENSUS ESTO: Gothofredus *ad XII Tabb. tab. II.* (Dirksen *Zwölftafelges.* p. 191—208.) Ea enim lege permittitur, ut, si judici, vel reo caussa sontica fuerit, judicii dies differri posset: *L.* 2. §. 3. *D. Si quis cautionib.*

§. 7.

Litigantes absentes edicto citabantur.

Si judex adesset, litigatorum vero alter se haud sisteret, neque justam adferret excusationem, tunc absens edictis citabatur. Initio enim altera pars petebat edictum primum, deinde per intervallum non minus decem dierum, alterum, ac tertium, ac denique impetrabat PEREMTORIUM, *quod inde hoc nomen sumserat, quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari. Comminabatur enim is, qui edictum dederat, etiam absente diversa parte, cogniturum se et pronunciaturum: L.* 68. *L.* 69. *L.* 70. *D. de Judiciis.* Non semper tamen quatuor opus erat edictis, sed nonnumquam tria, nonnumquam duo, nonnumquam *unum pro omnibus* sufficiebat, *quod aestimare oportebat eum, qui jus dicebat, et pro conditione caussae vel personae, vel temporis, ordinem edictorum vel compendium moderari: L.* 72. *D. de Judiciis* [f]).

§. 8.

Praesentes jurabant calumniam. Tum fiebat caussae conjectio. Hinc oratores dicebant.

Praesentes utrique litigantes statim jubebantur jurare calumniam, ut superiore titulo diximus, cujus rei exemplum est apud Ciceronem [* *Orat. pro Q. Roscio Comoedo c.* 1.] Tum jussi sunt patroni dicere: id quod duabus fiebat vicibus, adeoque patroni

---

f) At non per judicem, sed per Praetorem haec edicta proponebantur. Cf. Zenger *Ueber das Vadimonium der Römer* p. 81. sqq. et supra Tit. VI. §. 19. not. e. *Mühl.*

vel oratores quater ex certo horarum intervallo perorabant: Appianus *de bellis civil. I.* 74. [**p.* 663. ex *edit.* Alexand. Tollii *Amstelodami* 1670.] Primo enim totam caussam judici verbis brevissimis, ac veluti per indicem exponebant, et haec vocabatur CAUSSAE CONJECTIO g): Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. c.* 9. *p.* 76. *Quum litigatores ad judicium venissent, antequam caussa ageretur, quasi per indicem rem exponebant: quod ipsum dicebatur* CAUSSAE CONJECTIO, *quasi caussae suae in breve coactio.* Postea vero integris justisque orationibus statum caussae exponebant, simulque testibus, litteris, tabulis, deductisque ex ipsa re argumentis suam vel actionem, vel exceptionem probabant, ut satis patet ex Ciceronis *oratt. pro P. Quintio et Q. Roscio Comoedo.* Ceterum hic mos procul dubio Athenis, ut alii, Romam migraverat. Nam et Athenienses, antequam caussam perorarent, praemittebant brevem ejusdem conjectionem, quae etiam προβολή dicebatur. Unde Guilielm. Budaeus *Commentariis linguae Graec.* [**p.* 241. ex *edit.* quae prodiit *Coloniae* 1530. *f.*] *Est autem* προβολή *intentio et objectio judicii dictati, quasi petitio digladiantis.* Postea in XII Tabulis cautum: AB ORTU ANTE MERIDIEM CAUSSAM CONJICITO h), CUM PERORANT AMBO PRAESENTES. Et inde factum, ut, translata in judices notione, litigantes primo conjicere caussam, deinde justa oratione perorare juberentur: Gellius *Noctt. Att.* [* *V.* 10.] Ne tamen in immensum evagarentur oratores, lege Pompeja cautum fuerat, ut ad clepsydram dicerent: Cicero *de Oratore III.* 34. Quot clepsydrae cuique dandae essent, ejus rei penes judices erat arbitrium: Plinius *Epistt. I.* 23. *II.* 11. (*IV.* 9.) *VI.* 2. Unde saepe sex, vel plures perorantibus datas esse novimus i).

---

g) Unde adparet, cur *L.* 1. *D. de Reg. jur.* regula juris dicatur *quasi quaedam caussae conjectio.* Jungi ibi merentur Commentarii Jacobi Raevardi et Jacobi Gothofredi. *Hein.*

h) Gothofredus et alii legere malunt CONSCITO, sed hoc idem fuisse videtur ac caussam conjicere. *Consciscere* enim dicebatur Praetor, dum postulantibus seu perorantibus per se, vel per alios, litigatoribus, de re tota cognoscebat, ut ipse ait Gothofredus *p.* 188. At id non faciebat Praetor, verum judex. *Hein.* Dirksenius quoque nos legere jubet *conjicito* (*Zwölftafelges.* p. 168—180.). Vid. tamen Huschkii observ. in *Analect. litt.* p. 106. not. *finem dicendi. Mühl.*

i) Haud raro ampliabatur causa, id est, in alium diem differebatur ulterior rei disceptatio. Unde *actio prima, secunda*, ulterior etiam; in quavis actione priore loco actor dicebat, secundo reus. Huschke *Analect. litt.* p. 98. et 108. *Mühl.*

§. 9.

Judices interea quid egerint?

Judices, quando audiebant partes, dicebantur OPERAM DARE: *L.* 18. *princ. D. de Judiciis L.* 13. *princ. D. de Vacat. et excusat. mun.* Cujacius *Observatt. V.* 33. Quam molestum vero fuerit judicibus, perorantes audire oratores, et quam parum saepe ad ea, quae dicebantur, attenderint, facile patet ex loco C. Titii apud Macrobium *Saturnal. II.* 12. *Veniunt in comitium tristes, jubent dicere: quorum negotium est, dicunt. Judex testes poscit, ipsus it minctum: ubi redit, ait se omnia audivisse: tabulas poscit: litteras inspicit: vix prae vino sustinet palpebras.* Sed haec forsitan de laxa posteriorum temporum disciplina intelligenda sunt.

§. 10.

Testium productio.

Interim audiebantur etiam testes, et quidem, non remotis partibus, ut hodie fieri solet, ex male intellecta constitutione Leonis *L.* 14. *C. de Testibus.* Ibi enim *secretarium* non est locus, ubi testes secreto, et remotis partibus, audiuntur, sed locus, in quo judices postremis temporibus caussas cognoscebant, ut constat ex Hesychio, in voce *Σέκρετον*, vel, ut Salmasius mavult, *σέκρητον*, qui id interpretatur *συνέδριον*, et Suida sub *Στήλην*. Plura de hoc *secretario* judicum, (nam et *secretarium* erat in ecclesiis, ubi Episcopi et Presbyteri audiendis fratrum negotiis vacabant: Sulpicius Sev. *Dial. II.* 1. *Epist.* 1. et 3.) observavit Henr. Valesius *ad Ammiani Marcellini Rerum gestar. XV.* 7. *p.* 69. et Gundlingius in *Gundlingianis Part. IX. Observatt. IV.* Potius Romani producentem testes semper adesse patiebantur, ut eos interrogaret [k]). Quibus in interrogationibus praecipue elucebat oratorum sollertia. Saepe loco testium tabulae producebantur, ut fides fieret judici: Cicero *Orat. pro Q. Roscio Comoedo init.* Gellius *Noctt. Att. XIV.* 2.

§. 11.

Sententia a judice quomodo lata?

Caussa demum utrimque perorata, post meridiem ferenda erat sententia. Ita enim denuo legebatur in XII Tabulis: POST MERI-

k) Ferratius *Epp.* 1. 3. et Henr. Mich. Hebenstreit *Pr. de interrogatione testium in secreto.* Lips. 1780. 4. *Haub.* Cf. Mittermaier *Arch. f. civil. Pr.* V. p. 70. sqq. *Mühl.*

DIEM PRAESENTI STLITEM ADDICITO: Gellius *Noctt. Att. XVII.* 2. [l]). Si quid ergo obscuritatis caussa haberet, dicebat judex SIBI NON LIQUERE, quo facto de integro erat instituenda cognitio: Gellius *Noctt. Att. XIV.* 2. (Cicero *Orat. pro A. Caecina c.* 2.) [* *pro A. Cluentio c.* 28. Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. c.* 9. *p.* 76. *fin.*] Uno jurante, sibi non liquere, reliqui ferebant sententiam: *L.* 36. *D. de Re jud.* et quidem de plurium sententia. Si paria essent judicum suffragia, res erat in pendenti, donec magistratus unam earum sententiarum confirmaret: *L.* 28. *D. de Re jud.* Id quod tamen aliter se habuisse in judiciis centumviralibus, si paribus consiliis actor vicisset, vel victus esset, erudite docet ὁ πάνυ Jacob. Cujacius *Observatt. X.* 20. Sin ad liquidum res erat deducta, ferebatur sententia: veluti in caussis status: VIDERI SIBI HUNC HOMINEM LIBERUM: *L.* 28. §. 1. *D. de Liber. causs.* in actione injuriarum: VIDERI JURE FECISSE, vel NON FECISSE: *princ. Inst. de Injur.* in caussa exheredationis: VIDERI MATREM JUSTAS HABUISSE CAUSSAS EXHEREDANDI. Verbo enim VIDERI veteres in sententiis ἠθικῶς usos esse, idem observat Cujacius *Observatt. III.* 26. In caussis contractuum: QUUM CONSTET, TITIUM SEJO EX ILLA SPECIE L, ITEM EX ILLA SPECIE VIGINTI QUINQUE DEBERE, IDCIRCO L. TITIUM SEJO CENTUM CONDEMNO: *L.* 1. §. 1. *D. Quae sent. sine adpell. resc.* Sin absolvendus videretur reus, formula erat: SECUNDUM ILLUM LITEM DO: Valerius Max. *II.* 8. 2. sub *fin.* [m]).

§. 12.

Quomodo ab arbitro?

Ita judices pronunciabant. Arbitri in actionibus arbitrariis primum arbitrium dicebant, deinde, nisi paruisset reus, ferebant sententiam reumque condemnabant, quantum in litem esset juratum: *L.* 18. *princ. de Dolo malo.* Prius fiebat hac formula: ARBITROR, TE HOC MODO SATISFACERE ACTORI DEBERE. Posterius vero hoc modo: CENTUM, DE QUIBUS ACTOR IN LITEM JURAVIT, REDDE.

---

l) Neque vero de judice haec verba intelligenda sunt, sed de Praetore, qui hac lege jubebatur praesenti actionem dare judiciumque constituere. Gothofredus in *not. ad. h. l.* (in Ottonis *Thes. jur. Rom.* T. III. p. 160.) Dirksen *Zwölftafelges.* p. 184. sq. *Mühl.*

m) At quid sibi volunt haec Festi [* *p.* 325.]: *parum cavisse* [* al. *patravisse*] *videri pronunciat magistratus, quum de consilii sententia capitis quem condemnaturus erat.* Dignus hic locus adcuratiore pertractatione. *Cann.*

§. 18.

Remedia condemnato competentia.

Perfecto judicio, reque judicata, nihil reliquum erat, quam ut damnatus judicato satisfaceret [n]). Semel enim finita caussa in judicium amplius deduci non poterat. Unde Donatus *ad Terentii Andr. Act. III. sc.* 1. *v.* 7. explicaturus verba, comicis admodum familiaria: ACTUM EST, *Haec res*, inquit, *secundum jus civile dicitur, in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat. Sic ipse Terentius in Phormione* [* *Act. II. sc.* 3. *v.* 72.]

Actum, ajunt, ne agas. — — —

Fas tamen illi erat, vel restitutionem in integrum petere, cujus de caussis abunde disseritur a Jureconsultis, vel actorem calumniae postulare, de cujus criminis poena ad superiorem titulum diximus, vel judicem, sive quod litem suam fecerit, sive falsi, aut repetundarum, postulare: de quibus judiciis partim supra *ad Tit. V.* §. 1. partim infra *Tit. XVIII.* §. 67. *sq.* agetur: vel denique interponere adpellationem, antequam sententia in rem judicatam transiisset. Sed de adpellatione quum in Institutionibus tacuerit Imperator, plura hic dicere nihil attinet [o]).

---

n) Id nisi faceret, vi mixti imperii, quod Praetori competebat, exsequutio fiebat per lictores, qui morem non gerentes coercebant damno, captisve pignoribus. (De pignorum capione vid. in primis Christ. Guil. Küstneri *Diss. de pignore in caussa judicati capto.* Lips. 1744. 4. cui jungendae binae ejusdem Auctoris *Dissertatt.* 1) *de ritu pignorum capiendorum apud veteres Romanos.* ib. 1742. 4. [cf. supra §. 23.] 2) *de ritu pignorum capiendorum in republica Romana.* ib. 1743. 4. *Haub.*) Quin aliquando fabri ipsis adjungebantur, qui omnia disturbarent, in primis si novum opus nunciatum, vel interdictum datum: vid. Casaubonus *ad Suetonii C. Jul. Caes. c.* 17. Nonnumquam veteri jure sequebatur addictio, die tricesimo, id est, reus iterum in jus raptus a Praetore addicebatur actori, nisi vel sponsorem dedisset, vel judicatum solvisset. Tunc reus abductus ab actore in privato carcere tenebatur, donec aut opera, aut pecunia satisfecisset. Qua de re supra dictum est pluribus. Exemplum est apud Ciceronem *Orat. pro L. Flacco c.* 19. *sq. Hein.* Cf. et *L.* 68. *D. de rei vind.* „Qui restituere jussus judici non paret, contendens non posse restituere, si quidem habeat rem, *manu militari officio judicis ab eo possessio transfertur.*" — Quem in locum vid. Ribbentropp *Comm. ad L.* 16. §. 5. *D. de pignorib.* rel. p. 13—20. et p. 28—41. Cf. et Hasse jun. im *Rhein. Mus.* VI. p. 27. sqq. *Mühl.*

o) Rei judicatae historiam nova luce collustravit Henr. Guil. Tydeman *Diss. de rebus judicatis non rescindendis* (L. B. 1799. 8.) c. 5. §. 41—45. p. 45—50. *Haub.*

LIB. IV. TIT. XVIII.

DE

PUBLICIS JUDICIIS[a]).

Plane diversa erant a judiciis *privatis* PUBLICA, quorum illis sua quisque persequebatur, his respublica delicta publica vindicabat. (Tit. VI. §. 1.) Unde Justinianus *princ. Inst. h. t.* *PUBLICA JUDICIA neque per actiones ordinantur, neque omnino quidquam simile habent cum ceteris judiciis, magna diversitas eorum est et in instituendo, et in exercendo.* Quum ergo *Titulo VI.* et sequentibus de judiciis privatis sit actum: nihil jam videtur reliquum, quam ut de publicis quoque ex antiquitatibus nonnulla moneamus.

§. 1.

Quid intersit inter judicia publica et popularia?

Judicia PUBLICA quae fuerint, tum demum recte cognoscemus, si ea a POPULARIBUS, EXTRAORDINARIIS ac denique POPULI judiciis adcurate sejunxerimus. Cum POPULARIBUS ergo actionibus in eo conveniebant judicia publica, quod utrobique cuivis ex populo actio vel adcusatio permitteretur, quum in privatis judiciis nonnisi is, cujus intererat, actoris vice fungi posset. At in eo haud leve inter populares actiones et publica judicia intercedebat discrimen, quod illae ad civilem mulctam actori adplicandam; haec ad publicam animadversionem essent comparata. Unde illae erant cognitionis Praetoriae, haec coram quaesitoribus ac judicibus instituebantur. Quales populares actiones erant ALIBI CORRUPTI, SEPULCRI VIOLATI, DEJECTI VEL EFFUSI: *L.* 43. §. 2. *D. de Procur. L.* 3. §. 5. et

a) Ad universum de publicis judiciis locum e numero scriptorum Heineccio recentiorum spectant in primis Trekellus *ad Brissonii Antiquitt.* II. 1. in Brissonii *Opp. min.* p. 32—35. Bachius *H. J.* II. 1, 23. 24. Frid. Saxii *Diss. de ordine judiciorum publicorum apud Romanos.* Traj. ad Rh. 1784. 4. Phil. Invernizii *de publicis et criminalibus judiciis Libri III.* Rom. 1787. 4. Christ. Glob. Heynii *Pr. I. II. de judiciorum publicorum ratione et ordine apud Romanos et Graecos.* Gott. 1788. 1789. f. et in *Opuscc.* Vol. IV. p. 49—90. et Jac. Pet. van Walree *Diss. de antiqua juris puniendi conditione apud Romanos.* L. B. 1820. 8. de antiquioribus vero, sed a Nostro neglectis, Ferratii *Liber I. Epistolarum,* quarum *tres Libri priores* jam Patav. 1699. 8. prodierant, repetiti postea atque aucti Libro IV—VI. Venet. 1738. 4. *Haub.* E. B. Schmiedicke *De historia processus criminalis Romanorum comm. I. De judiciis criminalibus inde ab urbis origine usque ad quaestionum perpetuarum aetatem exercitis. Mühl.*

fin. D. de His, qui effud. vel dejec. Jo. Zonarae *Annal. VII.* 3. *Tom. I. p.* 316. *καὶ τὸν δῆμον ποπούλους ὠνόμασεν, ὅθεν καὶ παρὰ ταῖς βίβλοις ταῖς νομικαῖς ποπουλάρια κέκληται ἡ δημοτικὴ ἀγωγή. Quod nos δῆμον vocamus, Romani populos adpellarunt. Unde et in libris legum popularis vocatur, quae cuilibet de populo datur, actio.* Ita enim vertendum esse hunc locum, jam monuit Barn. Brissonius *de verb. sign.* [* v. *Populum p.* 446. *ed. I. Lugd.* 1559. *f.* et *p.* 443. *edd. Francofurt.* 1578. *et* 1587. *f.* Nam a *Parisiensi* 1596. *f.* et novissima (*Hal.* 1743. *f.*) hic locus plane abest]; quum in vulgari versione perperam legatur *plebeja educatio:* Christ. Thomasius Disputat. *de abigeatu* (*Lips.* 1687.) §. 9.

§. 2.

Quid inter eadem et extraordinarias cognitiones?

Magna quoque judiciorum publicorum et EXTRAORDINARIORUM delictorum similitudo erat ac convenientia b). Unde de eorum discrimine haud levis est controversia inter Jureconsultos, veluti Anton. Matthaeum *Commentar. de criminibus, proleg. IV.* 7. *p.* 53. Christ. Thomasium *Disputat. laud.* §. 12. *sq.* Beyerum *Posit. ad Pandect. de Extraord. crim. p.* 613. Sed plana tamen res est. In eo conveniunt judicia EXTRAORDINARIA et PUBLICA, quod utraque tendunt ad animadversionem publicam, et crimina, quibus respublica laeditur, vindicanda: sed differunt tamen variis modis, quos nescio, an adcuratius quis exposuerit, quam ὁ πάνυ Jo. Georg. Graevius *in Animadvv. ad Car. Sigonium Tom. II. Thesaur. Antiquitatum Rom.* praemissis, ubi ita scribit vir doctissimus: *PUBLICA judicia erant de criminibus, de quibus lex certa lata erat, et finita illa lege poena, secundum quam legem postulabatur a quocumque cive, qui publici criminis aliquem volebat adcusare, nisi essent, quibus jure id licebat. Publica dicebantur, et quia pertinebant ad statum publicum, sive reipublicae, non ad privatorum statum, ut judicia privata, et quia ex legibus publicis oriebantur. EXTRAORDINARIA erant, quae ex legibus*

b) Aliam judiciorum extraordinariorum (criminalium) significationem, non tamen ad genus quoddam, sed ad singulas caussas quasi exemtas pertinentem, suppeditavit Ernesti *Pr. Animadvv. philologg. in librum Francicum de caussis legum;* in *Opuscc. philologg. critt.* p. 56. sq. *Haub.* Heffter *Lehrb. des gem. deutschen Criminalrechts* ed. 2. (Halle 1840.) §. 32. L. de Hagen *De quaestione: quale sit discrimen inter delicta publica tam ordinaria, quam extraordinaria.* Gott. 1832. 8. Walter *Rechtsgeschichte* p. 801— 889. *Mühl.*

publicis non oriebantur, sed in quibus quaerebatur de criminibus, de quibus aut nullae leges erant, aut, si leges essent, quum crimen atrocius duceretur, quam ut secundum leges judicaretur puniendum esse. In judiciis publicis sortiebantur inter se Praetores, quam quisque deberet exercere quaestionem, de vi, de adulterio: in extraordinariis cognoscebant aut Consules, aut totus Senatus, aut Princeps, aut Praefectus Urbi intra C. lapidem, aut Praef. Praet. ultra C. lapidem, aut in provinciis Imperatoris Legati Aug. pro Praet. in populi vero Proconsules. Ex quibus patet, I. publica judicia instituta esse de criminibus, de quibus leges latae erant, et finita illis legibus poena, secundum quas leges postulari posset a quocumque cive, qui publici criminis aliquem vellet adcusare, nisi essent, quibus jure id haud liceret [c]). At extraordinaria judicia ex legibus publicis non orta sunt, in iisque quaesitum de criminibus, de quibus aut nullae exstabant leges, aut poena nulla fuerat finita. II. in judiciis publicis sortitos esse inter se Praetores, quam quisque deberet exercere quaestionem, veluti de vi, de adulterio, de majestate: *L.* 2. §. 32. *D. de Orig. jur.* In extraordinariis vero cognovisse aut Consules, aut totum Senatum, aut Principem, aut Praefectum urbi intra centesimum lapidem, aut in provinciis Imperatoris Legatos Augusti pro Praetore, in populi vero Proconsules [d]). Addit Graevius aliam differentiam, *quod in judiciis publicis quilibet ex populo adcusare potuerit; in extraordinariis vero nonnisi is, cujus interfuerit,* quam licet argumentis haud poenitendis in dubium vocarit Illustris Thomasius *ibid.* et jure quidem, si haec definitio ad omnia crimina extraordinaria referatur: id satis tamen certum videtur de plerisque. Sane id constat de actione sepulcri violati: *L.* 1. §. 9. *L.* 6. *D. de Sepulcr. viol.* expilatae hereditatis: *L.* 4. *D. Expil. her.* Quin ob hanc ipsam caussam haec delicta *privata* adpellantur: *L.* 1. §. *ult. D. de Poen. L.* 2. et *sq. D. de Concuss. L.* 3. *D. de Praevaricat. L.* 1. *D. de Stellionat.* quia non omnibus promiscue adcusandi jus erat. Alioquin enim et plura

---

c) Explicat id Macer *L.* 1. *D. de Publ. judic.* Sic publica judicia oriebantur ex lege Julia de adulteriis, majestatis, de vi publica et privata, peculatus, ambitus etc. *Hein.*

d) Observavit hoc ipse Car. Sigonius *de Judiciis II.* 4. *p.* 540. Et in hoc praecipua *extraordinariorum* et *publicorum* judiciorum sita fuisse videtur differentia. Quin ideo dicta haec judicia videntur EXTRAORDINARIA, quia tunc non ii, penes quos criminum quaestiones ordinariae erant, sed alii superiores magistratus extra ordinem judicabant. *Hein.*

ejus generis crimina ad statum reipublicae pertinent, veluti ruptio aggerum Nili. Tunc vero et adcusationi locus erat, et inscriptioni in crimen: *L. ult. D. de Delict. priv.* et poenae capitali: *L.* 1. §. *ult. L.* 9. *D. de Extraord. crimin.* Quae omnia non cadere in delicta privata, nemo non videt. Ceterum plura erant ejusmodi extraordinaria crimina, veluti sollicitatio alienarum nuptiarum, inquinatio lacuum, et aquarum publicarum corruptio, interpellatio puellarum de stupro, abactio partus, dardanariatus, aliaque plura, de quibus doctores ad Pandectarum *Lib. XLVII. Tit. XI.* et *sq.*

§. 3.

Quid inter ea et judicia populi?

Interdum et privatas et publicas caussas non magistratus cognoscebant, sed populus, et tunc ejusmodi judicia vocabantur POPULI. Privata ejus generis rariora erant, publica paullo frequentiora, iisque in primis majestatis, aliaque crimina vindicabantur, in quibus de capite civis Romani quaerebatur. Hinc eleganter Plautus in *Menaechmis Act. IV. sc.* 2. *v.* 18. *sq.* discernit judicia *privata*, *publica*, et quae *coram populo* exercebantur. En ejus verba:

— — — — *aut ad*
POPULUM, aut in JURE, aut ad JUDICEM res est.

Sed de his populi judiciis sub finem tituli aptior erit dicendi locus.

§. 4.

Quaenam crimina vindicata judiciis publicis?

Ceterum judiciis PUBLICIS proprie ita dictis vindicabantur crimina publica, quae vel adversus rempublicam fuerant commissa, vel reipublicae salutem laedere, dignaque adeo videbantur, quae lege et poena publica vindicarentur. Prioris generis erant crimina ambitus, repetundarum, vis publicae; posterioris, homicidium, veneficium, parricidium, crimina falsi, adulterii, plagii: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 2. *p.* 531. *sq.* Non ergo omnia crimina judiciis publicis vindicabantur, sed ea, de quibus leges judiciorum publicorum exstabant. Unde Macer *L.* 1. *D. de Public. judic. Non omnia,* inquit, *judicia, in quibus crimen vertitur, et publica sunt, sed ea tantum, quae ex legibus judiciorum publicorum veniunt, ut Julia majestatis.*

§. 5.

Quibus poenis animadversum in reos? Quid damnum?

Ea crimina poenis vindicabantur, quarum octo genera Ciceronis

auctoritate prodidit Isidorus *Originum V.* 27. §. 4. [* *T. III. p.* 212. *sq. Operum* Isidori a Faustino Arevalo editorum] *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, servitutem et mortem* e). DAMNUM alias et *mulcta* vocatur. Initio reipublicae, quum nondum esset pecuniae tanta copia, duarum ovium et triginta boum suprema mulcta erat: Festus sub voce *peculatus p.* 329. *sq.* Quum vero ea res ob inaequale armentorum pretium inaequalem faceret mulctae aestimationem: paullo post exactos Reges A. U. C. CCXLVIII. lege Ateria Tarpeja constituti sunt in singulas oves aeris deni, in boves centeni: Gellius *Noctt. Att. XI.* 1. Dionysius Halic. *X.* 50. Festus sub voce *peculatus p.* 329. *sq.* in *ovibus* et in *mulctam.* Plura de ea lege ejusque diversis capitibus Jo. Koolius Ultrajectinus, cujus *de lege Ateria Tarpeja* libellus recusus est *Tomo V. Thesaur. jur. p.* 1521. ubi *c.* 3. et *sq.* permulta de mulctis generatim disserit f).

§. 6.

Vincula.

VINCULORUM nomine veniunt compedes, pedicae, bojae, manicae, catenae, nervi, carcer. Carcerem primus ad terrorem civibus inferendum aedificavit Ancus Marcius: Livius *I.* 33. quamvis alii id tribuant Tullo Hostilio: sed id forsan de parte carceris intelligendum. Carceris enim pars subterranea vocabatur *latomiae* vel *lautumiae*; Festus sub hac voce *p.* 201. Livius *XXVI.* 27. *XXXII.* 26. sub *fin. XXXVII.* 3. *XXXIX.* 44. *L.* 1. §. 4. *D. de Aleat.* Ejus alia pars erat *Tullianum*, alia *robur:* Festus sub voce *Tullianum p.* 579. Livius [* *XXIX.* 22. sub *fin.*] quarum prior a Tullio Rege exstructa, a quo etiam iste locus Tulliani nomen obtinuisse videtur. Distinguebant porro Romani, utrum adcusatus crimen esset confessus, an inficiatus? Ante confessionom rei in custodiis liberis habebantur, siquidem vel ipse magistratus eos domi adservabat, vel alii privati nobiles eorum suscipiebant custodiam, ut patet ex exemplis apud Livium [* *XXIV.* 45.] *XXXIX.* 14. Sallustium *Conjurat. Catilinar. c.* 43. [* ex *edit.* Telleri.] Post confessionem vero in vincula publica

---

e) Pet. Fabri *Semestrium* II. 5—10. Warmoldi Tonckens *Diss. de poenis in jure Romano.* Groning. 1805. 8. van Wairee *Diss. laud.* et Rosshirt *Lehrbuch des Criminalrechts* §. 63—67. p. 120—133. *Haub.*

f) Christ. Crusii *Comm. de originibus pecuniae a pecore ante numum signatum* (Petrop. 1748. 8.) c. 6. p. 103—144. Niebuhr *Röm. Geschichte* T. II. p. 69—71. *Haub.* Huschke *Verfassung des Serv. Tullius* p. 125—129. p. 718. sq. *Mühl.*

conjiciebantur, dum ferretur et exsequutioni mandaretur sententia: *L.* 5. *D. de Cust. et exhib. reor. L.* 2. *C. eod.* Ipsi carceri praeerat commentariensis, cujus erat, eos, qui in vincula publica conjicerentur, in commentarios referre, eorumque nomina Triumviris rerum capitalium singulis mensibus ingerere: *L. ult. C. eod.* Plin. *Hist. Nat. VII.* 38. g).

§. 7.

Verbera.

Verbera fustibus et virgis infligebantur. Et illis quidem Romani in castris h), his in urbe utebantur, nec ab ullo temere extremum sumtum est supplicium, quin virgis prius in terga saeviretur: Livius *VII.* 19. Sed postea virgarum metu cives esse variis legibus liberatos, jam supra *Adpend. Lib. I.* §. 28. observavimus. Sub Imperatoribus variis verberum generibus saevitum est in corpora etiam libera, veluti *virgis, flagris, plumbatis,* de quibus suppliciorum generibus adcuratius actum ab iis, qui de cruciatibus martyrum ex instituto egerunt i). Magis ignominiosa *fustigatione* erat *flagellatio.* Illa liberi homines, hac servi adficiebantur: *L.* 10. *D. de Poen. L.* 28. §. 2. *D. eod. tit. L.* 45. *D. de Injur.* Unde flagella, servilia verbera, sustinuisse patet Christum, Servatorem nostrum: *Evangel.* Joan. *c.* 19. *v.* 1. [* cf. *Evangel.* Matth. *c.* 27. *v.* 26. Marc. *c.* 15. *v.* 15.] quod se ad servilem humilitatem pro nobis demiserat. Plura de flagellatione et fustigatione notavit Emund. Merillius JCtus in *Notis philologic. in passionem Christi* [* in *Opuscc., quae ad historiam ac philologiam sacram spectant, Fascic. I.* (*Rotterodami* 1693.) *p.* 591. *sqq. X.*] De *plumbatis,* quas Constantinus *L.* 2. *C. de Exact. tribut.* sustulit, Cujacius et Amaya *ad illam legem,* Guido Pancirolus *Thesaur. var. lect. Lib. I. c.* 41. Jacob. Gothofredus *ad L.* 2. *C. Theod. de Quaest.* et V. A. Cornel. van Bynkershoek *Obser-*

---

g) Ant. Bombardini *Tr. de carcere et antiquo ejus usu.* P. I. Patav. 1713. 8. et in *Thes. Polen.* T. III p. 731—831. *Haub.*

h) Fustuarium supplicium ordinarium erat eorum, qui ducem deseruerant: Cicero *Philipp. III.* 6. Livius *V.* 6. fere sub *fin.* Quo ritu istud sumtum sit, docet Polybius *Historiar. VI.* 37. *Hein.*

i) Car. Gfr. de Winckler *Diss. de supplicio plumbatarum media aetate usitato.* Lips. 1744. 4. et in *Opuscc.* T. I. p. 225—255. Heynii *Pr. Cur virgis caesi Romano more, qui mox securi percutiendi essent?* Gott. 1784. f. et in *Opuscc.* T. III. p. 184—197. *Haub.*

vatt. l. 2. qui et *Lib. I. c.* 21. quae in *L. 7. D. de Poen.* sit *vinculorum verberatio*, erudite disputat k).

§. 8.

Talio.

Talionis poenam injuriis atrocioribus statuerant Decemviri, quorum haec lex reliqua est apud Festum [* *p.* 588.] et Gellium *Noctt. Att. XX.* 1. si. membrum. rupit. [* Festus *l. l.* rapserit] ni. cum. eo. pacit. talio. esto. (Dirksen *Zwölftafelges. p.* 516—520.) Verum quum omnes talionem hanc transactione a se amoliri possent, neque credibile sit, quemquam adeo stolidum fuisse, ut oculum sibi excuti pro oculo, quam pacisci cum laeso maluerit: facile est ad existimandum, etiam antiquissimis temporibus rarissimum apud Romanos fuisse talionis usum, tantum abest, ut eam sequiore aevo obtinuisse verosimile sit l).

§. 9.

Ignominia.

Ignominia vel Censorum nota, vel lege aut edicto Praetoris inurebatur m). Illam tamen paullo leviorem visam opinor. Cicero sane apud Nonium Marcellum *de proprietate sermonum c.* 1. *n.* 93. sub voce *ignominia. Censoris judicium nihil ferre damnato*, ait, *nisi ruborem.* De infamia, qua Praetor edicto certos homines notabat, singularis exstat Digestorum titulus, ad quem plura commentantur interpretes.

---

k) Non credo, hanc Leg. 7. recte aliis intellectam; verba haec circumferuntur: *veluti fustium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio:* equidem puto post *vinculorum* comma ponendum. *Cann.*

l) De talionis poena Petr. Faber in *Semestrib.* [*? *Lib. III. c.* 19.] Guil. Fornerius *Selection.* [* *Lib. II. c.* 29. et in Ever. Ottonis *Thesauro juris Romani Tom. II. p.* 79. *sq.*] Henr. Brencmannus *Lex Remmia sive de legis Remmiae exitu lib. singul.* [* *c.* 21. et in Ever. Otton. *Thes. jur. Rom. Tom. III. p.* 1632. *sqq.*] Jo. Glieb. Heineccius in *Opuscc. minor. p.* 213. *sq. Cann.* Brencmanni *Lib. sing. de Lege Remmia c.* 21. *in Thes. Otton.* T. III. p. 1632—1635. *Haub.*

m) *Tabul. Heracl.* c. VIII. et Dirksen *Observatt. ad Tabul. Heracl. part. alt.* (Berol. 1817. 8.) p. 78. sqq. G. C. Burchardi *Diss. de infamia ex disciplina Romanorum.* Kil. 1819. F. Walter *Ueber Ehre und Injurien nach Röm. Recht*; in dem *Neuen Archiv des Criminalr.* Bd. IV. num. V. et XII. T. Marezoll *Ueber die bürgerliche Ehre, ihre gänzliche Entziehung und theilweise Schmälerung.* Giessen 1824. *Mühl.*

§. 10.

Exsilium, servitus, mors.

De EXSILIO, SERVITUTEQUE jam supra satis multa notavimus. MORS vel CIVILIS, vel NATURALIS et VIOLENTA erat [n]). Morte *civili* plectebantur, quibus adimebatur libertas, vel civitas, qua de re jam suo loco actum est, nec hae mortis species differunt ab exsilio et servitute. At *naturali* ac *violenta* morte, quae in primis huc pertinet, animadvertebatur in eos, qui extremo digni videbantur supplicio. Et antiquis quidem temporibus usitatissimum erat suspendium in arbore infelice [o]). Quod supplicium metuendum erat P. Horatio, quum sororem occidisset: Livius *I.* 26. Nec infrequens praecipitatio ex rupe Tarpeja, de qua Just. Rycquius *de Capitol. c.* 4. *p.* 44. *sq.* Quod supplicium licet antiquitus servis cum liberis hominibus commune esset, ut ex Lege XII Tabb. demonstrat Gellius *Noctt. Att.* [**XX.* 1. fere sub *fin.*], postea tamen fuit liberorum hominum proprium: servi vero sub furca caesi in crucem agi consueverunt [p]). Quo de supplicio ejusque ritibus multa disputata sunt a Justo Lipsio, Gretsero, Ge. Calixto, Barth. Nihusio, et plurimis,

---

n) De variis suppliciis, ut de poena praecipitationis ex rupe Tarpeja: Sigism. Frid. Dresigii *Comm. de praecipitatione, Romanorum poena publica.* Lips. 1737. 4. de decollatione: Hier. Pet. Schlosseri *Comm. de usu gladii in suppliciis apud Romanos;* in Jo. Frid. Plittii *Analectis juris crim. num.* 1. p. 1—43. de condemnatione ad ludum gladiatorium, quae κατ' ἐξοχὴν audit *poena gladii:* Aug. Flor. Rivini *Diss. de poena gladii ex legibus Romanis.* Lips. 1727. 4. et de condemnatione ad bestias: Jo. Aug. Cleemann *Diss. de condemnatione ad bestias.* Lips. 1771. 4. Silentio praetermisit Auctor *publicationem bonorum,* suppliciorum capitalium ad Justiniani usque tempora ut plurimum comitem, de qua praecipue exstant Nic. Kloekhof *Historia jur. Rom. de bonis damnatorum.* L. B. 1749. 8. Jani de Kruyff *Diss. de publicatione bonorum jure Rom. et recentiori* (L. B. 1810. 8.) c. 1—4. p. 5—91. et Maur. Herm. Ed. Meieri *Historia juris Attici de bonis damnatorum et fiscalium debitorum* Lib. I. c. 1. §. 5. Lib. II. §. 1. 3. et 4. p. 165—167. 203. 217. 224. sq. et 227. sq. (Cf. supra Lib. II. Tit. XVII. §. 2. not. d. Lib. III. Tit. XIII. (XII.) not. a.) Denique de servitute poenae, exsilio, aquae et ignis interdictione, atque deportatione occupavit Auctor dicere I. 16, 5. et 9—11. (not. 11.) *Haub.*

o) *Infelix arbor* Turnebo in *Adversar. IV.* 3. est stipes seu furca, eumque ea in re sequitur Car. Sigonius *de Judiciis III.* 3. *p.* 690. At Catoni et Plinio felices arbores vocantur in universum, quae fructum ferunt, infelices, quae neque seruntur umquam, neque fructum ferunt. Cf. Coel. Rhodiginus *Lectt. antiq. IX.* 7. Brodaeus *Miscell. IV.* 6. *Hein.*

p) Unde Cicero *Philipp. I. c.* 2. *Talis animadversio fuit Dolabellae quum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos.* Hos scilicet ad saxum, illos ad crucem condemnavit. Add. Cicero *ad Atticum Epistt. XIV.* 17. *Hein.*

qui Christi passionem commentariis illustrarunt eruditis. Instar omnium esse possunt Anton. Bynaeus *de morte Jesu Christi Lib. III. c. 4. sqq.* et Casp. Sagittarius in *Harmonia historiae passionis Jesu Christi (Lips.* et *Jen.* 1684. 4.) *Parte II. p.* 831. *sqq. n.* 173. *sqq.* Saepe etiam sontes virgis caesi demum securi percutiebantur a lictoribus. Exemplo esse possunt Junii Bruti filii, patris ipsius jussu ita percussi, apud Livium *II.* 5. ut et Campani eodem modo tractati teste Livio *XXVI.* 15. q). Non rara quoque erat strangulatio, quae Triumvirorum interventu a lictoribus laqueo fiebat, et quidem plerumque in ea carceris parte, quae *Tullianum* vocabatur: Sallustius *Conjurat. Catilinar. c.* 51. [* ex *edit.* Telleri.] Cicero *Orat. in Vatinium c.* 11. Valerius Max. *V.* 4. 7. *VI.* 3. 1. Ex altera carceris parte, quam *robur* adpellabant, praecipitatio fiebat. Quale supplicium describit Festus sub voce *Robur p.* 451. Singulare quoque supplicium parricidarum erat *culleus*, de quo infra suo loco dicemus r). Sub Imperatoribus multae aliae poenae receptae, multae veteres abrogatae. In jure nostro supplicia licita occurrunt: *ad furcam damnatio*, *vivicomburium*, *capitis amputatio*, quibus proximae *metalli coercitio* et *deportatio in insulam*, quae, quia caput vel naturale vel civile adficiunt, poenae CAPITALES adpellantur: *L.* 28. *princ.* §. 11. *L.* 8. §. 1. *L.* 46. *D. de Poen.* Illegitimae contra erant poenae, si quis inedia necaretur: *L.* 10. *D. de Interd. et releg. junct. Basil.* [* *LX.* 54. 10. *T. VII. p.* 886.] vel si animadverteretur in aliquem securi, telo, fuste, laqueo, veneno, virgis: *L.* 8. §. 1. 3. *D. de Poen.* praecipitatione: *L.* 25. §. 1. *D. eod.* Inter NON CAPITALES licitas sunt *fustium admonitio*, *flagellorum castigatio*, *damnatio in opus temporarium*, *re-*

q) Ignominiosius videbatur, securi, quam gladio feriri. Hinc Ulpianus: *L.* 8. §. 1. *D. de Poen.* negat, in eum telo animadverti posse alio, qui ad gladium damnatus sit. Eodem pertinet, quod Papiniano securi percusso Antoninus Caracalla dixit: *Gladio te exsequi oportuit meum jussum.* Vid. Petr. Faber *Semest. I.* 3. *p.* 20. *Hein.* Male hoc negatum a Gerh. Sichtermanno *de poenis militaribus Romanorum* (*Amstelodami* 1708. 8.) c. 6. *Cann.*

r) Haec omnia libera republica fiebant. Sub Imperatoribus multae aliae, ac longe acriores poenae inventae sunt, veluti damnatio ad metalla, ad bestias, vivicomburium, aliaque hujus generis supplicia. Nec desunt exempla, quod homines arboribus incurvatis illigati, postea, remissis illis, in partes distracti sunt: Flav. Vopisci *Div. Aurelianus c.* 7. Qualia multa hinc inde in historia Augusta et in martyrologiis occurrunt. Addatur Caspar. Sagittarii *de Martyrum cruciatibus in primitiva ecclesia Liber edit. II.* (*Francofurti et Lipsiae* 1696. 4.) [* *c.* 4. *c.* 9. etc.] *Hein.*

legatio, infamia, dignitatis privatio: *L.* 6. §. *ult.* *L.* 7. *L.* 8. *princ.* *L.* 28. *princ.* §. 4. 6. *D. de Poen.* *L.* 103. *D. de Verb. sign.* Illicitae autem sunt poenae carceris perpetui; *L.* 8. §. 9. *L.* 35. *D. de Poen.* et tormentorum: *L. pen.* *D. de Quaestion.* Cujacius *Observatt.* *XIV.* 34. Sed omnes tamen has illicitas poenas Principes saepe per modum privilegii irrogasse satis constat.

§. 11.

Judicia publica a quibus exercita s)?

Ceterum publica judicia exercebant initio Reges ipsi. Romulus, teste Dionysio Halic. *II.* 14. de delictis maximis ipse cognoscebat, minora Senatoribus permittebat. Postea Tullus Hostilius instituit Duumviros, qui perduellionem judicarent, simulque ab eorum sententia provocationem concessit ad populum: Livius *I.* 26. Tarquinium Superbum auctor est idem Livius *I.* [* 49.], *ut metum pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solum exercuisse: perque eam caussam occidere, in exsilium agere, bonis mulctare* consuevisse. In Regum locum succedebant Consules, quos quaestionibus publicis non secus, ac Reges praefuisse, satis patet exemplo Junii Bruti apud Livium *II.* 5. Enimvero quum eodem anno P. Valerius Poplicola legem de provocatione tulisset: invaluit postea, ut non Consul de capite civis Romani injussu populi quaereret, verum ii, quos populus quaestionibus publicis praefecisset, quique inde *Quaesitores parricidii* sunt adpellati. Meminit eorum jam lex XII Tabularum, si vera scribit Pomponius *L.* 2. §. 23. *D. de Orig. jur.* Festus sub voce *Quaestores p.* 407. *Quaestores dicebantur, quod quaererent de rebus capitalibus, unde, qui talia quaerunt, quaestores parricidi adpellantur.*

§. 12.

Quaesitores quomodo constituti?

Solebant vero ejusmodi Quaesitores olim ita constitui, ut primo fieret SCtum, quo Tribuni jubebantur primo quoque tempore ad plebem ferre de quaestione hujus vel illius criminis: Livius *IV.* 51. Fiebat deinde a Tribunis rogatio hoc modo: VELITIS, JUBEATIS, QUAERATUR, QUAE PECUNIA CAPTA, ABLATA, COACTA AB REGE ANTIOCHO EST, QUIQUE SUB EJUS IMPERIO FUERUNT; QUOD EJUS IN

s) Qui per varia tempora publicis judiciis praefuerint, disquisivit etiam Bachius *H. J.* II. 1, 22. *Haub.*

PUBLICUM RELATUM NON EST, UTI DE EA RE SER. SULPICIUS PRAETOR URBANUS AD SENATUM REFERAT? QUEM EAM REM VELIT SENATUS QUAERERE DE IIS, QUI PRAETORES NUNC SUNT? Livius *XXXVIII.* 54. Consentiente et suffragante plebe, a senatu modo Dictatori, (Livius *IX.* 26.) modo Consulibus, (Livius *IV.* 51.) modo ex Praetoribus cuidam negotium dabatur quaerendi de crimine. Et hi dicti deinde sunt ***Quaesitores parricidii***, vel ***Quaesitores rerum capitalium*** t).

§. 13.

Quaestiones quando factae sint perpetuae?

Enimvero haec mutata sunt A. U. C. DCIV., quo perpetuae esse coeperunt quaestiones atque ordinariae. Quum enim eo anno L. Piso, Tribunus plebis, legem de repetundis tulisset: addidit, ut singularis de eo crimine Praetor quaereret: Cicer. *Brutus c.* 27. Steph. Vinand. Pighius *Annal. Romanorum (Antverpiae* 1615. *f.) Tom. II. p.* 447. u). Eadem ratione L. Sulla Praetori cuidam *quaestionem* de majestate; aliis de peculatu et de ambitu quaestionem demandavit. Solebant exgo sex, qui tunc in urbe erant, Praetores, inito magistratu, jurisdictionem urbanam, peregrinam, et quatuor illas quaestiones in sortem conjicere; adeoque fortunae, cuinam earum quaevis obtingeret, committere x): Car. Sigonius *de Judiciis II.* 4. *p.* 540. L. Cornelius Sulla etiam quaestiones quatuor alias publicas invexit, de sicariis, veneficiis, falso, et parricidio, adeoque totidem addidit Praetores: *L.* 2. §. 32. *D. de Orig. jur.* y). Solebat tamen senatus, quum raro plures, quam octo Praetores crearentur, suo arbitrio modo binas jurisdictiones, modo binas quaestiones, modo jurisdictionem et quaestionem uni alterive deferre: Car. Sigonius *ibid. p.* 542. Sed et extra ordinem nonnumquam senatus populique decreto quaerebant sive Consules, sive alii constituti Quaesitores.

---

t) De quaestionibus Senatus auctoritate habitis Dukerus *ad Liv. XXXIX.* c. 14. §. 6. T. V. p. 322. sq. Dirksen *Comm. Ueber die Criminaljurisdiction des Röm. Senates*; in Dessen *civil. Abhandlungen* T. I. num. 2. p. 105—185. *Haub.* Adde Schmiedicke *Diss. laud.* c. 5. p. 95. sqq. *Mühl.*

u) Klenze *Proleg. ad Fragm. leg. Serviliae repetundar.* p. X. sq. p. XIV. sq. Schmiedicke *Diss. laud.* c. VII. p. 153. sqq. *Mühl.*

x) Ante haec tempora Praetores bini singulas domi jurisdictiones ex SCtis sortiebantur, urbanam et peregrinam: reliqui quatuor provincias foris gubernandas suscipiebant. *Hein.*

y) De indole et numero quaestionum perpetuarum Ferratius *Epp.* I. 7. et 15. Ernesti *Clav. Ciceron.* v. *quaestio. Haub.*

Exempla sunt apud Ciceronem *de Fin. bonor. et malor. II.* 16. et *Bruto c.* 22.

§. 14.

Quaesitorum sessio.

Quaesitores ergo isti in foro atque in tribunali praeerant judiciis publicis, sedentes in sella curuli, gladiumque positum ante se habentes in signum imperii. Aderant praeterea Judex quaestionis, judices, scribae, adcensi, praecones, lictores, adparitores, et alii, qui Quaesitorem in judicando exsequendaque sententia juvabant: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 4. *p.* 544. z).

§. 15.

Quis Judex quaestionis?

Inter judices primum locum occupabat JUDEX QUAESTIONIS, *non* idem sane cum Quaesitore, ut aliqui sibi persuadent, sed *ab* hoc diversissimus. Sane in caussa Oppianici Praetor erat Verres, Judex quaestionis C. Junius. In caussa Verris Praetor M. Glabrio, Judex quaestionis Q. Curtius. In caussa Cluentii Praetor Q. Naso, Judex quaestionis Q. Voconius. Inter Quaesitorem et Judicem quaestionis hoc interfuisse ait Quinctilianus *Institt. orat. VII.* 3. a), quod Praetor seu Quaesitor in iis, quae essent imperii; Judex quaestionis in iis, quae ad cognitionem pertinebant, fuerit occupatus. Fuit ergo non quidem magistratus: *L.* 1. *princ.* et §. 1. *D. ad Leg. Corn. de sicar.* sed persona tamen publica b), quae veluti partes Prae-

---

z) Praeter Ferratium, nota insequente laudatum, adeundus rursus Braesti *l. l.* qui judicem quaestionis definivit Praetoris (in exercenda quaestione) vicarium. *Haub.*

a) Incaute Heineccius sequutus est Sigonium. Apud Quinctil. certe ne verbum quidem de hac re exstat. Potius cff. Cic. *pro Cluent.* c. 27. 29. et 54. ac Ferratius *Epp. I.* 4. *Haub.* Jam add. Klenze *Fragm. leg. Servil.* p. 34. sq. not. 2. et p. 73. not. 2. *Mühl.*

b) Videtur hoc munus post aedilitatem capi consuevisse. Sane C. Junius, Judex quaestionis, in Cluentiana fuit Aedilitius, teste Cicerone in *Orat. pro A. Cluentio* [* *c.* 29. et] *c.* 33. Et huc pertinet etiam inscriptio apud Car. Sigonium *de Judiciis II.* 5. *p.* 548.

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. PRON. PATER AUGUSTI
TR. MIL. BIS. Q. AEDIL. PL. CUM TORANIO JUDEX
QUAESTIONUM
PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATUS EX PROVINCIA
MACEDONIA

Gruterus *Inscriptt. p. CCCLX. n.* 3. *Hein.*

toris, sive absentis sive nimis occupati agebat, unde et *princeps judicum* vocatur Ascon. Pediano [* *in Verrem de Praetura urb. c.* 61. *p.* 108. *fine.*]. Praetor quoque praesens dabat adcusationem, vel negabat, cogebat judices et dimittebat, Judex vero quaestionis datam actionem exercebat, judices sortiebatur, testes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat, et si qua erant hujus generis alia: Car. Sigonius *ibid. p.* 546. *sq.* Ger. Noodt *de jurisdict. et imper. II.* 5. *p.* 158. Schultingius *Jurisprud. Antejustin. p.* 728.

§. 16.

Quales reliqui judices?

Reliqui judices quasi consilium Praetoris erant, adeoque adsidebant in subselliis. Legebantur initio ex ordine senatorio, deinde ex equestri, ex lege Sempronia: tum ex utroque ordine ex lege Servilia Caepionis, hinc iterum ex equestri ex lege Servilia Glauciae, porro iterum ex senatorio ex lege Livia Drusi, tum ex tribus ordinibus, senatorio, equestri, et plebejo, ex lege Plautia Silvani: hinc denuo ex senatorio ex lege Cornelia Sullae, ac paullo post denuo e tribus ordinibus ex lege Aurelia Cottae, postremo ex senatoribus solis, ex lege Julia Caesaris [c]). Numerus ex lege Servilia Glauciae fuit quadringentorum quinquaginta: quamvis non idem semper fuerit servatus. Hic numerus denuo in varias decurias descriptus erat, uti diximus supra *Lib. IV. Tit. XVII.* §. 2. Ex eadem lege judicem nec oportebat triginta annis minorem esse, nec majorem sexaginta. Aliis legibus cautum fuerat, ut judices viginti quinque ad minimum annorum essent, quamvis vicesimum annum sufficere iterum statuit Augustus: Suetonius *Octav. Aug. c.* 32. [d]). Legebat eos quotannis Praetor, simul jurans, se eos dolo malo scientem non legisse: lecti vero aderant in subselliis, et jurati ferebant sententiam.

§. 17.

Rei primum in jus vocati, deinde postulata facultas deferendi nomen.

Etiam publica judicia incipiebant ab *in jus vocatione: L.* 8. *D.*

---

c) De legibus judiciariis, qua ad ordines judicum in publicis judiciis spectaverunt, vid. Ferratius *Epp.* I. 1. et 5. nec non Casp. Garatonius *ad Cicer. Philipp.* I. 8. T. I. p. 60. sq. ed. Wernsdorf. *Haub.*

d) Pro vicesimo anno tricesimum ponit Car. Sigonius *de Judiciis II.* 8. sed depravatum esse illum locum Suetonii, jamdudum observarunt Cujacius *Observatt. XX.* 32. et Graevius in *Prolegom. T. XI. Thesaur. antiqu. Rom. Hein.*

de Adcusat. e). In jure deinde a Quaesitore postulabat adcusator, ut liceret sibi *nomen deferre:* Coelius *ad Cicer. Epistt. VIII.* 6. Cicero *Divinatio Verr. c.* 20. quae tamen postulatio etiam absente reo fieri poterat. Erant vero, qui adcusare non poterant, veluti mulieres f), pupilli, qui stipendium merebant, infames. Sic nec liberti jure adcusabant patronos: *L.* 8. *D. de Adcusat.* nec Quaestores Praetores et Praesides suos: Cicero *Divinatio Verr. c.* 19. Unde et adcusatus postulare poterat, si ei commodum videretur, ut judicium de adcusatore fieret, *utrum illi* liceret adcusare, necne: Auctor *ad Herennium I.* 12. *fin.* Quin et locus erat anticategoriae, vel adcusationi adcusatoris, si quis ei majus crimen objiceret: *L.* 19. *C. Qui adcus. non poss.* et tunc caussa majoris criminis praeferebatur minori, quamvis prius delato: *L.* 1. *C. eod. tit.* De quibus antecategoriis erudite, ut solet, agit Cujacius *Observatt. XX.* 7. Exemti quoque erant aliqui ab aliorum adcusationibus, veluti magistratus: Livius *XLV.* 37. et absentes reipublicae caussa: Valerius Max. *III.* 7. 9. Qui nomen deferebat, vocabatur adcusator, idque turpe munus habebatur, nisi quis aut reipublicae, aut patrocinii, aut paternarum, aut propriarum inimicitiarum caussa ad adcusandum accederet: Cicero *de offic. II.* 14. Publicos tamen Romae fuisse adcusatores, qui delicta publica persequerentur, patet ex Ciceronis *Orat. pro Sex. Roscio Amer. c.* 20. et Plinii *Epistt.* [* *IV.* 9. *V.* 20. *VI.* 31.]

§. 18.

In crimine repetundarum simul postulati patroni. Sin plures se offerrent adcusatores, judicio praemittebatur divinatio.

Si socii repetundarum quem postulabant: oportebat eos simul potestatem *patronos nominandi* postulare g). Concedebatur id SCto,

---

e) De accusatione universe egregias habemus observationes Perellii Lib. II. *Investigatt. antiqui juris* c. 3. sq. p. 58—90. Cf. Ferratius *Epp.* I. 6. Auctoris de publicis adcusatoribus opinionem redarguit Perellius *l. l.* c. 4. p. 79—90. *Haub.*

f) Nisi parentum, liberorumve, patroni vel patronae, vel eorum filii, filiae, vel nepotis mortem exsequerentur: *L.* 1. *D. de Adcusat.* quod et de pupillis observandum, qui alios consilio tutorum facere reos poterant, si de patrum, vel avorum morte habenda esset quaestio: *L.* 2. §. 1. *D. eod.* Praeterea feminae admittebantur, si deferrent crimen majestatis: *L.* 8. *D. ad Leg. Jul. Majest.* annonae: *L. ult.* §. 2. *D. ad Leg. Jul. de annona,* et denique sacrilegii: *L.* 10. *C. de Episc. et Cleric. Hein.*

g) *Fragm. leg. Servil.* cap. IV. (*de patronis dandis*); ap. Klenze p. 12. sqq. Judicum patronorumque nomina etiam in tabulis servanda erant; *ibid.* c. IX. p. 44. sqq. *Mühl.*

ut patet ex Livio *XLIII.* 2. Cicerone *Divinat. Verr. c.* 20. Nominati hi sociorum patroni simul erant adcusatores reorum. Sin vero duo pluresve adcusationem simul deposcerent: judicium antea fieri debebat, qui illorum deberet nomen deferre: id quod DIVINATIONEM vocabant, quia non de facto quaerebatur, sed de futuro, uter deberet adcusare: Ascon. Pedianus *in Cic. Divin. Verr. Praefat. p.* 15. Gellius *Noctt. Att. II.* 4. *L.* 16. *D. de Adcus.* Exemplo esse potest divinatio Ciceronis in Verrem, in qua cum Q. Caecilio Nigro disputat, uter adcusandi partes suscipere debeat. Qui in hac divinatione vicerat, primasque agebat partes, *adcusator;* reliqui *subscriptores* dicebantur, iique, ut ait Ascon. Pedianus [* *in Divinat. p.* 33.] adcusatorem adjuvare solebant. De subscriptionibus vid. Cicero *Divinat. in Verr.* c. 15. *Epistt. ad Q. Fratrem III.* 4. *Orat. pro L. Muraena c.* 24. *Epistt. ad Div. VIII.* 8. Alia ab hac subscriptione est, qua adcusator ad similitudinem supplicii, seu talionis se obstringebat, si non probasset, simulque cavebat, se in crimine perseveraturum usque ad sententiam: *L.* 7. *princ. D. L. ult. C. de Adcus. et inscr. L. ult. C. de Calumn. L.* 2. *C. de Exhibend. et transmittend. reis* h)

§. 19.

Delatio nominis, ejusque receptio.

Die constituta, utraque parte praesente ipsa fiebat *delatio nominis*, ita tamen, ut adcusator prius verbis conceptis juraret, se non calumniandi caussa deferre nomen. Vide supra *Tit. XVI.* §. 2. Fiebat ea delatio nominis eadem formula, qua solebat in judiciis privatis lis intendi, veluti: AJO, TE IN PRAETURA SPOLIASSE SICULOS CONTRA LEGEM CORNELIAM, ATQUE EO NOMINE SESTERTIUM MILLIES A TE REPETO. Fatente reo, statim fiebat aestimatio litis. Negante eodem, postulabatur, ut nomen inter reos reciperetur, ac tunc scribebatur libellus adcurate concipiendus, nominis, criminis, loci, temporis, personarum facta mentione: *L.* 3. *princ.* §. 1. *sq. D. de Adcusat. et inscript.* Quo facto tempus inquirendi dabatur: Ascon. Pedian. *in Prooem. Action. in Verrem p.* 44. Libelli ab adcusatore faciendae subscriptioni simul adcedere debebat subscriptio ad simi-

h) De subscriptione in crimen Brencmanni *Lib. sing. de legis Remmiae exitu* c. 21. in *Thes. Otton.* T. III. p. 1635—1639. Christ. Henr. Trotz *ad Herm. Hugonis de prima scribendi origine* c. 31. p. 391. sq. et de Bye *Diss. de delicto calumniae* c. 1. p. 4—16. *Haub.*

litudinem poenae, de qua paullo ante diximus. Quod ideo inventum fuerat a Romanis, ut ne facile quis prosiliret ad adcusationem, *quum sciret, inultam sibi adcusationem non futuram: L. 7. princ. D. de Adcusat. et inscript.* Cavebant itaque singuli adcusatores, se probaturos, quod crimen objecturi sint, et perseveraturos etiam in crimine usque ad sententiam. Libelli formula erat: HOC COS. ET DIE APUD ILLUM PRAETOREM, VEL PROCONSULEM, LUCIUS TITIUS PROFESSUS EST, SE MAEVIAM LEGE JULIA DE ADULTERIIS REAM DEFERRE; QUOD DICAT, EAM CUM GAJO SEJO IN CIVITATE ILLA, DOMO ILLIUS, MENSE ILLO, CONSULIBUS ILLIS, ADULTERIUM COMMISISSE: *L. 3. princ. D. de Adcusat. et inscript.* Et haec professio deinde vel ab ipso adcusatore, vel ab alio, si forte ille litteras nesciret, ejus nomine erat subscribenda, ut docet Paulus Jureconsultus *d. L. 3. §. 2. D. de Adcusat. et inscript.* Hinc Ascon. Pedianus in *Orat. Cic. pro C. Cornelio p.* 124. *Detulit nomen Publius, subscripsit Cajus* i). Quemadmodum vero adcusator nomen DEFEREBAT; ita illud RECIPIEBAT Praetor; quae receptio, quum aliquando esset in Quaesitoris arbitrio, postulari debebat: L. Annaeus Seneca [* *Claudii Caesaris Ἀποκολοκύντωσις s. Ludus de morte Cl. Caesar.* fere sub *fin.*]: *Ducit illum ad tribunal Aeaci. Is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat: postulat nomen ejus recipi, edit subscriptionem: Occisos Senatores XXX, Equites Rom. CCCXV, atque plures.* Et Coelius *ad Ciceron. Epistt. ad Div. VIII.* 8. *Neque Laterensis Praetor, postulante Pausania nobis patronis, quo ea pecunia pervenisset, [nomen] recipere voluit.* Recepto vero nomine, Praetor certam diem, qua adcusator et reus adessent, constituebat, et plerumque quidem diem tricesimum ex lege Licinia et Julia: Cicero *Orat. in Vatinium c.* 14. Quod tempus, si paullo brevius videretur, licebat adcusatori diem longiorem poscere ad inquirendum, praecipue in crimine repetundarum, ut patet ex Ascon. Pediano in *Prooem. Action. in Verrem p.* 44.

§. 20.

Delato nomine reus vestem mutabat.

Ex eo tempore reus vestem mutare, et patronos conquirere solebat. Posita enim toga alba, non quidem atram, seu pullam k),

i) Plura de accusationum forma libellorumque inscriptione collegit Brissonius *de formulis* Lib. V. c. 85—88. *Mühl.*

k) Atram seu pullam vestem sumebant in luctu, ut multis ostendit Jo.

ut Car. Sigonius *de Judiciis II.* 10. *p.* 563. suspicatur, sed sordidam et obsoletam sumebat: Livius *VI.* 20. Unde *sordes* pro reatu, et *sordidatos* pro reis saepe dici, observat Jo. Georg. Graevius in *Prolegomenis Tomi XI. Thesaur. Ant. Rom.* Idem etiam rei amici et cognati saepe faciebant, nonnumquam et ipsi magistratus, si viri bene de republica meriti vita et salus in discrimen vocaretur: Cicero *Orat. ad Quirit. post redit. c.* 5. Plutarchus *in vita Tib. Gracchi c.* 10. sub *fin.* Promittebat etiam reus barbam et capillum, ut constat ex Gellio *Noctt. Att. III.* 4. Livio *II.* 61. Ciceron. *Orat. pro Q. Ligario c.* 11.

§. 21.

Patroni quot adhibiti?

Patronos ante Caesaris tempora raro adhibebant plures, quam quatuor: post bella vero civilia saepe ad duodecim perventum. M. sane Scaurum sex patroni defenderunt, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius: Ascon. Pedianus in *Orat. Cicer. pro M. Scauro p.* 171. Idem patronos illos in quatuor classes distinguit. Proprie enim *patronus* dicebatur orator, qui voce caussam orabat. Qui vero vel jus suggerebat, vel praesentiam suam commodabat amico, *advocatus* vocabatur. Addit idem *procuratorem*, et *cognitorem*, qui tamen ad privata tantum judicia pertinebant: Ascon. Pedianus in *Cicer. Divinat. p.* 20.

Kirchmannus *de funeribus Romanorum II.* 17. Unde et Paulus *Sententt. Receptt. I.* 21. 14. ait: *Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura, et alba veste.* Albam tamen vestem sub Imperatoribus in luctu adhibitam esse a mulieribus, docent Lipsius *ad Taciti Annal. II.* [* c. 75.] Radulph. Fornerius *Rer. quotidianar. II.* [* 27.] idque probant ex Plutarchi *Quaestt. Roman. c.* 26. et Herodiano *Hist. IV.* 2. Sed ex utroque auctore patet, albae vesti locum tantum fuisse per eos dies, quibus nondum justa facta fuerant marito. Alias enim et feminas pulla veste in luctu usas esse, adparet ex Lactantio *de mortib. persecutor. c.* 39. Ceterum non modo quoad colorem vestes in luctu mutabantur, verum etiam quoad formam. Magistratus enim in luctu, posita praetexta, latum clavum sumebant: senatores, lato clavo posito, angustum: Dio Cassius *XL.* [* 46.] et *LVI.* [* 31.] Petr. Faber *Semestr. I.* 2. *p.* 8. *Hein.* Albis vestibus usas mulieres per id tempus, quo justa mortuo nondum essent soluta, iis autem solutis gestasse atras aut pullas, recte credidit Anton. Schultingius quoque *ad Pauli l. c.* Contra sentit Trotzius *de memoria propag. Lib. I. c.* 6. *p.* 423. Anton. Schultingii opinionem confirmant illa, quae apud Nonium [* Marcellum *de proprietate sermonum c.* 16. *n.* 13. sub vocc. *pullus color*] exstant: *ut dum supra terram essent, ricinis lugerent funere ipso, ut pullis palliis amictae.* Haec latius olim [* *Obss. jur. Rom. I.* 4.] exposui. *Cann.*

§. 22.

Citatio rei per praeconem.

Veniente die, in quem adcusatorem et reum adesse jusserat Praetor, utrumque citari oportuit per praeconem. Si reus ergo criminis conscientia sese haud sisteret, absenti irrogabatur exsilium: Ascon. Pedianus in *Orat. Cicer. pro Milone p.* 205. Sin, reo praesente, adcusator non adesset: eximebatur adcusati nomen de reis: Ascon. Pedianus in *Orat. Cicer. pro C. Cornelio p.* 124. *Postero die, quum P. Cassius adsedisset, et citati adcusatores non adessent, exemtum nomen est de reis Cornelii.*

§. 23.

Lecti deinde judices.

Utroque prodeunte, porro de judicibus legendis agebatur, ut tantus adesset eorum numerus, quantus erat lege definitus. Fiebat autem hic delectus per *sortitionem* et *editionem*. In *sortitione* Praetor vel judex quaestionis nomina omnium, qui eo anno inter judices adlecti fuerant, in urnam conjiciebat, ac sorte deinde eum educebat numerum, quem lex praescribebat. Quo facto, deinde tum adcusatori, tum reo dabatur potestas rejiciendi, quos parum sibi putarent idoneos, quorum in locum deinde alios subsortiebatur Praetor vel Judex quaestionis, quibus ille judicum numerus legitimus compleretur: Cicero *in Verrem Act. I.* 6. Ascon. Pedianus *ad h. l. p. 47. sq.* Nonnumquam lex non sorti, sed adcusatoris reique arbitrio judicum electionem permittebat, et hi tunc EDERE JUDICES dicebantur, ipsi autem judices EDITITII vocabantur: Cicero *Orat. pro L. Muraena c.* 23. *pro Cn. Plancio c.* 15. et 17. Sic lege Servilia Glauciae [1]) adcusator jubetur ex CCCCL judicibus edere centum: ex his centum reus edere quinquaginta. Vid. fragmenta legis Serviliae apud Car. Sigonium *de Judiciis II.* 27. *p.* 609. Lecti judices *citabantur,* citatique vel excusatione utebantur, vel aderant subselliaque occupabant. Et hi tunc jurabant in leges, ut obstricti religione judicarent. Eorum, qui juraverant, omnium, praeter ipsum

---

1) Fuit enim hujus legis rogator Servilius Glaucia; Klenze *Proleg.* p. XVI. et p. 1. not. 1. Quae porro, Sigonium secutus, de judicibus edendis Heineccius profert, emendanda sunt e Klenzii fragmentorum L. Serviliae editione c. VIII. ejusque ad *h. l.* observationibus p. 33. sq. not. 1. p. 38. not. 12. Cf. Walter *Rechtsgesch.* p. 862. sq. *Mühl.*

Praetorem[m]), nomina libellis consignabantur, ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime judicarent: Ascon. Pedianus in *Prooem. Act. in Verrem p.* 48. [n]).

§. 24.

Actio prima.

Jam ipsa demum caussa cognosci coepit, eaque cognitio duabus potissimum ACTIONIBUS absolvi consuevit, *prima* et *secunda,* nisi forte lex comperendinationem adeoque secundam actionem prohiberet. In prima actione adcusator, accepta dicendi potestate, actionem instituit, crimina rei singulatim percensendo, et ad singula vel testes interrogando, vel tabulas servorumve tortorum confessionem producendo, ut fidem faceret judicibus. Unde interrupta plane fuit prior haec oratio, ut patet ex Ciceronis *Actione I. in Verrem.* Postea vero eamdem caussam alio die tractavit, non interrupto dicendi genere, sed oratione perpetua, qua crimina illa dicendo exaggerabat, testimoniaque artificiose confirmabat, et totius vitae anteactae flagitia narrabat, eaque oratio κατ' ἐξοχὴν dicta est *adcusatio:* Cicero *Orat. pro M. Coelio c.* 3. [o]).

§. 25.

Quaestiones de servis habitae.

Quum ergo prima statim oratione ab adcusatore omnia testimoniis essent confirmanda, eaeque probationes in *quaestiones, testes* et *tabulas* distinguerentur: de singulis monenda quaedam ex antiquitatibus existimo. QUAESTIONES erant testimonia servorum vi tormentorum expressa. Solebat enim adcusator, simul ac judices cum Praetore adsedissent, servos rei in quaestionem postulare [p]): Ascon. Pedianus in *Orat. Cic. pro T. Annio Milone p.* 203. Non licebat tamen servos in caput domini interrogare: *L.* 1. §. 16. et 18. *D. de Quaest.* nisi in caussa incestus et conjurationis: Cicero *Partit. orator. c.* 34. *Orat. pro T. Annio Milone c.* 22. imo et postea in caussa tributorum: *d. L.* 1. §. 20. de quo loco videndus Cujacius *Observatt.*

m) Praetor enim jam initio magistratus juraverat conceptis verbis, se ex animi sententia et secundum leges jus dicturum: Petr. Faber *Semestr. I.* p. 213. *Hein.*

n) Ferratius *Epp. I.* 5. *Haub.*

o) De hujus sequentiumque locorum argumento cfr. et Walter *R. G.* p. 871. sqq. *Mühl.*

p) Imo et privati olim torquebant servos: Cicero *Orat. pro A. Cluentio c.* 63. et 66. Quinctilianus *Declamat.* 328. 338. 353. *Hein.*

VI. 29. in reliquis criminibus non oportebat salutem dominorum servorum arbitrio committi: Cicero *Orat. pro Milone c.* 22. q) Paulus *Sententt. Receptt. V.* 16. 5. Nonnumquam et alieni servi in quaestionem postulabantur, sed nonnisi singuli, et permittente domino. Permittere autem non aliter tenebatur, quam si caveret adcusator, se, si exspirassent in quaestione, eorum pretia; sin deteriores facti, ejus quoque damni aestimationem praestiturum: Paulus *ibid.* §. 3. *L.* 13. *D. de Quaest.* Servi ergo in quaestionem postulati, praesentibus advocatis, equuleo adligati ita intendebantur, ut tamquam ex cruce penderent miseri, ipsaque compages ossium illis divelleretur. Tum porro augendo dolori aliquando admovebantur candentes laminae, ungulae ferreae, aliaque hujus generis tormenta, quae satis operose describuntur a Car. Sigonio *de Judiciis III.* 17. *p.* 720. *sqq.* Hieron. Magio *lib. sing. de equuleo*, edito cum notis Gothofr. Jungermanni, [* in *Novo Thesauro Antiquitatt. Romanarum congesto* ab Alberto Henr. de Sallengre *Tom. II. (Hagae Comitum* 1718. *f.) p.* 1211. *sqq.*] Octav. Ferrario *Elector. I.* 5. a Casp. Sagittario *de Martyrum cruciatibus in primitiva ecclesia lib. c.* 17. *p.* 313. *sqq.* aliisque. Quaestione habita, et confessione servorum in tabulas relata, tabulae obsignabantur, donec depromerentur in judicio: Cicero *Orat. pro Milone c.* 22. r).

§. 26.

Testimonia.

Quemadmodum vero servi per tormenta, ita liberi homines extra illa quaerebantur, et hi TESTES dici solebant. Providendum vero in primis erat, ne testes adhiberentur parum idonei. Unde explorandа erat conditio cujusque, utrum quis decurio esset, an plebejus, et num honestae et inculpatae vitae, an vero notatus, et infamis, locuplesne, an egens esset, ut lucri caussa facile quid ad-

---

q) Moribus et institutis majorum id jus tribuit Cicero in *Partit. orator. c.* 35. et *Orat. pro Rege Dejotaro c.* 1. At Tacitus *Annal. II.* 30. illud a SCto quodam vetere arcessit. Probabile est, SCto quodam illud vetus institutum in usum fuisse revocatum. *Hein.*

r) Christ. Ulr. Grupen *Diss. praelimin. von den tormentis Romanorum et Graecorum; praem.* Ej. *Observ. jur. crim. de adplicatione tormentorum* (Hannov. 1754. 4.) p. 1—72. Jo. Fr. Reitemeier *Comm. de origine et ratione quaestionis per tormenta apud Graecos et Romanos* (Gott. 1783. 8.) p. 35—86. Ernst Christ. Westphal *Die Tortur der Griechen, Römer und Deutschen* (Leipz. 1785. 8.) p. 7—80. *Haub.* Schmiedicke *Diss. laud.* p. 177. sqq. *Mühl.*

missurus videretur, porro an inimicus ei, contra quem ferebat testimonium, an amicus illi, pro quo ferebat, et quae sunt hujus generis alia, quae cum cura explicare solent Jureconsulti ad *titulum D. de Testibus*. Dolendum est, periisse Domitii Afri, oratoris et caussidici, *libros duos de confirmandis et refellendis testimoniis*, laudatos a. Quinctiliano *Inst. orator.* [* *V.* 7. §. 7. *VI.* 3. §. 27. 32. 42. 54. 68. 92. *sq.* etc.] Fuit enim auctor iste inter oratores veteres celeberrimus, cujus meminerunt Plinius *Epistt.* [* *II.* 14. §. 10.] *VIII.* 18. §. 5. Tacitus *Annal. XIV.* 19. [* *IV.* 52. et 66. Scriptor *Dialogi de Oratt.* c. 13. et 15.] et Eusebius in *Chronico Hieronymo interprete n. MMLX.* qui eum domo Nemausensem fuisse ait. Ceterum hi testes vel sua sponte dicebant testimonium, vel inviti, si quando iis, permittente lege, adcusator testimonium denunciaret. A qua tamen necessitate lex Julia de judiciis publicis exemerat generos, soceros, vitricos, privignos, sobrinos, sobrino natos, eosque, qui propiore gradu essent, libertos item et patronos: *L. 4. D. de Testib.* Ceterum testes interrogabantur in judicio ab adcusatoribus, et in eo quam maxime elucere videbatur eorum prudentia et dexteritas, quod longius repetita interrogatione verum extorquerent etiam invitis: Cicero *Orat. pro L. Flacco c.* 10. Hinc Phaedria adolescens apud Terentium *Eunuch. Act. IV. sc.* 4. *v.* 33. obliquius interrogabat eunuchum de turbis in domo meretricis datis:

— *Unde fratrem meum esse scribas?* —

Ad quem locum Donatus notat: *Et hae sunt obliquae interrogationes, quibus uti oratores videmus, quum derivare testimonium nituntur*. Quamquam vero testes nonnisi jurati dicebant testimonium, et de iis etiam rebus, quas ipsi vidissent compertasque haberent: non alia tamen formula interrogabantur, quam illa: S. TEMPANE, QUAERO EX TE, ARBITRERISNE, C. SEMPRONIUM COS. IN TEMPORE PUGNAM INISSE? Ad quae testis vel ARBITROR, vel NON ARBITROR respondebat: Cicero *Acadd. Quaestt. IV.* 47. in *fine*, et *Orat. pro M. Fontejo c.* 9. Quod etiam Cujacius notavit *Observatt. III.* 26. Absentes testes per tabulas dicebant testimonium [*Ferratius *Epp. I.* 3.].

§. 27.

Tabulae probationis caussa recitatae.

Tabularum nomine omne genus scripturarum veniebat, quo caussam probabat adcusator, eoque in primis pertinebant in repe-

tundarum et peculatus crimine tabulae dati et expensi, tabulae auctionariae: in reliquis pactiones, litterae, syngraphae, aliaeque hujus generis, quae obsignatae diligenter ab adcusatore ad Praetorem deferebantur: Cicero *in Verrem Act. II. Lib. I. c.* 5. et *c.* 61. Car. Sigonius *de Judiciis II.* 16. *p.* 577. *sq.* [s]).

§. 28.

Rei defensio.

Jam ut ad primam actionem redeamus, ubi adcusator actionem suam pariter ac adcusationem absolverat, patroni sese ad rei defensionem adcingebant, inter quam et adcusationem aliquot plerumque dies intercedebant: Cellarius *ad Cic. Orat. pro Sex. Roscio Amer. c.* 4. In ipsa defensione quid egerint patroni, facile est ad intelligendum, idque satis superque docent tot Ciceronis, quae exstant, orationes. Crimen scilicet objectum vel diluebant, vel jure factum contendebant. Quos produxerat adcusator testes, vel rejiciebant, vel sibi prodesse ostendebant, et quae alias ipsa suggerit ratio caussaeque indoles: Cicero *Orat. pro A. Cluentio c.* 18. et *pro M. Fontejo c.* 1. et 16. Illud vero non praetermittendum, illos in epilogis ad misericordiam concitandam etiam filios reorum produxisse. Qua de re multa suo more praecepit Quinctilianus *Inst. orator. VI.* 2.

§. 29.

Laudationes rei.

Nec patroni solum reum per aliquot saepe dies [t]) defendebant: sed adhiberi etiam solebant laudatores, id est, summa auctoritate viri, sive cives, sive ex municipiis missi, qui publica laudatione rei periculum sublevarent: Cicero *Orat. pro A. Cluentio c.* 40. Horum laudatorum plerumque decem dabantur, isque numerus jam erat moribus receptus, ut honestius videretur, nullos, quam pauciores accipere: Cicero *in Verrem* [* *Act. II. Lib. V. c.* 22.] Ea porro laudatio modo praemittebatur defensioni, modo innectebatur eidem, modo eam subsequebatur, ut ex Ciceronis orationibus *pro*

---

s) Vid. inprimis von Almendingen *Ueber die rationes domesticae der Römer zu den Zeiten der freien Republik;* in Grolman *Magaz. für die Philos. und Geschichte des Rechts* u. s. w. T. II. p. 175—183. *Haub. Lex Servilia repetundar.* c. IX. p. 54. sq. ed. Klenzii. *Mühl.*

t) Sic Cicero Cornelium per quatriduum defendit, teste Ascon. Pediano in *Orat. Cic. pro C. Cornelio p.* 126. *Hein.*

L. Flacco [* *c.* 15. *Idem laudationem — falsam esse dicebat.*], *pro A. Cluentio* [* *c.* 69. *Eum verbis publice laudant* etc. *LAUDATIO CLUENTII, ex decurionum Larinatium decreto. Orat. pro M. Coelio c.* 2. fere sub *fin.* Ascon. Pediano *in Orat. Cic. pro M. Scauro c.* 177. *sq.* et ex *edit.* Graev. *p.* 1016. *sq.*] patet. Car. Sigonius *de Judiciis II.* 19. *p.* 584. [* *Opp.* Sigonii *Tom. V. (Mediolani* 1736. *f.) p.* 779. *sq.*]

§. 30.

Comperendinatio vel actio secunda.

Ceterum lex, ex qua agebatur, aut hanc unam actionem admittebat, aut comperendinationem concedebat. Si unica actio admittebatur, finita defensione, statim in suffragia mittebantur judices, et sic *primo coetu*, vel *primo judicare* dicebantur: Auctor *ad Herennium IV.* 36. *Vos veriti estis, si primo coetu condemnassetis, ne crudeles existimaremini?* Quae verba egregie interpretatur Turnebus *Adversar. XX.* 25. Sin lex comperendinationem haberet [u]): tunc perendie nova instituebatur partis utriusque recitatio, sed ita, ut priore loco reus, posteriore adcusator diceret: Cicero *in Verrem Act. II. Lib. I. c.* 9. et ad *h. l.* Ascon. Pedianus *p.* 75. [x]).

§. 31.

Judices missi in consilium.

Finita et hac actione, ubi uterque orator DIXI addiderat, statim praeco DIXISSE eos pronunciabat. Quo facto Praetor tabellas distribuebat inter judices, eosque ad ferendam sententiam mittebat in consilium: Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. p.* 77. *Mittere judices in consilium est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi, adlegatis omnibus argumentis, orator dixerat DIXI.* Et *in Prooem. Actionis in Verrem p.* 65. *Moris veterum fuit, quum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere, ut dicerent ad ultimum: DIXI: quod etiam, ab utraque parte oratione consumta, ut in consilium dimitterentur, praeco* [y]) *so-*

---

u) Ut Servilia lex; Klenze *l. l.* p. 64. not. 1. *Mühl.*

x) Ferratius *Epp.* I. 9. Jo. Alb. Spies *Diss. de comperendinatione.* Lips. 1728. 4. Perellius Lib. I. *Investigationum antiqui juris* c. 4. p. 131—157. Locus vero *Auct. ad Herennium* a Nostro hac occasione adlatus non pertinet ad comperendinationem, sed ad ampliationem, ut recte monuit Christ. Daniel Erhard *Diss. de ampliationibus judiciorum publicorum apud Romanos* (Lips. 1793. 4.) c. 1. p. 23. sq. *Haub.*

y) In vulgatis Ciceronis editionibus est *Praetor.* Sed pro *Praetore* legen-

leret pronunciare: DIXERUNT [a]). Hinc consurrexere judices, et in levioribus caussis sententiam singuli de tabulis pronunciarunt: et tunc PALAM dicebatur LATA SENTENTIA: in gravioribus vero CLAM hoc fieri consueverat. Adcedebant enim judices ad urnas, quarum tot erant, quot judicum ordines, et in illas e tribus, quas acceperant, tabulis unam quisque immittebat. Qui absolvendum credebant reum, eam immittebant, cui A. id est, ABSOLVO, inscriptum. Qui condemnandum, alteram, in qua C. id est, CONDEMNO, legebatur. Qui denique dubitabant, tertiam, in qua NL. id est, NON LIQUET, immittebant. (Vid. Lib. I. Tit. II. §. 14.) Interea dum hae tabulae immittebantur, et earum deinde fiebat diremtio; reus in genua provolutus judicum genua osculabatur, nihilque, quod ad misericordiam excitandam facere videretur, praetermittebat: Valerius Max. *VIII.* 1. 6. Idem etiam faciebant laudatores et amici, ut adparet ex exemplo M. Scauri, cujus laudatores ad genua judicum, quum sententiae ferrentur, bifariam se diviserant, et pro eo deprecabantur, teste Ascon. Pediano *ad Cicer. Orat. pro M. Scauro p.* 177. *sq.* Invaluerat etiam, ut virgines Vestales aliquando adhiberentur deprecatrices: Tacitus *Annal. XI.* 32. et Berneggerus *ad Suetonii C. Jul. Caesar. c.* 1.

§. 32.

Sententia lata a Praetore.

Diremtis tabulis, Praetor ipsam pronunciabat sententiam. Aut enim condemnabat reum, aut absolvebat, aut amplius cognoscendum ajebat, prout id plura suaderent suffragia: Coelius *apud Cicer. Epistt. VIII.* 8. Condemnationis formula erat: VIDETUR FECISSE, vel NON JURE VIDETUR FECISSE. Absolutionis: NON VIDETUR FECISSE, vel JURE VIDETUR FECISSE. Ampliationis denique: AMPLIUS COGNOSCENDUM: Cicero *Acadd. Quaestt. IV.* 47. *Brut.* c. 22. Quin et, si poena adjiceretur, simili id fiebat formula: VIDERI EUM IN EXSILIO ESSE, BONAQUE EJUS VENIRE, IPSI AQUA ET IGNI PLACERE INTERDICI: Livius *XXV.* 4. Car. Sigonius *de Judiciis II.* 22. *p.* 591. Barn. Bris-

---

dum esse *praeconem*, recte monet Frid. Hotomanus *in Prooem. Act. in Verr. p.* 229. *Hein.*

z) Ernesti *Pr. Animadvv. philologg. in librum Francicum de caussis legum;* in *Opusc. philologg. crit.* p. 55. Caeterum de usu forensi τοῦ dixi cf. de Winckler *Emendd. quaedam Heineccianae;* in *Obss. juris antiqui* num. 15. *Opusc. min.* Vol. I. P. II. p. 442. *Haub.*

sonius *de formul. V. p.* 480. Condemnationis sententiam pronunciaturus Praetor, praetextam ponere solebat, teste Plutarcho in *Cicerone c.* 9. nec verba solum antea relata proferebat, verum etiam poenae et supplicii nonnumquam faciebat mentionem, quamvis etiam aliquando eam praetermitteret, et ad ipsam se referret legem *L.* 1. §. 4. *D. ad SCtum Turpillianum.*

§. 33.

Repetita caussae cognitio.

Absolutus reus domum se recipiebat, positoque sordido habitu, resumebat togam albam [a]), ut adparet ex exemplo Ciceronis apud Plutarchum in *Cicerone c.* 9. Si non absolutionis, sed ampliationis tantum pronunciata esset sententia: denuo cognosci caussa ab integro solebat alio die, quem Praetor arbitratu suo statuebat. Tunc iterum primus dicebat adcusator, et deinde patronus, quo facto denuo in consilium mittebantur judices, idque eo usque fiebat, donec caussa ad liquidum perducta esset [b]). Denique, condemnato reo, aut Tribunorum implorabatur auxilium, cujus rei exempla exstant apud Plntarchum in *Caesare c.* 2. *sqq.* Cicer. *Orat. pro P. Quintio c.* 20. aut Consul ipse, vel alius Praetor intercedebat, uti patet ex exemplis apud Valerium Max. *VII.* 7. 6. aut lis ei aestimabatur, veluti in judicio repetundarum, aut ipsa sequebatur animadversio, et reus in poenam aliquam condemnabatur. Lite aestimata, aut pecunia solvenda erat, aut eam summam, proscriptis ejus bonis, sectores curabant: Ascon. Pedianus *in Prooem. Actionis in Verrem c.* 13. *p.* 60. De poenis, quales fuerint apud veteres, jam supra satis superque dictum est.

§. 34.

Qualia fuerint judicia populi?

Sufficiant haec de judiciis publicis. Addenda nonnulla de JUDICIIS POPULI [c]), quae et ipsa plerumque ad vindicanda crimina comparata fuerunt. Publica enim judicia de iis instituebantur cri-

a) Licebat tunc reo absoluto contra adcusatorem vel calumniae vel praevaricationis instituere actionem, de quibus multa Jureconsulti. Adde Car. Sigonium *de Judiciis II.* 26. *p.* 600. *sq. Hein.* Add. *Fragm. Leg. Servil.* cap. 22. ap. Klenze p. 89. 90. et ibid. p. 6. not. 16. p. 67. not. 4. *Mühl.*

b) De reis ampliatis vid. Perellii *l. l.* et Erhardi *Diss. laud. ad* §. 30. *Haub.*

c) De ordine judiciorum populi Dukerus *ad Liv.* XXVI. c. 3. §. 8. 9. Tom. III. p. 1056. *Haub.* Schmiedicke *Diss. laud.* c. 4. p. 54. sqq. *Mühl.*

minibus, de quibus certae exstabant leges. At populus judicabat de quibuscumque, quae ad se detulisset magistratus [d]), et in quibus de capite civis Romani agebatur [e]). In primis tamen duo crimina ad populum deferri solebant, *majestatis* puta et *peculatus*. Sic majestatis caussam apud populum dixere Marcus Coriolanus, Sp. Cassius, T. Menenius, Sp. Servilius, App. Claudius, et alii. Ob peculatum dies dicta M. Camillo, M. Livio Salinatori, P. Africano, M. Postumio et aliis, qualia exempla collegit Car. Sigonius *de Judiciis III.* 2. *p.* 687. *sq.*

§. 35.

In quibus comitiis instituta?

Instituebantur haec judicia olim in comitiis curiatis, ut patet ex exemplo P. Horatii, cui, quum sua manu sororem interemisset, dies dicta est apud populum, cujus suffragiis liberatus perduellionis supplicium evasit: Livius *I.* 26. Cicero *Orat. pro T. Annio Milone c.* 3. Atqui eo tempore comitia non erant alia, quam curiata, centuriatis multo post a Serv. Tullio Rege inventis. Exactis autem Regibus, quum jam Serv. Tullius centuriata, et postea Tribuni plebis etiam tributa invenissent comitia: non curiatim amplius, sed vel per centurias, vel per tribus, de criminibus civium Romanorum judicari coepit. Centuriatis eam potestatem dederat P. Valer. Poplicola Cos., qui lata lege sanxerat, ut a Consulum sententiis provocatio esset ad populum: Livius *II.* 8. Quae lex deinde etiam inter sacratas repetita firmataque est: Cicero *Orat. pro P. Sextio c.* 30. Invaluit ex eo tempore, ut de mulctandis civibus Romanis in comitiis tributis [f]); de capite eorumdem nonnisi in centuriatis ageretur: Cicero *de Legg. III.* 4. et 19. Quam legem Valeriam iterum retulit

---

d) Sic de sororis caede dies dicta est P. Horatio: Livius *I.* 26. Valerius Max. *VIII.* 1. 1. de homicidii suspicione P. Sestio: sed et de vindiciis contra leges datis App. Claudio: Livius *III.* 56. de repetundis C. Lucretio: Livius *XLIII.* 8. de perduellione C. Claudio: Livius *XLIII.* 16. de peculatu M'. Acilio Glabrioni: Livius *XXXVII.* 57. P. et L. Scipionibus: Livius *XXXVIII.* 50. L. Postumio: Livius *XXV.* 3. de puero ad stuprum pellecto C. Scantinio: Valerius Max. *VI.* 1. 7. de vi armata Miloni: Ascon. Pedianus in Cicer. *Orat. pro T. Annio Milone c.* 6. *p.* 196. *sq. Hein.*

e) „De capite civis, nisi per maximum comitiatum — ne ferunto"; Cic. *de Legib.* III. 4. Dirksen *Zwölftafelges.* p. 645. sqq. Cf. not. f. ad §. seq. *Mühl.*

f) Attamen etiam de capite M. Coriolani in comitiis tributis actum esse nemo ignorat: Livius *II.* 35. Verum id nulla lege aut more per tumultum actum esse recte observat Car. Sigonius *de Judiciis III.* 5. *p.* 692. *Hein.*

C. Sempronius Gracchus A. U. C. dcxxx. Cicero *Orat. pro C. Rabirio perduell. reo c.* 4.

§. 36.

An etiam in comitiis tributis?

In tributis comitiis diem reis dicere solebant magistratus minores, veluti Aediles curules, Tribuni plebis, et Aediles plebis. Sic T. Menenius, App. Claudius, Sp. Servilius, C. Sempronius aliique judicio oppugnati sunt a Tribunis plebis: Livius *III.* 52. 56. *IV.* 21. C. Scantinio, Tribuno plebis, diem dixit M. Marcellus, Aedilis curulis, quod filium suum de stupro adpellasset: Valerius Max. *VI.* 1. 7. Venturio Exconsuli idem negotium facessivit C. Alienus, Aedilis plebis: Dionysius Halic. *X.* 48. Aliud exemplum C. Fundanii et Tib. Sempronii, Aedilium plebis, qui Claudiae diem dixere, exstat apud Gellium *Noctt. Att. X.* 6. Centuriatis autem comitiis non minores illi magistratus, sed Consules, Praetores, nonnumquam tamen et Quaestores aliique magistratus minores agebant, nisi forte et illis a Consulibus hoc extra ordinem concessum esse dicamus. Unde adparet, cur M. Manlium in comitiis centuriatis adcusarint Tribuni plebis: vid. Livius *VI.* 20. g).

§. 37.

De quibus his judiciis judicatum.

Diem vero nonnisi privatis dicere licebat. Unde si Consules, Praetores, aliique magistratus adcusari deberent, exspectandum erat, dum magistratu abiissent. Exempla T. Menenii, Sp. Servilii, App. Claudii, C. Sempronii jam supra vidimus. Verumtamen contigit nonnumquam, ut extra ordinem etiam, qui nondum magistratu abiissent, deferrentur ad populum. Ita dies dictus est Scantinio, Tribuno plebis: Valerius Max. *VI.* 1. 7. L. Flacco, Aedili curuli ex provincia Asia decedenti: Cicero *pro L. Flacco c.* 3. Claudio et Graccho Censoribus: Livius *XLIII.* 16. ut alia exempla praetermittamus.

§. 38.

Quid fuerit diei dictio?

Ceterum ut judicia publica ab adcusatione, ita haec populi a

---

g) Schulze *Von den Volksversammlungen der Römer* Abschn. III. c. 3. p. 351. sq. De Aedilibus adcusatoribus Dukerus *ad Liv.* XXXVIII. c. 35. §. 6. T. V. p. 225. *Haub.*

Livius *XXXVIII.* 51. Addenda est Ciceronis *Oratio pro C. Rabirio, perduellionis reo,* ex qua, quae defensionum ejusmodi fuerit ratio, satis elucet. Ceterum, audita illa defensione, in certam diem comitia vel tributa vel centuriata indicebantur [k]), quibus plebs vel populus de reo ferret suffragium.

§. 43.

Auxilia reorum.

Interea rei varia sibi circumspiciebant praesidia. Modo enim cum Tribunis agebant, ut intercederent: Gellius *Noctt. Att. VII.* 19. modo Augures subornabant, qui tristi quadam obnunciatione dirimerent comitia: Livius *XL.* 42. modo ab ipso adcusatore, ut diem produceret inceptoque desisteret, impetrabant: Car. Sigonius de *Judiciis III.* 13. *p.* 709. Si nihil horum procederet: solum reliquum erat populare auxilium. Hinc ipso comitiorum die sordidati ac barba capilloque promisso prodibant cum propinquis, clientibus, et amicis, et singulorum civium amplexi genua, rogando prensandoque efficiebant, ut absolvere se suo suffragio dignarentur. Idem faciebant cognati, amici, clientes: Livius *VI.* 20. *XLIII.* 16. Appius Claudius tamen, ut id faceret, adduci non potuit: Livius *III.* 61.

§. 44.

Populi vel plebis suffragia.

Adpetente ipso comitiorum die, ubi vel populus in campum Martium, vel plebs in comitium confluxerat, magistratus, qui diem dixerat, denuo reum per praeconem evocabat. Tacentem et judicio se subtrahentem per cornicinem ante aedes, et in arce citabat: Varro *de lingua latina V.* [**p.* 76. ex *edit. Bipont.*] Quamquam ille Varronis locus magis ad mores Romanorum antiquissimos, quam ad Varroniana tempora pertinere videtur. Ubi ne sic quidem sui dabat copiam: statim ei sciscebatur exsilium. Exemplum Postumii est apud Livium *XXV.* 4. Aliud Fulvii apud eumdem *XXVI.* 3. Praesente vero reo, magistratus populum vel plebem in centurias tribusve discedere, et per scribam recitari jussit ROGATIONEM, veluti: ROGO VOS, VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA ET IGNI INTERDICATUR, QUOD FALSUM SCTUM RETULERIT, QUODQUE CIVES ROMANOS

k) Tributa comitia ipsi indicebant Tribuni plebis: centuriata magistratus majores. Si ergo Tribuni plebis capite anquirerent, centuriata comitia a Praetore postulare consueverunt: Livius *XLIII.* 16. *Hein.*

INDICTA CAUSSA NECANDOS CURARIT? Cicero *Orat. pro domo sua ad Pontific. c.* 18. et 19. Quo facto populus vel plebs mittebatur in suffragia, ita, ut singulae centuriae vel tribus per pontes in septa transirent, et ad pontes tabellas sententiam suam complexas custodibus darent. Qui reum condemnatum volebant: tabulam reddebant, cui inscriptum U. R., id est, *uti rogas*. Qui absolutum malebant: alteram, in qua erat A., id est *antiquo*. Denique diremtio numeratioque fiebat suffragiorum, eodem modo, quem supra inter legislationis ritus descripsimus: et tunc, quod plures scivissent centuriae vel tribus, ratum habebatur, statimque vel mulcta vel poena a reo exigebatur, vel absolutum illum esse pronunciabatur: Livius *XLIII.* 16. Cicero *Orat. pro domo sua ad Pontific. c.* 30.

§. 45.

Leges de judiciis publicis.

Et haec quidem fuit judiciorum publicorum populique ratio. Jam nihil superest, quam ut leges de judiciis publicis, quas Imperator hoc titulo explicavit, ex antiquitatibus illustremus, quamvis id non perfunctorie jam factum a Car. Sigonio *de Judiciis II.* 16. *sq. p.* 577. *sqq.*

§. 46.

Crimen laesae majestatis [1]).

Maximum crimen, quod a cive Romano admitti poterat, erat MAJESTATIS, quo nomine veniebat *quidquid adversus populum Romanum aut securitatem ejus commissum fuerat: L.* 1. §. 1. *D. ad Leg. Jul. majest.* aut, ut Cicero *de Oratore II.* 39. describit: *majestas est amplitudo ac dignitas civitatis. Is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit.* Et *Partit. Orator. c.* 30. *majestas est in im-*

1) Ferratius *Epp.* I. 14. Jo. van Beuker *Diss. de crimine majestatis.* Franeq. 1729. 4. et in Oelrichs *Thes. N. Diss. Belgg.* Vol. II. T. I. p. 75—197. Editoris *Diss. I. de legibus majestatis populi Rom. latis ante legem Juliam.* Lips. 1786. 4. (in *opuscc.* T. I. p. 53 - 146.) Henr. Chr. Conr. Grünebusch *Pr. de crimine perduellionis atque majestatis apud priscos Romanos, et de eo, quod inter utrumque jam liberae reipublicae tempore fuit, discrimine.* Cellis 1801. 4. et c. n. Christ. Glieb. Konopak; in d. *Archiv des Criminalrechts* T. V. num. 6. p. 121—141. Grünebusch *Pr. de loco Livii I.* 26. *de perduellionis judicio classico.* Cell. 1814. 4. Schulze *Von den Volksversammlungen der Römer* Abschn. III. c. 2. p. 321. sq. Rosshirt *Lehrbuch des Criminalrechts* §. 112—118. p. 226—244. *Haub.* C. F. Dieck *Geschichte des röm. Majestätsverbrechens*, in den *historischen Versuchen üb. das Criminalrecht der Römer.* Halle 1822. p. 1—180. *Mühl.*

perii atque in nominis populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit. Auctor *ad Herennium II.* 12. *majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat.* Et paullo post: *majestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento adficit.* Quaecumque ergo aut populo aut magistratibus directo factae erant injuriae, quaeque vel dignitatem vel securitatem populi Romani laedere videbantur, ea ad majestatis crimen pertinebant.

§. 47.

Leges variae de majestate.

Primam de MAJESTATE legem ipse Romulus tulisse videtur, quippe qui, teste Dionysio Halic. *Rom. Antiquitt. II.* 10. proditores, tamquam Diti consecratos, a quocumque occidi permisit. Postea et XII Tabulis cautum est, ut, si quis in urbe coetus nocturnos agitasset, capite plecteretur: Porcius Latro *Declamat. contra Catilinam c.* 19. In iisdem tabulis lex exstabat: QUI HOSTEM CONCITAVERIT, QUIVE CIVEM HOSTI TRADIDERIT, CAPITE PUNITOR: *L.* 3. *D. ad Leg. Jul. majest.* Et inde factum videtur, ut postea inter crimen *majestatis* et *perduellionis* distingueretur [m]). Paullo post lata lex GABINIA, incertae quidem aetatis [n]), sed satis tamen, ut videtur, antiqua, qua cautum est, *ut, qui coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio mulctaretur:* Porcius Latro *ibid.* Ex quo patet, Gabinium illum, quicumque fuerit, ea, quae leges XII

m) *Perduellis* veteribus erat *hostis;* Varro *de lingua Lat. IV. p.* 4. Festus sub voce *hostis p.* 175. *L.* 234. *D. de Verb. signific. Duellum* enim idem priscis, ac *bellum. Per* vero habet significationem intendendi: Aeg. Menagius *Amoenitatt. jur. civ. p.* 322. Hinc perduellionis crimen admisisse dicebatur, qui erat hostili in rempublicam animo: *L. ult. D. ad Leg. Jul. majest.* quales erant Junii, Vitellii, Aquillii, in quos animadvertit Brutus: Livius *II.* 3. 4. 5. Quamquam paullo latius antiquis acceptum videtur perduellionis vocabulum, ita, ut omnia atrociora crimina contra civium libertatem securitatemque publicam admissa denotaret, ut patet ex exemplo P. Horatii apud Livium *I.* 26. Si quis non quidem hostilem animum adversus rempublicam ostenderat, sed tamen aut securitatem aut dignitatem populi magistratuumve laesisse dicebatur, is majestatis erat reus. *Hein.*

n) An idem forte Gabinius hanc legem tulit, qui et tabellariae fuit auctor, quique A. U. C. DCXIV. Cn. Calpurnio Pisone et M. Popilio Laenate Coss. tribunatum gessit? Ita visum Gundlingio in Diss. *de crimine majest. I.* 6. *p.* 6. Sed id quidem divinare, quam adfirmare, licebit facilius. *Hein.* Cur Heineccius in *Historia juris* et Bachius de hac lege Gabinia nihil dixerint, non video: non tamen praetermissa est Jan. Vinc. Gravinae [*imo Christ. Gfr. Hoffmanno *Hist. jur. Rom. Inst. Vol. I. p.* 121.] *Cann.* Cf. Dieck *l. l.* p. 73. sq. *Mühl.*

Tabularum de coetibus nocturnis statuerant, ad quoscumque alios adeoque etiam diurnos transtulisse. Adcessit postea A. U. C. DCLII. C. Mario quintum Consule LEX APPULEJA, rogata a L. Appulejo Saturnino, Tribuno plebis seditiosissimo, ut vis in urbe facta seditioque vindicaretur adversus C. Norbanum Quaestorem: Cicero *de Oratore II.* 49. Eodem exemplo A. U. C. DCLXII. Q. Varius Sucronae in Africa natus, et inde Ibrida dictus, Tribunus plebis, tulit LEGEM VARIAM, qua quaeri jubebatur, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent: Valerius Max. *VIII.* 6. 4. *III.* 7. 8. Appianus *de bellis civil. I.* 37. qui historiam omnem hujus legis adcurate persequitur. In eo tamen errat, quod pro Vario legis auctorem finxit Valerium o[1]), quamvis id etiam Schiltero visum sit. Cf. et Ascon. Pedianus in *Orat. Cic. pro M. Scauro p.* 172. *sq.*

§. 48.

Lex Cornelia de eadem o[2]).

Sed multo severior illis antiquioribus fuit LEX CORNELIA, non multis post annis lata L. Sulla Dictatore, qua ad Caesaris usque aetatem usus est populus Romanus. Hujus legis haec capita collegit Carol. Sigonius *de Judiciis II.* 29. *p.* 630. *sq.*

PRAETOR, QUI EX HAC LEGE QUAERET, DE EO QUAERITO, QUI INTERCESSIONEM SUSTULERIT, AUT MAGISTRATUI, QUO MINUS MUNERE SUO FUNGATUR, IMPEDIMENTO FUERIT. QUI EXERCITUM E PROVINCIA EDUXERIT, AUT SUA SPONTE BELLUM GESSERIT. QUI EXERCITUM SOLLICITAVERIT. QUI DUCIBUS HOSTIUM CAPTIS IGNOVERIT, AUT PECUNIA LIBERARIT. QUI DUCIBUS PRAEDONUM CAPTIS IGNOVERIT. QUI POTESTATEM SUAM IN ADMINISTRANDO NON DEFENDERIT. QUI CIVIS ROMANUS APUD REGEM EXTERNUM VERSATUS FUERIT.

MULIERIS TESTIMONIUM ACCIPIATUR p).

---

o[1]) Sequutus est Heineccius editionem Appiani ab Alexand. Tollio curatam *Amstelodami* 1670. 8. in qua legitur *p.* 632. *Κόϊντον Οὐαλέριον δήμαρχον ἔπεισαν εἰσηγήσασθαι κ. τ. λ.* At Jo. Schweighaeuser in sua editione (*Lipsiae III. Voll.* 1785. 8.) *Vol. II. p.* 54. recepit idoneis caussis adductus *Κόϊντον Οὐάριον.* Cff. Steph. Vinandi Pighii *Annal. Romanorum* (*Antverpiae* 1615. *fol.*) *Tom. III. p.* 223. J. Freinshemii *Supplement. Livii LXXI.* 37.. *Cann.*

o[2]) Henr. Melch. Vockestaert *Diss. hist. jurid. de L. Cornelio Sulla legislatore* (L. B. 1816. 8.) P. II. c. 8. p. 153—160.. *Haub.*

p) Addi debuisset, et servorum. Nam et horum admissum esse testimonium, constat ex Sallustio *de Conjurat. Catil. c.* 30. [.* *ed.* Cortii.] Vid. Gundlingius

CALUMNIATORIBUS NULLA POENA SIT.

HIS DAMNATIS POENA AQUAE ET IGNIS INTERDICTIO SIT.

Sed vereor, ut omnia hujus legis capita viderit Sigonius. Nihil enim hic de quaestionibus et torturis, de quibus statuerat Sulla, ut ab iis nulla dignitas liberaret: Ammian. Marcellinus *Rer. gestar. XIX.* 12. *L.* 10. §. 1. *D. de Quaest.* Tale quid postea etiam sanxere Valentinianus, Valens et Gratianus, Imperatores, *L.* 1. *C. Theod. de Quaest. L.* 4. *C. ad Leg. Jul. majest.* q).

§. 49.

Lex Julia de eadem.

Sequuta est LEX JULIA majestatis prior, lata a C. Julio Caesare, qua itidem, ut majestatis damnatis aqua et igni interdiceretur, cautum fuerat, teste Cicerone *Philipp. I.* 9. Ad extremum successit *lex Julia* posterior, quam Augustus tulerat, cujusque pleraque capita et hodie exstant in fragmentis Jureconsultorum in *titulo D. ad Leg. Jul. majest.* Omnes hac lege majestatis rei pronunciantur, qui quidquam vel contra rempublicam, vel adversus Principem admiserant; sive facto, sive libello famoso fecissent injuriam. Et ut tanto major esset reorum copia, etiam famosi homines et servi, et liberti ad adcusandum admittebantur. Convicti porro ex hac lege, si perduellionis rei essent, capitis damnabantur r): ex alia caussa mitius puniebantur. Sin in reatu decessissent, nec a successoribus purgarentur, bona fisco vindicabantur. Eam legem, licet satis severam, postea tamen Tiberius asperiorem reddidit, et ad ipsa dicta, quae impunia antea erant, protulit s): Tacitus *Annal. I.* 72. Imo

---

de lege majest. I. 13. Laudabiles tamen Principes servorum testimonium raro admiserunt, veluti Trajanus, teste Plinio *Panegyr. c.* 42. Nerva teste Dione Cassio *LXVIII.* 1. Tacitus Imperator, teste Flav. Vopisco in *vita Taciti Imperator. c.* 9. Ezech. Spanhem. *ad Julian. Orat. I. p.* 222. *Hein.*

q) Jam ante eos sanciverat Constantinus M., ut is quoque, qui, quum hujus criminis aliquem arguerat, convicium suum non valeret comprobare, tormentis esset quaerendum, cujus consilio atque instinctu ad criminationem istam accesserit. Vid. *L. un. Th. Cod. ad. Leg. Jul. majest. L.* 3. *Inst. Cod. eod.* Quam quidem constitutionem, si non integram, at certe emendatiorem, e Muratorii *Inscriptionum Thesauro* edidit, luculentisque illustravit observationibus Klenze in d. *Zeitschr. für gesch. R. W.* T. IX. num. IX. (*Constantin's Edictum de accusationibus*) p. 56—90. *Mühl.*

r) Interdicebatur eis aqua et igne, teste Paulo *Sententt. Receptt. V.* 29. 1. Sic deportatorum ob hoc crimen etiam meminit Jul. Capitolinus *vita Pertinac. c.* 6. *Hein.*

s) Initio Augustus specie hujus legis de libellis famosis quaesiverat, postea

sub eodem hoc genus calumniae eo processerat, ut capitale esset, circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestem mutasse, numo vel annulo impressam Principis effigiem latrinae aut lupanari intulisse, dicto ullo factoque ejus existimationem laesisse. Periit denique et is, qui honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus erat, quo decreti et Augusto olim erant: Suetonius *Tiber. c.* 58. Imo nec poena ab Augusto statuta satis magna visa est immitioribus Principibus. Unde de sua aetate Paulus *Sententt. Receptt.* [* *V.* 29. 1.] *Nunc humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi exuruntur; honestiores capite puniuntur.*

§. 50.

Novae de majestate leges.

Postremo Arcadius et Honorius, Augusti, incredibili Rufini et Eutropii moti tyrannide, quam in ipsos Principes adfectaverant, majestatis legem non solum ad factiones ipsumque conatum protulerunt, sed et poenam quam maxime exacerbarunt. Praeterquam enim, quod majestatis reos gladio feriri jusserunt, etiam bona adjudicarunt fisco t), et filios a materna, avita, omniumque proximorum hereditate excluserunt, neque quidquam eos ex testamento extraneorum capere vel ad honores ullos adspirare passi sunt, ut eos, perpetuo egentes, et pauperes, infamia paterna semper comitaretur, essentque tales, ut iis et mors solatio, et vita supplicio esset. Sic poena paterna et in liberos redundat, quod alioquin a principiis juris alienum, et barbaris proprium est, quod ob crimina non modo liberos, sed et omnem familiam supplicio adfecisse, erudite docet Em. Merillius *Observatt. IV.* 3. Omnia haec pluribus inculcat *L. Quisquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majest.* in quam luculentus exstat commentarius Jacobi Gothofredi, editus *Genevae* 1654. 4. [* et in *opp. juridd. min. p.* 1—59. ed. Trotz.] Praeterea observandum, perduelles aeque ac hostes lugeri more majorum

---

id per interpretationem ad dicta tractum, ut praeclare docet Jo. Frid. Gronovius *ad Taciti Annal. I.* 72. *Hein.*

t) Fecerunt id Imperatores D. Marci Imperatoris exemplo, qui Drunciani, Senatoris, et Cassiani furoris socii, bona post mortem fisco vindicaverat, si vera scripsit Paulus *L.* 7. *C. ad Leg. Jul. majest.* (Nam Jul. Capitolinus in *vita M. Anton. Philosophi* [* *c.* 11.] et Vulcat. Gallicanus in *vita Avidii Cassii* [* *c.*7.] id factum esse negant.) Postea idem constituerunt Severus et Antoninus, teste Marciano *L.* 8. *princ. C. eod.* Adde tamen Cujacium *Observatt. III.* 19. *Hein.*

non debuisse: *L.* 11. §. 1. *D. de His, qui notant. infam.* *L.* 35. *D. de Relig. et sumt. fun.* Origo hujus moris est apud Livium *I.* 26. exemplum ejusdem apud Suetonium in *vita Tiber. c.* 61. Cf. Merillius *Observatt. VII.* 32.

§. 51.

Lex Julia de adulterio. Qua poena vindicatum sit adulterium?

Proximum est crimen ADULTERII u), quod primus vindicandum publicis judiciis existimavit Augustus x), qui, quum diffluentem luxu civitatem Romanam et ad omnem stuprorum adulteriorumque licentiam projectam cerneret, coercendi hujus mali caussa severissimam de adulteriis et stupris legem tulit: vid. *L.* 1. *D. ad L. Jul. de Adult.* Suetonius *Octav. August. c.* 34. Unde Horatius *Carmm. IV.* 5. *v.* 21. *sqq.* hanc Augusti providentiam ita celebrat:

Nullis polluitur casta domus stupris.
Mos et lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperae:
Culpam poena premit comes.

---

u) Rosshirt *l. l.* §. 201—205. p. 459—472. *Haub.*

x) Quae fuerit poena adulterii ante legem Juliam, vix constat. Exstitisse enim ante Juliam alias leges, quibus Julia derogatum, patet ex *Collat. Legg. Mosaicar. et Roman. tit. IV.* §. 2. Et de lege quadam Servilia conjectura erudita est Jo. Guil. Hoffmanni *de lege Jul. de adult. c.* 1. §. 21. *p.* 34. Sed pleraque tamen de sanctione istius legis sunt incertissima. Solebant olim ipsi viri ex consilio propinquorum in adulteras animadvertere, ut patet ex Dionysio Halic. *Antiquitatt. Rom. II.* 25. Quod jus diu mansit, adeo, ut et Tiberius adhuc mulierum impudicarum coercitionem propinquis ac necessariis demandarit, si adcusator publicus deesset: Suetonius *Tiber. c.* 35. Adulteri domi deprehensi fere castrari solebant: Jan. Langlaeus *Semestr. VIII.* 7. Hinc Plautus *Curcul. Act. I. sc.* 1. *v.* 28. *sqq.*

Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id, quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis INTESTABILIS*:*
Quod amas, amato testibus praesentibus.

Hujusmodi poenam Chaereae adolescentulo imminere fingit ancilla apud Terentium *Eun. Act. V. sc.* 4 *v.* 35. *sq.* et militem gloriosum, Pyrgopolinicen, eodem supplicio territat Periplectomenes apud Plautum *Mil. glorios. Act. V. v.* 2. *sqq. Hein.* Romulus jam olim de adulterio legem proposuit, quae in leges XII Tabb. ut puto, est relata et diu Romae servata. Singulare est, quod Scholiastes Horatii [* Cruquianus] *ad Sermonum Lib. II. sat.* 7. *v.* 61. dixit: *Lex fuit apud Athenienses, ut adulterum cum adultera deprehensum marito liceret occidere.*

Plura fuerunt hujus legis capita, quae singulari, eoque pereruditо commentario collegit Barn. Brissonius, sed non exacto tamen satis ordine. Multa enim legis capita ordini suo restituere potuisset, si vidisset Pauli *Sententias Receptas* auctiores, quales exhibet Anton. Schultingius *Libro II. tit. XXVI.* Sed confecit postea rem laudatus Jo. Guil. Hoffmannus elaboratissimo libello *de lege Julia de adulteriis* edito *Francofurti ad Viad.* 1732. 4. [* et in *Fellenbergii jurisprud. antiq. T. I. p.* 107—302.] ubi capita viginti et unum hujus legis ordini integritatique suae restituit y). Primo capite variis legibus derogaverat Augustus. Secundo permiserat patri, tam adoptivo, quam naturali, adulterum cum filia cujuscumque dignitatis, domi suae, vel generi deprehensum sua manu occidere: Paulus *Sententt. Receptt. II.* 26. 1. et *Mosaicar. et Romanar. legg. Collat. IV.* 2. Quinto capite cautum fuerat, ut adulterum deprehensum viginti horis, attestando vicinos, retinere liceret z): Paulus *Sententt. Receptt. II.* 26. 3. Reliqua capita ex Barn. Brissonio, et laudato Hoffmanno petenda. Id modo hic quaeritur, qua poena vindicatum fuerit adulterium? Tribonianus §. 4. *Inst. h. t. temeratores alienarum nuptiarum gladio ex hac lege puniri* ait, non secus ac eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercent. Stupri vero flagitium, si personae honestae sint, publicatione dimidiae partis bonorum; sin humiles, corporis coercitione cum relegatione vindicari. Sed rationem hic fugere Tribonianum, jam dudum animadverterunt eruditi: Jacob. Cujacius *Observatt. XX.* 18. *XXI.* 17. Barn. Brissonius *ad Leg. Jul. de adult. p.* 91. Jo. Jacob. Wissenbachius *ad Instituta Disputat. LIII.* 30. et Ejusd. *Exercitatt. ad Pandect. et Instit. Part. II. Disputat. XXXIV.* 19. Et certe capitalem non fuisse adul-

---

Haec lex abolita est lege Julia, quae jussit adulterii cognitionem ad judices referri. Num lex Atheniensium lege Julia abolita? Credo innui legem Romuli, et verba Scholiastae corrupta circumferri, quae olim [* *ad Collat. LL. Moss.* etc. *c.* 10. *p.* 123.] a me restituta memini: lex Servilia de stupro lata est. *Cann.*

y) Capita legis Juliae de adulteriis, quae Brissonium latuerant, e Codice Vesontino *Sententiarum receptarum Pauli* primus anno 1585. publici juris fecit Cujacius *Obss.* XXI. c. 17. et 18. quibus mox Pauli opus ipsum auctum est in *Codicis Theodosiani,* seu potius universi *Juris Antejustinianei* ed. Parisiensi a. 1586. In recentioribus *Sententiarum Pauli* edd. haec capita leguntur Lib. II. tit. 26. §. 1—6. 10—12. et 14—16. *Haub.*

z) Ipsa legitima hujus capitis verba exstant *L.* 15. *D. ad Leg. Jul. de adulter. Hein.*

terii poenam, vel ex eo adparet, quod adulterii damnatas eadem lex uxores duci et in testimonium citari vetet: *L.* 29. §. 1. *D. ad Leg. Jul. de adult. L.* 9. *C. eod. L.* 18. *D. de Testib.* Quod certe perabsurdum fuisset cavere, si hujus criminis poena vitam civitatemque ademisset [a]). Unde ita hoc caput, quod de poena egit, restituere maluit Barn. Brissonius [* *c.* 2.]: QUI STUPRUM ADULTERIUM SCIENS DOLO MALO FECERIT, IN INSULAM RELEGATOR. Sed nec hic quidem rem acu tetigisse videtur, eo, quod nondum integrae editae tum fuerant Pauli *Sententiae Receptae*, in quibus *Libro II. Tit. XXVI.* §. 12. *sqq.* [* *i. Coll. LL. Mos. etc. tit.* 5. §. 2.] ita legimus: *Qui masculum liberum invitum stupraverit, capite punitur* [b]). *Qui voluntate sua stuprum flagitiumque impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum mulctatur, nec testamentum ei ex majore parte facere licet. Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, et tertia parte bonorum, ac relegatione in insulam placuit coerceri* [c]). *Adul-*

---

a) Mireris ergo, Triboniani hunc errorem defendisse viros doctissimos, veluti Marc. Lycklamam a Nyeholt *Membranar. II.* 9. et Schwendendorferum *ad Eckholtum p.* 1318. Quamvis enim a Principibus immitioribus nonnumquam gravius animadverteretur in adulteros, veluti ab Augusto apud Suetonium *Octav. c.* 5. et Antonino Caracalla apud Dionem in *Excerptis Polybii, Diodori Siculi* etc. *p.* 754. [* ex *edit.* Henr. Valesii *Paris.* 1634. 4.] factum hoc tamen esse extra ordinem, et non ex lege hac Julia, praeclare, ut solet, docuit Ger. Noodt *Dioclet. et Maxim. c.* 15. *p.* 395. *Hein.* Contra tamen sentit J. Wybo in *Triboniano ab Embl. Wiss. lib. p.* 382. et lege Julia de adulteriis capitalem poenam adulteris statutam defendit novo usus argumento. In Pauli loco mox citato *adulterium* interpretatur *stuprum.* Scio quidem *adulterium* et *stuprum* promiscue usurpari, sed huic loco non convenit, quum stupratores non relegatione simul et dimidia parte bonorum sint puniti. Si honesti sunt stupratores, ex Lege Julia puniebantur publicatione partis dimidiae bonorum, non additur relegationis poena: sin vero sint humiles, corporis coercitionem subeunt cum relegatione, non in iis publicatio partis dimidiae bonorum obtinet. *Cann.*

b) Dubitant tamen viri eruditi, an prima haec particula ex lege Julia sit. Vid. Petr. Pithoeus *ad Collat. Legg. Mosaicar. et Roman. V.* 2. *p.* 752. Anton. Schultingius *ad Paulum ibid. p.* 320. *Hein.*

c) Sic in insulam ab ipso Augusto relegatae Juliae: Suetonius *Octav. August. c.* 65. Tacitus *Annal. III.* 24. Eamdem poenam sub Tiberio tulit Vistilia: Tacitus *Annal. II.* 85. Aliud exemplum est apud Plinium *Epistt. VI.* 31. De dotis parte adulteris erepta Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 2. *v.* 127. *sqq.*

Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis: undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se, conscia, clamet;
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi. Hein.

teris vero viris pari in insulam relegatione dimidiam bonorum partem auferri, dummodo in diversas insulas relegentur [d]). *Incesti poenam, quae in viro in insulam deportatio est, mulieri placuit remitti; hactenus tamen, quatenus lege Julia de adulteriis non adprehenditur. Ancillarum sane stuprum, nisi deteriores fiant, aut per eas ad dominam adfectet, citra noxam habetur.* Quantivis ergo pretii hic locus est, ex quo solo quippe discimus, quaenam poena nefandae libidini, adulterio, incestui ac stupro lege Julia fuerit proposita.

§. 52.

Recentiores de adulterio leges.

Quamquam autem legem Juliam retulerit Domitianus [e]), et mira nonnumquam severitatis exempla in adulteros statuerint sequentes Imperatores, in primis Macrinus et Aurelianus: Jul. Capitolinus *vita Opil. Macrini c.* 12. Flav. Vopiscus *vita Aureliani c.* 7. nemo tamen ante Constantinum M. repertus est, qui adulterii crimen capitis poena vindicandum statuerit [f]). Exstat ejus constitutio *L.* 30. *C. ad L. Jul. de Adult.* Postea Justinianus capitalem poenam in masculis quidem probavit, mulierem vero verberibus caesam in monasterium detrudi jussit, data viro intra biennium proximum potestate, eam, si vellet, inde revocandi. Quo transacto, aut

---

d) Unde praeter legem fuit, quod adultero Manlio tantum Italia atque Africa interdictum: Tacitus *Annal. II.* 50. *fin. Hein.*

e) Quo pertinent illa Martialis *Epigrammat. VI.* 7. *v.* 1. *sqq.*

Julia lex populis ex quo, Faustine, relata (alii *renata*) *est;*
Atque intrare domos jussa Pudicitia est:
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.

Et Juvenalis *Satira II. v.* 29. *sqq.*

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas. Hein.

f) In lege Romana Burgundionum (Tit. XXIV. *de adulteriis*) haec leguntur: „Maritus, si adulterum cum uxore invenerit — —, liberum arbitrium habebit *utrumque uno ictu punire, secundum legem Novellam Majoriani, quae exinde ad jus vetus cuncta revocavit*". At, quum in Novella Majoriani de adulteriis (*Jus civ. antejustin.* p. 1338. sq. Nov. 93.), quae haud dubie ante oculos obversata est illius legis Auctori, nihil quicquam legatur de jure mariti adulterum occidendi, merito suspicatur Barkowius (in *edit. sua Leg. Burgundionum* p. 75. sq.), errore vel etiam Auctoris ignorantia Majoriano praeceptum aliquod Leg. Burgundionum domesticae adscriptum esse. *Mühl.*

viro praemortuo, habitu monastico eam amiciri, et per omnem vitam in monasterio manere praecepit: *Novella CXXXIV.* 10. g).

§. 53.

Quaestus meretricius impunis olim, si professio fieret apud Aediles.

Tanta itaque severitate in adulteros adulterasque animadvertebant Romani. Quid vero de meretricibus? Moribus Romanorum impune erat, quaestum corpore facere, dummodo ejusmodi mulieres nomina apud Aediles h) profiterentur. Ipsi enim huic turpitudinis professioni satis inesse poenae arbitrabantur. De Vistilia Tacitus *Annal. II.* 85. *Vistilia, Praetoria familia genita, licentiam stupri apud Aediles vulgaverat,* MORE INTER VETERES RECEPTO, *qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant.* Apud Reinesium *Inscriptt. Class. VII. p.* 489. *n. XX.* convicanis omnibus locum sepulturae praeberi videmus, praeterquam iis, QUEI QUAESTUM SPURCUM PROFESSI ESSENT, id est, lenonibus et meretricibus. Si qua ergo venalem haberet pudicitiam, quae quaestus illius turpitudinem professa haud fuerat, Aedilium erat, illas deferre ad populum, mulctaque vel exsilio coercere. Cujus rei exempla exstant apud Livium *X.* [* 31.] et *XXV.* 2. sub *fin.*

§. 54.

Ante professionem nomina mutabant et togam sumebant.

Antequam vero hunc quaestum profiterentur mulieres impudicae, plerumque mutabant nomina. Hinc non nemo apud Plautum *Poenulo Act. V. sc.* 3. *v.* 19. *sqq.*

Tua pietas nobis plane auxilio fuit,
Quum huc advenisti hodie in ipso tempore.
Namque hodie earum MUTARENTUR NOMINA,
Facerentque indignum genere quaestum corpore.

Quamquam ergo impune committebatur hoc vitium: infames tamen

---

g) Bigamia jure Romano vetita: *L.* 2. *C. de Incest. nupt.* Atheniensium legibus permissam fuisse volunt, Romanis moribus non ei dumtaxat, qui duas uxores eodem tempore duxerit, sed et ei, qui vel bina modo sponsalia eodem tempore constituta habuerit, infamia irrogatur: *L.* 1. *de His, qui not. inf. Hein.* Quae bigamiae poena fuerit jure Romano, digna res est adcuratiore pertractatione. *Cann.*

h) Aedilium enim curae etiam fornices, popinas, aliasque Veneris palaestras fuisse demandatas, luculenter ostendit Lipsius *Excursu ad Taciti Annal. II.* 85. [* *T. II. p.* 773. *sq. ed. Oberl.*] *Hein.*

habebantur mulieres impudicae, ipsoque matronali habitu abstinere cogebantur. Hinc Suetonius *Tiber. c.* 35. ait, *eas jure ac dignitate matronali exsolutas*, et Ulpianus *L.* 15. §. 15. *D. de Injuriis* vestem meretriciam matronali aeque ac ancillari opponit. Cf. Tertullianus *de cultu feminarum II.* 12. Vestis vero illa meretricia erat toga i) et vitta, quam posita instita sumebant non modo meretrices, verum etiam adulterii damnatae: Lipsius *Excurs. ad Tacit.* [* *laud. p.* 774.] Barn. Brissonius *Antiqu. Rom. I.* 4. Hinc Juvenalis *sat. II. v.* 69. *sq.*

Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata TOGAM. — — —

Horatius *Sermon. Lib. I. sat.* 2. *v.* 62. *sq.*

— — — — - *Quid inter-*
Est in matrona, ancilla, peccesve TOGATA?

Martialis *Epigrammat. II.* 39.

Coccina famosae donas, et janthina moechae:
Vis dare, quae meruit munera? mitte TOGAM.

Idem *Epigrammat. I.* 36. *v.* 8. *sq.*

Quis Floralia vestit, et STOLATUM
Permittit meretricibus pudorem?

Idem *Epigrammat. VI.* [*64. *v.* 4. *sq.*]

Sed patris ad speculum tonsi, matrisque TOGATAE
Filius, — — — — —

§. 55.

Professio illa aliquando inhibita.

Gliscente vero malo, et feminis etiam illustribus quaestus illius foeditatem professis, Senatusconsulto cavit Tiberius, *ne quaestum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset:* Tacitus *Annal. II.* 85. Quin et feminas famosas, quae ad evitandas legum Juliarum poenas nomina apud Aediles fuerant professae, exsilio adfecit idem Imperator: Suetonius *Tiber. c.* 35. Quare

i) Antiquis tamen temporibus commune id virorum mulierumque vestimentum fuisse docet Nonius [* Marcellus *de proprietate sermonum c.* 14. *de genere vestimentorum n.* 25.] et Ascon. Pedianus *in Verrem de Praetura urb. p.* 99. TOGA, inquit, *communis habitus fuit et marium, et feminarum, sed* PRAETEXTA *honestorum,* TOGA *viliorum: quod etiam circa mulieres servabatur.* Add. Petr. Faber *Semestr. I.* 15. *p.* 72. *Hein.*

Papiniani etiam tempore mulier, quae evitandae poenae adulterii caussa lenocinium fecerat, adulterii adcusari damnarique poterat ex SCto: *L. 10. §. 2. D. ad Leg. Jul. de adult.*

§. 56.

Postremis temporibus meretricius quaestus modo permissus, modo prohibitus.

Sunt, qui insequentibus etiam sub Imperatoribus meretrices publicatione bonorum mulctatas existimant, idque colligunt ex verbis Pauli *Sententt. Receptt. III. 4. A. 6. Mulieri, quae luxuriose vivit, bonis interdici potest.* Cujacius *ad Paul. ibid.* Enimvero mulier luxuriose vivens non est meretrix, sed prodiga, quae furiosum rerum suarum facit exitum: Guil. Fornerius *Selection. II.* 5. Tantum ergo abest, ut acrioribus poenis in meretrices animadverterint Imperatores sequentes, ut contra sub illis denuo invaluerit lenonum, meretricum, et exoletorum vectigal, quamquam illud sacro aerario inferri vetuit Alexander Severus: Ael. Lampridius *Alexand. Sever. c.* 24. Primus Tacitus Imperator pristina severitate usus meritoria intra urbem stare vetuit: Flav. Vopiscus *vita Taciti Imperat. c.* 10. Hinc extra legum civilium poenam fuit vita meretricia, etiam sub Imperatoribus Christianis, quamvis ea ab infamia non fuerit immunis [k]): *L.* 22. et 29. §. 1. *C. ad Leg. Jul. de adult. L.* 13. §. 2. *D. eod. L.* 4. §. 3. *D. de Condict. ob turp. causs.*

§. 57.

Antiquae leges de homicidio et parricidio.

Tertium crimen, quod publico judicio vindicatum accepimus, est HOMICIDIUM. Illud tam detestandum visum est veteribus, ut parricidii nomine veniret: Plutarchus in *Romulo c.* 22. *ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν προσειπεῖν. Singulare hôc est, quod qui poenam in eos, qui parentes*

---

k) Nec magis poena manebat eos, qui cum meretrice rem habuerant: Terentius *Eunuch. Act. V. sc.* 4. *v.* 38. *sq.*

Quis homo umquam pro moecho vidit in domo meretricia
Prehendi quemquam? — — —

Et Plautus *Curcul. Act. I. sc.* 1. *v.* 33. *sqq.*

— — *Pal. Nemo hinc prohibet, nec vetat,*
Quin, quod palam est venale, si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, et pueris liberis; ama quid lubet. Hein.

necaverint, nullam sanxit, quodvis homicidium PARRICIDII *designavit nomine.* Idem observat Festus sub v. *Parici Quaestores p.* 324. Vel Romulus ergo, vel, ut Festus mavult *l. c.* Numa Pompilius primus hanc tulerat legem: SI QUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT PARICIDA ESTO. Idem postea repetitum est in XII Tabulis, quibus etiam cautum fuerat: QUI MALUM CARMEN INCANTASSIT, MALUM VENENUM FAXIT, DUITVE, PARRICIDA ESTO. QUI PARENTEM NECASSIT, CAPUT OBNUBITO, CULLEOQUE INSUTUS IN PROFLUENTEM MERGITOR: Jacob. Gothofredus *Legg. XII Tabb. tab. VII.* (Dirksen *Zwölftafelges. p.* 619. *sqq.*) Et ex his legibus diu admodum quaestiones instituerunt Romani. Sic de sicariis quaesivit L. Tubulus Praetor, apud Ciceronem *de Finib. bonor. et malor. II.* 16. de caede facta in silva Sila P. Scipio et D. Brutus Consules: Ciceron. *Brutus c.* 22. [l]). De veneficiis quoque quaesitum esse, patet ex Flori *Epitome Livii LXVIII. fin.* qui et Publicium Malleolum, matre interemta, culleo esse insutum, eodem loco docet, quum antea damnato statim folliculo lupino os obvolutum, et soleae ligneae pedibus inductae, atque ita homo in carcerem ductus esset. Rem referunt Auctor *ad Herennium I.* 13. Orosius *V.* 16. [m]).

§. 58.

Lex Cornelia de sicariis.

Postea A. U. C. DCLXXI. L. Sulla, Dictator, celebrem illam legem Corneliam *de sicariis, veneficis et parricidis* tulit. De his omnibus enim eadem lege fuisse actum, quamvis diversis Praetoribus essent demandatae hae quaestiones, non abs re suspicati sunt Petr. Pithoeus *ad Collat. Legg. Mosaicar. et Roman. I.* 2. Anton. Schultin-

l) De hujus §phi sequentiumque argumento: Ferratius *Epp.* I. 12. et 15. p. 67. sq. Bern. Henr. Reinoldi *Ex. de confusione legis Corneliae de sicariis cum Aquilia;* in *Exercitt. Francofurt.* T. II. Sect. II. art. 5. et in *Opusc.* p. 654—667. Jac. Bened. Winckler, Praes. Sim. Pet. Gassero, *Diss. Commentt. quaedam ad legem Corneliam de sicariis.* Hal. 1729. 4. Thom. Wagner *Diss. de supplicio parricidarum.* Lips. 1735. 4. Herm. Cannegieteri *Comm. ad Collat. LL. Mos. et Romm.* c. 2. p. 20—38. Casp. Garatonii *Exc. ad Ciceronis Or. pro Cluentio* c. 53. sq. in Ciceronis *Opp. ed.* Neapol. (1777. 8.) T. VI. p. 486—498. Vockestaert *Diss. laud.* P. II. c. 6. p. 131—143. Rosshirt *l. l.* §. 144. 145. 147. 150. 153—155. p. 301—316. p. 318—320. p. 328. sq. p. 336—354. junct. §. 129—131. p. 261—270. *Haub.*

m) Originem quaestionis de veneficio indagavit Dukerus *ad Liv. Epit. VIII.* T. II. p. 648—650. et *ad Liv.* XXXIX. c. 38. §. 3. T. V. p. 379. *Haub.*

gius *ad Pauli Sententt. Receptt. V.* 24. 1. *p.* 513. Quaerebatur ex hac lege de ejus capite, qui hominem occidisset dolo malo, cujusve dolo malo factum esset incendium [n]), quive furti faciundi caussa cum telo ambulasset [o]): Paulus *Sententt. Receptt. V.* 23. 1. Cicero *Orat. pro T. Annio Milone c.* 4. Quaerebatur etiam ex eadem lege de ejus capite, qui venenum necandi hominis caussa fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, quive, quum magistratus esset, vel Senator, coierit, convenerit, consenserit, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens judicio publico condemnaretur, quive testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, quive magistratus judexve quaestionis ob capitalem caussam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. Quae capita hujus legis nobis servarunt Cicero *Orat. pro A. Cluentio c.* 54. Paulus *Sententt. Receptt. V.* 23. 1. Marcianus *L.* 3. *princ. D. ad Leg. Corn. de sicar.* Adcessit et SCtum, ut, qui mala sacrificia fecisset, ejus legis poena teneretur: *L.* 13. *D. ad Leg. Corn. de sicar.* MALA SACRIFICIA alias sunt *sacra impia* Paulo *Sententt. Receptt.* [* *V.* 23. 15.] *dirae precationes* Plinio *Hist. Nat. II.* 28. *carmina et devotiones — quis creditur, animas numinibus infernis sacrari* Tacito *Annal. II.* 69. Merill. *Observatt. VIII.* 4. Poena hisce omnibus inflicta non deportatio, ut scribit Paulus [* *lib. laud. V.* 23. 1.]: haec enim tunc nondum reperta, sed aquae et ignis interdictio, ut recte eo loco animadvertit Jacob. Cujacius. Aliquando etiam ex bonis homicidae aliquid addictum esse defuncti parentibus vel liberis, docet Cujacius *Observatt. XIV.* 4.

---

n) C. G. Wächter *De crimine incendii.* Lips. 1833. Quaedam etiam ad historiam hujus criminis interioremque ejus cognitionem spectantia invenies in F. W. Ziegleri *Quaestiones ad jus Romanum pertinentes* (Lips. 1837.) quaest. I. II. p. 1—83. *Mühl.*

o) Olim scilicet non licebat cum telo ambulare intra urbem. Et huc respicit Plautus *Aulular. Act. III. sc.* 2. *v.* 2. *sq.*

Eucl. Quia ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen.
Congr. Quamobrem?
Eucl. Quia cultrum habes. Congr. Cocum decet.

Inde, qui cum sica aliove telo ambulabant, dicti sunt *sicarii.* Quod hominum genus describit Flav. Josephus *Antiquitatt. Judaic. XX.* 7. §. 5. Barn. Brissonius *Antiquitatt. jur. civ. selectar. II.* 11. Id vocabulum deinde ad omnes homicidas translatum. Unde et haec lex Cornelia dicta de *sicariis:* Quinctilianus *Inst. orator. X.* 1. §. 12. *Hein.*

§. 59.

Ut et de parricidio.

Alio ejusdem legis capite actum videtur de parricidio: *L.* 1. *princ. D. ad Leg. Pomp. de parricid.* quamvis diversas fuisse leges Cornelias de sicariis et de parricidis multis contendat Jo. Franc. Ramos in *Triboniano sive errorib. Triboniani de poena parricidii Lib. IV. p.* 106. *sq.* Utcumque se res habet, ipso sane vivente Sulla, M. Fannius, Praetor idem de sicariis et de parricidis quaesivit. Hic vero veterem poenam retinuit Sulla, nihilque, ut videtur, addidit, praeterquam quod parricidii poenam ad alios quosdam cognationis gradus protulit. Cullei sane, cui insuti parricidae, etiam post Sullae legem meminit Cicero *Orat. pro Sex. Roscio Amerino c.* 25.

§. 60.

Lex Pompeja de parricidio.

Postea et Cn. Pompejus Consul LEGEM POMPEJAM tulit de PARRICIDIIS, qua parricidii poenam protulit etiam ad eos, qui fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socerum, socrum, vitricum, novercam, privignum, privignam, patronum, patronam p), dolo malo occiderint, quive conscii fuerint illius criminis, vel illud attentarint, ut et in matrem q), quae filium nepotemve interemerit: *L.* 1. *D. ad Leg. Pomp. de parric.* Ad poenam quod attinet, eam plane cum poena legis Corneliae de sicariis convenisse putant Jacob. Cujacius *ad Pauli Sententt. Receptt. V.* 24. 1. et Jacob. Gothofredus *ad Legg. un. C. Theod. de Parricid.* Sed errasse illos dixeris, nisi per legem Corneliam intellexerint caput de parricidiis, deceptos male intellecta *Lege* 1. *D. ad Leg. Pomp. de parricidiis,* facile adparet. Sane enim post legem etiam Pompejam culleo insutos esse parricidas, discimus ex Suetonio [* in *Nerone c.* 45.], Seneca *de Clementia I.* 15. et 23. et Juvenale *Satira VIII. v.* 213. *sq.*

---

p) Sensu latissimo *parricida* etiam dicebatur quicumque, hominem liberum consulto interfecerat. Cf. Henr. Jo. Arntzenii *Observationum Sylloge* in *Actis literar. societatis Rheno-Trajectinae* (*Lugd. Bat.* et *Trajecti ad Rhen.* 1793. 8.) *T. I. p.* 106. *Cann.*

q) Patri enim vi potestatis in liberos competebat jus vitae et necis, adeoque is parricidii poena haud tenebatur, si vel filium, vel nepotem, in potestate constitutum occidisset: *L.* 11. *D. de Liber. et postum.* Adde Auctorem *Collat. legg. Mosaicar. et Roman. IV.* 7. 8. *Hein.*

XIII. v. 155. *sq.* Constat vero, poenam Pompeja lege propositam praeterea in eo constitisse, quod confessus, se parentis, aut cognati, aut omnino adfinitatis ejus, quae nuncupatione parentum continetur, fata properasse, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insueretur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia, ac deinde in profundum jactaretur: sin autem quis alia cognatione, vel adfinitate junctas personas necasse se fateretur: poenam legis Corneliae de sicariis sustineret r): §. 6. *Inst. h. t.* Plura ea de re disseruit Triboniano parum aequus Jo. Franc. Ramos in *Triboniano sive erroribus Triboniani de poena parricidii. Lugd. Batav.* 1728. s).

§. 61.

Leges recentiores de homicidio et parricidio.

Multa tamen in his omnibus immutarunt posteri. Invaluerat enim Imperatorum aevo, ut homicidia et veneficia in magistratibus deportatione; in aliis honestioribus poena capitis; in humilioribus denique cruce, vel bestiis vindicarentur. Qui in honore aliquo erant positi, veluti magistratus principales civitatis et Decuriones, deportabantur: *L.* 16. *D. ad Leg. Corn. de sicar.* eaque de re exstant rescripta Hadriani: *L.* 15. *D. de Poen.* et Divorum Fratrum: *L.* 6. §. 2. *de Interd. et releg.* Exemplum est apud Lucianum in *Toxar. seu amicitia* [* *Opp.* Luciani *Vol. VI. p.* 77. ex edit. *Bipont.*] ubi ejusmodi homicida deportatus esse dicitur decreto Imperatoris. Qui nullo erant honore conspicui, capitis damnabantur: *L.* 16. *D. ad Leg. Corn. de sicar.* eoque pertinent, quae de honestiorum poena refert Paulus

---

r) Inde facile patet, cur *L.* 1. *D. ad Leg. Pomp. de parricid.* eadem esse dicatur poena legis Pompejae de parricidis, et legis Corneliae de sicariis. Intelligendum id enim est de iis, qui remotiores cognatos vel adfines occiderint. Unde non opus est emendatione V. C. Ger. Noodtii, qui *Probab. I.* 11. in prima illa Lege pro *legis Corneliae de sicariis* rescribendum putat *legis Corneliae de parricidiis.* Quin quum lex Cornelia de sicariis etiam parricidas persequuta sit, et, uti paullo ante §. 59. diximus, veterem cullei poenam retinuerit: recte sane et hoc sensu dici potuit, eamdem utraque lege poenam parricidis esse propositam. *Hein.* Lege Cornelia de sicariis etiam cautum fuit de parricidiis. Cicero in caussa Sex. Roscii Amerini *judicium inter sicarios* memorat [* in *Orat. pro Sex. Roscio Amer. c.* 5.], quum certum sit, eum de parricidio compellatum fuisse. *Cann.*

s) Rami iniquitas in Tribonianum et errores plurimi me moverunt olim, ut obviam procederem: [* *Obss. juris Rom. III.* 11—17.] miror, placuisse illum Rami librum viris eruditioribus. Praeter nitidissimam editionem nihil est, quod mihi placere potuit. *Cann.*

Sententt. Receptt. V. 23. 1. In crucem tollebantur homines infimae sortis, maxime, qui latrociniis dederant operam: Petronius *Satir.* c. 111. Seneca *Epist.* 7. *L.* 28. §. 15. *D. de Poen.* ubi abrogato jam a Constantino inter Christianos crucis supplicio, teste Hermia Sozomeno *Historiar. Ecclesiastic. I.* 8. furcam pro cruce posuit Tribonianus, quod et alibi eum fecisse notant Jacob. Raevardus *Conjectan. I.* 16. et Anton. Schultingius *Jurisprud. Antejustin. p.* 506. Alii ex faece hominum, qui caedem commiserant, bestiis objiciebantur: Paulus *ibid.* Unde insignioribus homicidis vulgo poscebantur leones, teste Tertulliano *de Spectacul. c.* 21. sub *fin.*

§. 62.

Quis culleum abrogarit?

Culleum parricidis destinatum abrogavit Hadrianus: *L.* 9. *D. ad Leg. Pomp. de parricid.* quamquam et post ejus constitutionem, ut ex eadem Lege adparet, cullei supplicium in usu mansit in locis maritimis. Postea vivicomburium et ad bestias damnatio invaluit. Unde de sua aetate Paulus *Sententt. Receptt. V.* 24. 1. *Hodie tamen parricidae vivi exuruntur, vel ad bestias dantur.*

§. 63.

Lex Cornelia de falsis testamentaria t).

Proximum est crimen FALSI, quod et ipsum publico judicio vindicatum est. Equidem jam antiquissimis temporibus de falso exstitisse leges, nemo dubitaverit. Sed earum jam pridem periit memoria. Celeberrima est LEX CORNELIA DE FALSIS, quam *testamentariam* et *numariam* vocat Cicero *in Verrem, Action. II. Lib. I. c.* 42. qui addit, *in ea non jus aliquod novum populo esse constitutum, sed sancitum, ut, quod semper malum facinus fuerit, ejus quaestio ad populum pertineret ex certo tempore.* Quaerebatur ex hac lege primo de ejus capite, qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit, quique testamentum falsum scripserit, signaverit dolo malo, cujusve dolo malo id factum fuerit, quibus omnibus aqua et igni ex hac lege interdicebatur:

---

t) Zach. Huberi *Diss. de lege Cornelia, quam commemorat Suetonius in v. Augusti c.* 33. *deque sententia ab Imp. Claudio lata apud Eumdem in v. Claudii c.* 15. in *Diss. juridd. philologg.* T. II. p. 74—97. Balth. Branchu *Diss. ad legem Corneliam de falso.* L. B. 1721. 4. Vockestaert *Diss. laud.* P. II. c. 9. p. 161—170. Rosshirt *l. l.* §. 221—232. p. 497—523. *Haub.*

Paulus *Sententt. Receptt. V.* 25. 1. Tale falsum frequentissimum erat Romae. In signatores enim testamentorum falsorum graviter invehitur Juvenalis *Sat. I. v.* 37. *sqq.* L. Audasii ejus falsi rei exemplum habes apud Suetonium [* *Octav. August. c.* 19.]. Si quis non modo falsum testamentum condidisset, verum etiam dominum hereditatis adipiscendae caussa occidisset, adcusator non modo publice persequebatur hoc crimen, sed et actionem privatam habebat ad bonorum possessionem, tamquam praemium adcusationis, consequendam. Ea actio vocabatur *internecini,* de qua consule, sis, Cujacium *Observatt. I.* 2. Multa alia quidem capita huc referunt Jureconsulti, sed cave existimes, ea omnia ex *lege Cornelia* esse. De solis enim testamentis illa egit, non de instrumentis aliis [u]). Verum postea variis Senatusconsultis legis Corneliae poena etiam ad alia falsa prolata est. Exstat hanc in rem egregium Ulpiani fragmentum apud Auctorem *Collationis legum Mosaicar. et Roman. VIII.* 7. quo varia ejusmodi SCta recensentur. Statilio enim et Tauro Coss. [x]) prodiit SCtum, quo poena legis Corneliae irrogatur etiam ei, qui quid aliud, quam testamentum, sciens signaverit, signarive curaverit, item, qui falsas testationes faciendas, testamentave falsa invicem dicenda aut consignanda dolo malo curaverit. Deinde, Licinio V. et Tauro Coss. [y]) eadem lege condemnari jussi sunt, qui ob struendam advocationem testimoniave pecuniam acceperint, pactique fuerint, societatem coierint, aut aliquam delationem interposuerint. Paulo ante M. Aurelio Cotta et M. Valerio Mesalla Coss. A. U. C. DCCLXXII. statutum fuerat ab amplissimo ordine, ut, si qui coierint

---

u) Num ex eadem lege repetenda sit fictio illa, qua confirmantur testamenta eorum, qui in hostium potestatem pervenerunt? quaeritur. Cf. Hugo *R. G.* p. 713. sq. et p. 715. sq. not. 1. (ed. XI.) et Schilling *Bemerkungen über Röm. R. G.* p. 285—287. *Mühl.*

x) In textu Ulpiani est. Sed Statilius et Taurus unus idemque est. Innui ergo videtur Consulatus *T. Statilii Tauri* et *L. Scribonii Libonis,* qui incidit in annum U. C. DCCLXVIII. ut conjecerunt Petr. Pithoeus *ad Collat. Legg. Mosaicar. et Roman. ibid.* Jacob. Cujacius *Paratitl. C. ad Leg. Cornel. de fals.* Petr. Faber *Semestr. I.* 25. *p.* 143. et Claud. Salmasius *ad Jus Attic. c.* 30. *p.* 877. Unde falluntur, qui id SCtum A. U. C. DCCCLXXX. L. Nonio, M. Annio Libone Coss. conditum existimant cum Hotomano. *Hein.*

y) M. Licinius V. Consul collegam non Taurum habuit, sed L. Calpurnium : Tacitus *Annal. IV.* 62. isque Consulatus incidit in annum U. C. DCCLXXIX. Tiberii XIV. Sed forsan Taurus Calpurnio suffectus est, aut scriba Taurum ex antecedentibus imprudenter repetiit. *Hein.*

ad occisionem innocentum, eadem lege coercerentur. Denique A. U. C. DCCLXXXI. duobus Geminis Coss. eadem lege coerciti, qui ob *venumdandum* vel *denudandum non remittendumve testimonium* z) pecuniam acceperint, ut adeo plurimis SCtis a) explicata, ad aliosque casus prolata sit lex illa Cornelia. Quare mirum non est, inter *falsum* et *quasi falsum* distingui *L.* 1. §. *ult. D. ad Leg. Corn. de fals.*

§. 64.

Lex de falso numario.

Alterum hujus legis caput legis numariae nomine veniebat. Eo cautum, ut, qui numos aureos ac argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit, raserit, corruperit, quive numos stanneos plumbeosve emerit, vendiderit dolo malo, ei damnato aqua et igni interdiceretur. Verum et huic alia deinde sunt addita, sive SCtis, sive constitutionibus Principum. Quale fuit illud, quod, qui vultu Principis signatam monetam praeter adulterinam reprobaverit, hujus legis poena tenebatur: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 25. 1. Id quod jam Epicteti temporibus, id est, sub Nerone et Vespasianis, receptum fuerat. Ita enim Arrianus *Commentarior. de Epicteti Disputatt. III.* 3. *Τὸ τοῦ Καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ, ἀλλ' ἂν δείξῃς, θέλει οὐ θέλει, προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ' αὐτοῦ πωλούμενον. Caesaris numum nec argentario, nec olerum venditori, improbare licet: sed ostenso eo, sive velit, sive nolit, rem*

---

z) Verba haec sunt in textu Ulpiani, sed vitiosa procul dubio. Legendum monet Cujacius *denunciandum vel non denunciandum, remittendumve.* Disputant de hoc loco Desid. Heraldus *de rer. judicat. auctorit. L. I. c.* 6. Hugo Grotius *Florum spars. ad L. ult. de Concussion.* Claud. Salmasius *ad jus Attic. c.* 30. Cornel. van Bynkershoek *Observatt. III.* 19. *Hein.*

a) Tale etiam est SCtum, quo cautum, ut *eae tabulae, quae publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus, ita signarentur, ut in summa marginis ad mediam partem perforatae triplici lino constringerentur, atque impositae supra linum cerae signa imprimerentur, ut exteriores scripturae fidem interiori servent: aliter tabulae prolatae nihil momenti haberent;* Paulus *Sententt. Receptt. V.* 25. 6. (Locus Pauli in *Sententt. Receptt.* aliter exstat, at corruptus: corrigere hunc volui olim, [* *Obss. juris Rom. III.* 6.] neque me ejus conjecturae poenitet. *Cann.*) Quod sub Nerone repertum esse, docet Suetonius *Nerone c.* 17. Contra ea, non ad Neronis tempora, sed ad Tiberii principatum hoc jus pertinere, idque inductum esse SCto Liboniano, existimat Petr. Faber *Semestr. I.* 25. *p.* 143. Plura de hoc signandi modo tradit Claud. Salmasius *de modo subscr. et subsign. testam. c.* 26. Ex aliis SCtis esse videntur, quae habet Paulus *Sententt. Receptt. V.* 25. 11. *sq. Hein.*

venditam ei tradere oportet. Plura hanc in rem dabit Jacob. Gothofredus *ad Leg. un. C. Theod. Si quis solidi circul. exter. circumcid.*

§. 65.

Leges novae de crimine falsi.

Enimvero nec haec Sullae severitas sufficere visa est Imperatoribus. Hinc novae invaluere poenae, nova supplicia. Nam de suo aevo Paulus *lib. laud. V.* 25. 1. *Et honestiores quidem in insulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Servi autem post admissum manumissi capite puniuntur.* Justinianus vero §. 7. *Inst. h. t.* omnes liberos homines deportatione; servos extremo supplicio ob falsum puniri tradit.

§. 66.

Leges antiquiores de vi publica et privata.

Non minus severe vindicata est VIS PUBLICA et PRIVATA [b]). Et antiquissimis quidem temporibus de vi non singularibus legibus actum, sed ea res legibus de majestate et sicariis simul comprehensa videtur. Primus hoc crimen a majestate et homicidio distinxit, ac lata singulari lege vindicavit P. Plautius, Tribunus plebis, A. U. C. DCLXXV. Catulo et Lepido Coss. quae lex etiam *Catulo* nonnumquam tribuitur ideo, quod is Consul Plautium in ea ferenda adjuverat. Quum enim, mortuo eo anno Sulla, Lepidus, Marianarum partium adsertor, cum Catulo, Sullano, de actis Sullae contendere coepisset: ingens seditio concitata est; victoque et pulso urbe, ac in Sardinia interfecto Lepido, Catulus hanc legem tulit cum Plautio: Cicero *Orat. pro T. Annio Milone c.* 13. [c]). Quaerebatur ex hac lege de capite ejus, qui adversus rempublicam conjuraverit, insidias senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis caussa loca superiora occuparit, alienasve aedes saxis, ignibus aut ferro occuparit, itemque, qui possessorem e fundo cum hominibus armatis dejecerit, dolo malo, aut armatis objectis, ut inde profugerent, caussam attulerit. Quo casu praedium nec usucapi ex hac lege poterat. Poena et hic erat aquae et ignis interdictio. Ex hac lege quaestio habita est de Catilina

---

b) Ferratius *Epp.* I. 12. Rosshirt *l. l.* §. 135— 137. 139. 140. p. 277—285. p. 287—294. *Haub.* Inprimis vero: Car. Otto de Madai *De vi publica et privata comment. jur. Romani.* Hal. 1832. *Mühl.*

c) Vid. tamen quae contra scripsit de Madai *l. l.* p. 22. sqq. *Mühl.*

ejusque conjurationis sociis, item de P. Clodio, P. Sextio et aliis: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 13. *p.* 568. *sq.*

§. 67.

Lex Pompeja eadem.

Postea et POMPEJUS tertio Consulatu LEGEM DE VI tulit, quae tamen non in universum valuit, sed tantum de caede in Appia via facta et incendio curiae et domo M. Lepidi Interregis oppugnata quaeri, et Quaesitorem ob hanc rem novum extra ordinem creari jussit: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 33. *p.* 676.

§. 68.

Lex Julia de vi publica.

Successit LEX JULIA a Caesare lata jam Dictatore, cujus solus meminit Cicero *Philipp. I.* 9. sed obscure, ut, quid ea sancitum sit, vix constet. Tanto celebriores vero sunt LEGES JULIAE Augusti [d]) DE VI PUBLICA et PRIVATA. Publicam vim fecisse dicebatur, *qui arma, tela domi suae agrove in villa praeter usum venationis, vel itineris, vel navigationis, coegerit, praeter ea, quae quis promercii caussa habuerit, hereditateve ei obvenerint: qui turbae seditionisve faciendae consilium inierit, servosque aut liberos homines in armis habuerit: qui pubes cum telo in publico fuerit: qui pessimo exemplo convocatu, seditione villas expugnaverit, et cum telis et armis bona rapuerit: qui ex incendio rapuerit aliquid praeter materiam: qui puerum vel feminam, vel quemquam per vim stupraverit: qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi caussa fuerit, vel prohibuerit dominum res suas servare: qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo aut navi sua dejecerit, expugnaverit concursu, utque id fieret, homines convocaverit: qui coetu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quive fecerit, quo minus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur, quique per vim sibi* [* *aliquem*] *obligaverit: qui quum imperium potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit jusseritque quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur: qui legatorum, oratorum, comitumque quem pulsaverit, sive injuriam fecerit: qui reum vinxerit, impedieritve, quo minus intra certum tempus adsit: qui dolo malo fecerit, quo minus judicia tuto exercean-*

d) At vid. de Madai *comm. laud.* p. 42. sqq. *Mühl.*

tur, aut judices, ut oportet, judicent, vel is, qui potestatem imperiumve habebit, quam ei jus erit, decernat, imperet, faciat: qui ludos pecuniamve ab aliquo invito publice privatimve per injuriam exegerit: qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut, ubi judicium publice exercebitur, praeter eum, qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent: qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur et pulsetur, neque occisus homo sit: qui aedes alienas aut villas expilaverit, effregerit, expugnaverit, siquidem in turba cum telo fecerit: qui nova vectigalia exercuerit. Haec sunt praecipua hujus legis capita, quae nobis servarunt Jureconsulti, et ex iis collegit Car. Sigonius *de Judiciis II.* 33. *p.* 679. *sq.* [* *Opp.* Sigonii *Tom. V.* (*Mediolani* 1736. *f.*) *p.* 828. *sq.*] Singulare id fuit in hac lege, quod Praetor, cui haec quaestio obvenerat, jurisdictionem poterat alii mandare: *L.* 1. *princ. de Offic. ejus, cui mand. jurisd.* Poena vis publicae erat aquae et ignis interdictio, postea deportatio, qualem poenam subiit Vibius Serenus apud Tacitum *Annal. IV.* 30. Denique sub Imperatoribus sequentibus humiliores ex hac lege capitis damnati; honestiores in insulam deportati sunt: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 26. 1.

§. 69.

Et de vi privata.

Legis DE VI PRIVATA rei erant, *qui coetum et concursum fecerant, quo minus quis in jus produceretur, quive quaestionem de alterius servo habuerant; qui quem ex agro suo hominibus congregatis sine armis dejecerant: qui creditores sine auctoritate judicis res debitoris occupaverant:* Car. Sigonius *ibid. p.* 681. [* *Opp.* Sigonii *Tom. V.* p. 830.] His damnatis, tertia pars bonorum publicabatur, neque ad senatoriam, neque ad decurionalem dignitatem adcessus dabatur, neque judices esse poterant. Postea humiliores ob haec similiaque crimina in metallum damnabantur, honestiores publicata tertia bonorum parte in insulam relegabantur: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 26. 3.

§. 70.

Crimen peculatus olim extra ordinem vindicatum.

Sequitur crimen PECULATUS e), de quo plerumque, ut supra

---

e) Franc. Sam. Hahn *Diss. de crimine peculatus, ad concilianda, quae sibi videntur obstare, responsa Marciani et Papiniani in L.* 4. §. *ult. D. ad L. Jul.*

dixi, ipse populus judicabat. Dicebatur ita furtum pecuniae publicae, et, quemadmodum a furto fures, ita a peculatu peculatores adpellabantur: Ascon. Pedianus in *Prooem. Actionis in Verrem c.* 1. p. 43. idque ideo, quia olim in pecude maxime constiterunt divitiae, adeoque ab ea initium ejus fraudis esse coepit: Festus sub voce *peculatus p.* 329. *sq.* Et olim quidem nec singularis lex de hoc crimine exstabat, nec Quaesitores singulares erant constituti. Quoties ergo suspectum de peculatu habebant civem: extra ordinem cuiquam hanc quaestionem demandabat populus, ut patet ex exemplo L. Scipionis Africani apud Livium *XXXVIII.* 56. ex quo etiam discimus, reis litem esse aestimatam, eoque facto, aut praedes dedisse eos, aut in carcerem ductos, immissis in eorum bona Quaestoribus.

§. 71.

Leges variae de peculatu.

Postea LEX DE PECULATU nescio a quo lata est, et singularis constitutus Praetor, qui quaestionem de peculatoribus haberet. Quis hujus instituti auctor sit, incertum est, nisi quod constat, id institutum Sullanis temporibus esse antiquius: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 28. *p.* 624. Adcessit postea LEX DE RESIDUIS, lata, ut videtur, a C. Cornelio, Tribuno plebis, ut *pecuniae publicae, quae residuae apud quemque essent, exigerentur:* Ascon. Pedianus in *Orat. Cic. pro C. Cornelio c.* 13. *p.* 135. Postremo a Caesare lata est LEX JULIA DE PECULATU, eaque cautum, ut, qui ex pecunia sacra, religiosa, abstulerit, interceperit, in suam rem verterit, aut quo quis auferret, interciperet, vel in rem suam verteret, fecerit, qui in aurum, argentum, aes publicum quid indiderit, immiscuerit, aut, quo id fieret, fecerit dolo malo, quique tabulam aeream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid immutaverit, ei aqua et igni interdiceretur, et pecunia ab herede repeteretur. Si quis vero publicam pecuniam delegatam in usum aliquem retinuerit, neque in eam rem consumserit, aut si apud aliquem ex locatione, emtione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam acceperit, aliave qua pecunia resederit, is damnatus amplius tertia parte, quam debeat, solveret. Sed et hanc poenam postea

---

pecul. et *L.* 81. *D. de Furt.* Heidelb. 1812. 4. Rosshirt *l. l.* §. 250. p. 546—548. De origine vocabuli *peculatus* vid. Crusii *Comm. de originibus pecuniae a pecore ante numum signatum* (Petrop. 1748. 8.) c. 6. p. 137—139. *Haub.*

ab Imperatoribus exasperatam esse, non abs re suspicatur Anton. Schultingius *ad Pauli Sententt. Receptt. V. 27. p. 524.*

§. 72.

Leges antiquae de repetundis.

Proxime ad peculatum adcedebat crimen REPETUNDARUM, de quo quaestio prima perpetua facta est, et Praetorem certum habuit. *REPETUNDAE vero pecuniae* dictae sunt, *quas sive socii, sive cives privati a magistratibus, aut judicibus, aut publicis curatoribus judicio repetiverunt; quas illi aut in provincia, aut in urbe, aut ob jus dicendum, aut ob judicandum aut ob aliud aliquid publice curandum cepissent:* Car. Sigonius *de Judiciis II.* [* *c. 27. p.* 601. *sq. Opp.* Sigonii *Tom. V. p.* 789.] f). Et initio quidem haec caussa privata erat, et extra ordinem ex Senatusconsulto cognoscebatur a recuperatoribus, idque anno adhuc DLXXXIII. factum est, ut patet exemplo P. Furii Phili, et M. Matieni, repetundarum adcusatorum ab Hispanis, apud Livium *XLIII.* 2. Gliscente autem subinde magistratuum provincialium avaritia, primam DE REPETUNDIS LEGEM tulit L. Calpurnius Piso, Tribunus plebis A. U. C. DCIIII. Manlio et Censorino Coss. qua non solum poenam, ut par est credere, severiorem proposuit, sed et singularem instituit Praetorem: Cicero *de Offic. II.* 21. Valerius Max. quidem *VI.* 9. 10. meminit etiam LEGIS CAECILIAE, ex qua repetundarum damnatus sit L. Lentulus, qui quum postea Censor factus sit A. U. C. DCVI. damnatum illum oporteret anno antecedente DCV. adeoque legem Calpurniam sequente statim anno insequutam esse *legem Caeciliam.* Sed memoria procul dubio fefellit Valerium, neque aliam in mente legem habuit, quam Calpurniam, nisi dicere malis, eamdem legem etiam Caeciliam dictam forsan ab aliquo Pisonis collega. Illud certum est, lege Calpurnia provincialium tantum magistratuum rapacitatem esse coërcitam, non item urbanorum. De his enim anno adhuc DCXII. quaestio extra ordinem habita est, teste Cicerone *de Finib. bonor. et malor. II.* 16. sub. *fin.* Nec alia hujus criminis poena fuisse videtur ex lege Calpurnia, quam aestimatio litis. Si enim vel relegationem vel exsilium subiissent rei, censuram non obtinuisset Lentulus A. U. C. DCVI. quum esset superiore anno repetundarum damnatus: Valerius Max. *ibid.*

---

f) Klenze *Proleg. ad fragm. Leg. Servil.* p. XI. sqq. *Mühl.*

§. 73.

Lex Junia de iisdem.

Calpurniam legem multae aliae sequutae sunt, et proximae quaeque duriores, ut ait Cicero *de Offic. II.* 21. Talis erat LEX JUNIA, lata, ut videtur, a. M. Junio Penno, Tribuno plebis, A. U. C. DCXXVII. M. Aemilio Lepido et Lucio Aurelio Oreste Coss. qua praeter aestimationem litis etiam exsilium damnatis irrogabatur. Ea poena ex hac lege mulctatus est C. Cato adcusatus a Macedonibus: Vellejus Paterc. *II.* 8.

§. 74.

Lex Servilia.

Proxime Juniam legem sequuta est SERVILIA, lata a. C. Servilio Glaucia, Praetore, C. Mario VI. et L. Valer. Flacco Coss. A. U. C. DCLIII. cujus ipsa fragmenta ex aenea tabula in Petri Bembi museo reperta edidit Car. Sigonius *de Judiciis II.* 27. *p.* 609. *sq.* g). Quaerebatur ex ea lege de iis, qui Consules, Praetores, Dictatores, Magistri equitum, aut in alio magistratu pecuniam ab aliquo privato abstulerint, ceperint, coegerint, conciliarint, averterint. Additum fuerat, ut horum, dum magistratum aut imperium haberent, nomen deferre haud liceret, ut adcusatoribus patronos sumendi repudiandive esset facultas, CCCCL legerentur judices, qui quotannis de repetundis judicarent, et quae sunt hujus generis alia. Ceterum non solum litis aestimationem, sed et exsilium irrogatum esse lege Servilia, ex Livii *Epitome LXX.* adparet.

§. 75.

Lex Acilia, Cornelia, Julia repetundarum.

Post hanc Serviliam legem lata est ACILIA a M' Acilio Glabrione, in qua illud additum legibus superioribus, UT NEQUE AMPLIARI, NEQUE COMPERENDINARI REUS POSSET: Ascon. Pedianus *in Prooem. Actionis in Verrem c.* 17. *p.* 62. Successit LEX CORNELIA lata a L. Cornelio Sulla, Dictatore, secundum quam judicatum est usque ad Caesarem. Quaerebatur hac lege non solum de iis magistratibus, qui pecuniam dono ceperint, abstulerint, coegerint, conciliarint, averterint, sed et qui libidinose, superbe, crudeliter se in provincia gesserint, nec non de iis, qui judices non suae decuriae munere

---

g) At jam uti nobis licet integriore ac emendatiore horum fragmentorum editione, saepius hoc in capite laudata, quam paravit Klenzius. Berol. 1825. 4. *Mühl.*

functi sint, aut non perpetuo sederint, aut ob judicandum pecuniam ceperint: itemque de eis, ad quos pecunia pervenerit: quive proconsulares rationes ad aerarium non retulerint, aut qui Proconsules privatim aliquo profecti fuerint, aut transmarinas res arcessiverint. Poena praeter litis aestimationem erat aquae et ignis interdictio, nisi in reatu adcusati decessissent. Quae omnia adcurate ex monumentis genuinis demonstravit Car. Sigonius *de Judiciis II. 27. p.* 614. *sq.* Postrema fuit LEX JULIA, quam A. U. C. DCXCIV. in primo Consulatu tulit Jul. Caesar, ut ex Ciceronis *Orat. in Vatinium c.* 12. colligitur [h]). Multa fuerunt hujus legis capita, quae partim ex Jureconsultorum fragmentis, partim ex Cicerone magno studio collegit Car. Sigonius *ibid. p.* 618. *sqq.* De poena inter viros eruditos disceptatur. Senatu et curiis submotos esse repetundarum reos, patet ex Suetonio *C. Jul. Caes. c.* 43. *Othone c.* 2. Tacito *Historiar. I.* 77. Plinio *Epistt. II.* 11. 12. *IV.* 9. Paulo *Sententt. Receptt. V.* 28. Unde hanc poenam praeter litis aestimationem lege Julia fuisse sancitam, existimat Just. Lipsius *ad Taciti Annal. XIV.* 28. Enimvero sic haec lex non fuisset ceteris acrior, severior, sanctior, quod tamen passim innuit Cicero *Orat. in Vatinium c.* 12. et *pro C. Rabirio c.* 4. Quum ergo jam antea rei juberentur duplum, triplum, quadruplum reddere, ac praeterea mitterentur in exsilium, teste Ascon. Pediano *in Prooem. Actionis in Verrem c.* 13. *p.* 59. *sq.* non facile existimes, leniorem in re fuisse Caesarem. Sed tamen verum est, civitate non excidisse repetundarum ex hac lege damnatos [i]), verum praeter aestimationem litis ordine esse motos, et prohibitos praeterea testimonium dicere, judicare, postulare: *L.* 6. §. 1. *D. ad Leg.Jul. repetund.* Anton. Schultingius *ad Pauli Sententt. Receptt. V.* 28. *p.* 525.

§. 76.

Lex Fabia de plagio.

Nec omittendum crimen PLAGII, de quo exstitit Lex FABIA, quam jam ante Ciceronis tempora latam esse, adparet ex ejus *Orat. pro*

---

h) Florentii Pet. Pittenii *Diss. ad legem Juliam repetundarum.* L. B. 1676. 4. Ferratius *Epp.* I. 8. 10. 11. Vockestaert *Diss. laud.* P. II. c. 11. p. 174—179. Rosshirt *l. l.* §. 248. sq. p. 543—546. *Haub.*

i) De sua quidem aetate testatur Paulus *Sententt. Receptt. V.* 28. *reos hac lege damnatos nonnumquam in exsilium missos, aut ad tempusre legatos.* Sed plerasque poenas a sequentibus Imperatoribus esse immutatas, nemo ignorat, et hactenus exemplo non uno est demonstratum. *Hein.*

C. Rabirio perduellionis reo c. 3. [k]). Tenebatur ea lege, qui civem Romanum ingenuum, libertinum, servumve alienum celaverat, vendiderat, vinxerat, comparaverat, quive in eam rem socius fuerat. Ejus poenam olim numariam fuisse, ait Paulus apud Auctorem *Collat. legg. Mosaicar. et Roman. XIV.* 2. [l]). Sed idem addit, postea in plagiarios extra ordinem animadvertisse Praefectos urbi, itemque Praesides provinciarum, et ita quidem, ut humiliores aut in metallum damnarentur, aut in crucem tollerentur, honestiores, ademta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegarentur. Si servus, sciente domino, alienum servum subtraxerat, vendiderat, celaverat, in ipsum dominum animadvertebatur: sin id, domino ignorante, commiserat, in metallum dabatur: Paulus *ibid.* et Ulpianus in *Collatt. legg. Mosaicar. et Roman. XIV.* 3. Edita etiam post ea tempora Diocletiani constitutio, qua in urbe hoc crimen capite vindicari jubetur: *L. 7. C. ad Leg. Fab. de plag.* quam sequuta alia Constantini, ex qua ob plagium liberi hominis servus aut libertinus statim, id est, primo quoque munere bestiis objicitur, liber sub hac forma in ludum datur, ut, antequam aliquid faciat ad se defendendum, gladio consumatur: *L.* 1. *C. Theod. ad Leg. Fab. de plagiar.*

§. 77.

Ambitus apud Romanos qualis fuerit?

Agmen claudat crimen AMBITUS. AMBIRE Romanis erat petere magistratum, verum studiosius atque obnixius, quam mores legesque civitatis ferebant. Mira hic erant Romanorum artificia, quibus sibi et amicorum et populi favorem conciliarent: Q. Cicero *de petitione Consulatus c.* 5. *Petitio magistratuum divisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est.* Amici erant *propinqui, necessarii, et qui aliquid ostendebant voluntatis. Propinquos* vocabant, qui aut cogna-

---

k) Christ. Erdm. Deyling, Praes. Car. Ott. Rechenberg, *Diss. ad legem Fabiam de plagiariis.* Lips. 1745. 4. Rosshirt *l. l.* §. 141—143. p. 294—299. *Haub.*

l) In textu est *summaria*, pro quo *numaria* legi jubent Petr. Pithoeus et Rittershusius in h. l. ut et Petr. Faber *Semestr. II.* 11. Ipsam quoque numariam poenam ex lege Fabia describit Ulpianus apud Auctorem *Collat. legg. Mosaicar. et Roman. XIV.* 3. *Hein.* In *L.* 6. §. 2. *D. de Lege Fabia de plag.* teneri hac lege dicitur, *qui civem* INVINCTUM *habuerit:* haec vitiosa censent plures, sed male: namque idem verbum mox ibidem occurrit, nec, licet alibi non occurrat, damnanda latinitas. *Cann.*

tione aut adfinitate conjuncti erant. *Necessarios*, quos consuetudo vitae conjunxerat, ut familiares, tribules, vicinos, clientes, municipes, et qui in eadem societate, collegio, sodalitate et ordine erant. Aliquid voluntatis ostendere videbantur salutatores, deductores, adsectatores, suffragatores, de quibus omnibus Cicero *ibid.* et *c.* 9. Hi omnes ergo pro candidatis prensabant, eosque laudabant, commendabant, et rerum eorum satagebant. Popularem vero auram, qua praecipue erat opus, captabant *nomenclatione*, *blanditiis*, *adsiduitate et benignitate*. *Nomenclatio* eam habebat vim, ut petitor singulos cives suo quemque nomine adpellaret ac salutaret. Quumque id fieri vix posset in tanta civium multitudine: alebant servos, qui candidatis civium singulorum suggererent nomina, unde eos *nomenclatores* vel *monitores* adpellabant: Cicero *Orat. pro L. Muraena c.* 36. fere *sub fin.* [* Plinius *Epistt. II.* 14.] Dicti etiam sunt *fartores*, quia veluti in aures infarciebant civium nomina: Festus sub voce *Fartores p.*143. quo pertinent illa Horatii *Epist. I.* 6. *v.* 49. *sqq.*

Si fortunatum species et gratia praestat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet is fasces dabit, eripietque curule
Cui volet importunus ebur: – — —

Blanditiae varia continebant adsentandi artificia. Alios candidati patres, alios fratres, alios patronos adpellabant: Horatius *ibid. v.* 54. *sq.*

— — — – *Frater, Pater, adde:*
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

Nec pudebat eos *et frontem, et vultum, et sermonem ad eorum, quoscumque convenerant, sensum et voluntatem commutare:* Cicero *de petitione Consulat. c.* 11. Opus porro erat *adsiduitate*, nec parum prodesse videbatur candidatis, adsidue esse Romae, atque in foro, adsidue petere, saepe eosdem adpellare, ambire, prensare, rogare. Circuibant ergo forum, supplices populo, circuibant omnia Italiae conciliabula, prehendebant singulorum dextras, beneficia sua in singulos commemorantes, cicatrices pectore nudato ostendebant, et quae erant hujus generis alia. Sed maximum momentum habebat *benignitas*, si plura populo dedissent congiaria, prandia, munera: Cicero *l. l.* Qua in re tanta erat quorumdam profusio, ut furiosum patrimonii sui facerent exitum: Ascon. Pedianus *in Arg. Orat. Cic.*

pro M. Scauro p. 168. Sed in eo haud substitit candidatorum industria. Saepe eo prolapsi sunt impudentiae, ut praesente pecunia emerent suffragia, eaque de caussa secum producerent *interpretes*, per quos pactio induceretur, *sequestres*, apud quos deponeretur pecunia, et *divisores*, qui singulis numos distribuerent: Ascon. Pedianus *in Prooem. Actionis in Verrem c.* 12. *p.* 59. Imo saepe adhibita vis est, turba vel factione conducta, quae terrorem incuteret populo, eaque *sodalitiorum* nomine venit. Quae omnia adcurate exposuit Car. Sigonius *de Judiciis II.* 30. *p.* 646. *sqq.*

§. 78.

Leges variae de ambitu.

Quum ergo tam turpe vitium tam altas egisset radices: nihil reliqui fecerunt Romani, ut illud legibus quam plurimis coercerent. Sane non temere ullum est delictum publicum, de quo tot exstent leges, quot de ambitu latae sunt. Jam A. U. C. CCCXXI. L. Pinario et L. Furio Tribunis militum, consulari potestate, senatus auctoritate lex lata est a Tribunis plebis, qua togae candidae usus prohiberetur: Livius *IV.* 25. Sed hanc legem vel numquam, vel parum diu valuisse oportet. Deinde A. U. C. CCCXCV. C. Fabio Ambusto et C. Plautio Proculo Coss. sequuta est LEX POETELIA, a C. Poetelio, Tribuno plebis, perlata, qua *novorum maxime hominum ambitio, qui nundinas et conciliabula obire soliti erant, comprimebatur:* Livius *VII.* 15. *in fine.* Sed nec ea diutius in usu fuit. Proxima est LEX BAEBIA AEMILIA, a Cn. Baebio et L. Aemilio Paullo Coss. lata A. U. C. DLXXI. Livius *XL.* 19. Eam adversus largitiones latam esse, colligi posse videtur ex Nonio [* Marcello *de proprietate sermonum c.* 7. *n.* 19. sub voce *largi p.* 749. in *Auctorib. Latinae linguae in unum redact. corpus (Genevae)* 1585. 4.] *Cato lege Baebia: pecuniam inlargibo tibi.* Inde A. U. C. DXCIV. nova lege opus fuit, puta CORNELIA FULVIA lata A. Cn. Cornelio Dolabella et M. Fulvio Nobiliore Coss. *Epitome* Livii *XLVII.* Ea primum cautum fuisse videtur, ut largitio capitalis esset, id est, exsilio puniretur, siquidem paullo post ambitus damnatus est Q. Coponius, quod vini amphoram dedisset ei, cui suffragii latio erat: Plinius *Hist. Nat. XXXV.* 46. Postea A. U. C. DCXXXIV. lata est LEX MARIA per C. Marium, Tribunum plebis, qua cautum est, ut pontes angustiores fierent, ne suffragatori locus ad rogandum esset: Cicero *de Legg. III.* 17. Nec dubium videtur, quin

eodem tempore quaestio ambitus facta sit perpetua, siquidem jam A. U. C. DCXXXIX. P. Rutilius et M. Scaurus se invicem hujus criminis adcusarunt: Ascon. Pedianus *in Orat. Cic. pro M. Scauro p.* 171. Per eadem tempora LEX FABIA, promulgata de numero sectatorum, a populo antiquata est: Cicero *Orat. pro L. Muraena c.* 34. At A. U. C. DCLXXXVI. M. Acilio Glabrione et C. Calpurnio Pisone Coss. perlata est LEX ACILIA CALPURNIA, ut, qui ambitus damnati essent, iis neque magistratum capere, neque in senatum legi liceret, et pecunia mulctarentur: Dio Cass. *Hist. XXXVI.* 21. Eam legem postea A. U. C. DCXC. Cicerone et Antonino Coss. sequuta LEX TULLIA de ambitu, quae legem Aciliam Calpurniam etiam ad eos protulit, qui mercede conducti obviam candidatis ivissent, qui conducti sectarentur, qui gladiatoribus et vulgo locum attribuissent, qui prandia vulgo dedissent, qui biennio, quo petunt, gladiatores dare ausi essent, nisi ex testamento praestituta die: Cicero *Orat. in Vatinium c.* 15. Additum ea lege, ut, qui de ambitu condemnarentur, ii praeter aliam poenam decennali exsilio mulctarentur. Biennio post A. U. C. DCXCII. M. Valerio Messalla et M. Pupio Pisone Coss. ab Aufidio Lurcone, Tribuno plebis, denuo promulgata LEX AUFIDIA de ambitu, severior etiam, quam Tullia, qua inter alia cautum, ut, qui numos in tribu pronunciaverit, si non dederit, impune esset, sin dederit, quoad viveret, singulis tribubus sestertium MMM deberet: Cicero *ad Atticum Epistt. I.* 13. Sed quam parum diu etiam haec lex valuerit, discimus exemplo Caesaris et Bibuli apud Suetonium *C. Jul. Caesar. c.* 19. Ejusdem paene aetatis est LEX LICINIA, A. U. C. DCXCVI. Cn. Pompejo et M. Licinio Crasso Coss. lata adversus sodalitia, coitionem cum petitoribus, numorum divisionem, quibus omnibus exsilii poena statuta: Car. Sigonius *de Judiciis II.* 30. *p.* 650. et 658. [* in primis vero Henr. Guil. Tydeman *Diss. de rebus judicatis non rescindendis c. II.* §. 80—85.] Sed nec hanc legem suffecisse, inde patet, quod paullo post A. U. C. DCCI. a CN. POMPEJO, solo tum Consule, nova lex lata est, qua brevius factum est judicium ambitus: Car. Sigonius *ibid. p.* 660. Sed et C. JULIUS CAESAR, Dictator, ambitum coercuit, non lege quidem, sed eo, quod comitia cum populo partiebatur, ut, exceptis Consulatus petitoribus, de certo numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur, pro altera parte, quos ipse dedisset. Edebat autem candidatos per libellos circa tribus missos scriptura brevi: *Caesar*

Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, et illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat: Suetonius *C. Jul. Caesar. c.* 41.

§. 79.

Lex Julia de ambitu m).

Postrema est LEX JULIA DE AMBITU, cujus in Pandectis nostris fit mentio, lata ab Augusto Imperatore. Sed ea non opus fuit diu, siquidem, comitiis n) sub Tiberio e campo translatis ad patres, omne ambitus crimen evanuit. Unde lex ambitus ad eos tantum pertinere visa est, qui in municipiis duumviratum vel sacerdotium, ut puta Alytarchiam, corruptis Decurionum suffragiis, vel advocata servorum aliave multitudine, obtinuerint: *L.* 1. *D. ad Leg. Jul. de ambit.* Eos enim, ut vis publicae reos, Imperatores sequentes in insulam deportari jusserunt: Paulus *Sententt. Receptt. V.* 30. *A.* 1.

§. 80.

Conclusio operis.

Sic emensi demum illud antiquitatis Romae iter, nihil, quod ad intelligentiam Institutionum juris Romani necessarium videbatur, videmur nobis omisisse. Quare, tamquam fessi, ne diutius in aliena republica versemur, in patriam revertimur postliminio, visuri in posterum,

Quid domibus nostris pravi rective geratur.

---

m) Ferratius *Epp.* I. 13. Jos. Gabaleonis Comitis Sarmatorii (potius Gfr. Mascovii) *Diss. ad legem Juliam de ambitu.* Lips. 1743. 4. et in Fellenbergii *Jurispr. ant.* T. I. p. 447—489. Rosshirt *l. l.* §. 246. p. 540. sq. *Haub.*

n) His nimirum, quae magistratuum creandorum causa fiebant; vid. Lib. I. Tit. II. §. 44. *Mühl.*

CORRIGENDA.

P. 5. not. m. lin. 10. l. *tabulas.*
" 7. " q. " 9. l. *adnumeravit.*
" 20. §. 26. rubr. l. *ingenium.*
" 26. §. 36. " ante *Basilio* add. *a.*
" 27. not. l. lin. 4. l. *epanagoges.*
" 40. §. 7. lin. 6. l. Asc. Pedian. *in Prooem. Act. I. in Verr. c. 9. p. 54.* ed. L. B. 1675. 12.
" 52. lin. 11. l. *ab injuria et iniquitate.*
" 61. " 12. l. *Asc. Pedian. in Verr. de Praet. urb.* c. 42. p. 98. sq.
" 70. not. o. lin. 6. l. Casaubono.
" 79. §. 63. rubr. l. *vere.*
" 101. lin. 2. l. *DCXXXI. n.* 2.
" 116. not. g. lin. 4. l. *praevaricatione.*
" 132. §. 12. lin. 6. l. *p. DCCCXXI. n.* 5. *ibid.* not. 5. pro Tit. XXII. §. 5. l. Tit. XIII. §. 24.
" 142. lin. 4. ab imo l. *dubitamus.*
" 143. §. 5. rubr. l. *Adrogatio.*
" 162. §. 1. lin. 3. l. *Liv. I.* 34.
» 180. not. g. lin. 1. l. *Sat. c.* 126.
" 242. lin. antepenult. l. *Asc. Ped. in Or. pro C. Cornelio p.* 139. *et in Divin. c.* 7. *p.* 125.
" 388. lin. 7. l. *recipiebat.*
" 402. not. y. lin. 6. l. *prudentibus.*
" 413. " e. " ult. l. *continuatis.*
" 503. lin. ult. l. *ostenderet.*
" 505. not. e. lin. 5. l. *vindicarent.*
" 511. " z. " 23. l. *junctim.*
" 562. " a. " 24. 25. l. *severissime se obligarent.*
" 589. " k. " 9. l. *Et.*
" 595. " c. " 21. l. *statuant.*
" 620. " l. " 12. l. *conjecturas fecerunt.*
" 629. ad not. r. add. C. F. Dieck *Ueber den Direktariat der Römer;* in den *histor. Versuchen üb. das Crim. R. d. Römer* (Halle 1822.) num. II. p. 181. sqq.
" 635. not. a. lin. 5. l. *indice.*
" — " b. » 7. l. *Dupont.*
" 638. " e. " 5. l. *appellatur.*
" 639. " f. " 12. ante *consueta* add. *a.*
" 644. lin. ult. l. §. 23.
" 651. not. b. lin. 4. l. §. 23.
" 653. " c. " 20. ante *denuntiationum* add. *a.*
" 660. " p. " 14. l. *edictum.*
" 663. lin. 8. l. *condictionum.*
" 665. §. 24. lin. 10. l. *siquidem.*
" — — — 16. post *proposito* del. commatis signum.
" 667. not. u. lin. 3. l. *spectent.*
" 671. lin. 12. l. *at* per exceptionem.
" 720. » 6. l. solutio *facta.*
" — — 18. l. *quocum.*
" 721. lin. 8. sq. del. verba: *vid. locc. in not. laud.*
" 729. not. m. lin. 1. l. Sunt duplicia *interdicta.*
" 734. lin. 7. l. *sin* minus.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

Pro. notat *prooemium*, *Adp.* *adpendicem*, *princ.* *principium* cujusque tituli. Numerus Romanus *Libros*, e reliquis numeris primus *titulum*, secundus *paragraphum*, indicat. Littera minuscula addita ad *adnotationem paragrapho* adnexam respicit.

DD.5